

R. P. D. ANTONINI
DIANA
PANORMITANI,
CLERICI REGVLARIS,
CORAM SANCTISS. D. N. INNOCENTIO X.
EPISCOPORVM EXAMINATORIS, ET
Sancti Officij Regni Siciliae Consultoris,
RESOLUTIONVM MORALIVM
PARS TERTIA:

*In qua selectiores casus Conscientiae breuiter, dilucidè, & ut plurimum
benignè, sub his Tractatibus explicantur,*

- | | |
|---|----------------------------|
| I. De Immunitate Ecclesiastica. | IV. De Sacramentis. |
| II. De Dubiis Regularium. | } V. }
} & }
} VI. } |
| III. De Absolutione largienda moribus destitudo sensibus destitudo. | |

*Additæ sunt in extremo aliquot Resolutiones ad nonnullos I. II. & III.
Partis, aliisque nouos casus.*

EDITIO DECIMATERTIA, ET NOVISSIMA.

Ab ipso Authore recognita, emendata, & aucta.



L V G D V N I
Sumptibus Laurentij Anissoni

M. DC. XLVI.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT
5712 S. UNIVERSITY AVE.
CHICAGO, ILL. 60637

PHYSICS 309
LECTURE NOTES
BY
J. D. VAN VLIET

1963



PHYSICS 309
LECTURE NOTES
BY
J. D. VAN VLIET



AD LECTOREM.



A quidem humanitate exceptam à te noui, Amice Lector, adeoque tuo iudicio comprobata, vnam, & alteram mearum Resolutionum Moraliū partem, vt anno vix elapso hanc tertiam, quamprimū edere sim gratificandi tibi animo conatus. Ipsam verò, vt æqui bonique consulas, non enixè abs te petam, ne nimirum diffidere tuæ mihi satis notæ beneuolentiæ videar; eandem enim in ista, ac in illis inuenies methodum, eandemque materiæ selectionem; vt nisi dissimilis sis tibi, non dispari eam prosequi debeas fauore, nec dissimile de ea proferre iudicium: vno enim breuitatis, & perspicuitatis confinio ea conclusi, quæ praxis vtilitatem habeant, & ingenium oblectent. Nec abnui diuinam ibi legem benigniùs interpretari, vbi ratio id suasit, doctorūque virorum auctoritas, quæ duæ res sententiæ firmitatem, ac securitatem faciunt. Addidi etiam sub finem libri aliquot resolutiones ad nonnullas ex celeberrimis resolutionibus 1. 2. & 3. partis, atque adeò nouorum casuum, v sui tuo per vtilis ac necessarias. Verū dum hac tertia fruere parte, quartam interim elaborabo, in qua præter alios Tractatus, vnum longiorem habebis, **DE OFFICIO ET POTESTATE INQUISITORVM.**

A P P R O B A T I O N E S.

EX commissione A. R. P. Generalis considerauimus *Tertiam Partem Resolutionum Moralium R. P. D. Antonini Diana Clerici Reg.* & cum nihil in ipsis sanæ doctrinæ, & bonis moribus aduersetur, sed valde vtilis futura sint Confessariis, & Moralis Theologiæ studiosis, dignas duximus, quæ typis mandentur. Romæ die 24. Iulij 1631.

D. THOMAS DE AFFLICTIS, Sacræ Theologiæ Professor, Cler. Reg.
D. ZACHARIAS PASQUALIGVS, Cler. Reg. Sacræ Theologiæ Professor.

EX Superiorum præscripto accuratè recognouimus *Tertiam Partem Resolutionum Moralium à P. D. Antonino Diana Clerico regulari* compositam, in qua nihil, aut fidei Catholicæ aduersum, aut bonis moribus dissonum reperimus; quin potius eximiam in dissoluendis Moralis Theologiæ, & vtriusque iuris quæstionibus eruditionem, in peruestigandis, enucleandisque Doctorum placitis, doctrinisque reconditis summam diligentiam, & indefessum laborem, atque in omnibus explicandis miram facilitatem, ac breuitatem. Denique hic Auctor ex vasto moralis doctrinæ campo, lætissimos quosque flores in vnum collegisse videtur; quare vt Resolutiones prædictæ in communem vtilitatem typis mandentur, omninò censuimus. Dat. Platæ, & Panormi, die, &c.

D. FRANCISCVS MARIA DEL MONACHO, Cler. Reg. Sacr. Theol. Professor.
D. PAVLVS MARIA QVARTVS, Cler. Regul. Sacræ Theologiæ Professor.
D. PLACIDVS MARIA VANNI, Cler. Regul. Sacræ Theologiæ Professor.

**D. STEPHANVS MEDICES, CONGREGATIONIS
Clericorum Regularium Præpositus Generalis.**

CVM hæc *Tertia Pars Resolutionum Moralium P. D. Antonini Diana*, iuxta præfixam assertionem P. P. Theologorum, quibus id commisitimus, approbata fuerit, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentem has manu propria subscripsimus, & nostro solito sigillo firmauimus. Dat. Romæ die 26. Iulij 1631.

D. STEPHANVS MEDICES, Præpositus Generalis Congregationis Cler. Reg.
D. BERNARDVS CASTAGNINVS, Secretarius.

A P P R O B A T I O

A. R. P. FRANCISCI BARDI, SOCIETATIS IESV,
olim in Collegio Panormitano Philosophiæ, & casuum conscientiæ,
nunc verò Sacræ Theologiæ Professoris.

ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE,

TERTIAM *Partem Resolutionum Moralium* ab admodum R. P. D. Antonino Diana conscriptam perlegi, & consideravi, & nihil Catholicæ fidei, bonisque moribus in ea repugnans inueni. Verùm doctrinam continet Confessariis, cæterisque animarum curam gerentibus perutilem, & necessariam: mira enim breuitate, & facilitate ad praxim spectantes expenduntur casus; quapropter, vt in lucem quamprimum mittatur, dignam esse censeo. Panormi die 10. Decembris 1631.


FRANCISCVS BARDI, Societatis IESV.



INDEX TRACTATVVM, & Resolutionum tertiæ Partis.

TRACTATVS I.

De Immunitate Ecclesiarum.

- RESOL. I.  N Iudex Ecclesiasticus possit cognoscere laicum simul delinquentem cum Clerico? p. 1.
2. An Iudex laicus possit cognoscere in casu hæresis, si agatur de quæstione facti? ibid.
3. An statutum, siue lex inutilidans donationem omnium bonorum factam à patre filio clerico, sit contra immunitatem Ecclesiasticam? ibid.
4. An Iudex laicus possit facere realem executionem sententiæ à se latæ contra Clericum in casibus, quibus sibi à iure cognitio permixta est? 2
5. An Rex possit detinere Episcopos pro gubernatione alicuius Regni, seu consilij, & an dicti excusentur à residentia in dicto casu? ibid.
6. An Episcopi feudatarij Regum debeant prius obedire Regi, quàm Papæ, seu Metropolitano? ibid.
7. An filij Clericorum gaudeant priuilegio fori, ita vt Iudex laicus illos non possit punire? 3
8. An laici Magistratus possint compellere Clericos ad reparationem Ecclesiarum? ibid.
9. An Episcopi possint excommunicare Reges, & eorum Consiliarios, & quid de Inquisitoribus, non solum in Sicilia, sed in alijs Regnis? ibid.
10. An Iudex laicus possit cognoscere, vtum clericus veste clericali amictus sit, vt gaudeat priuilegio fori. 4
11. An Ecclesiastici teneantur soluere gabellas impositas pro primo introitu Regis in Ciuitatem? ibid.
12. An Episcopus possit cognoscere de delicto admissio à laico officiali suo? ibid.
13. An statuta laicorum etiam fauorabilia Clericis sint valida? ibid.
14. An leges Amortizationis sint contra immunitatem Ecclesiasticam? ibid.
15. An Iudex laicus possit cognoscere de Clericatu, vel de habitu? 5
16. An Clericus propter crimen læsæ Maiestatis sit degradandus, & curiæ seculari tradendus? ibid.
17. An Clerici teneantur soluere collectam certam, & inuariabilem, impositam per statutum super aliqua bona, priusquam ad eos peruenissent? ibid.
18. An Iudex Ecclesiasticus possit præcipere Iudici seculari sub pœna excommunicationis, quod superseedat executionem contractus, donec decidatur, an sit vsurarius, necne? 6
19. An Iudex laicus possit exigere gabellas à Colonis partiaris Religiosorum? ibid.
20. An Conseruatores Religiosorum possint procedere contra eorum debitores laicos? ibid.

21. An transacto anno Episcopus sit exequutor vltimarum voluntatum, etiam quoad legata non pia? 7
22. An Clericus si conueniatur pro euictione, conueniendus sit coram iudice Ecclesiastico? ibid.
23. An colonus laicus Religiosorum pro eius portione colonica teneatur soluere decimas? ibid.
24. Vtrum emphyteuta Ecclesiæ teneatur ad tributa? ibid.
25. An negligentia iudicis Ecclesiastici in administranda iustitia, possit suppleri per iudicem sæcularem, vel è contra? 8
26. An Principes possint statuere, ne beneficia Ecclesiastica exteris conferantur? ibid.
27. An Principes habeant ius conuocandi Episcopos propter aliquod Reipublicæ negotium, vel bonum ipsarum Ecclesiarum?
28. An minister laicus possit spoliare Clericum armis prohibitis? 9
29. An Clericus possit se submittere iurisdictioni Regali, quoad bona patrimonialia? ibid.
30. An Clericus, qui commisit crimen læsæ Maiestatis, sit puniendus à iudice seculari? ibid.
31. An Clericus succedens in bonis laici, sit propter illa bona vocandus in iudicium coram iudice laico, ante quem causa incepta iam erat? ibid.
32. An ad iudicem laicum spectet cognitio, si captus à Satellitibus affirmat se fuisse captum in loco sacro, illis tamen negantibus? ibid.
33. An Nouitius ob delictum ab eo ante Religionis ingressum commissum, sit à iudice laico puniendus, etiam si hoc in fraudem fecerit? 10
34. An Nouitius habitu Religionis dimisso possit à iudice seculari puniri ob delictum tempore nouitatus commissum? ibid.
35. An Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudeant immunitate? ibid.
36. An qui cum ipso satellite per vim intrat in Ecclesiam, gaudeat ipsius immunitate? ibid.
37. An frangentes carceres, & inde ad Ecclesiam confugientes, gaudeant immunitate? 11
38. An Episcopo debeat certò constare de delicto in Bulla exceptuato, antequam tradat reum curiæ seculari? ibid.
39. Quis homicidium commisit in scalis Ecclesiæ, & postea inuentus in Ecclesia, quaeritur an gaudeat immunitate? ibid.
40. De quibusdam Epistolis Clem. VIII. contra debitores fugitios, bannitos, fures, &c. circa immunitatem Ecclesiarum? ibid.
41. An Clerici transgressores legum possint puniri à iudice laico pœna pecuniaria lege constituta? ibid.
42. An residentia Episcoporum pertineat ad Principes sæculares? 12
43. An Clerici ex vi statuti laicalis possint conueniri pro iure congrui, vel laicos conueniri? ibid.

Index Tractatum,

44. An Clericus negotiator sine trina monitione teneatur soluere gabellam, & an dicta, vel alia gabella à Clerico debita possit peti coram iudice? *ibid.*
45. An vxor Clerici Græci, vel Latini in minoribus constituti, gaudeat priuilegio fori in casu, quo eius vir eo gaudet? 13
46. An familia Vicarij Episcopi gaudeat priuilegio fori? *ibid.*
47. An familia Clerici gaudeat priuilegio fori? *ibid.*
48. An ad declinandum forum Iudicis secularis sufficiat possessio clericatus? *ibid.*
49. An si adsit clausula de non alienando, possit fieri executio per secularem Iudicem in prædio specialiter obligato à laico, etsi clericus illud possideat? 14
50. An quando decimæ nomine feudi fuerunt Principibus, vel aliis secularibus collatæ, earum exactio, & lites pertineant ad Iudicem Ecclesiasticum? *ibid.*
51. An Fratres D. Ioannis qui portant mediam Crucem albam, gaudeant priuilegio fori, & gabellarum? *ibid.*
52. An Iudex laicus incidat in censuram Bullæ Cœnæ, si occultè processit Clericum animo præsentandi processum Summo Pontifici, vel Iudici Ecclesiastico? *ibid.*
53. An sit licitum pro vi tollenda recurrere ad Regia Tribunalia? *ibid.*
54. An Iudex laicus excusetur ab excommunicatione Bullæ Cœnæ contra ipsius transgressores lata, prætextu quod non sit in sua prouincia acceptata? 15
55. An auocatio causarum spiritualium ad laica Tribunalia verita sit sub censura Bullæ Cœnæ, si causæ auocentur tantum à Iudicibus Sedis Apostolicæ? *ibid.*
56. Vtrum Iudices laici auocantes ad se causas Ecclesiasticas excusentur ex tolerantia Summi Pontificis? *ibid.*
57. An priuilegium cognoscendi causas Ecclesiasticas concessum Principi laico reuocari possit? *ibid.*
58. An Iudex laicus consuetudinem inducens, vel ea introducta vtens, contra libertatem Ecclesiasticam, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ? 16
59. An Clericus in feudalibus possit conueniri coram Iudice laico? *ibid.*
60. An laicus deponens falsum coram Iudice Ecclesiastico possit ab eo puniri, & quid è contra, si Clericus deponat falsum apud Iudicem secularem? *ibid.*
61. An Milites Sancti Stephani, & Sancti Lazari gaudeant priuilegio fori? *ibid.*
62. An habens coadiutoriam à Papa concessam gaudeat priuilegio fori, & quid de clerico, qui beneficium obtinere non poterat, vel ordinatus est cum falsis dimissoriis? *ibid.*
63. Clericus qualem habitum deferre debet, vt fori priuilegio gaudeat? 17
64. An aliquis Princeps habeat à Pontifice priuilegium in causis violentiæ arcendæ? *ibid.*
65. An collatio Episcopatum, & aliorum beneficiorum possit à Principe laico præscriptione acquiri? *ibid.*
66. An Rectores Hospitalium gaudeant priuilegio fori? *ibid.*
67. An qui assumpsit habitum clericalem post delictum animo subtrahendi se à laica potestate, gaudeat priuilegio fori? 18
68. Quid facere debeat Episcopus, dum Iudices laici edunt aliquod statutum contra libertatem Ecclesiasticam. *ibid.*
69. An Clerici inseruientes, & verè adscripti alicui Ecclesiæ, licet primam tonsuram non habeant, gaudeant priuilegio fori? *ibid.*
70. An Iudex laicus possit dirimere controuersias ortas inter Confraternitates in aliqua processione? *ibid.*
71. An domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque

Ecclesiasticorum existentes prope triginta passus Ecclesiæ gaudeant eius immunitate, etiamsi habitentur à laicis? *ibid.*

72. An occidens fœtum animatum cum aliqua potione, gaudeat immunitate Ecclesiæ? 19
73. An fugiens à birroariis, si parietem Ecclesiæ partis exterioris tangat, vel fuerit amplexus, gaudeat immunitate? *ibid.*
74. An Bulla Cœnæ tollat casus Regni Galliarum, quos priuilegiatos appellant, & quid de priuilegio Monarchiæ Regni Sicilia? *ibid.*

TRACTATUS II.

De dubiis Regularium.

- RESOL. I. **A**N Generales, & alij Prælati Religionum possint confiteri Confessoribus extra Religionem, & quid de Generalibus, & Præpositis nostræ Religionis? *ibid.*
2. An Guardiani, Priores, Præpositi, & Rectores Regularium possint illis præbere licentiam, vt eligant Confessarium extra Religionem? 21
3. An Episcopus extra dioccesim possit eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario, & quid de Prælati Religionum? 22
4. An Confessarius secularis possit absoluerè Nouitios regulares etiam à peccatis in Religione reseruatis? 23
5. An Confessarij designati à Superiore ad excipiendas Fratrum confessiones possint confiteri Clericos professos stantes sub cura Magistri? *ibid.*
6. An vocales nostræ Religionis possint licitè abesse à Capitulis, & quid de Cardinalibus, Senatoribus, Consiliariis, & Decurionibus Ciuitatum? 24
7. An Prælati nostræ Religionis, & aliarum, quæ priuilegiarum communicatione gaudent, possint concedere Dimissorias Nouitiis, vt ab Episcopo ordinentur? 25
8. An relinquere Missam solemnem in nostris Ecclesiis diebus festiuis sit peccatum mortale? vbi multa de vi consuetudinis. 26
9. An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint commutare, vel dispensare vota extra Confessionem? *ibid.*
10. An priuilegia Mendicantium reuocentur per Bullas Cœnæ Domini? 27
11. An quis ex præsumpta voluntate Superioris possit aliquem absoluerè? *ibid.*
12. An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint ministrare Eucharistiam vagis, aduenis, & peregrinis in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ communionis? *ibid.*
13. An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint absoluerè à censuris ab Episcopo reseruatis, non obstante decreto Clem. VIII. & Cardinalium declaratione? 28
14. An Confessarij Regulares possint dispensare cum secularibus ad petendum debitum, si à suis Superioribus ad hoc minimè depurati fuerint? 29
15. An Abbates possint consecrare calices, altaria, campanas, & benedicere lapides, pyxides, & alia vasa ecclesiastica, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum? *ibid.*
16. An Nouitius, qui redit ad sæculum, teneatur ad expensas, quas in eum alendo monasterium fecit? 30
17. An Nouitius in articulo mortis constitutus, non expleto probationis anno, ad professionem admitti possit, & si moriatur sine testamento, an succedat in bonis eius Monasterium? *ibid.*
18. An Religiosus, si ex consuetudine non recitat horas canonicas in Choro, peccet mortaliter? 31

& Resolutionum Partis III.

19. An Religiosi negantes suffragium Nouitio idoneo, peccent mortaliter? ibid.
20. An Confessores Regulares possint extra Sacramentum Pœnitentiæ absoluere à censuris ratione suorum priuilegiorum? 32.
21. An Confessarius eligendus virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilei, debeat esse approbatus ab Episcopo, etiam quoad Regulares? ibid.
22. An reuocatio confessionum præsertim Regularium, facta ab Episcopo sine iusta causa, sit nulla? ibid.
23. An casus reseruati desinant esse tales, si Superior Regularium reseruans munere suo functus fuerit? ibid.
24. An si Episcopus sine iusta causa non admittat Regulares ad confessiones audiendas, possint non obstante dispositione Concil. Trid. confessiones audire, ac si essent approbati? 33
25. An Episcopi possint ex iusta causa approbare Religiosos ad audiendas confessiones limitatè, v.g. ad viros, & non ad fœminas? ibid.
26. An Episcopus admittens Regulares ad audiendas confessiones vsque ad beneplacitum, possit dictas licentias ad libitum reuocare? ibid.
27. An nouus Episcopus possit omnes Regularium licentias suspendere, & de nouo illos examinare? ibid.
28. An Vicarius possit concedere facultatem absoluendi à reseruatis, si Præpositus absit à domo per vnum diem naturalem? 34
29. An quicumque Confessarius ab Ordinario approbatus possit tempore Iubilei absoluere Moniales à peccatis, vel à casibus, & censuris reseruatis? ibid.
30. An Equites D. Ioannis, D. Iacobi Calatrauæ, Alcantara, Montesa, &c. possint confiteri cum Confessario non approbato ab Episcopo? ibid.
31. An Regulares possint ordinari ab Episcopis extra tempora à iure statuta? 35
32. An dispensatio interstitiorum pertineat ad Episcopum etiam respectu Religiosorum? ibid.
33. An licitum sit legatum annuum Fratibus Minoribus relictum pro infirmaria, & de aliis legatis? 36
34. An possit fieri legatum alicui Religioso professo cum conditione, vt nihil acquiratur Monasterio? ibidem.
35. An Episcopus possit denunciare, vt euitentur, si Regulares exempti inciderint in aliquam excommunicationem? ibid.
36. An Regulares includantur in prohibitione Episcopali, ne aliquis exorcizet sine Episcopi licentia, & cum cæteris conditionibus? 37
37. An in Religionibus sine præuia correctione fraterna peccatum occultum fratris possit quis denunciare Prælato, tanquam patri? ibid.
38. An quis teneatur sub peccato veniali corrigere peccata venialia proximi, & quid de Religiosis? ibid.
39. An Carthusiani, secluso scandalo, extra mortem possint comedere carnes sine peccato mortali? 38
40. An Prælati nostræ Religionis, & aliarum, possint benedicere paramenta, non solum nostrarum Ecclesiarum, sed etiam exterarum? ibid.
41. An ingressus Religionis liberet debitorem ab onere restituend? ibid.
42. An Prælati Regularis possit inquirere peccata occulta subditorum, vt illa corrigat fraternè, & quid de subditis? ibid.
43. Quæ sint causæ legitimæ, vt quis possit transire ex Religione strictiori ad laxiorem? 39
44. An Nouitius recedens à Religione reincidat in censuras ac irregularitates, à quibus in Religione absolutus fuit? ibid.
45. An Superiores Regulares possint dispensare cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio voluntario? 40
46. An qui de proximo vult ingredi Religionem, possit absolui per Confessarium illius Religionis à casibus Episcopo reseruatis? ibid.
47. An puella volens assumere habitum Monialium, debeat esse maior duodecim annorum ibid.
48. Notabilia quædam circa prohibitionem colloquendi cum Monialibus? 41
49. An Superiores Regulares aliqua peccata prohibere possint sub pœnâ excommunicationis sibi reseruata? 42
50. An Religiosus factus Episcopus, efficiatur dominus reddituum ecclesiasticorum, & absoluatur à voto pauperatis? ibid.
51. Quædam Monialis infirma obtinuit licentiam confitendi cum quodam Confessario regulari: dubitatum tunc fuit, an potuisset ingredi cum socio, & finita confessione an statim deberet egredi? ibidem.
52. An Monialis, quæ se ponit in rota, & facit illam volui versus partem externam, ad quam sæculares accedunt, frangat clausuram, & incidat in pœnas, etiam si non egrediatur à rota? 43
53. An ignorans nullitatem professionis, vel impeditus ad reclamandum intra quinquennium, possit adhuc reclamare, non obstante Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. de reg. ibid.
54. An Regularis in casu nostræ appellationis, possit omisso medio non appellare ad Prouincialem, seu ad Generalem, sed ad Romanum Pontificem? ibid.
55. An in Concil. Trid. sess. 25. c. 16. de regnl. comprehendatur renunciatio facta ante ingressum Nouitiatum, intuitu ingressus Religionis? 44
56. An Religiosi possint recurrere ad Superiores supremos sine inferiorum Prælatorum licentia ad formam Concilij Tridentini sess. 25. cap. 4. de Regularib. ibid.
57. An vt valida sit professio, annus Nouitiatum sumendus sit de momento ad momentum? ibid.
58. An Episcopi possint prohibere, ne Regulares prædicent in Ecclesiis suorum Ordinum? ibid.
59. An Regulares possint in foro conscientie vti priuilegiis suis, quæ sunt expressè reuocata per Concilium Tridentinum. 45
60. An expulsus à Religione teneatur se corrigere, vt iterum in illam admittatur? ibid.
61. An Religiosus factus Episcopus sit liber ab obseruatione votorum? ibid.
62. An professus Religionem per vim, & metum possit post quinquennium reclamare? 46
63. An qui transit ad aliam Religionem, possit secum deferre scripta, vel libros à se compositos? ibid.
64. An sit peccatum simoniæ, dare aliquid Titio, vt Caium adscribere faciat inter Equites D. Iacobi Calatrauæ, Alcantara, &c. ibid.
65. An sit contra paupertatem incio Superiore ex nummis à pœnitentibus acceptis libros emere, dummodo Religiosus expositos illos in cubiculo teneat? 47
66. An pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa lata in Bulla Pij V. contra introducetes fœminas in Monasteria, incurratur absque Iudicis sententia? 48
67. An ingrediens Monialiam Monasteria cum licentia, si tamen finito ministerio multo spatio ibi moretur ob malum finem, non solum peccet mortaliter, sed etiam incurrat in excommunicationem laram à Gregorio XIII. ibid.
68. An derogatio in amplissima forma priuilegiorum Societatis Iesu, & nostræ Religionis valeat, & præiudicet, si non fuerit dictis Religionibus intimata, & insinuata? ibid.
69. An peccata fornicationis inter Regulares dicantur contra bonum publicum? ibid.
70. An recipere possit professionem solemnem simplex

Index Tractatum,

- plex Religiosus, de licentia tamen sui Superioris? 49
71. An Prælati regulares possint commutare, & dispensare vota Nouitiorum? ibid.
72. An Prælati regulares possint absoluerè suos subditos à calibus Bullæ in Cœna Domini? ibid.
73. An Nouitij gaudeant priuilegijs Professis alicuius Religionis concessis? ibid.
74. An Nouitius etiam Patrum Minorum, aut Capucinorum possit in suo testamento reseruare electionem puellarum, quibus suus hæres debet quotannis soluere certam pecuniarum summam? 50
75. An sit illicitum Religioso suum testamentum, ante professionem factum, declarare? ibid.
76. An Episcopus possit excommunicare Regulares nolentes ad processiones accedere? ibid.
77. An Regulares possint facere processiones extra conuentum sine licentia Episcopi? ibid.
78. An Prælati regulares teneantur emitte re professionem fidei? ibid.
79. An sit prohibitum Regularibus studium iuris ciuili? 51
80. An Regulares possint celebrare vbique in altari portatili, etiam in domibus secularium? ibid.
81. An aliæ Religiones gaudeant priuilegijs concessis Societati Iesu cum limitatione, ne illis aliqua Religio communicet? ibid.
82. An Prælati regulares omittentes informationes, quas præcipit Sixtus V. in receptione Nouitiorum, peccent mortaliter? ibid.
83. An Prælati recipientes Nouitios sine dicta informatione, incurrant in pœnas Bullæ Sixti V. si Nouitias creant illis defectibus? ibid.
84. An egressio Nouitij è Monasterio, cum licentia tamen Superioris, interrumpat annum Nouitiatu, & quid si licentia sit illicitè data? ibid.
85. An Prælati regulares possint absoluerè subditos suspensos propter Ordines susceptos ante legitimam aetatem, vel absque licentia, vel per saltum? 52
86. An Regulares non benè linguam Latinam callentes, possint ab Episcopis ordinari? ibid.
87. An Generales, & Capitulum generale possint limitare, vel omnino tollere à Fratribus vsu Priuilegiorum Apostolicorum? ibid.
88. An Regulares possint uti suis priuilegijs, etiam si contra illa habuerint contrarium vsu? 53
89. An sit reuocatum priuilegium Iulij II. concessum Minoribus, ut Nouitiatu interruptus possit continuari? 54
90. An Prælatus possit dare licentiam subdito manendi extra claustra ad subueniendum parentibus, non solum in extrema necessitate constitutis, sed etiam in graui? ibid.
91. An votum subditi de transeundo ad strictiorem Religionem possit Prælatus regularis dispensare? ibid.
92. An solus metus reuerentialis annulet professionem? ibid.
93. An possit puniri Regularis, qui expositus à suo Superiore ad excipiendas tantum confessiones vitorum, exceptit tamen confessiones fœminarum vigore lubilei? ibid.
94. An Regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium extra Religionem? 55
95. An Abbates possint Clericis secularibus sibi subditis literas dimissorias concedere? ibid.
96. An Moniales teneantur extra Chorum recitare horas canonicas? ibid.
97. An Abbatissa licitè possit pacisci de certa summa pecunie, donec Monasterio dos Monialis soluat, etiam si Monasterium sit opulentum? ibid.
98. An Religiosus, qui ex licentia Superioris liberè de ali-
- quibus pecunijs possit dispensare, si illas infumat in ludis illicitis, vel cum meretricibus, peccet contra votum paupertatis, & accipientes teneantur ad restitutionem? ibid.
99. An Monialis vidua possit eligi in Abbatissam? 56
100. An Decretum Concilij Tridentini sess. 25. cap. 16. de regul. prohibens recipi aliquid vltra victum, & vestitum Nouitiæ, comprehendat mutuum, aut commodatum? ibid.
101. An Monialis illegitima possit esse absque dispensatione Abbatissa? ibid.
102. An Generales Religionum possint dispensare cum subditis illegitimis ad dignitates, & officia Ordinis extra Capitulum Generale? 57
103. An Regulares accedentes ad Monasteria Monialium absque Episcopi licentia, incidant in excommunicationem, quam Episcopus proposuit contra tales? ibid.
104. An Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam Decreti Sacræ Congregationis editi Nonis Maij 1590. vltra pœnas appositas peccent etiam mortaliter? ibid.
105. An iuste poterit concedi Moniali licentia exeundi claustro causa medendi morbo ita periculoso, ut eius salus desperaretur ea non egressa? ibid.
106. Ad quas processiones possit Episcopus compellere Regulares? ibid.
107. An Bulla Pij V. quæ incipit, *Et si Mendicantium Ordines*, sub 17. Kalend. Iunij 1567. fuerit reuocata per aliam Bullam Gregor. XIII. quæ incipit, *Intacta*, &c. ibid.
108. An Regulares in Missis festorum, quæ Episcopus præcepit seruari in sua Diœcesi, debeant permutare ritum suarum Religionum? 58
109. An Episcopi possint in Ecclesijs Regularium ipsis inuitis prædicare? ibid.
110. An casus reseruatio Superioris Monasterij comprehendat Nouitios? ibid.
111. An Regulares prædicantes in aliena Ecclesia sine licentia Episcopi possint ab eo puniri? ibid.
112. An pro Episcopis in dispensatione interstitiorum cum Regularibus sufficiat sola attestatio Superiorum, & an Regulares possint ordinari, non seruatis temporum interstitiis? ibid.
113. An Regularis, qui seit professionem suam esse irritam, & ordinatur, peccet mortaliter, & sit suspensus? 59
114. An bona Religiosi transeuntis ad aliam Religionem pertineant ad primum, vel ad posterius Monasterium? ibid.
115. Aliqui casus, in quibus Religiosi dimittentes habitum suæ Religionis non incidunt in censuras cap. *Vi periculosa, ne Clerici, vel Monachi*, in 6. ibid.
116. An Religiosus eiectus ab Ordine si emendatus petat ingredi, teneantur illum Superiores iterum in Religionem recipere? ibid.
117. An Prælati regulares possint amoueri à suis Prælaturis ad libitum suorum Superiorum sine causa? 60
118. An Superiores Regularium possint sibi reseruare tactus impudicos, & oscula? ibid.
119. An Regulares absentes cum licentia, ut possint cuiunque Confessario confiteri, possint absolui à reseruatiss? ibid.
120. An Regulares possint exhumare cadauera, & in alia loca eiusdem Ecclesiæ transferre? ibid.
121. An Regulares possint commutare, vel dispensare votum peregrinationis vltra duas dietas? 61
122. An Prælati regulares possint absoluerè subditos ab hæresi occulta? ibid.
123. An Regulares approbati in vna Diœcesi, si in itinere commodè non se possunt præsentare Ordinariis, possint confessiones audire? ibid.

& Resolutionum Partis III.

124. An expediat Generales Religionū esse perpetuos? 62.
 125. An Regulares conuenientes inter se, vt alter in vna electione suffragetur vni, & alter alteri in alia, committant simoniam? *ibid.*
 126. An Confessarius si petat à Superiore regulari potestatem absoluendi aliquem à casibus referuatis, si neget, possit pœnitentem illum absoluere pro illa vice? *ibid.*
 127. An Monialis possit transire de vno Monasterio ad aliud causa foundationis, reformationis, &c. sine licentia Papæ? 63
 128. Quidam expleto anno nouitiatus fuit à Capitulo Monasterij admissus ad professionem, quam ex leuissima causa distulit emitte ad sex menses, sed postea emissa quæsiuit à me an fuerit valida? *ibid.*
 129. An licentia ingrediendi Monasteria Monialium debeat esse in scriptis etiam quoad forum conscientia? *ibid.*
 130. An Episcopus possit dare licentiam, vt nupta intret in Monasterium ob periculum vitæ? *ibid.*
 131. An puellæ destinatae ad Religionem, possint recipi in Monasteria Monialium ante annos discretionis? *ibid.*
 132. An Episcopus virtute Concilij Trident. *sess. 25. c. 14.* possit carcerare Regularem notoriè delinquentem, & contra illum processum formare, vt postea remittat suo Superiori, vt illum puniat? 64
 133. An priuilegia Mendicantium sint reuocata per Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 12. de Regul.* quoad celebrandum tempore interdicti? *ibid.*
 134. An Episcopus habeat iurisdictionem in Regulares exemptos, quando esset in possessione iudicandi illos? *ibid.*
 135. An Regulares extra chorum possint vti Breviario Romano, vel alterius Religionis? *ibid.*
 136. An Regulares possint mutare Conuentus de loco, v. g. non sano, vel incommodo ad locum saniozem, vel commodiorem sine licentia Episcopi? *ibid.*

TRACTATVS III.

De absolutione sacramentali largienda moribundo sensibus destituto.

- RESOL. I. **A**N sit danda absolutio ei, qui nutibus tantū quærit à Confessario absolutionem? 65
 2. An moribundus, qui non audit, nec loqui potest, sed tantum pugno pectus suum pulsatur, suspirans oculos in cœlum tollit, vel respicit aliquam imaginem, hoc vidente Sacerdote, vel aliis testificantibus, sit absoluendus? *ibid.*
 3. An sit absoluendus moribundus, si exhibeat supradicta signa, sed dubitatur an sint orta ex contritione, vel ex angustia mortis? 66
 4. An Confessarius possit absoluere moribundum, qui in eius absentia confessionem petiit, vel signa pœnitentiæ fecit, aliquo hoc testante? *ibid.*
 5. Quot testes in supradicto casu debeant testari Confessario de signis contritionis moribundi, vel quòd confessionem petierit? 68
 6. An quem paulò ante in periculo mortis Confessarius audierat, & non absoluerat, si postea superueniens inuenit adhuc viuum, sed amisisse sensum possit illum absoluere? *ibid.*
 7. Quis non coram infirmo, sed statim in eius absentia manifestauit Confessario illum petiisse confessionem, vel signa contritionis ostendisse, quæritur an si Sacerdos illum viuum adhuc inueniat, possit sacramentaliter absoluere? *ibid.*
 8. An Confessarius possit absoluere sub conditione mori-

- bundum sensibus destitutum, qui neque petiit confessionem, nec vllum signum contritionis edidit? 69
 9. An Confessarius non solum possit, sed etiam teneatur adhibere absolutionem in casibus supradictis? 70
 10. An quando Confessarius ex opinione probabili absoluuit moribundum, possit absolutionem præbere ei sine conditione? *ibid.*

TRACTATVS IV.

De Sacramentis.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

- RESOL. I. **A**N in casibus, in quibus licitum est baptizare pueros filios infidelium, teneantur domini hoc facere? 71
 2. An qui tenet infantem in baptismo nomine alterius, contrahat ipse cognationem spiritualement, vel ille qui eum misit? *ibid.*
 3. Quis post partum vxoris statim ob periculum mortis baptizauit infantem, astantibus tamen multis, qui hoc facere poterant, dubitatur fuit an priuatus manserit iure petendi debitum? 72
 4. An peccet mortaliter laicus si præsentem Diacono in casu necessitatis baptizet infantem? *ibid.*
 5. Notabilia quædam circa materiam Baptismi. *ibid.*
 6. Quidam parochus post ablutionem statim pronuntiauit formam Baptismi; quæritur an validè baptizauerit? 73
 7. An licitè baptizentur filij Hæreticorum, si sub cura parentum probabiliter timeatur periculum peruersionis eorum? *ibid.*
 8. Vtrum parentes quamprimum teneantur baptizare infantes? *ibid.*
 9. An baptizantes scienter sub conditione incurrant in irregularitatem? *ibid.*
 10. Quidam Sacerdos in peccato mortali existens baptizauit infantem in casu necessitatis, quæritur an peccauerit mortaliter? 74
 11. An vbi mutus, & orbus manibus occurrunt, & infans est in articulo mortis, debeat ille abluere, & hic verba proferre, & sic dictum infantem baptizare? *ibid.*
 12. An sit validus Baptismus collatus dormienti, qui illud petierat ante somnum? *ibid.*
 13. An ad suscipiendum Sacramentum Baptismi sufficiat attritio cognita? *ibid.*
 14. Quæ peccata sunt quæ remittuntur per Baptismum, recedente fictione? 75
 15. An omnia Sacramenta, vel solus Baptismus habeat effectum recedente fictione? *ibid.*
 16. An qui per errorem leuat filium Petri, existimans se Pauli filium leuare, contrahat cognationem? *ibid.*
 17. An peruersa intentio ministri in conferendo Baptismo, & aliis Sacramentis, suppleatur à Deo quoad gratiam? *ibid.*
 18. An in priuato Baptismo tempore necessitatis sit adhibendus Patrinus, & an contrahat spiritualement cognationem? 76

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

19. **V**trum pueri ante septennium possint aliquando Sacramentum Confirmationis accipere? *ibid.*
 20. An perpetuò amentes sint confirmandi? *ibid.*
 21. Notabilia quædam circa patrinum in Sacramento confirmationis? 77
 22. An

Index Tractatum,

22. An Episcopus, qui in confirmatione vngeret alio digito, quam dextero pollice, peccaret mortaliter? *ibid.*
23. An balsamum requiratur in confirmatione de necessitate Sacramenti? *ibid.*
24. An Episcopus possit confirmare aliquem afferentem literas dimissorias sui Episcopi, vt ordinetur? 78
25. An quis peccet mortaliter non suscipiens Sacramentum Confirmationis? *ibid.*
26. An non confirmatus suscipiens in Confirmatione puerum, contrahat cum illo, eiusque parentibus cognationem spiritualem? *ibid.*
27. De forma Sacramenti Confirmationis? *ibid.*
28. An hoc Sacramentum Confirmationis sit conferendum immediatè manu Episcopi, ita vt sit nullum, si conferatur medio alio instrumento? 79

DE SACRAMENTO

EUCCHARISTIÆ.

29. **A**N dubitans an aliquid cibi, vel potus sumpserit, possit communicare, vel Missam celebrare? *ibid.*
30. An si quis post pollutionem voluntariam vel fornicationem, si postea confiteatur, peccet tamen venialiter sumendo Eucharistiam intra vnum diem sine aliqua iusta causa? *ibid.*
31. An qui accedit ad communionem cum distractione voluntaria, aut cum affectu alicuius peccati venialis, peccet communicando venialiter? 80
32. An guttæ vini, quæ sunt in calice separata à vino, quod est in fundo calicis, remaneant consecrata? *ibid.*
33. An Sacerdos possit celebrare non ieiunus pro communicando infirmo tempore mortis? *ibid.*
34. An ad communicandum fidelem ob solam deuotionem Sacerdos possit frangere hostiam? *ibid.*
35. An suscipiens Eucharistiam in peccato mortali, & qui facit in Quadragesima confessionem inuvalidam, committat duplex peccatum in confessione explicandum? 81
36. An si sonuerit vnum horologium, posset quis comedere in media nocte, donec aliud sonuerit, & die sequenti communicare? *ibid.*
37. An si reliquæ cibi præcedentis diei, qui hærent inter dentes, sponte, & voluntariè deglutiantur, impediunt communionem? *ibid.*
38. An si quis manè deglutiat chartam, cretam, frustulum ligni, aut quid simile non comestibile, possit Sacramentum Eucharistiam sumere? 82
39. An sacrificium Missæ remittat peccata venialia ex opere operato? *ibid.*
40. Quidam infirmus antequam in mortis periculum incidit, sacramentum Eucharistiam ex deuotione sumpsit, quæritur, an teneatur iterum communicare? *ibid.*
41. An si quis in Paschate Eucharistiam non sumpsit, teneatur postea quamprimum communicare? *ibid.*
42. An qui præuidet impedimentum futurum, vt in tempore Paschatis Eucharistiam accipere non possit, teneatur præuenire tempus, & illam sumere? 83
43. An qui in Paschate communicauit indignè, satisfecerit præcepto Ecclesiæ? *ibid.*
44. Quænam temporis intercapedo habenda est inter vnâ, & alteram communionem, vt infirmus possit communicare non ieiunus? *ibid.*
45. An Sacerdos finita Missa si in Sacristia inueniat aliquod fragmentum in patena, vel calice, possit illud sumere? 84
46. An si Sacerdos sciat ex confessione aliquod delictum alicuius non emendatum, si occultè petat Eucharistiam, sit illi deneganda? *ibid.*

47. An in casu extremæ necessitatis si minister idoneus non adsit, possit laicus seipsum communicare? *ibid.*
48. An Sacerdos si post Introitum recordetur alicuius peccati mortalis, teneatur confiteri, si sine scandalo potest? *ibid.*
49. Quidam Sacerdos in calice multas guttulas aquæ infundebat, quæsiuit an ita faciendo toties peccauerit? 85.
50. Quam intentionem habere debeat Sacerdos nouitè ordinatus, quando cum Episcopo in Missarum sollempniis concelebrat? *ibid.*

DE SACRAMENTO

PŒNITENTIÆ.

51. **A**N pœnitens, qui non vult acceptare pœnitentiam, sit absolueudus? *ibid.*
52. An inspirationibus diuinis non correspondere, sit peccatum, & benefaciant, qui de hoc se in confessione accusant? 86
53. An pœnitens propria autoritate possit commutare pœnitentiam impositam à Confessario in euidenter meliorem? *ibid.*
54. An Confessarius licitè imponat sub pœnitentia officium, v.g. Mortuorum, vel alias orationes recitandas pro animabus Purgatorij? 87
55. Quis habuit pœnitentiam recitandi septem Psalmos per aliquas sextas Ferias flexis genibus coram Crucifixo, quæritur an impleuit pœnitentiam recitando dictos Psalmos aliquo tempore sine illis circumstantiis? *ibid.*
56. An qui ministrat sacramenta Pœnitentiæ, Baptismi, &c. cum excommunicatione minori, peccet? *ibid.*
57. An in mortis articulo seu periculo possit quilibet Sacerdos absoluere à censuris, & reueruatis? 88
58. An quis licitè possit absoluere pœnitentem, qui peccata reueruata habet cum onere, vt ea sola postea superiori confiteatur? *ibid.*
59. An licitum sit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, vel alia à ministro malo, sed parato ministrare? *ibid.*
60. An qui dubius manet se perpetrasse aliquod peccatum teneatur illud sub tali dubio confiteri? 89
61. An aqua benedicta deleat peccata ex opere operato? *ibid.*
62. Quis incidit in peccatum, & non vult Confessario manifestare tunc illud commississe, sed cum ipso facit confessionem generalem, & inter alia peccata priùs confessâ, confitetur etiam illud vltimum peccatum post vltimam confessionem perpetratum: quæritur an hoc facere possit? *ibid.*
63. An Confessores regulares possint extra Sacramentum Pœnitentiæ absoluere à censuris ratione suorum priuilegiorum? 90
64. An peccatum sit explicandum in confessione, non obstante quod Confessarius agnoscat complicitatem? *ibid.*
65. An detur confessio valida, sed informis, non solum respectu examinis, sed etiam respectu doloris? *ibid.*
66. An qui solum meminit se peccasse mortaliter, nescit tamen speciem peccati, possit tantum illud in genere confiteri, non se accusando de aliquo peccato in particulari? *ibid.*
67. Additiones ad tract. de circumstantiis in confessione non necessariò explicandis? *ibid.*
68. An excipiendam confessionem sufficiat rati habitio de præsentibus? 92
69. An teneatur præuenire confessionem qui timet, quod quando obligabit confessio, non erit copia Confessarij? *ibid.*

& Resolutionum Partis III.

70. An satisfactio Sacramenti Pœnitentiæ causet gratiam ex opere operato, & an illam adimplere in peccato mortali, sit peccatum mortale? *ibid.*
71. An non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis possit quis eligere Confessarium non approbatum pro omnibus peccatis, & censuris referuatis? *ibid.*
72. An simplex Sacerdos possit absolue à censuris, & casibus referuatis omnes parturientes tanquam constitutas in periculo mortis? 93
73. An Confessarius absolvens à casibus Episcopo referuatis sine prætextu alicuius privilegij, incidat in excommunicationem, & alias pœnas Decreti Clement. VIII. *ibid.*
74. An pœnitens qui à Superiore fuit absolutus à peccatis referuatis tantum, teneatur postea ista cum aliis Sacerdoti inferiori confiteri? *ibid.*
75. An quis in Paschate teneatur confiteri peccata venialia, ut adimpleat præceptum, si mortalia quæ habet ratione alicuius periculi, vel alterius infamiæ minime confiteri possit. *ibid.*
76. An Superior, vel quivis alius possit negare suffragium illi, cuius defectum scit solum per confessionem, quando suffragatur secretò; vbi multa de sigillo confessionis? 94
77. An Sacerdos ante consecrationem teneatur confiteri, si sine nota possit, & quid de laico ad linteum altaris parato communicare? 95
78. An absolutio obtenta bona fide à peccatis tantum, & non à censuris sit valida, si pœnitens sit innodatus aliqua excommunicatione etiam referuata? *ibid.*
79. An si proprius Sacerdos iniuste neget licentiam alteri confitendi peccata, confessio facta alteri sit valida? *ibid.*
80. An si pœnitens laboret ignorantia, debeat Confessarius illum admonere, si fructus non speratur? 96
81. An si quis, v. g. in Natiuitate confessus est, teneatur postea confiteri, si sequente Paschate à communione accipienda impediatur. *ibid.*
82. An Confessarius possit imponere pœnitentiam omnino liberam faciendam arbitrio pœnitentis? *ibid.*
84. An sit conueniens aliquando imponere pœnitentiam implendam per opus aliàs præceptum? 97
85. An satisfactio Sacramentalis facta in peccato reuiuifcat cum homo resurgit per contritionem subsequentem? *ibid.*
86. An qui dixit Confessario, se velle apud eum confessionem generalem facere, teneatur postea ei aperire omnia peccata mortalia? *ibid.*
87. An si pœnitens non vult dare licentiam Confessario, ut ei aperiat defectum commissum in confessione, possit illum aperire? *ibid.*
88. An si dicat in confessione, commisi graue peccatum in materia castitatis cum soluta? 98
89. An sufficiat, ut meretrix inueterata in confessione tantum manifestet tempus eius officij? *ibid.*
90. An qui pluries vouit, vel pluries iurauit facere aliquam rem, frangatque votum, seu iuramentum, teneatur hoc in confessione aperire? *ibid.*
91. An pœnitens qui confessus est de peccato dubio, si postea sciat certò, vel probabiliter illud peccatum commississe, vel fuisse mortiferum, teneatur iterum illud confiteri? *ibid.*
92. An qui non adimplet pœnitentiam in tempore à Confessario præfixo, peccet mortaliter? 99
93. An Medicus teneatur derelinquere infirmum nolentem confiteri? *ibid.*
94. Quomodo intelligenda sint illa verba, *plus vel minus*, quando pœnitentes se accusant de numero peccatorum? *ibid.*
95. An circumstantia interruptionis actus interni sit in confessione toties, quoties exprimenda? 100
96. An mendacium de veniali peccato, quod est totalis materia confessionis, sit peccatum mortale? *ibid.*
97. Quam sit necessaria ad tollendos Confessariorum scrupulos, in imponendis paruis pœnitentiis apponere post absolutionem illam clausulam, *quidquid boni feceris, aut mali sustinueris.* 101
98. An in articulo mortis etiam post confessionem factam, tamen cum attritione cognita, teneamur elicere, & habere actum contritionis omnium mortaliū, quæ in vita commisimus? *ibid.*
99. Quam parcè, & cautè se gerere debeant Confessarij in interrogationibus aliquorum peccatorum cum mulieribus? *ibid.*
100. An confessio sacramentalis iniuncta singulis mensibus possit ultra differri? 102
101. An coitus sodomiticus inter masculos in primo, & secundo gradu habeat etiam malitiam incestus, & sit in confessione aperiendus? *ibid.*
102. An si quis culpabiliter omittat modicam iniunctam pœnitentiam, peccet mortaliter, etiam si sit imposita propter peccata? *ibid.*
103. An Confessarius sæcularis vnius Episcopatus possit absolue pœnitentem alterius Episcopatus à casibus referuatis? 103
104. Quidam habebat casum referuatum cum excommunicatione annexa, & urgente necessitate celebravit, quæsierunt an tenebatur in dicto casu confiteri sacerdoti inferiori? *ibid.*
105. An si Confessarius habeat euentiam, quod pœnitens fecerit tale peccatum, & si non sit confessus, debeat illum absolue? *ibid.*
106. Quis ex deuotione recitabat singulis diebus officium Beatæ Virginis, qui postea habuit pœnitentiam recitandi per annum singulis diebus tertiam partem coronæ eiusdem Beatæ Virginis, quæsiuit à me an satisfaceret dictæ pœnitentiæ cum recitatione supradicti officij? *ibid.*
107. An si quis probabiliter iudicat se non peccasse mortaliter, vel iam esse confessum tale peccatum, si probabiliter etiam iudicet contrarium, teneatur confiteri? 104
108. Quidam puer vsque ad 13. annum non se accusauit de ordinariis pollutionibus, quas faciebat, sciens postea hoc esse peccatum mortale, dubitatum fuit à multis Confessariis, an teneatur repetere omnes confessiones? *ibid.*
109. In quodam Monasterio Monialium quidam Confessarius inter audiendas confessiones aliquando dormiebat, vnde non intelligebat aliqua peccata, quæsierunt à me postea an dictæ confessiones essent repetendæ? *ibid.*
110. An Parochus possit exponere ad confessiones audiendas approbatos à quocunque Episcopo? 105
111. An si pœnitens absque necessitate manifestauit complicem in confessione, teneatur Confessarius occultare tale peccatum sub sigillo confessionis? *ibid.*
112. An qui inuenit chartam, in qua scripta erant alicuius peccata, teneatur illa abscondere sub sigillo confessionis? *ibid.*
113. An liceat Confessario interrogare de complice in confessione, in ordine ad ipsius correctionem, & illam facere ex licentia pœnitentis? 106
114. An circumstantia scandali indirectè voliti sit in confessione aperienda? *ibid.*
115. An Confessarius possit imponere sub pœnitentiâ, quod sacra Eucharistia non suscipiatur? 107
116. An quando quis iterum confitetur peccata iam confessâ *ibid.*

Index Tractatum,

117. An sola attritio in homine iusto sit sufficiens ad remissionem peccatorum venialium extra sacramentum Pœnitentiæ? 108
118. An moriens absente Confessario teneatur reuocare in memoriam omnia peccata, vt de illis postea eliciat actum contritionis? ibid.
119. An ad effectum Sacramenti sufficiat implicitum propositum de cætero non peccandi, quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur? ibid.
120. An quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ cum confessione voluntariè nulla, quia sine dolore proposito, &c. 209
121. An qui bona fide confitetur Confessario valdè ignoranti, teneatur postea dictam confessionem iterare? ibid.
122. An sit iteranda confessio facta cum Confessario, qui cum falsa licentia Ordinarij excipiat aliorum confessor es? ibid.
123. An Conf. sarius si neque in confuso statum pœnitentis recorderetur, & illum absoluat, absolutio sit valida? 110
124. Quis in confessione Paschatis omisit aliqua peccata per obliuionem, & postea statim de illis recordatur, quæritur an teneatur illa statim confiteri? ibid.
125. An quis in Paschate teneatur confiteri peccata venialia, saltem si habeat mortalia, quæ ex iusta causa non debeat aperire Confessario? ibid.
126. An peccata venialia sint confitenda, quando requiritur confessio ad Iubilæum comparandum? ibid.
127. An esset absoluendus, qui sine causa præberet Confessario peccata sua scripta, & de illis illo præsentem se accusaret? 111
128. An in Paschate, vel in articulo mortis, teneatur per scriptum confiteri, qui alio modo non potest? ibid.
129. An in articulo mortis teneatur confiteri per interpretem, si quis alio modo non potest? ibid.
130. An qui in Paschate non impleuit præceptum confessionis, teneatur primo quoque tempore confiteri? 112
131. In quibus casibus confessio erit valida, & tamen non integra materialiter? ibid.
132. An quis peccet, qui duos Confessarios habens, eorum vni prius confitetur mortalia, alteri postea solum venialia? ibid.
133. Laicus quidam absoluit ab excommunicatione morientem, quæritur an absolutio sit valida, ita vt in loco sacro defunctus sepeliendus sit? ibid.
134. An si pœnitens eliciat actum doloris, post narrata peccata ante absolutionem recipiat Sacramentum pœnitentiæ? 113
135. An omittens per vnum annum confessionem toties peccet, quoties non confitetur oblata confitendi opportunitate? ibid.
136. An qui non implet pœnitentiam grauem impostam pro venialibus, vel quod sæpius solet euenire, pro mortalibus aliàs confessis, peccet mortaliter? ibid.
137. An Confessarius possit commutare pœnitentiam præseruatam ab alio Confessario impostam? 114
138. An concubitus viri Christiani cum muliere Infideli, Turca, Iudæa, Hæretica, &c. sit circumstantia in confessione aperienda? ibid.
139. An si frigidus vel Eunuchus haberet concubitum cum muliere, deberet hanc circumstantiam aperire in confessione? ibid.
140. Vtrum copula vxoricidæ, vel adulteri cum promissione matrimonij sit circumstantia in confessione aperienda? ibid.
141. An sit necessarium in confessione explicare, si quis peccauit scienter, an ignorantia culpabili? 115
142. An vicarius Episcopi, si habet potestatem subdelegandi, possit absolui ab alio, si incidit in casum reseruatam à suo Episcopo? 116
143. An qui vi, & metu, vel fraude, & dolo, aut alio quocunque casu inter infideles exterius fidem negans, corde tamen illam recipiens, possit postea inter Christianos rediens absolui à quocunque Confessario ordinario approbato, & quid de blasphemantibus hæreticaliter inter Christianos? ibid.
144. An confessarius hîc Panormi ab Episcopo approbatus possit Panormitanum absoluerè Romæ, Neapoli, vel alijs locis extra Dioccesim? 117
145. Quis absolutus fuit virtute Iubilæi, quod postea non lucratus est, quæritur, an peccata oblita reseruata possit postea cuicunque Confessario confiteri? ibid.
146. An post Concilium Tridentinum Parochi possint exponere ad confessiones suorum subditorum audiendas simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum? 118
Restat modò respondere ad argumentum Molinae & aliorum. Dico igitur non ob stare l. si uxori, nam, vt bene obseruat Ambrosinus, cum vxor de furto non teneatur pro rebus subtractis viro, si alius, qui ei opem præstitit in furando, hanc immunitatem haberet, vtique impunitus euaderet, & ideo non mirum, si priuilegio vxoris non gaudet. Et ita secundum nostram sententiam fuisse determinatum anno 1591. per Sacram Cardinalium Congregationem testatur Seaccia in casu cuiusdam clerici, & laici, qui erant inquisiti de violentia illata cuidam mulieri, omnes fuerant remissi ad iudicem ecclesiasticum.

An iudex laicus possit cognoscere in casu hæresis, si agatur de questione facti?

RESOL. II.

Affirmatiuè respondet Gabriel Pereira tractat. de manu regia in concordat. D. Ioannis 1. art. 1. num. 175. Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

Cevallos tract. de cognit. per viam violentie part. 2. q. 56. num. 39. cum aliis.

Sed tu contrarium omninò tene, ex autoritate cap. vt inquisitioni, §. prohibemus, de heret. lib. 6. & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, & ita hanc sententiam docent Doctores veteres magni nominis, vt Felinus in cap. cum sit nu. 1. de foro competen. Alexander in l. Titia num. 13. ff. soluto matrimonio. Idem etiam docet doctus Simancha Instit. Cathol. 36. in principio, & Decius in cap. 2. num. 24. de iudic. in fine, vide etiam supra in resol. 77. Doctores quos citat, & sequitur Sanctarellus in tract. de hæresi cap. 60. dub. 4. numer. 22. & nouissimè hanc sententiam docet Tuschus tom. 4. vers. Iudex ecclesiasticus concl. 446. nu. 4. & Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. rit. 2. c. 18. num. 9. qui citat alium Barbosam, vnde non est audiendus Pereira, & Cevallos vbi supra. Nota etiam hinc obiter à fortiori contra Gregorium de Valentia tom. 4. disput. 6. quest. 13. punct. 4. iudices laicos non posse cognoscere de crimine sortilegij quando hæresim continet, & ita tenet Farinacius de hæresi quest. 18. §. 4. n. 101. & ego in tract. de officio & potest. Inquisitorum.

An statutum, siue lex inualidans donationem omnium bonorum factam à patre filio clerico sit contra immunitatem ecclesiasticam?

RESOL. III.

NEGATIUE respondet Azeuedus tom. 3. lib. 5. titul. 10. l. 11. numer. 18. recopil. & Mattienzo etiam in l. 11. tit. 10. lib. 5. gloss. 5. num. 3. & Vasquez opusc. de restit. cap. 6. §. 1. dub. 2. num. 34. vbi sic asserit. Notandum quòd l. 11. tit. 20. lib. 5. recopil. efficitur nulla ipso iure donatio facta à parentibus omnium bonorum alicui filio exempto vt pote clerico, quia præsumitur, quòd fiat in fraudem tributi Regij, & existimo in conscientia esse nullam donationem, nec id est contra immunitatem ecclesiasticam. Ita Vasquez.

Sed multi contrariam sententiam docent per ea, quæ adduximus infra in resol. 42. & putant non posse legem Ciuilem hanc præsumptionem inducere, vt alienatio facta in Ecclesiam, fieri videatur in fraudem Filci, vel tributorum, & ob id esse validam docent; & ego puto contra Vasquez, etiam si opinio negatiua esset sequenda, talem donationem si non fieret in fraudem tributorum, esse validam, non solùm in foro conscientie, sed etiam in foro externo, & ideo Iurisconsultus Flores de Mena var. q. lib. 2. quest. 21. §. 2. num. 73. sic asseruit. Si absque vlla fraude, & in casibus à iure permissis aliquis fecisset donationem omnium bonorum, vel maioris partis, & hoc probaretur, quòd tunc etiam deberet liberari; nam illa lex non impedit homini libero liberam administrationem rerum suarum modo licito, & in casibus à iure permissis, nec irritat ipso iure dictam donationem,

ed solum præsumit fraudulentam, & eam annullat ipso iure ad effectum procedendi, & non ad alium. Quod amplius apparet, quia lex illa dat licentiam donatori allegandi de suo iure; ad quid ergo seruiret illa licentia, si donatio semper, & quacumque via esset nulla, quia tali exiitenti, quidquid allegasset, vel ab illo, vel ab ipsius bonis posset Filcus sua tributa exigere. Vnde aperte concludendum est præsumptionem in illa lege, non esse iuris, & de iure; quia potest probari contrarium, sed solum iuris, ac proinde nullitatem esse nullitatem præsumptam, & reuocabilem comperita veritate, & non veram. Ita ille. Notandum est etiam quod dicta præsumptio non procedit ex sola donatione, nisi cum donatione alia suspicio, & iudicium appareret.

An iudex laicus possit facere realem executionem sententia à se lata contra Clericum in casibus quibus sibi à iure cognitio permissa est?

RESOL. IV.

Affirmatiuam sententiam docet Salgado de protest. Reg. tom. 2. part. 4. c. 14. num. 96. & alij penes ipsum, quia eodem modo, quo cognitio causæ pertinet ad sæcularem, ita etiam executio in temporalibus debet ad eum pertinere.

At hæc sententia prorsus est reiicienda, & negatiuam sustinent Doctores, quos adduxi in 1. tract. de immunit. resol. 21. vnde bene aduertit Bellettus in disquis. cler. tit. de fauore clericorum real. §. 3. num. 3. cum alijs, quod si Clericus in causa reconuentionis condemnaretur à iudice sæculari, tunc executio sententiæ fiet, non per iudicem sæcularem, sed per iudicem ecclesiasticum, & ideo contra Salgadum vbi supra, num. 90. & 91. dato, & non concessio, quod iudex sæcularis possit ordinare depositum, & sequestrum esse à Clerico per ipsum electo restituendum, tamen executionem supradictæ sententiæ esse à iudice ecclesiastico faciendam omnino asserendum esse censeo, & docent communiter DD.

Ex his etiam apparet non esse audiendum Vrillum in add. ad dec. 331. Affli. et. nu. 3. & nostrum Giurbam virum amicissimum, & doctum, asserentes rem litigiosam in Clericum lite pendente alienatam, posse ab eo auocari per iudicem sæcularem, & in eum directè fieri executionem sententiæ latæ ab eodem iudice. Et ita docet aduersus dictos DD. Vincent. de Franchis dec. 549. n. 11. cum alijs.

Facit etiam pro doctrina præsentis resolutionis, id quod notat Genuensis in praxi archiep. c. 11. & Marta de iurisd. part. 4. cent. 2. cas. 104. n. 9. & cas. 123. n. 4. & part. 1. c. 50. n. 34. vnde cautè circa supradicta legendus est noster Don Carolus de Grassis de effect. cler. effect. 1. à num. 791. Guilielmus de Benedictis in c. Raynuius, vers. & uxorem decis. 2. n. 147. Trentacinius qq. foren. lib. 1. q. 79. cautè etiam legendus est Barbosa in l. si quis posteaquam, ff. de iudicijs n. 165. vbi ex l. quadam, de iurisd. omn. iud. docet quod iudex, qui est competens ad condemnandum, est etiam competens ad exequendum. Sed tu tene nostram sententiam.

An Rex possit detinere Episcopos pro gubernatione alicuius Regni, seu consilij, & an dicti excusentur à residentia in dicto casu?

RESOL. V.

Affirmatiuam sententiam docet Bobadilla in pol. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 99. vbi sic asserit. [Si el Clerigo tomasse officio del Rey de Presidente, ò Consejero, ò Oydor ò en otra manera, lo qual es licito, y puede el Rey detener a los Ecclesiasticos para eilo, y se excusan per esta razon de no residir en las Iglesias.]

Sed propria autoritate id posse efficere Reges falsum est, nullam enim in dictos Ecclesiasticos iurisdictionem habent; difficultas est, an hoc efficere possint

ex priuilegio aliquo à Romano Pontifice obtento? Affirmatiue respondet Ioan. Selua de benef. part. 4. quest. 6. Ceuallos in communibus quest. 585. num. 7. Petrus Gregorius de benef. cap. 7. num. 9. Boërius decis. 17. Rebuffus in Concordatis tit. de collat. §. 1. ver. residentia, vbi docent Reges, ac Principes habere priuilegia à Sede Apostolica, vt Episcopi, & alij Clerici, qui illis inuolunt in aliquo officio, seu seruitio, non teneantur residere, & possint percipere fructus beneficiorum.

Verum supradicta priuilegia, si verè extarent, esse modò reuocata, putat Gaspar Doctor Hispanus in tract. de benef. tom. 1. part. 3. cap. 2. num. 390. sic asserens Existentes in seruitio, aut officijs Regis, seu Principis non excusantur à residentia, nec possunt percipere fructus in absentia; nam in iure non est tale priuilegium, quidquid teneant aliqui; & si aliquod priuilegium fuit eis concessum, reuocatum est iam per Concilium Tridentinum, & Bullam Pij IV. Ita ille.

Sed quicquid sit de supradicta reuocatione, ego puto cum Sanctarello var. resolut. part. 1. quest. 3. num. 7. talia priuilegia intelligenda esse, quando absque alicuius Episcopi præsentia Regnum, seu illud officium commodè non possit administrari; in tali enim casu, Papa potest dare licentiam Episcopo, vt propter bonum commune Regni ablit à sua Ecclesia, & sic intelligendus est Rodriquez in summa to. 1. c. 275. n. 3. Vnde aduertant Reges, & Episcopi, nam in hoc facit Deus, vt sapius non errent; quia si illa Regna, & officia per laicos possint alijs æquè commodè administrari, tunc Reges, & Episcopi non possunt aliquo priuilegio ad hoc à Romano Pontifice concessio vtij; nam in hoc casu Romanus Pontifex non potest dispensare, cum non adit necessitas publica, & bonum commune; & residentia alijs sit de iure diuino, vt docet Lessius lib. 2. c. 34. dub. 29. n. 153. Azorius om. 2. lib. 7. c. 4. q. 1. Valentia tom. 3. disp. 10. q. 39. punct. . Comitulus in respons. mor. lib. 1. q. 59. Tannerus in 2. 2. D. Thoma disp. 4. q. 6. dub. 7. n. 181. Sanchez de marr. lib. 8. disp. 6. n. . ergo, &c.

Ex hic apparet quantum expediret Episcopis non acceptare officia in Regijs Tribunalibus, quia ratio de ouibus Deo reddenda est, & expediens esset valde Regibus Episcopos in his officijs minimè occupare, quia alij sufficientes inuenientur; sed claudam hanc resolutionem cum verbis Ioannis Sancier Doctoris Hispani in suis selectis disp. 47. num. 26. sic asserentis. Proh dolor! arbitrantur aliqui se Christi Vicarium agere posse, & Cæsar, nimis distans esse pastorem ouium, & sedere iudicem causarum ciuiliu, nullus ignorat, Neminem posse duobus dominis seruire Christus est testatus. Emittat Deus lucem Cæsari, vt velit excludere à suis Aulis Prætorijs, & Tribunalibus Ecclesiasticis; tractent fabribilia fabri. Ita Sancier.

Vide etiam ex Iurisconsultis Hispanis doctum Barbosam de potest. Episc. part. 3. allegat. §. 3. num. 17. vbi sic ait. In Curia Regum, & aliorum sæcularium Principum fungentes munere, & officio Regij Præsidis, vel Confessarij, vel Consiliarij, aut Proregis non eximuntur à residentia suorum Episcopatum, nisi ea sit hominum penuria, vt alij satis idonei minimè reperiantur, qui hæc præsent obsequia, nec in hoc Cæsaris facultas de qua in Auth. quom. oport. Episc. collat. 1. & in Auth. de sanct. Episc. collat. 9. aliquam vim habet. Ita Barboza, & ego, vnde qui habent aurens audiendi, audiant.

An Episcopi feudatarij Regum debeant prius obedire Regi, quàm Papa, seu Metropolitanano.

RESOL. VI.

Affirmatiue respondet Olibanus de iure Fisci cap. 10. n. 6. & Carolus Degraffalius Regalium Francia lib. 2. iur. 13. vbi ausi sunt dicere, quod Episcopus feuda tenens à Rege,

à Rege, prius debet obedire Regi, quàm Papæ; sed isti Authores caute legendi sunt, nam passim multa asserunt aduersus ecclesiasticam immunitatem.

Ideo contrariam sententiam docet Marta *de iurisd. part. 4. cent. 1. cas. 18. num. 22.* qui etiam *nu. 13.* firmat idem dicendum esse, si Metropolitanus Episcopum vocaret; nam in tali casu Episcopus tenetur obedire magis suo Metropolitanò, quàm Regi etiam directo Domino feudi; quia maius vinculum est spirituale, quàm temporale, *c. solita, de maior. & obediens.* nec obstat iuramentum fidelitatis directo domino factum, quia semper intelligitur excepta auctoritas sui Superioris.

Notandum est etiam dictum Degraffalium *vbi supra in iure 14.* & Olibanum *de iure Fisci ca. 8. n. 2.* adnotare, quòd Prælati feuda à Rege tenentes, tenentur in bello opè ferre, & auxilium præstare secundum feudorum conditionem.

Sed tu circa hanc quæstionem vide Martam *vbi supra n. 26. & cas. 1. num. 18.* vide etiam Intrigliolum *de feudis quæst. 30. num. 24.* & Petrum de Gregorio *tract. de concess. feud. part. 8. quæst. 2. vers. tertio limbo.* Vnde ex his apparet falsam esse sententiam Lancelot. *in suo templo indicum lib. 1. cap. 2. de Rege §. 3. num. 9.* in fine asserentis, posse Regem præcipere Episcopis, & Abbatibus sui Regni, vt cum ipso eant ad bellum; quod antea docuerat etiam Petrus Antibolus *de muneribus part. 3. num. 97. tom. 12. tractatum fol. 28. col. 2.*

An filij Clericorum gaudeant priuilegio fori, ita vt iudex laicus illos non possit punire?

RESOL. VII.

GAudere priuilegio fori, nec illos iudices laicos posse punire docet doctissimus Iuriconsultus Decianus *in tract. crim. lib. 4. c. 9. num. 49.* quia, ait ille, pater, & filius reputantur vna, & eadem persona, *l. fin. C. de impuber. & filius dicitur persona corporis patris, l. cum scimus §. fin. C. de agric. & cens. lib. 10.* ideo exclusa persona patris, censetur exclusa persona filij, & in exstimatione communi pater, & filius reputatur pro vno capite, & sic sufficit, vt alter ipsorum registret bona: hæc omnia Decianus; quem postea sequitur Carolus de Grassis *de effct. cler. effct. 1. n. 189.* & Ioan. Maria Nouarius *in quæstionibus forensibus part. 1. q. 98. num. 2.* & hanc sententiam post hæc scripta inuenio docere etiam Paulū Squillante *de priuileg. cler. c. 7. dub. 2. n. 35.* qui etiam *c. 8. dub. 1. n. 13.* docet filios clericorum gaudere exemptione gabellarum: quæ omnia sunt valde notanda.

Sed aduerte hanc opinionem esse veram in filiis legitimis, & viuente patre; nam patre mortuo, etsi filij sint illegitimi, minimè priuilegio fori gaudebunt, & iudicem laicum illos punire posse dicendum est.

An laici Magistratus possint compellere Clericos ad reparationem Ecclesiarum?

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam docet Ceuallos *tractat. de cognit. per viam violentia part. 2. quæst. 99. n. 12.* Bobadilla *in pollit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 135.* vide etiam Pereira *de manu regia c. 18. n. 5.* Degraffalium *lib. 2. Regalium Francia, iur. 6.* & alios penes ipsos.

Sed negatiuam sententiam omnino tenendam esse puto: quam nouissimè docet doctus Lotterius *tom. 1. de benef. lib. 1. quæst. 11. num. 81.* nam concedo, quòd Ecclesiastici tenentur ad reparationem Ecclesiarum, sed nego ad id posse illos compellere iudices laicos; nam in tali casu si hoc efficerent, alienam exercerent iurisdictionem. Et ita hanc sententiam docet etiam Marta *de iurisd. part. 2. cap. 48. num. 15.* Ratio verò, quam adducit Ceuallos, est [vt optimè notat Lotterius] nimis frigida, nempe Reges esse executores & protectores Consilij Tridentini, nam

Anton. Diana Ref. Mor. Pars 111.

ex hoc non sequitur posse exercere iurisdictionem in Ecclesiasticos exemptos.

An Episcopi possint excommunicare Reges, & eorū Consiliarios, & quid de Inquisitoribus non solum in Sicilia, sed in alijs Regnis?

RESOL. IX.

Affirmatiuè respondet ex multis iuribus Altherius *de censuris tom. 1. disp. 10. lib. 3. cap. 5 fol. 37. col. 2.* & Fagundez *præcep. 2. lib. 1. cap. 3. n. 21.* licet regulariter propter quandam reuerentiam id minimè ab Episcopis efficiatur, sed optimè quidem & iustissimè excommunicarentur, si sceleris pondus, & qualitas id postularet.

Non reticeam tamen Auilam *de censuris part. 2. cap. 4. disp. vnica dub. 4.* & Bonacinam *de censuris disp. 1. punct. 4. n. 15.* docere de iure nouo, & priuilegio à Summo Pontifice obtento Reges, & Imperatores non posse ab Episcopis excommunicari, & nouissimè docet etiam hanc sententiam Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 10. numer. 4.* Barbosa *in collect. tom. 4. part. 1. Decreti distinct. 96. c. duo sunt.* & alij penes ipsos.

Sed his non obstantibus discedo ab opinione Caroli Degraffalij *lib. 2. Regalium Francia iure 9.* & Ioannes Ferraut. *de iuribus Regni Francia priuileg. 6.* Paponij *de iur. Franc. lib. 1. tit. 4. c. 9.* asserentium, supradictum priuilegium esse extendendum ad Regios officarios, & Consiliarios, & hoc pro actu exercitij iurisdictionis temporalis, nam puto Consiliarios Regios posse ab Episcopis excommunicari, quia tale priuilegium est personale propter Regum, & Imperatorum reuerentiam: & ita nouissimè docet Ioannes Dionysius Protocarrero *in allegat. pro iurisd. Inquisitorum*, vbi, *n. 52.* sic asserit. Non obstante [que sean Vitrey, y ministros Reales, y aunque lo fueran en mayor Tribunal, pueden ser ligados con censuras de qualquier Iuez Ecclesiastico, cuya iurisdiction turbaren, aunque sea delegado, y semejantes personas no esten contenida en su delegacio.] Ita ille, qui pro hac sententia citat plures Doctores, & hanc potestatem habere etiam Dominos Inquisitores, non est dubitandum, vt probat supradictos Portocarrero *num. 46. & 47.* & patet ex Concordatis cum Inquisitione huius Regni Siciliae apud Paramum *de orig. Inquis. lib. 2. tit. 2. c. 11. n. 24.* vbi sic asserit Rex. Item in commemoratis casibus, & causis ciuilibus, criminalibus, & mixtis, spectantibus ad iurisdictionem officialium, & locum tenentium, atque familiarium Sancti Officij, possunt Inquisitores per censuras procedere aduersus quascunque personas iudices, & magistratus, qui contraierint, ac perturbauerint illorū iurisdictionem, [lo qual (ait Portocarrero) no es concession particular, echa en fauor de los Inquisidores de Sicilia, porque si ellos no tuuieran facultad de fulminar censuras, no pudiera darse la su Magestad y asse es declaracion de que la tienen, y siendolo, es general,] & solide totum hoc probat, quòd antea etiam docuerat Narbona *in 3 part. recopil. lib. 4. tit. 1 leg. 20. gloss. 22.* per totam. Non est igitur dubitandum posse Episcopos excommunicare ministros Regios perturbantes eorum iurisdictionem.

Vnde non est audiendus noster D. Franciscus Antonius Costa, vir quidem doctus, in quodam consilio nuper separatim impresso, & dato Messanæ die 26. Iulij 1619. contrarium docens, ex quadam Pragmatica nominata *la Cathalana*; in qua habetur quòd Episcopi non procedant ad censuras contra officarios Regios inconsulto Rege, seu Prorege: & aduertat lector quòd dictum consilium à *numer. 10. vsque ad n. 27.* reprobatur à nobis *in tract. 2. part. 1. de immunit. ecclesiast. resol. 13.* ea verò quæ adducit à *n. 28. vsque ad n. 34.* reprobantur *in resol. 13. & 67.* quæ adducit *n. 37. & 38.* refelluntur *in resol. 17.* & sciat author huius consilij, quòd in Regno Valentiæ Consiliarij Regij, vt patet ex Maderiaga *in tract. de Sena-*

in c. 39. §. 2. noluerunt admittere cognitionem per viam violentiæ, & tamen ipse in hoc Consilio tentat aperire ianuam vt admittatur in Regno Sicilia: rectè igitur Antonius de Ballis in exposit. dictæ pragmaticæ, nuncupatæ la Cabalana, asseruit supradictam Pragmaticam esse contra libertatem ecclesiasticam.

An iudex laicus possit cognoscere, vtrum clericus veste clericali amictus sit vt gaudeat priuilegio fori?

RESOL. X.

Aliqui Iurisconsulti affirmatiuè respondent, & nouissimè inter illos ita fuisse iudicatum testatur Paponius *lib. 1. tit. 5. arst. 4.* vbi sic asserit, Iudex laicus cognoscere de proprietate tonsuræ non potest, & tamen cognoscere potest vtrum vestes, quibus Clericus vestitus reperitur, conuenientes sint, an aduersæ eius professioni; huiusmodi quippe cognitio sæcularis est, pro vt fuit iudicatum *arst. 1384.* Ita ille.

Sed hæc opinio est contra communem, vt docet Bellettus *disquis. cler. tit. 3. §. 14. n. 4* & nouissimè illam refellit Barbosa *in collecta tom. 3. lib. 5. tit. 11. c. 12. n. 2.* citans Farinacium *in praxi crim. q. 8. n. 34.* & patet ex *c. si iudex, de sentent. excomm. in 6.* sed de hac quæstione vide me ipsum *in resol. 27. tract. 2. part. 1.* Nec valet dicere, quòd in aliquibus Regnis ita à iudicibus laicis obseruatur, nam respondetur fortitan id facere ex priuilegio Summi Pontificis.

An Ecclesiastici teneantur soluere gabellas postas pro primo introitu Regis in ciuitatem?

RESOL. XI.

Affirmatiuè respondet nouissimè Paponius *lib. 5. tit. 11. arst. 15.* vbi sic asserit. Iudicatum fuit in Curia Parisiensi mense Aprili 1591. aduersus Clerum Trecentem, qui depulsis fuit ab oppositione facta aduersus adscriptionem collationis impensarum factarum ab incolis prædictæ ciuitatis Trecentis, cum Rex Henricus IV. eam primùm solemniter ingrederetur anno 1595. decretumque fuit Ecclesiasticos cogendos captis pignoribus, seu bonis temporalibus ipsorum. Ita ille, & Remigius de Gon. *tract. de charitativo subsidio. q. 39. n. 13.*

Sed contrariam sententiam omnino amplectendam esse puto, cum communi consensu Theologorum, & ita docet in terminis Azorius *part. 3. lib. 5. c. 19. q. 11.* & ex Iurisconsultis noster D. Carolus de Grassis *de effect. cler. off. 3. n. 264.* Aluaréz *in speculo Pont. c. 35.* Aloysius de Leo *in placet. n. 1. C. de f. c. Eccl.* qui omnes asserunt text. dictæ leg. placet, esse correctum per Authent. *item nulla communitas, eod. tit.* & ratio est, quia licet supradicta gabella sit imposita propter publicam necessitatem, tamen dicta necessitas publica solis laicis est communis, & tantùm indirectè, ac remote, ad clericos quoque pertinet, in quo casu ipsi non tenentur ad contributiones, vt satis probatum est *suprà in tr. 1. de imm. eccl. p. 1. in resol. 40.* & docet inter multos Lessius *lib. 1. c. 33. dub. 3. n. 24. & 25.*

An Episcopus possit cognoscere de delicto admissò à laico officiali suo?

RESOL. XII.

Negatiuam sententiam docet Paponius *de iure Franc. lib. 1. tit. 4. arst. 8.* vbi sic asserit. Iudex Ecclesiasticus de delicto admissò à Commentariensi suo, id est, eo qui carceribus eius præpositus est, eo quòd custodiam dimiserit, seu euadere siuerit aliquem, vel quòd delictum circa custodiam admiserit, non potest cognoscere, sed à iudice suo laico puniendus est. Idem iudicatum est de procuratore officij iurisdictionis ecclesiasticæ, de qua si laicus

sit, iudex ecclesiasticus nullam habet cognitionem, et si de re agatur, quæ ad ipsum officium sui Procuratoris spectat; Episcopus enim ne laicorum officialium opera utatur cauere debet, neque enim in eos agendo vllam iurisdictionem admittere sibi potest, & ita iudicatum fuisse bis in Curia Parisiensi testatur Paponius.

Sed hæc opinio refellitur ex multis rationibus, quas adducit Riccius *in praxi tom. 1. resol. 471. per totam,* vbi quaerit, an Episcopus possit magistrum actorem laicum suæ Curie punire, & affirmatiuè respondet; dicendum est igitur Carcerarios, Fiscales, Commissarios, Magistros, Notarios, lictores, &c. etiam si sint laici, gaudere priuilegio fori ecclesiastici, & eorum omnia delicta Ecclesiasticum, non autem iudicem laicum cognoscere, & punire posse, & ita etiam docet Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. allegat 107. n. 11. & sequen.* cum aliis Doctoribus communiter penes ipsum. Vnde si aliquis iudex sæcularis vellet cognoscere delicta supradictorum, posset Episcopus illum excommunicationis nexu vincire, rationes horum omnium inuenies apud Barbosam & Riccium *vbi supra.*

An statuta laicorum etiam fauorabilia Clericis sint valida?

RESOL. XIII.

Respondeo negatiuè ex defectu potestatis, & iurisdictionis, & habetur *in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. & ibi Abbas n. 10. & Felinus n. 80.* vide etiam Beroum *vol. 1. consil. 31. n. 22. & 24.* Riminaldum seniore *vol. 2. consil. 218. n. 8.* Oddum *consil. 44. n. 13.* Menochium *vol. 3. consil. 291. n. 25.* & alios penes ipsos. Si tamen aliqua lex Principis esset merè priuilegiata rerum Ecclesiasticarum, siue clericorum, tunc valeret, etiam quòd laici nullam habeant superioritatem in spiritualibus, nam non subdito priuilegium concedi potest; dummodo tamen talis lex non contineat præceptum, vel necessitatem, quia etiam quòd Ecclesia esset fauorabilis, & priuilegiata, tamen propter præceptum, & necessitatem, quam imponeret clericis, non valeret, sed secus, si resolueretur in vim consilij, seu priuilegij. Vide Surdum *vol. 1. consil. 2. n. 19. & vol. 3. consil. 3. n. 13. & 24.* Hondedum *vol. 1. consil. 3. n. 11. & vol. 2. consil. 20. n. 17.* & alios, quos ipsi citant.

Notandum est etiam hic obiter, (& in hoc multi errant,) statuta, & leges Principum sæcularium etiam licita, & honesta, & propter commune bonum facta, & quæ priuilegia Ecclesiæ non læderent, adhuc non ligare clericos, quia in statuente non sufficit iusta causa, sed requiritur iurisdictionis; nam necessitas, seu bonum commune, vel iusta causa, nunquam tribuunt iurisdictionem laicis in clericos. Vide Menochium *vol. 3. consil. 291. n. 25.* Surdum *vol. 1. consil. 2. n. 33. & vol. 3. consil. 301. num. 11. & 28.* & alios penes ipsos.

Nota etiam quòd quando Clerici, & Ecclesia in aliquo statuto non nominantur, possunt cogi statuentes declarare, quòd non comprehendantur Ecclesia, & personæ ecclesiasticæ, vt docet Ioannes Bertran. de Gueuara *in propugnaculo libert. eccl. asser. 2. §. 2. n. 63.* Ancharanus *n. 1.* Geminianus *n. 4.* Francus *n. 2. in c. finali de immunit. eccl. in 6.* D. Antonius *part. 3. tit. 12. c. 3. §. 5.* & alij quos citant, & sequuntur Maynardus *de priuileg. Eccl. p. 1. art. 22. n. 31.* & Surdus *vol. 3. consil. 301. n. 45.*

An leges Amortizationis sint contra immunitatem Ecclesiasticam?

RESOL. XIV.

De hac quæstione egi *in tract. 1. resol. 103.* & non placuit opinio mea aliquibus Iurisconsultis, qui adducebant Arnolfum Ruzeum, Petrum Pechium, Carolum Degrassalium, & Chopinum, defendentes legem amortizationis extantem apud Gallos, qua bona stabilia prohi

prohibentur alienari in manum mortuam absque Principis licentia, & certa pecunia soluta.

Sed ego iterum puto supradictam legem esse contra immunitatem ecclesiasticam, & pro hac sententia, nunc non adducam Theologos, sed Iuriconsultos, & inter illos Ioannem Bertran. de Gueuara, qui fuit Visitator Generalis pro Rege nostro in Regno Neapolitano, & postea Præses Supremi Consilij Italiae, & Archiepiscopus Compostellanus; is igitur vir doctissimus in propugnaculo libert. Eccles. assert. 1. §. 6. num. 21. sic asserit, Amortizationis leges, de quibus in primo argumento contrario, nil obstant; eas enim nonnulli (& male) defendere conantur, eo quod agant de bonis quærendis, non de quæsitis. Alij asserunt, & deterius vt est Belluga rubr. 13 §. vniamus, n. 30. & 31. quia à principio omnia fuerunt Regis, & merito Rex in traditione rei propriæ potuit apponere legem amortizationis; sed hoc non potest sustineri, quia Princeps non fuit dominus omnium bonorum sui Regni, sed quo ad protectionem, & iurisdictionem, vt inl. bene à Zenone, vbi Glossa recepta, C. de quadrag. præscr. nam Princeps à populo potestatem habet. §. sed quod Principi placuit, de iure nat. Alij (& melius) vt ibi per Bellugam nu. 37. dicunt quod hæc leges amortizationis sunt mixtæ laicorum & Clericorum latae in comitiis curiatis omnium statuum. Alij (& rectius) vt Pechius, id totum tribuunt scientiæ, & patientiæ Pontificum. Ita Gueuara, qui etiam subdit in n. 22. quod lex amortizationis lata à Ioanne II. in Regno Castellæ, fuit postea reuocata à Catholico, & sapientissimo Rege Philippo II.

Et ex his patet responsio ad rationem Olibani, quem adduximus in dicta resolut. 103. pro contraria sententia. Dicendum est igitur cum Valenzuola in defens. conf. p. 2. n. 202. quod si in aliquo Regno viget lex amortizationis, illam licet obseruari, quia adest priuilegium Summi Pontificis, vel eius tolerantia; secus autem erit contra immunitatem ecclesiasticam.

An index laicus possit cognoscere de Clericatu, vel de habitu?

RESOL. XV.

Affirmatiuè mordicus respondent aliqui, & ita obseruatur in Lusitania, teste Valasco tom. 1. allegat. 44. n. 10. & 12. in Gallia, teste Rebuffo ad l. Gallia tom. 1. tit. de litteris obligat. art. 11. glossa 3. n. 15. in Hispania, teste Coararuia pract. qq. c. 33. n. 1. & in Regno Neapolitano, teste Borrello in sum. omnium dec. tit. 44. de citat. n. 425. & ratio est; quia huiusmodi quæstio facti est, & in facto consistit, cuius cognitio ab omni iuris spiritualis cognitione remota est; & ita hanc sententiam præter Doctores citatos tenent Salgado de protect. Regia tom. 2. p. 4. c. 14. n. 81. 82. & 85. Pereira tract. de manu regia in concordatis D. Ioann. 1. a. 9. n. 183. & in concor. 1. Regis D. Dimis art. 13. n. 62. Rupelanus lib. 4. instit. forens. Francus decis. 329. n. 9. & alij.

Sed ego in tract. 1. part. 1. resolut. 27. de immunitate Eccl. contrariam sententiam tenui, nec aliter tenendum est, & contrarium facientes in excommunicationem incurrunt; & hoc determinatum à Bonifacio VIII. in cap. index, de sentent. excomm. in 6. & hanc sententiam tenent DD. quos citat, & sequitur doctus Barbosa vbi infra n. 2. quibus ego addo Cenedum in qq. Canon. q. 4. nu. 32. Belletum in disquis. cler. part. 1. tit. de favore clericorum personali §. 14. n. 4. D. Carolum de Grassis de effectibus Cleric. effect. 1. n. 1162. Bobadillam in politic. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 106. Mastrillum part. 2. decis. 113. n. 16. Mattam de iurisdic. p. 2. c. 31. nu. 16. Narbonam in 3. part. recopil. lib. 4. tit. 1. l. 20. gloss. 23. nu. 16. præter illos, quos adduxi in d. resolut. 27.

Ad contrariam verò obseruantiam, & praxim illorum Regnorum, quam adducunt DD. citati, respondet Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 11. c. 12. n. 3. id tribuendum alicui speciali Summi Pontificis priuilegio, quod si adest, videant illi ad quos spectat.

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

An Clericus propter crimen læsæ Maiestatis sit degradandus, & curia seculari tradendus?

RESOL. XVI.

AD quæstionem propositam affirmatiuè respondet. Ioannes de Heuia in Curia Philippica par. 3. §. 2. n. 23 qui agit de casu nostro, in terminis vide etiam Romanum consil. 36. Albertinum in c. 1. de hæret. lib. 6. q. 11. & 13. & DD. quos ego ipse citavi in tr. 1. p. 1. de immun. Eccl. resolut. 129. asserentes propter grauitatem criminis, etiamsi in iure expressum non sit, Clericum tradendum esse curiæ seculari, quamuis non proponatur incorrigibilis.

Sed ibi contrariam sententiam tenui cum multis DD. quibus nunc adhuc Barbatium lib. 3. consil. 22. Curtium consil. 154. & nouissimè ex neotericis in terminis casus nostri de crimine læsæ Maiestatis docet etiam hanc sententiam doctus Barbosa in collect. tom. 4. p. 2. causa 22. q. 1. c. si quis laicus, n. 2. vbi num. 4. & 5. probat supradictum c. si quis laicus, non facere contra nos, neque etiam cap. si quis sacerdotum 11. q. 1. & concludit mordicus clericum pro crimine læsæ Maiestatis minimè degradandum esse. Et hoc etiam docuerat antea Ignatius de Salzedo in pract. crimin. Bernardi Diaz. c. 119. litera C.

An Clerici teneantur soluere collectam certam & inuariabilem impositam per statutum super aliqua dona priusquam ad eos peruenissent?

RESOL. XVII.

Affirmatiuam sententiam docet Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 4. num. 5. & ego ipse cum multis alijs in tract. 1. part. 2. de immunit. ecclesiast. resolut. 42. nunc autem existimo contrariam sententiam esse etiam probabilem, quam tuentur DD. quos citat, & sequitur D. Carolus de Grassis de effectibus clericatus eff. 3. à n. 162. vsque ad n. 176. quibus ego addo doctissimum Iuriconsultum Hispanum Ioannem Bertran. de Gueuara in propugnaculo libert. Eccles. assert. 1. §. 6. num. 27. vbi sic asserit: Non potest sustineri opinio Bartoli etiam si onus impositum sit inuariabile, & certum, & in certa quantitate, quia collecta est onus, quod personis imponitur secundum quantitatem possessionum & rerum, ita quod collecta sint onera mixta ex l. rescripto. §. finali, de muner. & honor. & illa collecta quantum ad obligationem est onus personale, & quantum ad quantitatem est reale; ac proinde quando imponitur onus à statuto super rebus certum & inuariabile, id censetur fieri in fraudem Ecclesiasticorum, & ita est eadem ratio, ac si esset onus variabile, & incertum, quicquid contradicant alij distinguendo an onera certa & firma, & inuariabilia sint, an verò incerta, & variabilia.

Nec enim hæc distinctio admittenda est, quando per statutum onus soluendum imponitur in futurum, aliter si fiat per specialem contractum Principis, vel contrahentium. Ita Gueuara, & ante illum Cardinalis Albanus in tract. de immunit. eccles. qui omnino videndus est, & habetur in tom. 13. tractatum part. 2. Hoc etiam docet Alexander Pefantius tract. de immunit. eccles. disp. 7. vbi sic ait. Quando onera sunt perpetua, & certa, & rebus imposita, maior est difficultas; sed si generalitati sacrorum Canonum standum sit, idem dicendum est, quod de secundo casu, & ego vt tutas reddam Principum, & Magistratum secularium conscientias, non possem, tuta conscientia, aliud suadere, quam vt cum talia onera imponenda, vel imposita iam exigenda sunt, non aliter fiat, quam consulto, & concedente Romano Pontifice. Sic Pefantius, quæ omnia intelligenda sunt, vt notat Grassius vbi supra, etiam si bona patrimonialia clerici reperiantur in extimo descripta, nam non transeunt in clericos cum onere suo, licet tale onus esset reale, perpetuum & durable.

Ex his patet refellendum esse Ioannem Driedonem de libertate Christiana lib. 2. cap. 3. asserentem, quod prædia

6 Tract. I. De immunitate Ecclesiastica.

omnia sunt obligata pro tributis Reipublicæ impositis, & imponendis, & cum hoc onere transire in Ecclesiam; sed hæc opinio est falsa, & Theologo indigna.

*An iudex ecclesiasticus possit præcipere iudici seculari sub pœna excommunicationis, quod superse-
deat in executione contractus, donec decida-
tur, an sit usurarius necne?*

RESOL. XVIII.

Negatiuè respondet Ceuallos in *tractat. de cognitione per viam violentiæ part. 2. q. 96. nu. 12.* Angelus in *l. 4. §. condemnatum ff. de re iudicata.* Imola & Ripa *ibidem*, & Rodericus Suarez in *l. post rem iudicatam. ver. circa iudicem, num. 15. 16. & 17. ff. de re iudicata,* & Barbarius *vel. 2. consil. 45. n. 10.* docentes, quod licet exceptio vsuræ sapiat spiritualitatem, tamen non potest opponi ad impediendam executionem instrumenti.

Sed ego contrariam sententiam teneo ex *clator, qui filij sint legitimi*, & ideo pendente causa natalium coram ecclesiastico non potest secularis iudex in causa principali hereditatis procedere, vt rectè notat Corasius *miscellan. lib. 1. c. 5.* & alij. Vnde in terminis nostram sententiam tenent DD. quos citat, & sequitur Guttierrez *de iuram. confirm. p. 1. cap. 2. à nu. 11.* vbi sic asserit. His non obstantibus videtur non esse veram Angeli opinionem & sequaciam, & potius tenendum esse contrarium, imò quod iudex secularis supradicto casu, condito sibi de litis pendente vertentis coram Ecclesiastico super causam vsurariam eiusdem contractus, quem exequitur, maxime si à iudice Ecclesiastico inhibeat, ne vltra procedat super executionem sub pœna excommunicationis, quousque decidatur causa vsuraria, teneatur obedire, & debeat super sedere in executione, quia cum exceptio hæc sit præiudicialis executioni, omninò non debet super ea amplius procedi, quia aliàs iudicium ecclesiasticum redderetur illusorium. Ita Guttierrez, & ante illum Alexander in *l. 4. §. condemnatum, n. 17. de re iudicata,* quidquid in contrarium asserat Ceuallos *vbi supra.* cuius sententiam omnino refellendam esse puto, si iudex Ecclesiasticus præueniret in cognitione vsuræ illius contractus, vt optimè notat Marta *de iurisdic. part. 2. cap. 45. num. 15. & 20.* cum alijs.

Notandum est etiam hinc obiter cum Barbosa in *collect. tom. 2. lib. 4. tit. 17. c. 5. n. 4. & 5.* & alijs penes ipsum, quod iudex ecclesiasticus, ad quem aliqua causa spiritualis remittitur, potest opponere exceptionem illam, præfigere terminum peremptorium, intra quem probare teneatur; non potest tamen è conuerso, iudex secularis, qui, v.g. de causa principali hereditatis cognoscit, præfigere partibus terminum, intra quem causa incidens spiritualis terminetur coram Ecclesiastico ad quem remittit, quia iudici ecclesiastico, qui in spiritualibus superior est, legem imponere non potest.

An iudex laicus possit exigere gabellas à colonis partiaris Religiosorum?

RESOL. XIX.

Affirmatiuè non pauci respondent, sed mihi placet opinio Abbatis *lib. 1. consil. 9. n. 2. vers. ad secundum, & in c. ex parte il. 1. 4. & 5. de decimis,* & aliorum quos adducit Menochius *lib. 2. de arbitr. cas. 562. n. 46.* & ita hanc sententiam docet nouissimè Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 2. n. 9.* vbi sic asserit. Notandum quod priuilegia hæc exemptionis à gabellis, datijs, &c. cum sint realia, transeunt ad colonos eorundem Regularium, quia eorum bona & prædia priuilegiata sunt, & exempta ab onere soluendi gabellas, & similia. Itaille.

Idem etiam docet ex neotericis Peirinus *super priui-*

leg. Minim. tom. 1. consil. 2. Iulij II. §. 33. nu. 142. Et hoc patet ex Bulla Pij V. in qua Summus Pontifex eximit Fratres, Monachos, Moniales, ac alias Regulares personas, eorundemque Monasteria, Cœnobia, Conuentus, Ecclesias, Capellas, Oratoria, & alia loca, ac terras, possessiones, prædia, agros, & bona, nec non laboratores, colonos, arrendatorios, affectuarios, ac gestores suorum negotiorum ab omnibus exactionibus, tam vrbanis, quàm rusticis, nec non datijs, gabellis, pedagijs, vectigalibus, collectis, impositionibus, oneribus ordinarijs, & extraordinarijs, ac tam realibus, quàm personalibus, meris, & mixtis, etiam subsidio triennali, & augmento, ac focularibus, equorum taxis, militumque hospitij, &c. tam impositis, quàm imponendis. Et hoc maximè procederet, quando colonus à principio fuisset pactitatus cum Ecclesia, quod vellet etiam immunitatem consequi pro parte sibi competente, vt docet Marcabrunus *consil. 18. numer. 39.* & Menochius *vbi supra de arbitr. lib. 2. cas. 562. n. 56.* & alij.

Illud tamen in hac quæstione concedi potest dictos colonos Religiosorum teneri soluere gabellam ex fructibus collectis, si eosdem deferant de loco ad locum, aut alienent; tunc enim sunt bona laicorum, & non pertinet, neque indirectè ad Ecclesiasticos. Ita Filiucius *tom. 1. tract. 16. c. 11. n. 302.*

Notandum est etiam hinc obiter à fortiori colonos, seu affectatores prædiorum ecclesiasticorum non teneri soluere gabellam vulgò dictam di luxuri; quia quando dicti gabelloti taxant, & pretiant dictam gabellam, fructus non est separatus à solo ecclesiastico immuni à gabella; ergo, & ideo Carolus de Grassis *de effectibus clericatus eff. 3. n. 90.* sic asserit. In facti contingentia in hac vrbe Pannoniæ fuit decisum pro emptoribus fructuum pendentium cuiusdam vitidarij Religionis Melitenis contra gabellotos, qui prætendebant ius gabellæ ab ipsis emptoribus, & hoc quia fructus non erant separati à solo tempore venditionis. Itaille.

An conseruatores Religiosorum possint procedere contra eorum debitores laicos?

RESOL. XX.

Negatiuè respondent Ceuallos *tr. de cognit. per viam violentiæ part. 2. q. 20. nu. 16.* & Guttierrez *qq. practico. lib. 3. q. 9. nu. 8.* Cabedo *dinerfor. lib. 3. c. 18. nu. 4.* Fuschus *de iur. lib. 2. c. 23. n. 5.* & alij, quia exactio debiti requirit strepitum, & figuram iudicij, & sic non potest hæc causa agitari coram iudicibus Conseruatoribus, quia non possunt habere tribunal erectum, secùdum decisionem Concilij Tridentini, & sic nullo modo possunt cognoscere de causis ciuilibus; nisi aliter fuerit in literis conseruatorijs definitum. Hæc Ceuallos, qui contrariam sententiam falsam putat.

Sed contrariam sententiam docent Portel in *dubijs Regularium. ver. Conseruatores, n. 7.* Rodriquez *qq. Can. tom. 1. q. 65. a. 12.* Guido Papæ *q. 18. n. 3.* & Ioannes de la Cruz *de statu Relig. lib. 2. c. 10. dub. 5. concl. 2.* vbi sic asserit. Conseruator Religiosorum potest procedere contra debitores ex causa ciuili, etiam laicos. Patet primò, quia in *cap. fin. de offic. deleg.* conceditur his Conseruatoribus posse cognoscere de manifestis iniurijs, & violentis; vbi iniuria non tantum sumitur pro contumelia, vel conuicio (quicquid dicat Guttierrez) sed pro omni quod fit contra ius, & infert damnum monasterio. Itaille, qui multas alias adducit rationes. Et ideo nouissimè hanc etiam sententiam docet doctus Hieronymus Rodriquez in *compen, qq. Regularium resolut. 33. n. 12. & 22.*

Notandum est etiam hinc obiter posse Regulares eligere conseruatorem, qui defendat sua animalia, seu pecora damnum facientia in agris alienis, & hæc causa pertinet ad conseruatorem, & non ad iudicem secularem. Ita Portel. *vbi supra n. 9.* & Rodriquez *art. 14.*

An transacto anno Episcopus sit exequutor ultimorum voluntatum, etiam quo ad legata non pia.

R E S O L. XXI.

Affirmatiuam sententiam docui in tract. 1. part. 1. de *immun. Eccles. resol. 98.* sed non placuit aliquibus, quod valde miror, nam illam docet Glossa in c. si heres, de testam. & Doctores quos citat, & sequitur Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 26. c. 6. n. 12. & de potest. Episc. p. 3. alleg. 82. n. 15. quibus ego addo Bonaciam de contract. tom. 2. disp. 3. q. 17. punct. 8. §. 10. n. 1. & Molinam de iustit. tom. 1. tract. 2. disp. 250. n. 5. vbi sic asserit. Dubitant Doctores; vtrum etiam quando dispositio non est ad pias causas, cura, vt illa executioni mandetur, ad Episcopum, & eius Vicarium pertineat, intentata etiam coram ipsis actione aduersus executores, aut hæredes ab eo, cui à testatore aliquid relictum est; licet autem quidem negent quando hæres, ac executor laicus est, eo quod actio forum rei sequatur, tamen multi alij contrarium affirmant. Ducuntur, quoniam adimpletio voluntatis defuncti in ipsius defuncti bonum, Episcopis ex officio suo est commissa, etiam quando non est ad pias causas, vt ex multis iuribus ostendit Panormitanus in d. cap. si heres, de test. n. 3. & in relect. cap. cum esset, de testam. n. 32. quare in consequentiam pertinet etiam ad Prælatum, quando aduersus executores, aut hæredem laicum intentatur actio, efficere vt ea via in defuncti bonum ipsius voluntas mandetur executioni. Atque hæc opinio, vt communior, & magis pia placet. Ita Molina, & iterum ego.

Vnde ex his inferitur contra Ceuallos. *tr. de cognit. per viam violentia p. 2. q. 21. n. 8.* Caldas de nomin. emphyt. q. 19. n. 56. Bobadillam in polit. tom. 1. lib. 2. c. 17. n. 103. & alios supradictam opinionem esse veram; etiam si in testamento non adsint legata pia, sed tantum legata prophana; & etiam quando iudex sæcularis non esset remissior in administranda iustitia; vel non solum quando iudex ecclesiasticus ex officio vellet executores compellere ad legata persoluenda, sed etiam quando ad instantiam partis laicæ conueniretur ad legata non pia; vt patet ex Molina vbi supra, & aliis DD. absolutè, & sine vlla distinctione nostram sententiam tenentibus.

An clericus si conueniatur pro euictione conueniendus sit coram iudice Ecclesiastico?

R E S O L. XXII.

Ad hanc questionem sic respondeo cum Tamburino de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 19. n. 25. vbi sic asserit, Si Clericus, qui vendidit agrum, conueniatur pro euictione, debet conueniri coram iudice ecclesiastico; si verò lis mota fuerit contra laicum, qui rem à Clerico emit, & Clericus resistat defensionem emptoris; tunc non potest per Clericum causa trahi ad tribunal ecclesiasticum; quia agitur contra laicum, non contra Clericum, qui iudicio suo nomine non assistit, sed nomine & pro defensione emptoris. Ita ille.

Sed præsentem questionem fufius tractant Ceuallos de cognitione per viam violentia part. 2. q. 45. & alij penes ipsum, quibus ego addo Molinam de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 380. n. 55. Io. de Heuia in Curia Philippica part. 1. §. 5. n. 20. Martam de iurisd. part. 4. cent. 1. cas. 34. Bobadillam in polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 169. Mendez à Castro in praxi Lusitana lib. 3. c. 3. §. 1. Caldas Pereira de empr. c. 31. n. 84. Girondam de gabellis part. 4. §. 1. n. 15. & alios.

An colonus laicus Religiosorum, pro eius portione colonica teneatur soluere decimas.

R E S O L. XXIII.

Suprà dictum est de gabellis, nunc dicemus de decimis. Affirmatiuam sententiam notat Tamburinus de iure Abbatum, tom. 1. disp. 15. q. 18. num. 32. docere Rotam

in vna Placentina 17. Decembris 1584. coram Blancheto, quam decisionem refert, & sequitur Seraphinus decis. 127. num. 2. Idem dictum est ab eadem Rota in vna Pampilonen. 15. Decembris 1615. coram Coccino. Et ratio est, quia priuilegia exemptionis à solutione decimarum sunt personalia, non autem realia. Ergo non transeunt ad colonos, vel arrendatarios.

Sed contrariam sententiam ego teneo cum docto Iuriconsulto Menochio lib. 1. conf. 176. n. 8. & multis alijs penes ipsum, quia dicta priuilegia censentur realia, & non personalia. Ergo transeunt ad colonos. Probatur maior, quia priuilegium concessum Ecclesiæ, ciuitati, & alijs personis quæ nunquam moriuntur, reale censetur, vt docet Glossa in l. forma §. quamquam. ff. de censibus, & alij. Ergo. Et ita nouissimè docet etiam hanc sententiam Peirinus in priuileg. Minim. tom. 1. constit. 2. Iulij II. §. 31. n. 132. vbi sic asserit. Nota quòd non solum domus, & prædia nostra sunt exempta à solutione decimarum, sed etiam coloni, qui conducunt agros nostros, siue conducant ad medietatem fructuum, & dicuntur coloni partiarij, siue vt quotannis certam partem fructuum nobis tribuant in omnem euentum, & reliquum sibi acquirant; nam priuilegium est reale, & priuilegium reale iure communi transit ad colonos. Ita ille, & alij penes ipsum.

Vide etiam Henriquez lib. 7. c. 27. n. 8. & in Gloss. litera H. vbi ponit eximium priuilegium de exemptione decimarum concessum Societ. IESV à Greg. XIII. quo etiam gaudet nostra Religio, & addit, quòd hæc causa fuit pluries agitata, apud ecclesiastica Tribunalia Romæ, & in Hispania, & semper pronunciatum fuit in fauorem Regularium, & colonorum. Aduertat tamen lector, quòd si in aliqua Prouincia Moniales, Regulares, & eorum coloni soluunt decimas, hoc forsitan eueniet, quia Episcopi obtinuerunt aliquod breue Pontificium reuocatorium dictorum priuilegiorum. Vide Portel. in dubijs Regular. ver. Decima. n. 3. & Fagund. part. 5. lib. 2. c. 4. n. 3. Vnde praxis vnius Regni non est extendenda ad alia Regna; remanet igitur satis firmatum colonos partiarjos Religiosorum non teneri soluere decimas, vt supra dictum est de gabellis.

Vtrum emphyteuta Ecclesie teneatur ad tributa.

R E S O L. XXIV.

Egimus suprà de colonis, nunc dicendum est de emphyteuta. Sententiam affirmatiuam docent Auedagnus de exequ. man. lib. 2. c. 14. n. 33. Valascus de iure emphyt. q. 17. n. 11. & seq. Carocius de locato. q. 25. n. 34. 35. & 43. Rolandus lib. 4. conf. 61. n. 14. & 15. & alij. Et ratio est, quia cum emphyteuta sit sæcularis, & obnoxius gabellis, & collectis, tenetur eas soluere, etiam pro re emphyteutica Ecclesiæ; nam mutata persona mutatur qualitas rei.

Sed contrariam sententiam ego existimo probabilem esse, ex traditis per DD. quos citat, & sequitur ex Iuriscōsultis neotericis Hispanis doctus Felicianus de Solis tractat. de cens. to. 2. in addit. lib. 1. in præfat. n. 1. & sequent. vbi asserit ita sapius fuisse decisum Compluti pro Collegio D. Ildefonsi, & pro monialibus sanctæ Claræ; & ita ait Rectorem Academix excommunicationis mucrone emphyteutica Collegij bona defendere, ac liberare à quacunque impositione, idque vidi frequentissimè obseruatum, vt ait idem Felicianus ibid. num. 3. in fine. Vide etiam circa præsentem questionem consilium secundum positum in tom. 12. tractatum fol. 99. col. 3.

Sed hæc doctrina de emphyteuta non procedit in censuario neque circa emphyteutam redimibilem, si enim Ecclesia, vel persona priuilegiata domum, agrum, vel vineam concederet in censum emphyteuticam redimibilem, debitor census, prædiique possessor non gauderet priuilegio; quoniam in hac forma conventionis, nullum dominium remaneret penes Ecclesiam, vel personam priuilegiatam, sed solum ius recipiendi pensionem annuam.

Et ita docet Felicianus *vbi supra*, & tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 5. & 15.

An negligentia iudicis ecclesiastici in administranda iustitia possit suppleri per iudicem secularem, vel è contra?

R E S O L. XXV.

Affirmatiuè respondent aliqui Iuriconsulti, vt Guilielm. de Benedictis *in cap. Raynuitus, ver. & uxorem, de ciy. 2. n. 31.* Igneus *in l. necessarios, §. non alias, n. 60, ff. ad Syllanianum.* Cassaneus *in consuet. Burgun. rubr. 1. §. 5. n. 61.* *vers. unde: mo fallit,* & Olibanus *de iure fisci. 1. 3. num. 31.* qui citat Couarruiam, & alios, & adducit pro hac sententia *cap. filius, vel nepotibus. 16. q. 7.*

Hæc sententia est falsa, & prorsus reiicienda, & illam refellunt Pelantius *tract. de immunit. eccl. disp. 16.* Bonacina *de legibus 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 12.* Azorius *part. 1. lib. 5. c. 4. q. 2.* Tamburinus *de iure libatum 10. 1. disp. 15 q. 19. n. 22.* Layman *in theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 4.* Anguianus *de legibus 1. 1. lib. 2. contr. 17. nu. 84. 85. & 86.* & alij penes ipsos. Dicendum est igitur, quòd etiam si Prælati fuerint negligentes in imponendis clericis, & causis huiusmodi cognoscendis, eorum negligentia non obstante non permittitur iudicibus laicis, de causis ad Ecclesiam pertinentibus, posse iudicare; & ratio est, quia Clerici sunt exempti à laica potestate; & *in cap. qualiter, & quando, de iudiciis, cap. si quis clericum, cap. placuit, cap. Christiana, cap. licet ex suscepto, & cap. clericum 11. q. 1.* decernitur, & prohibetur ne defectu iustitiæ trahantur ad iudicium seculare.

Sed è contra, data negligentia iudicis secularis potest Ecclesiasticus procedere contra laicos in casibus in quibus alias non possit; Ecclesia enim in quolibet excessu notorio iudicare potest, quando iudex secularis est negligens, vt si requisitus non exigat iustitiam. Immo poterit iudex ecclesiasticus censuris compellere iudicem secularem, vt suo munere fungatur; nam ad commune bonum spectat, & ad pacem fidelium, vt ad iudicem ecclesiasticum possit haberi recursus, saltem eo titulo, vt peccata publica corrigantur. Et ita docent Doctores quos sequitur, & citat ad fatietatem Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 2. tit. 2. c. 10. n. 2.* Restat modò respondere ad *cap. filius, vel nepotibus*, de quo nos plura diximus *resol. 14. tract. 1. de immunit. dico nunc breuiter*, quòd solum ibi statuitur, vt Episcopo negligente, vel renuente, ad Regem causa deferatur, non vt ipse Rex causam iudicet, sed vt moneat reuerenter superiorem; vel dicendum est hoc ius fuisse sublatum ab Innocentio III. *in cap. qualiter, & quando, de iudiciis.*

An Principes possint statuere, ne beneficia ecclesiastica exteris conferantur?

R E S O L. XXVI.

Respondeo negatiuè cum Tamburino *de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 19. n. 21.* & aliis, *vbi infra*; & si in Regno Portugallia, Castellæ, Nauarra, Aragonia, & in Regno Francia exteri non admittuntur ad beneficia, totum hoc procedit ex consensu, & priuilegiis Summorum Pontificum multis Regibus concessis, vt notat Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 5. c. 4. n. 7. & seq.* & Reginaldus *in pract. tom. 2. lib. 30. tract. 3. c. 1. n. 160.*

Ex his sequitur, vt optimè docet, & aduertit Alexander Pelantius *tract. de immunit. Eccles. disp. 17.* Bonacina *de legibus disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. nu. 13.* & Azorius *p. 1. lib. 5. c. 14. quest. 1.* non esse liberum Magistratibus, & iudicibus secularibus literas Pontificias reuocare, quarum autoritate beneficia exteris conferantur, sed licitum erit opponere de surreptione talium literarum apud iudicem ecclesiasticum. Immo si in literis exprimat derogatio iuris patronatus, licitum est appellare ad summum Pontificem, & supplices libellos offerre; & interim literarum

Apostolicarum executionem impedire, modò id efficiant opera iudicum ecclesiasticorum, & supplicationem coram Sede Apostolica legitime prosequantur; nam sententia communis est posse Romanum Pontificem iuri patronatus laicorum derogare, si velit; ac prouide si velit, non inferre iniuriam, neque vim laicis, quia vitæ iure suo, & solum id ius adimit laico, quod habuit ab Ecclesia, non adempto sibi reuocandi iure. Vnde quando Papa, non obstante supplicatione, & appellatione Principum, expressè iuri patronatus derogaret, debent prophani iudices obedire, etiam si Principes nollent, & non obstantibus eorum legibus.

An Principes habeant ius conuocandi Episcopos propter aliquod Reipublica negotium, vel bonum insarum Ecclesiarum?

R E S O L. XXVII.

Respondent aliqui affirmatiuè, nam Rex ratione sui muneris, & dignitatis est tutor, curator, custos, defensor, & iudex Ecclesiarum sui Regni; & propterea ius habet conuocandi Præsules, & cæteros Ecclesiasticos viros, vt communi Ecclesiarum saluti prospiciant.

Sed hanc sententiam, & meritò impugnat Azorius *p. 1. lib. 5. c. 14. q. 7. vlt.* Bonacina *de legibus disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 14.* & Alex. Pelantius *tract. de immunit. Eccl. disp. 21.* vbi sic asserit. Dico Reges, & Principes seculares ratione sui muneris, & officij non habere ius conuocandi Episcopos, & eis præcipiendi vt hoc, vel illud faciant, quia de iure diuino sunt exempti à Principum secularium iurisdictione; possunt tamen Reges pro negotiis Reipublicæ communibus rogare Episcopos, eosque vocare, vt ad se veniant, non tamquam Episcopos, sed tamquam Proceres, quia opus illis habeant, non tamen præcipiendo, & multò minùs sub minis, & pænis. Ita ille. Nec obstat Reges ab aliquibus Iuriconsultis vocari Patronos in Cathedralibus Ecclesiis; nomen enim *Patroni* ab ipsis usurpatur pro defensoribus, & protectoribus Ecclesiarum; non tamen hic licet inferre ipsis potestatem authoritatiuè conuocandi Ecclesiasticos communicatam fuisse vide etiam nouissimè Bonacinam *tom. 3. disp. 1. quest. 16. sect. 1. punct. 5. n. 13.*

Vnde ex his infertur, quàm malè asserant aliqui, posse Reges expellere à Regno Episcopos inobedientes mandatis Regis; sed contra hanc sententiam nos fultius diximus *in tract. 1. p. 1. de immunit. Eccles. resol. 17.* nunc tantum adducam verba Ioannis de Henia *in Curia Philippica. p. 3. §. 3. nu. 30.* vbi sic ait. [Aunque parece que el Clerigo que turba la Republica y paz, puede ser echado del Reyno, por el Rey, y su Consejo por estar a su quenta el procurar esta paz, esto es peligroso, y no se admite segun Gregorio Lopez.] Sed hoc esse contra immunitatem ecclesiasticam non solum Theologi, sed etiam ipsimet Reges ore proprio confessi sunt.

Audiant igitur neoterici Iuriconsulti concordatum Reginae D. Eleonora, quod asserit doctus Iuriconsultus Hispanus Ioannes Dionysius Portocarrero *in allegat. pro iurisdictione DD. Inquis. cum ministris Regis folio mihi 61.* vbi sic asserit, Abyssus abyssum inuocat, [llegaron à declarar al Inquisidor por Banido, y mandarlo salir del Reyno, y ocupar las temporalidades, como si por semejante procedimiento no se incurriessen en las penas, y censuras de la Bula in Cæna Domini cap. 17. Ni podian ignorar la Concordia de la Señora Reyna Doña Leonora, donde se dize.] Super eo verò, quod conqueritur, quòd personæ ecclesiasticæ eiiciantur, seu banniantur à Regno, concordatum est, quòd illud si vnquam factum est, malè factum est, cum euidenter sit contra libertatem ecclesiasticam, & est concordatum, quòd Dominus Rex declaret, quòd in posterum nunquam fiat.

Hæc sunt verba Concordiæ, in quibus amice lector audisti ex ore Regis, quòd eiicere ecclesiasticos viros è Regno,

Regno, est euidenter contra libertatem ecclesiasticam, sed faxit Deus, vt non sint aliqui cōtrarium Regibus consules; at vā vā illis; vnde non est audiendus nouissimè Salgado de protect. Reg. tom. 1. p. 2. c. 2. è n. 2. / 3. vsque ad n. 280.

An minister laicus possit spoliare Clericum armis prohibitis?

R E S O L. XXVIII.

Affirmatiuam sententiam docent Naldus in *summa* *er. Clericus* n. 23. Caballus *centur. 1. cas. 9. n. 13.* Ignatius Sallado in *tract. crim. c. 66. §. quamuit ab hac opinione.* Villadiego in *polit. §. 20. n. 66.* vide etiam Peguera *dec. 56. n. 14. 15. & 17.* Afflict. in *pralud. const. Neapol. 9. 7. n. 2.* Pereira *tr. de manu Regia in Cōcordatis Ioannis 1. ar. 15. n. 118.* & alios quos citauit in *tr. 1. p. 1. de immun. resol. 9.* & citat doctus Rodericus Acugna Archiepiscopus Brachatenfis in *commen. ad Decretum Gratiani part. 1. dist. 31. c. 8. n. 2.*

Sed ibi meritò contrariam sententiam tenui, & nunc teneo cum Suarez in *defens. fidei lib. 4. q. 34. n. 14.* etiam si armorum vltus tamquam Republicæ perniciosus, ita prohibitus sit, vt neque domi ret nere concessum sit, quidquid in hoc cum Vasquez dissentiat Layman in *theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 7.* & ratio est, quia armorum spoliatio, & amissio violentiam continet, & rationem pœnæ habet, quam secularis iudex propria autoritate, & sine vlla expressa, aut tacita commissione in Clericos exercere non potest. Ergo, &c.

Vnde ex his inferitur contra Ortiz in *summa c. 4. n. 9.* Prosperum Rendellam *tr. de passivis p. 1. c. 13.* Villadiegum in *polit. c. 5. §. 20. n. 84. & 86.* Bobadillam *vbi infra n. 119.* Azenedum *recopil. lib. 7. tit. 8. leg. 3. in fine.* Ioann. de Heuia in *Curia Philippica part. 3. §. 3. n. 11.* & alios non posse iudicem laicum spoliare clericum exercentem venationem, aut piscationem prohibitam aibus, vel canibus, vel aliis instrumentis; & ideo etiam non est audiendus Bobadilla in *polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 121.* vbi, sed malè, asserit, posse ministros laicalis iurisdictionis tollere à Clericis vestes prohibitas deferentibus ex aliqua Pragmatica Regis; neque est audiendus Naldus, *vbi supra, in summa verb. Clericus. n. 23.* non bene asserens posse ministrum sæcularem auferre annonam à Clericis; nam hæc omnia habent rationem pœnæ, quam non potest laicus in Clericum exercere; vt ego ipse satis probaui in *dicto tract. 1. p. 1. de immun. eccl. resol. 15.*

Nota hic obiter quòd Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 19. n. 30.* docet quòd iudex ecclesiasticus non tenetur punire Clericos pœnis statutis à lege laicorum, quod etiam notauit Bonacina *de legibus q. 2. disp. 10. punct. 1. §. 1. nu. 29.* Ignatius Salzedus in *pract. crim. c. 56. §. 4. minimè,* & nos alibi.

An Clericus possit se submittere iurisdictioni Regali quoad bona patrimonialia?

R E S O L. XXIX.

Hoc cogitandum relinquit Azenedus *recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 11. num. 16.* Sed tu absolutè, & sine vlla hesitatione negatiuam sententiam tene, nam bona patrimonialia clericorum gaudent priuilegio exemptionis, vt latè probat Barbosa in *collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. c. 4. n. 3.* & Layman in *Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 9.* & ego in *tr. de Parlamento resol. 22.* Sed Clerici non possunt exemptioni priuilegij renuntiare, vt ego ipse satis probaui *tr. 1. p. 1. de immun. eccl. resol. 3.* Ergo, &c.

An Clericus, qui commisit crimen lese Maiestatis sit puniendus à iudice seculari?

R E S O L. XXX.

Affirmatiuè respondent aliqui Iurisconsulti, vnde Ioann. de Heuia in *Curia Philippica par. 3. §. 2. n. 23,*

sic asserit. [El Clerigo conspirando contra el Rey, & contra el Reyno excitando tumultos, y mouiendo gente armada contra su persona, ò estado, puede ser castigado por el Iuez seglar, sin que proceda actual degradacion ni entrego hecho del por el ecclesiastico, y assi se ha praticado en diuersos Reynos, como lo afirma y dize Paris de Puteo, y lo trae Guillermo Benedicto, y dize ser comun proposito. Ita Heuia.

Sed ego hæc sententiam ex declaratione Clem. VIII. satis impugnaui in *tract. 1. part. 1. de immun. eccl. resol. 19.* vbi plures Doctores adduxi, quibus nunc addo Salzedum in *pract. crim. Berr. Diaz c. 119. litera B.* Azorium *p. 1. lib. 5. c. 13. q. 8. in fine.* Duardum in *Bull. Cæna lib. 2. can. 15. q. 11. n. 31.* Maynard. *de priuileg. eccl. p. 2. art. 17. num. 6.* & Tamburinum *de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. n. 16.*

Sed non grauabor hic apponere quod notat Antonius Bouius in *responsione contra N. par. 3. ar. 10. f. mibi 75.* vbi sic ait. [Nel 1520. fù fatta in Spagna vna congiura contra l'Imperatore Carlo V. è la Regina sua madre nella quale erano molti ecclesiastici. L'Imperatore & la Regina mandorno fuori vna Pramatica in Bormez la quale riferisce il Molina de Hisp. Primog. lib. 4. cap. 11. che si procedesse contra à i congiurati, ma le persone ecclesiastice remisero à suoi Prelati, & al Papa. In Inghilterra riferisce il Cardinal Polo lib. 3. de immunitate Ecclesie, che vn certo Sacerdote solleuò il Regno contro Henrico VII. onde ne seguì guerra, è morte di migliaia di persone, è pure se ben castigò gli altri complici, Consigno questo Sacerdote de castigate à suoi Giodici ecclesiastici. E se qualche Re per offesa Maesta, ò sotto tal protesto ha posto mano ne Sacerdoti, è Prelati di santa Chiesa; ha fatto quello che non potea, è non douea, è gliene stato dato da Dio il castigo con infelice morte, & estinzione della casa sua.] Ita Bouius.

An Clericus succedens in bonis laicis, sit propter illa bona vocandus in iudicium coram iudice laico, ante quem causa incepta iam erat.

R E S O L. XXXI.

Affirmatiuam sententiam docent Doctores, quos citauit in *tract. 1. part. 1. de immun. eccl. resol. 24.* Sed ibi adduxi alios negatiuam opinionem docentes, quibus nunc addo Altherium *de cens. tom. 1. lib. 5. disp. 16. c. 1. col. 12. & sequen. cas. 3.* Bonacina in *Bull. Cæn. tom. 3. disp. 1. qn. 16. punct. 5. n. 18.* Tamburinum *de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 19. n. 27.* vbi etiam nu. 28. & 29. notat, quòd Clericus, qui coram iudice laico recepit depositum, non potest à laico iudice ad illud reddendum cogi, & clericus citatus coram laico, si putans sua interesse compareat, non tenetur stare sententiæ à iudice laico datæ. Et hæc omnia nouissimè me ipsum citans tenet Paulus Squillante *de priuileg. cler. c. 7. dub. 3. n. 58. 75. & 82.*

Notandum est tamen hic à fortiori; non esse tenendam opinionem Gabrielis Pereira *tract. de manu Regia in concordatis Regis Alfonso III. ar. 4. n. 38.* Barbosa in *l. si quis posteaquam ff. de iudici. n. 203* & aliorum asserentium de iure esse, vt laicus effectus clericus in ciuilibus respondeat in iudicio vbi prius citatus est. Sed tu tene contrariam sententiam cum Marta *de iurif. cent. 1. cas. 34. n. 14.*

An ad iudicem laicum spectet cognitio si captus à satellibus affirmat se fuisse captum in loco sacro, illis tamen negantibus?

R E S O L. XXXII.

Non spectare ad iudicem laicum, sed ad ecclesiasticum, docet Peregrinus *tract. de immun. eccl. cap. 13. n. 18.* & Marius Italia *de immun. lib. 1. cap. c. §. 2. nu. 100. & 101.* quia ad iudicem ecclesiasticum spectat cognoscere principales causas immunitatis; ergo & alia ad easdem concernentia cognoscere debet, cum accessoriū naturam principalis

principalis sequatur, *c. accessorium, de reg. iur. in 6.* Deinde in *c. si iudex, de sent. excomm. in 6.* deciditur quod si reus captus à iudice laico dicit se esse Clericum, huius rei cognitionem ad iudicem Ecclesiasticum spectare, ut nos laicus sapius supra probauimus, quia de re ecclesiastica, & spirituali tractatur, ergo, &c.

Nec valet dicere, quod malefactor est in possessione iudicis laici, & melior est conditio possidentis, nam respondeo quod in casu dicti cap. *si iudex*, etiam reus erat in manibus iustitiæ laicalis, & tamen deciditur eius cognitionem ad iudicem ecclesiasticum spectare, uti omnino in casu nostro etiam determinandum est.

Notandum est tamen hic obiter quod Decianus in *tr. crim. tom. 2 lib. 6. c. 29. n. 10.* ex multis DD. asserit, credendum non esse Birruariis in hoc casu, cum agatur de graui præiudicio tertij; tamen prudens iudex ecclesiasticus in tali casu considerabit circumstantias, quas notat Peregrinus *ubi sup. n. 16.*

An nouitius ob delictum ab eo ante Religionis ingressum commissum, sit à iudice laico puniendus, etiamsi hoc in fraudem fecerit?

R E S O L. XXXIII.

Hanc questionem ex Neotericis latè tractat Bartholomæus de Vecchis in *praxi nouitiorum disp. 12. per totam*, ubi n. 1. sic asserit. In eo casu in quo ingressus in Religionem factus fuit cum fraude, licet talis criminofus iuxta Sixti V. constitutionem omnibus habitibus Religionis spoliari, puniri que debeat à iudice sæculari, ac si Religionem ingressus non esset; at tamen quia hanc constitutionem in hac parte moderatus fuit Clemens VIII. ingressus Religionis dicitur validior ad hoc, ut Nouitius priuilegio fori gaudeat instar clerici, qui statum clericalem cum fraude assumpsit. Et ideo quemadmodum hic clericus puniri nequit à iudice sæculari corporaliter, sed solum in pecunia, & bonis, ita ut idem iudex sæcularis sit iudex tantum causæ, non autem personæ, ut docent communiter Iuristæ. Ita eodem prorsus modo Nouitius in hoc euentu ad summum puniri potest à iudice sæculari in pecunia, & bonis, non autem in corpore.

Dixi ad summum, quia est etiam satis probabile nequam posse puniri Nouitium in pecunia, & bonis à iudice sæculari, etiam si cum fraude veniat ad Religionem, pro ut latè doctè que probat Marta *de iurisd. p. 4. cent. 2. cas. 121. à n. 22. usque ad finem*; qui ingrediente Religionem non admittit præfatam distinctionem, an scilicet sit cum fraude ingressus, ne enè; sed sustinet cognosci iudicari que debere in omni euentu, per iudicem ecclesiasticum. Ita etiam obseruari debet quidquid in cõtrarium doceat Bonac. *de legib. disp. 10. q. 2. pun. 1. §. 2. n. 6.* qui citat Molin.

An nouitius habitu Religionis dimisso post à iudice sæculari puniri ob delictum tempore nouitiatus commissum?

R E S O L. XXXIV.

Molina Theologus *de inst. tom. 4. tr. 3. disput. 49. n. 24.* affirmatiuam sententiam docet, & idem dicendum esse de Religiosis emissis à Societate IESV testatur, sic enim ait. Quando eiusmodi verè Religiosi nostræ Societatis non professi delicta committerent, ob quæ digni essent pœna graui, iudicarentur que Societate indigni, integrum est superioribus iuxta nostræ Societatis priuilegia in meliorem eiusdem Societatis conseruationem eos à Societate dimittere, vota illis relaxando; & tunc iudices tribunalis sæcularis, ad quos pertinere inciperent, punire eos posse puto iuxta delicta, (dum erant Religiosi) commissas; ita Molina; & hanc sententiam de Nouitiis loquens tenet etiam Ioannes de Heuia in *Curia Philippica part. 3. §. 1. n. 12.* qui citat Bobadillam, & nouissimè Bartholomæus de Vecchis in *praxi nouitiorum disp. 12. n. 6.* sic

asserens. Si è monasterio discedat Nouitius recusans ob delictum commissum iudicio Prælati se subiicere, puniri potest à iudice sæculari, quia in eo casu non habetur pro Religioso; quod intelligendum est dummodo Nouitius nullo ordine insignitus sit. Ita ille, & aliqui Iurisperiti, quibus omnibus accedit nouissimè Peregrinus in *commen. ad nostras constit. p. 2. c. 5. littera R. §. 1.*

Sed tu prorsus negatiuam sententiam tene, quam tueretur Bonacina *de leg. disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 2. n. 5.* qui citat Sayrum Abbatem, Clarum, & alios. Et idem etiam docet nouissimè Paulus Layman in *Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 8. n. 5.* ubi sic ait Ecclesiasticæ personæ, quæ statum mutabilem habent, quem fermè arbitrato suo abicere possunt, eo deposito clericalibus priuilegiis spoliantur, ut Clerici in minoribus constituti, & Religionum nouitij, præterquam quod ob crimina in statu ecclesiastico commissa, post eius mutationem non à sæculari, sed ecclesiastico magistratu & conueniri, ac puniri debeant, quia tempus delicti inspiciendum est, sic ille. Et ita in Concilio Neapolitano, teste Grammatico *dec. 10. n. 3.* decisum fuit circa delictum cuiusdam clerici, qui statu clericali dimisso uxorem duxerat.

Dicendum est igitur, Nouitium postquam religionem deseruit non posse puniri à iudice laico propter delictum perpetratum tempore nouitiatus; & idem contra Molinam dicendum est de Religiosis emissis ex Societate IESV, si uxorem ducant, vel liberi in sæculo maneat; nam illos non posse iudicari à potestate laica propter delicta in religione perpetrata existimo.

Notandum est etiam hic obiter contra Suarez *de Religione tom. 3. lib. 5. c. 16. n. 8.* non posse Nouitium cogi à Prælato religionis ad luendam pœnam delicto suo condignam, etiamsi re integra, id est, ante ceptum iudicium discedere vellet à Religione, & ita docet Bartholomæus de Vecchis *ubi supra in praxi Nouit. disp. 12. n. 5.* & alij.

An Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudeant immunitate.

R E S O L. XXXV.

Contra aliquos affirmatiuam sententiam docui in *tr. de imm. eccl. part. 1. resol. 24.* cum multis DD. quibus nunc addo Layman. in *Theol. mor. lib. 4. tr. 9. c. 3. nu. 13.* Barbosam in *collecl. tom. 1. lib. 3. tit. 49. c. 6. n. 14.* & Lotterium *de benef. tom. 1. lib. 1. q. 13. n. 13.* & ita determinatum fuisse à sacra Cardinalium Congregatione tam Concilij Tridentini interpretum, quam Episcoporum, & Regularium inuenio; fuit enim Neocaltri quidam Clericus in minoribus constitutus, qui in anno 1618. ob patratum homicidium ad Ecclesiam confugerat, & cum fuerit à Vicario Generali inde extractus, fuit dubitatum, an hoc legitime fecerit? Vicarius assererat quod sic, fultus auctoritate Abbatis, & aliorum, sed Episcopus Petrus Franciscus Montorius de hac re sacra Cardinalium Congregationem consuluit, quæ sic consulta respondit per Illustrissimum Cardinalem Iustinianum.

[Molto Illustrè, è Reuerendissimo Signore come fratello. Hò riceuuto vno lettera di V. S. delli xi. del passato, è per risposta gli dico che nella Congregatione del Cõcilio à stata seguitata l'opiniono contro l'Abbate che l'Ecclesiastico godano l'Immunità delle Chiefe, perche il priuilegio è dato alla Chiesa, è cossi sequita à tenere la Congregatione de Vescoui. Io poi sono al solito suo, è le priego ogni vero cõtento, di Roma li 10. di Agosto 1618. como fratello affettionatissimo il Cardinal Giustiniانو.] Non est igitur ampliùs de hac quæstione dubitandum.

An qui cum ipso satellite per vim intrat in Ecclesiam, gaudeat ipsius immunitate?

R E S O L. XXXVI.

Affirmatiuam sententiam docui in *tr. 1. de imm. resol. 13.* sed aliqui Iurisperiti insurrexerunt aduersum

sùm me dicentes, supradictum reum non gaudere prorsus immunitate, quia Ecclesia non recipit eum liberum, sed captum; ergo. Sed respondeo, quòd Canones loquuntur absolute, nempe confugientes ad Ecclesiam debere immunitate gaudere, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et ita in terminis determinat hunc casum Marius Italia *de immun. eccles. lib. 1. c. 6. §. 2. n. 70.* & ita etiam fuisse determinatum his diebus elapsis in Curia Episcopali Agrigentina stante voto à me subscripto, & à RR. PP. Iosepho de Augustino Francisco del Bene, & Francisco Bardi Societatis I E S V, viris doctissimis, & amicissimis; vnde nou sunt audiendi in hoc Peguera *dec. 2 § 1. Gamma dec. 1 41. Ambrosinus de immun. c. 10. n. 10.* cum aliis Iurisconsultis penes ipsos.

An frangentes carceres, & inde ad Ecclesiam confugientes, gaudeant immunitate?

R E S O L. XXXVII.

Negatiuè respondent Petrus de Gregorio in *synagm. iuris lib. 33. cap. 22. n. 2* & alij. Sed quia hoc delictum non est in Bulla exceptuatum, affirmatiuam sententiam tenendam esse existimo, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Barbosa in *collect. tom. 1. l. 3. tit. 49. cap. 6. n. 11.* & ita dicendum esse puto contra Megalam in *3. p. lib. 4. cap. 2. §. 1. n. 33.* de condemnato ad triremes, & inde ad Ecclesiam confugiente; nam, vt dixi in *tract. 2. de immun. p. 1. resol. 40.* supradictus reus gaudebit immunitate.

Notandum est etiam hinc obiter, carceratum à custode relaxatum sub fide, seu iuramento de redeundo, si non rediens ad Ecclesiam confugerit, gaudere eius immunitate, etiam si carceratio sit iniusta, ita Farinacius *de immun. c. 14. n. 200.* contra aliquos sentientes gaudere, quando carceratio esset iniusta; secus autem si iusta; & non adesset mortis periculum, sed tu absolutè tene affirmatiuam sententiam; quidquid in contrarium asserat Peregrinus *tr. de immun. c. 3. n. 10.* & alij penes ipsum.

An Episcopo debeat certò constare de delicto in Bulla exceptuato, antequam tradat reum Curia seculari?

R E S O L. XXXVIII.

Hic casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent ministri laicalis iurisdictionis, asserunt enim sufficere tantum coniecturas, & præsumptiones in tali casu; quia ad probandum id, quod in iudicio incidenter, & secundariò, & per modum causæ deducitur, quæuis probatio etiam leuis, & præsumptiua dicitur sufficiens. Et ita hanc sententiam in eorum fauorem docet ex nostris Pater Peregrinus *tr. de im. ec. c. 3. n. 3. & seq.*

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Bonacina *tr. de legib. disp. 3. n. 7. §. 7. n. 3. & 4.* Farinac. in *appen. de immun. eccles. cap. 22. n. 373. & 374.* Ambrosino *tract. de immun. eccles. c. 11. n. 4.* & Mario Italia *eodem tract. lib. 1. c. 6. §. 1. n. 80. & seq.* Primò, quia Pontifex in Bulla asserit, vt verè constet de delicto, sed quando delictum cognoscitur per coniecturas, & præsumptiones, non dicitur verè cognosci, ergo. Secundò quando lex requirit probationem, intelligenda est de vera, & non præsumptiua, nam si hoc vltimum requireret, illud exprimeret, vt patet in *cap. pro humani, de homicidio in 6. & in l. non omnes. §. a barbaris. ff. de re militari.* Cæteras rationes vide apud DD. citatos, & ita hanc sententiam ego consului his diebus in facti contingentia; nec aliter sentiendum est.

Notandum est etiam hinc obiter, quòd si sententia Episcopi lata sit in fauorem rei, quòd gaudeat immunitate, non potest iudex sæcularis de tali sententia appellare; & ita sentit Peregrinus *de immun. c. 16. n. 33.* sed Farinacius *etiam de immun. c. 22. n. 372.* cum Gambacurta *de immun. lib. 6. c. 17. n. 3.* contrarium docet.

Qui homicidium commisit in scalis Ecclesie, & postea inuentus in Ecclesia, queritur an gaudeat immunitate?

R E S O L. XXXIX.

Hic casus olim accidit, & de illo interrogatus affirmatiuam sententiam docui, quam tuetur Megala in *3. part. cap. 2. §. 1. n. 17.* Peregrinus *tract. de immun. eccl. c. 6. n. 32.* & vir doctus Aloysius Riccius *part. 3. dec. 250. per totam;* quidquid in contrarium ante Bullam Gregorianam dixerit Angelus de Castro, & decianus, quos citat, & reprobat Peregrinus *ubi supra;* & ratio est manifesta, in illis verbis Bullæ ibi, *Mutilantes, vel occidentes in Ecclesiis, seu Cæmeteriis.* Ergo qui mutilat, vel occidit extra Ecclesiam, vel Cæmeteria, gaudebit immunitate.

Dicendum est igitur, quòd occidentes, vel mutilantes in aliis locis, qui hac immunitate gaudent, ab illa non excipiuntur, sicut excipiuntur occidentes, vel mutilantes in Ecclesiis, vel Cæmeteriis. Ex quibus patet, quòd si quis occideret aliquem in atrio, seu portili, & super tectum, vel ostium Ecclesiæ, gauderet immunitate, si post delictum in aliqua Ecclesia se abscondat, quia sic aliquem occidens, non occidit in Ecclesia, sed in locis extra Ecclesiam, licet, vt obseruat Villalobos in *summa tom. 2. tr. 39. diffic. 3.* Fagundez *præcept. 2. lib. 2. cap. 4.* & alij communiter, eadem immunitate gaudeant.

De quibusdam epistolis Clement. VIII. contra debitores fugitiuos, bannitos, fures, &c. circa immunitatem Ecclesiarum.

R E S O L. XL.

Has epistolas inuenies apud Farinacium, & Peregrinum, *ubi infra,* & circa illatum intelligentiam magna dissensio olim orta fuit inter Regulares cuiusdam Monasterij: dico igitur Marius Italiam *de immun. eccl. lib. 1. c. 5. §. 8. n. 1. & seq.* docere Pontificem per dictas epistolas in casibus *ibidem* numeratis derogare constitutioni Gregorij XIV.

Sed hæc opinio est falsa, & illam refellunt Farinacius *de immun. c. 22. n. 250.* & Peregrinus *etiam de immun. c. 11. n. 14.* nam Summus Pontifex in dictis epistolis prohibuit tantum Prælati, ne illas personas facinorosas dia in eorum Ecclesiis, & Monasteriis detinerent, non autem quòd non gauderent immunitate; & ideo licet supradictis reis receptaculum prohibeatur, non autem priuantur ecclesiastica immunitate, si de facto receptetur; nam, vt dictum est, Clem. VIII. in dictis epistolis non exceptit alios casus, vltra exceptuatos per Gregor. XIV.

Adde; & est valde notandum, quòd dictæ epistolæ missæ fuerunt ad Archiepisc. Bononiensem, & Archiepisc. Neapolitanum; ergo solum ibi obligant; vnde etiam si publicatæ sint in aliis locis, & Prouinciis, minimè obligabunt, quia non obligant, vltra intentionem legislatoris; si enim Summus Pontifex habuisset intentionem per illas, omnes obligare, Romæ publicatæ fecisset. Vnde Prælati Ecclesiarum, qui data opera in suis Monasteriis detinent personas facinorosas, numeratas in dictis epistolis, puniri possunt tantum Bononiæ, & Neapoli, secus autem in Sicilia, vel in aliis locis; & sic olim ego interrogatus respondi cum Peregrino *ubi supra n. 12. & 20.* & aliis.

An Clerici transgressores legum possint puniri à iudice laico pœna pecuniaria à lege constituta?

R E S O L. XLI.

Affirmatiuam sententiam docent aliqui Iurisconsulti, vt Rebuffus *tom. 2. const. Gall. tit. de mercat. min. vend. in rubr. gloss. 13. n. 1.* & alij quos citat, & sequitur Camillus Borrellus in *summ. dec. t. 43. de foro compet. n. 34.*

& 35. quibus ergo addo Villadiegum *in instit. polit. cap. 5. §. 20 n. 66.* ubi sic asserit, agens de iudice seculari [Puede quitar a los Clerigos las armas defensivas, aunque sean las permitidas a los legos, sin que pueda el Iuez ecclesiastico apremiar al seglar que las buelva, y restituya y concurriendo con el traer armas alguna culpa, puede ser preso para remitirle a su Iuez, y a vn condenarle en las penas pecuniarias, que disponen las leys, & *in n. 86.* sic ait, Y lo mismo si le hallare caçando o pescando en lugar, o tiempo vedado, quitandoles lo petros, y armandos, y las armas, y condenarlos en las penas de la ley: y los perdigones que hallare en sus casas quitarlelos, aueriguando primero que los tienen para caçar, porque puede ser que los tengan para recreacion del canto. Et tandem *in n. 90.* ita ait. Y si vísasse de peso, u medidas falsas en el trigo, o mercaderias que vendiesse, puede ser castigado por el Iuez seglar en las penas pecuniarias.]

Sed hæc omnia sunt contra immunitatem ecclesiasticam, vt tenent Doctores, quos citavi *in tract. 2. part. 1. res. sol. 7. 71. & 76.* quibus nunc addo Tannerum *in p. 2. D. Thoma disp. 3. q. 6. dub. 2. nu. 26.* Malderum etiam *in p. 2. D. Thoma qu. 96. art. 5. §. de ecclesiasticis.* Beccanum *in summa Theol. tom. 1. tract. 3. cap. 6. q. 11. n. 2.* & ratio est clara, quia infligere pœnam impositam a lege, etiam si sit pecuniaria, est actus iurisdictionis; sed laicus nullo pacto potest exercere iurisdictionem in clericos. Ergo, &c.

Hinc inferitur contra Naldum *in summa ver. Clericus, n. 23.* Menochium *to 8. conf. 800. n. 56.* Salzedum *in addit. ad pract. crim. Diaz. c. 66. §. quammis ab hac,* & alios, quod si minister laicus auferret annonam, quia Clericus contra legem latam asportaret extra regnum, incurreret in excommunicationem, & frangeret libertatem ecclesiasticam; talis enim actio habet rationem pœnæ, & re vera pœna est, quam laicus in Clericum exemptum exercere minimè potest. Ergo, &c. vide me ipsum *in res. sol. 15. tract. 2. part. 1. de immun. eccles.*

An residentia Episcoporum pertineat ad Principes seculares?

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondent aliqui, & sic asserit. Ortiz *in summa cap. 6. n. 3.* [Pueden los Reyes hazer que los Obispos y curas residan] Sed cõtrariam sententiam omnino tenendam esse puto cum Filliucio *r. 2. nr. 28. p. 2. c. 9. n. 136.* & Azorio *p. 2. l. 11. c. 7.* ubi sic ait, Si quæras an Regum sit prohibere, vel curare, ne Episcopi absint a suis Ecclesiis ultra tempus canonico iure constitutum, ne item Ecclesiarum bona dissipent, nec decimam fructum, præterquam consuetas, exigant, &c. Respondeo hæc, & alia similia Regum non esse, quia laici in Clericos potestatem, & iurisdictionem non habent, & possunt monere Romanum Pontificem, vt curet disciplinam ecclesiasticam ab Episcopis seruari. Sic Azorius, & Filliucius.

An Clerici ex vi statuti laicalis possint conueniri pro iure congrui, vel laicos conuenire.

RESOL. XLIII.

Aliqui vtrumque affirmant, vide Giurbam *decis. 25. n. 10.* aliqui verò vtrumque negant, vide Riccium *part. 1. decis. 180. n. 3.*

Sed mihi placet opinio sapientissimi Surdi *lib. 1. conf. 2. n. 4.* & aliorum asserentium, ius congrui, seu retractus non habere locum in clericis passiuè, sed actiuè tantum, & ideo possunt Clerici agere iure congrui contra laicos, non autem laici contra clericos; & ratio est, quia statuta laicorum profunt clericis, licet eis non aequè noceant, vnde clerici possunt vti statutis, & consuetudinibus laicorum, quatenus concernunt eorum fauorem, non autem contra, vt optime notat Baldus *lib. 1. conf. 3.* Craueira

lib. 3. conf. 441. n. 6. & Molfesius *in consuet. Neapol. tom. 1. part. 2. q. 7. n. 41* & *tom. 2. conf. 23. n. 7.* Franchus *decis. 285. n. 5.* Abbas *in c. consuetus n. 4. de in integr. restit.* Glossa *in cap. noui, ver. quicumque, de iudiciis.* Hondedeus *lib. 2. conf. 20. n. 2.* Flaminius de Rubeis *l. 1. conf. 2. n. 16. & 27. & alij.*

Scio circa præsentem quæstionem Carolum de Grassis *de effect. cler. eff. 2. n. 388.* multos casus distinguere, sed tu absolute nostram sententiam tene. Sicut etiam tenendam esse puto in alia simili quæstione, v. g. an Clerici ligentur statuto laicorum de causis compromittendis inter affines, ita vt ipsi possint alios compellere, & compelli ad compromittendum; nam respondeo clericos nequaquam ligari prædicto statuto passiuè, sed tantum actiuè, & sic non posse cogi ad compromittendum; quamuis possint alios cogere, & ratio est, vt diximus, quia clerici gaudent priuilegiis laicorum statutariis pro se, non autem contra se; & ita hanc sententiam docent plures Doctores, quos citat, & sequitur doctus de Grassis *loco citato. n. 414.* quidquid in contrarium asserat Riccius *in coll. dec. part. 1. coll. 171.* Capycius *decis. 66. n. 1. & 5.* Borrellius *de compromi §. 1. gloss. 3. num. 224.* Thorus *in compen. decis. Neap. ver. clericus,* & alij.

An Clericus negotiator sine trina monitione teneatur soluere gabellam, & an dicta, vel alia gabella clerico debita possit peti coram iudice laico?

RESOL. XLIV.

Ad vtramque quæstionem negatiuè respondi *in part. 1. tract. 2. res. sol. 46. & 41.* & nunc iterum respondeo; & ita præter DD *ibi citatos* Iulius Ferretus *de gabellis n. 572.* Bertachinus *de gabellis part. 1. n. 2.* Conuolus *lib. 5. q. 53. nu. 3.* Io. Franciscus Suarez *in eheuio iuso casum conscientia lib. 4. ver. tributum, §. clericus non tenetur.* Parladorus *lib. 1. rerum quotidian. cap. 3.* & Ignatius de Salzedo *in pr. crim. c. 55.* aperte docent clericum non teneri gabellam ex commerciis, & rebus, de quibus negotiantur, soluere, nisi ter monitus non desistat a negotiatione.

Quòd autem dicta gabella, quando illam, vel aliam clericus tenetur soluere, non sit petenda coram iudice laico, sed ecclesiastico, docent Baldus *in l. de his, C. de episc. & Cler.* Abbas *in c. qualiter, de iudiciis in fine.* Rolandus à Valle *vel. 4. conf. 71. n. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Salzedus *ubi sup.* quibus ego addo nouissimè Paulum Squillante *de priuilegiis cler. c. 8. dub. 1. n. 3.* qui citat Bertachinum, Nattam, Carolum de Grassis, Suidum, Molfesium, & me ipsum; quidquid in contrarium asserant Salgado, Mexia, & Lassarte, quos adduxi *in directa res. 41.* quibus nunc addo Tnaquel *lib. 1. de retract. c. 32. glossa 1. n. 81.* Aufreirium *in Clem. 1. de ffic. ordin. fallen. 4. reg. 2.* & Guliel. de Benedictis *in cap. Raynuius, ver. & uxorem nomine Adelaßiam n. 22 de test.* Sed tu absolute tene, quòd gabella à Clerico debita, petenda sit coram iudice ecclesiastico.

Post hæc scripta inueni Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentia p. 2. q. 64. n. 7.* & Guttierrez *de gabellis lib. 7. q. 94.* docere etiam gabellam per negotiationem debitam à Clerico, peti posse coram iudice seculari, & in tali casu iudicem secularem posse procedere contra bona clericis; sed his non obstantibus, ne discedas ab opinione negatiua, & vide omnino dictam meam *res. sol. 41.*

Notandum est tamen hic obiter contra Rosellam *ver. excommunicatio. 2. n. 3.* & Angelum *ver. clericus numer. 1.* & alios, vt perdat clericus negotiator immunitatem gabellarum requiri tres monitiones, & non sufficere vnã, quæ instar trium sit, & ita docent Doctores, quos citat, & sequitur doctus Acugna Archiepiscopus Bracharensis *in Decretum Gratiani part. 1. dist. 88. c. 2. n. 6.*

Nota etiam contra Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. cap. 6. n. 9.* quod etiam post trinam monitionem clericus negotiator non perdit exemptionis immunitatem, quoad bona ecclesiastica, & ita docet Comitulus *lib. 1. qu. 53.*

q. 53. num. 4. Acugna *ubi supra* n. 7. & doctus Barbosa in *collecl. tom. 1. lib. 3. tit. 1. cap. 16. num. 4.*

An vxor Clerici Graeci, vel Latini in minoribus constituti, gaudeat pr. uilegio fori in casu, quo eius vir eo gaudet?

RESOL. XLV.

Negatiuè respondet Bonacina *de leg. disp. 1. quest. 3. punct. 8. §. 2. n. 9.* & ante illum Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 47. num. 3.* cum aliis penes ipsum; putant enim hoc priuilegium esse personale ratione ordinum, sicut, & Religiosis ratione religionis.

Sed mihi contraria sententia placet, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequuntur Paulus Squillante *tract. de priuileg. cler. c. 7. dub. 2. n. 34.* Belletus *in disquis. cler. part. 1. tit. de fauore clericorum reali, §. 1. n. 24.* Carolus de Grassis *de effect. cler. effect. 1. n. 155.* & ratio est; quia vxor ratione matrimonij sortitur forum viri, ex *l. cum quadam. ff. de iurisd. omnium iudic.* vnde in dispositione quauis stricta, & concessa viro, censetur quoque vxori concedi, ex glossa in *cap. admonere, ver. part. 33. quest. 2.* & hanc sententiam probabilem esse concedit ipsemet Sanchez *ubi supra*; & illam absolutè tenent, præter Doctores citatos, ex Iurisconsultis Hispanis Auiles in *cap. prætorum. præmio gloss. 1. n. 28.* & Perez *lib. 1. tit. 3. l. 1. fol. 57. §. vxor etiam Clerici.* vbi plus addit, nempe hoc priuilegio gaudere talem vxorem etiam mortuo viro, donec alteri nubat; quod etiam placuit Belletto *loco cit. n. 25.* quia dum vidualis vita durat, censetur in priori matrimonio esse videl. filij, §. 1. *ff. ad municip.* & Socinum seniore *conf. 1. 2. n. 28. vol. 1.* & omnia supradicta videtur confirmare Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 13. num. 15.* vbi ex multis probat, vxores viduas Equitum D. Iacobi Alcantaræ etiam gaudere exemptione gabellarum, quod est valde notandum.

An familia Vicarij Episcopi gaudeat priuilegio fori?

RESOL. XLVI.

Satis alibi firmatum est familiam Episcopi gaudere priuilegio fori; nunc videndum est, an hoc priuilegiū extēdatur ad familiam eius Vicarij; & affirmatiuè respondeo cum Ioan. Antonio de Nigris in *Clem. vnicade vit. & honest. cler.* Squillante *de priuileg. cler. cap. 7. dub. 2. n. 45.* Nouario *de elect. fori q. 3. 6. sect. 2.* & Aloysio Riccio Episcopo Vici Equensis in *praxi tom. 1. resol. 471. n. 6.*

An familia Clerici gaudeat priuilegio fori?

RESOL. XLVII.

SI loquimur de seruis perpetuis, vt mancipiis, non dubito, quin gaudeant priuilegio fori, & ita docent Doctores, quos ad satietatem citant, & sequuntur Belletus *in disquis. cler. part. 1. tit. de fauore clericorum reali, §. 1. n. 12.* Carolus de Grassis *de effect. clericatus, effect. 1. n. 149.* & Menochius *de arbitr. cent. vlt. casu 562. n. 3.* & ratio est, quia tales serui habentur tanquam pars patrimonij, & substantiæ dominorum.

Difficultas est de seruis clericorum temporalibus, & conductorijs; negant DD. citati, quibus adde Cenedum in *qq. can. q. 4. n. 26.* Iulium Clarum in *pract. crim. lib. 5. §. fin. cap. 35. n. 17.* Octau. Vulp. *tract. de liber. Eccles. part. 3. n. 24.* Capycium *decis. 1. 2. n. 2. in fine* Guttierrez *pract. qq. lib. 1. q. 4. n. 2.* Gratianum *decis. 233. num. 3.* Couarruiam *pract. q. cap. 35. n. 2.* Borellum in *summa decis. tit. 43. de foro compet. n. 143.* & alios penes ipsos.

Non desunt tamen contrarium sentientes, & præter 12 Doctores, quos citat Menochius *ubi supra de arbitr. cas. 562. num. 7.* nouissimè ex Iurisconsultis Hispanis docet hanc sententiam doctus Narbona in *3. part. recopil. Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.*

lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 1. n. 27. vbi sic ait, Licet nonnulli affirmant, id solum intelligendum esse in mancipiis, & famulis perpetuis Clericorum, & Ecclesiarum, secus tamen in famulis non perpetuis, sed temporalibus, conductiis, vel mercenariis, annua, menstrua, vel diurna mercede seruientibus, ad quos non extendi priuilegium dominorum existimant. Id tamen non omnino tutum crederem, imò in puncto iuris verius existimare, hos quamuis serui perpetui non sint, sed ad tempus pretio, aut mercede conducti, dominorum priuilegijs participes futuros; cum famulis non propter ipsos, sed propter dominorum personas priuilegia concessa reperiantur. Quo fit, vt nulla discriminis ratio habeatur inter seruum perpetuum, vel temporalem, cum negari non possit, quia respectu illius temporis, serui, aut famuli, vt quid accessorium ad dominos ipsorum habeantur; ita vt sine eis stare nequeant, qua ratione meritò ad eos priuilegia protrahi debent, ex *cap. quanto, de priuilegijs, & cap. licet, eodem tit. in 6.* Ita Narbona, cuius sententia multo fortius erit vera, si clerici graui aliquo incommode arbitrio iudicis mensurando afficiantur, eò quòd serui, aut famuli ipsorum, vel cateri de familia, foro, vel alio priuilegio non fruuntur, vt si seruitium, vel obsequium ab ipsis, qui domesticam curam, vel bonorum administrationem gerunt, præstandum impeditur, cum dominorum damno, & detrimento contingat; & in hoc casu Narbonæ, & aliorum DD. affirmatiuam sententiam, tenet etiam Gratianus *discept. forens. tom. 2. cap. 340. n. 4. & 5.* Paulus Squillante *de priuileg. cler. c. 7. dub. 2. n. 57.* Menochius *ubi supra num. 12.* & Carolus Grassis *num. 150.*

Notandum est etiam hîc, quòd serui clericorum perpetui, etiam si sint Mauri, Turcæ, & à Catholica Ecclesia alieni, gaudent tamen hoc priuilegio fori. Et ita docet Paramus in *defens. iurisd. Sancti Officij. c. 14. num. 47.* & Narbona *ubi supra in 3. par. recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloss. 1. n. 34* vide etiam Crotum *lib. 3. conf. 363. n. 19.* & Angelum in *l. vltimur. ff. de sepulchro violato, & in l. 1. ff. ad leg. Iuliam Maiestatis.*

An ad declinandum forum iudicis secularis sufficiat possessio clericatus?

RESOL. XLVIII.

Negatiuam sententiam mordicè tenet Ignatius de Salzedo in *pract. Bernardi Diaz. c. 62. n. 18.* & Carolus de Grassis *de effectibus cler. in præludij num. 226.* cum aliis penes ipsum.

Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto cum Belletto *in disquis. cler. part. 1. tit. de fauore clericorum person. §. 14. n. 13.* & Mascardo *de probat. vol. 1. concl. 302. n. 14.* Boerio *decis. 171. n. 13.* Masullo in *addit. ad Capycium decis. 171. n. 6.* Auferio in *addit. ad Capellam Tolosanam decis. 117.* & aliis; vnde miror, falsam hanc sententiam vocari à Salzedo, est enim probabilissima, & in praxi, vt ait Mascardus, obseruatur. Sed licet stando in prima opinione possessio clericatus non probet clericatum, attamen operatur, vt transferat onus probandi contrarium in iudicem laicum, vt ipsemet Carol. de Grassis *ubi supra.* ex multis adnotauit, quos est valde mente tenendū pro casibus occurrentibus.

Notandum est tamen hîc obiter vnum, de quo olim quidam Iurisconsultus non prudenter dubitabat, nempe quòd Clericus, qui in re aliqua in Tridentino *sess. 23. c. 6.* præscripta deficit, ob idque foro laicali subiicitur, non solum à iudice laico, sed à iudice Ecclesiastico potest puniri atque iudicari. Et ita ex sacra Cardinalium Congregatione determinat Bonacina *de legibus disp. 10. quest. 1. punct. 1. §. 4. num. 19.*

Nota etiam hîc, quòd prima tonsura vnius testimonio probatur, secundum Petrum Rebuffum *tit. de forma literarum tonsuræ num. 24.* & Matthæum de afflictis in *constit. Neapolit. tit. 3. n. 12.* licet Couarruu. *pract. qq. cap. 33. num. 3.* cum aliis dissentiat.

An si adsit clausula de non alienando, possit fieri executio per secularem iudicem in pradio specialiter obligato à laico, et si clericus illud possideat?

RESOL. LXIX.

Affirmatiuè respondent docti Iuriconsulti Parladorus, & Auendagnus, hic de executendis mendicis par. 1. cap. 1. n. 33. ille rer. quot. lib. 2. cap. fin. 1. part. §. 1. num. 11. in fine.

Sed aduersus Iuriconsultos Hispanos, aliū Hispanum Iuriconsultum opponamus, is est Alfonso de Villadiego in politica [en los lobebos en lo executiuo num. 24. vbi sic ait. El censo que tuuiere esta clausula, tiene aparejada execucion derechamente contra el tercero poseyedor de la cosa hypothecada, y assi se ha determinado muchas vezes en los tribunales Superiores; en tanto que aunque la cosa assi hypothecada passe à poder de algun clerigo, ò otra persona ecclesiastica puede ser executada la cosa hypothecada; lo qual se entiende, y ha lugar pipiendose la tal execucion ante el Iuez Ecclesiastico, y no ante el seglar, el qual no podrá execntae el tal contrato contra el clerigo; porque aunque la venta, y enagenacion en este calo contra el pacto fue nulla, però en effcto y a passò en el clerigo la possession de la cosa hypothecada, de laqual no puede el clerigo ser despojado por el Iuez seglar, ni citarle como es necessario para la venta, y remate de los tales bienes, y assi se deue hazer, ò citar, y hazer las cosas con el deudor principal, y lo que a qui refueluo en esto, es mal seguro, y lo que se practica y deue guardar] in iudicando, & consulendo, & contrarij opinio falsa est, & eam Romanæ Curie concessum numquam admisisse audio. Ita Villadiego, vnde pessimè olim quidam Iuriconsultus affirmatiuam sententiam sustinere volebat.

An quando decima nomine feudi fuerunt Principibus, vel aliis secularibus collata, earum exactio, & lites pertineant ad iudicem Ecclesiasticum?

RESOL. L.

Ad iudicem laicum spectare tenuerunt Ioannes Rupe. lib. 1. forens. instit. cap. 25. Guliel. de Benedictis ad cap. Raynuius, de testam. ver. si absque Cassaneus in conf. Burgun. §. 6. num. 350. & Couarru. pract. 99. cap. 35. num. 2.

Sed hanc sententiam ego impugnaui in alio tract. de imm. Eccl. resol. & nunc iterum impugno; quia licet decimæ sint in feudum data, nihilominus ipsum feudum ex iure decimarum oritur, sed ius decimarum ecclesiasticum est. Ergo, &c. Concedo tamen prædictis Doctoribus, quòd si decimæ autoritate Romani Pontificis in Principes translatae sunt contractu permutationis; videlicet quia ipsi Principes eas re alia, vel maioris æstimationis, vel pretij, & vtilitatis, vel æqualis compensant, in hoc, inquam, casu, causa decimarum spectat ad iudicem laicum; qua ratione permutationis legitimæ factæ Principi debentur decimæ, Ecclesia suum ius integrum retinet in re, cum qua decimam permutauit, & separat, in quam fuit decima subrogata. Et hæc omnia docet Raphaël de la Torre in 2, 2. D. Thoma tom. 2. quest. 87. disput. 8. num. 4. vbi etiam num. 5. negat causam decimarum spectare ad iudicem laicum in his casibus. Primò, quando laici coguntur à clericis soluere decimam contra præscriptionem, vel consuetudinem, cuius initium non extat. Secundò, quando quæstio est facti, non iuris, puta an Petrus soluerit decimas debitas, vel non; sitne soluenda potius à Petro, quàm à Paulo, etiam quando agitur contra quempiam propter decimas furto sublatas, vel retentas. Tertio, quando laicus conductor decimæ inquit cum clerico pactum, vt coram ciuili iudice conueniri possit. Quarto, quando causa agitur contra laicos

fures de fructibus decimæ soluendis, reddendisve, non de ipso decimarum iure seruando, & tuendo. Et in his etiam casibus causam decimarum contra Couarruu. spectare ad iudicem ecclesiasticum tenet etiam nouissime Adamus Tannerus in 2. 2. D. Thom. disp. 9. q. 3. dub. 2. n. 40.

An Fratres D. Ioannis, qui portant mediam Crucem albam, gaudeant privilegio fori, & gabellarum?

RESOL. LI.

Negatiuè respondet Bobadilla in politica tom. 1. lib. 2. can. 18. num. 233. vbi sic ait. [Los Confrayles de la orden de san Iuan de Rodas que traen media Cruz blanca, ò vn Tao blanco, que son seglares, y viuen sin regla y con sus bienes y habito, y se casan, no gozan del priuilegio del fuero, y essencion de tributos.

Non desinam tamen hic adnotare nouissime Episcopum Vieicensensem Aloysium Riccium in praxi tom. 4. resol. 177. num. 3. affirmatiuam sententiam docere, putat enim dictos Fratres remitti debere ad magnum Magistrum eorum ordinarium superiorem, cum sufficiat, quòd militent sub dicta Religione, & ideò tanquam alij debent quoque fori priuilegio gaudere.

An iudex laicus incidat in censuram Bullæ Curie, si occultè processat clericum animo presentandi processum Summo Pontifici, vel iudici Ecclesiastico?

RESOL. LII.

In tract. 1. de immun. Eccl. resol. 52. pro negatiua sententia adduxi Grassium, cui nunc addo & Duadum in Bull. Cæn. can. 15. q. 5. n. 2. quia absque citatione non dicitur quis processare, sed iudex laicus qui occultè processat clericum, illum non citat. Ergo, &c.

At his non obstantibus ego puto in dictam excommunicationem incidere iudicem secularem, qui secretò ecclesiasticos processaret, etiam si animum haberet talem processum Summo Pontifici, vel alij Prælato presentandi. Et ita hanc sententiam docet nouissime Bonacina in Bull. Cæn. tom. 3. disp. 1. q. 20. punct. 1. num. 7. quia intentio presentandi processum iudici ecclesiastico non confert iurisdictionem ad informationem contra ecclesiasticos accipiendam. Nota tamen quòd Riccius in praxi tom. 4. resol. 460. n. 5. tenet primam opinionem, quando non esset aditus ad Prælatum qui iuridicè se informare posset de facto criminali alicuius ecclesiastici, & in eo continueret, & esset periculum in mora. Sed ego non puto recedendum esse à nostra sententia, quia tales casus sunt metaphysici, & moraliter vix possunt accidere.

An sit licitum pro vi tollenda recurrere ad Regia Tribunalia?

RESOL. LIII.

De hac quæstione egi in alio tract. de immun. Eccl. resol. 3. & pro parte affirmatiua adduxi plures Doctores, quibus nunc addo Auilam de censuris part. 2. c. 7. disp. 2. dub. 5. Morlam in emporio iuris tit. 2. quest. 14. n. 4. Quintanam Dueñam Ecclesiast. lib. 1. cap. 9. n. 14. Rodriguez de annuis reddit. lib. 1. c. 17. num. 6. Parladorum rer. quotidian. lib. 3. differ. 9. §. 4. n. 24. Suarez de Paz. in praxi tom. 2. part. 1. c. 6. q. 1. n. 34. Simancham inst. Cathol. tit. 45. n. 35. Guttierrez tract. 99. lib. 1. quest. 20. num. 1. & de iur. confir. part. 1. cap. 2. num. 26. Garfiam de nobil. glossa 2. num. 25. Couarruiam pract. 99. cap. 35. num. 3. Mexiam in leg. Regia Toleti de los terminos in 2. fiendam. part. 2. num. 47. Valascum conf. 100. & hanc sententiam tenent etiam Doctores Itali, vt Fulcus de visit. lib. .cap. 23. n. 5. & ex Dominicanorum familia Michael Zenardus in directorio Theol. par. 3. c. 31. fol. mihi 197. vbi ait, iudex ecclesiasticus potest apud Principem laicum denunciari, si alicui etiam subdito

subdito violentiam inferat, in quo casu potest Princeps laicus reprimere vim cuiusque factam.

Sed his non obstantibus non est recedendum à negatiua sententia Theologorum, quos in dicta resol. adduxi, nec valet dicere, quòd licet vim vi repellere, & competit Regibus liberare vi oppressos de manu calumniatoris. Ergo, &c. nam respondeo licitum esse vim vi repellere, quando vis est clara, & manifesta, nam si est dubia, semper pro Superiore præsumendum est. Ergo in casu nostro iniustam vim infert Prælato Ecclesiastico iudex laicus, priuando illum iure suo, quòd habet in casu dubio. Quòd autem vis in nostro casu sit dubia, patet ex ipso facto, nam iudex sæcularis examinat an facta sit vis, necne. Ergo non supponit certam, & euentem violentiam, cæteras rationes videbis nouissimè apud Bonacinam in expositione Bullæ Cœnæ tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 4. qui respondet omnia argumenta, quæ adducit Ceuallos in tract. de cognit. per viam violentiæ, & Salgado de protectione Regia. Ex his infertur contra Portel, & Hieronymum Rodriguez in compendio questionum regularium resol. 10. num. 14. incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ Religiosum recurrentem ad Regem, Proregem, vel Gubernatorem, vt vim sibi illatam à suo superiore tantum tollat, vt faciat iudex alios Superiores assignare pro sola vi tollenda.

An iudex laicus excusetur ab excommunicatione Bullæ Cœnæ contra ipsius transgressores lata, prætextu quòd non sit in sua Prouincia acceptata?

RESOL. LIV.

AD hoc dubium negatiuè respondet Martinus Bonacina in Bull. Cœnæ tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 5. n. 2. qui ait, etiam si ab aliquibus Doctoribus concedatur legem non solum sæcularem, verum etiam ecclesiasticam non obligare, vbi acceptata non est; id tamen fallit vbi constat superiorem velle independentem ab acceptatione obligare. Sed Summus Pontifex vult independentem ab acceptatione Bullæ obligare. Ergo, &c. Minor probatur, quia Summus Pontifex in Bulla excludit omnem prætextum, & prætensionem; tum quia à viris fide dignis accepti, nonnullos Pontifices de hac re interrogatos respondisse, contrariam sententiam, quæ in legibus Pontificiis acceptationem requirit, explodendam, & reiiciendam esse. Ergo Bulla Cœnæ independentem ab acceptatione obligat. Ita Bonacina, quidquid asserant DD. quos ego citavi, & reprobaui in tr. de legib. resol. 1. in secunda editione.

Nota tamen hic obiter, quòd licet Alterius asserat Episcopos satisfacere publicando Bullam Cœnæ in ciuitate in qua degunt, attamen Bonac. vbi supra q. 2. 2. punct. 6. n. 8. probabilius censet teneri etiam extra urbem in Ecclesiis suæ iurisdictioni subditis, publicare saltem per alios, si ita expedire iudicauerint. Excusantur tamen absolute à dicta publicatione, vt notat Sayrus de cens. lib. 3. cap. 25. n. 12. ob minas, seu metum Principum, quòd tamen intellige si metus grauis sit, & non in odium fidei, seu Religionis incussum.

An auocatio causarum spiritualium ad laica Tribunalia vetita sit sub censura Bullæ Cœnæ, si cause auocentur tantum à iudicibus Sedis Apostolicæ?

RESOL. LV.

Affirmatiuè respondet Alterius, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Bonacina in Bull. Cœnæ tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 1. n. 7. qui Bullam vtitur his verbis, ab auditoribus commissariis nostris, aliisque iudicibus ecclesiasticis, vbi notanda est illa particula, aliis, quæ est repetitiua, & relatiua similibus, ex cap. sedes, de rescript. & ex l. quidam relegatus. ff. de rebus dubiis.

Sed ego contrariam sententiam teneo, & puto dictam auocationem vetitam esse, etiam si causæ spirituales auocentur. Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

centur ab aliis iudicibus ecclesiasticis, & hanc sententiam tenent Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 10. n. 250. Soufa in Bull. Cœn. cap. 15. num. 1. Durandus can. 14. q. 7. num. 1. & alij, & ad argumentum contrarium respondet illam particulam non semper esse repetitiuam similibus, vt patet in l. si fundum sub conditione. §. si libertus. ff. de legatis 1.

Notandum est etiam hic obiter contra Couarruiam pract. 99. c. 35. Menochium de recuper. possess. rem. aio 3. nu. 356. Diaz in pract. crim. cap. 107. Ceuallos, & alios auocationem causarum spiritualium ad laica tribunalia vetitam esse, etiam si iudices ecclesiastici negligentes sint in huiusmodi causis cognoscendis. vide Reginald. tom. 1. lib. 9. cap. 22. n. 338. Martam de iuris. part. 4. cap. 146. Duarennum vbi sup. q. 8. n. 1. & alios communiter, nec valet dicere quòd in cap. filii 16. q. 7. cap. si quis cum de ico 11. q. 1. cap. administratores, cap. Principes 23. quo conceditur reclamatio ad Principem in causa ecclesiastica; nam respondeo per illos textus posse Principem laicum admonere Ecclesiasticum de iniquè administrata iustitia, non autem posse auocare ad se causam ecclesiasticam, vel dicere, vt ego alibi adnotauim, illos canones abrogatos esse in Bulla Cœnæ, & in cap. qualiter, de iudiciis.

Vtrum iudices laici auocantes ad se causas ecclesiasticas excusentur ex tolerantia Summi Pontificis?

RESOL. LVI.

Affirmatiuè respondet Coriolanus in Bull. Cœnæ ad finem, & alij quos citat Ceuallos in tract. de cognit. per viam violentiæ, glossa B. num. 42.

Sed nouissimè contrariam sententiam docet Bonac. in Bull. Cœnæ tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 1. n. 5. quia simplex tolerantia, saltem dum superior commodè obistere non potest, priuilegium non inducit, ex cap. cum iam dudum, de preben. tum quia nulla adest tolerantia, cum Summi Pontifices in Bullis Cœnæ Domini excludant omnes prætextus. Vide Alterium de cens. lib. 5. disp. 15. c. 2. col. 5. ver. animaduertit. Duardum in Bull. Cœn. can. 15. q. 13. n. 11. Filliucium tom. 3. tract. 16. cap. 10. n. 256. & alios, quos ego alibi citavi in tract. 1. de immun. eccles.

An priuilegium cognoscendi causas ecclesiasticas concessum Principi laico reuocari possit?

RESOL. LVII.

Videtur prima facie respondendum, quòd non: nam Imperatores, alijque Principes laici non possunt priuilegia Ecclesiæ concessa reuocare, vt probat Panormitanus in cap. super. el. 2. de appellat. n. 4. Suarez de imm. lib. 4. c. 30 & alij. Ergo neque Papa reuocare potest priuilegia Principibus concessa; par enim videtur ratio, vt æqualitas seruetur.

His tamen non obstantibus contrarium omnino asserendum est: dico igitur cum Bonacina in Bull. Cœnæ tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 1. n. 6. priuilegium Principibus concessum à Papa reuocari posse, etiam si per consuetudinem immemorabilem tali priuilegio innixam, obseruatum fuerit. Probatur primò, quia priuilegium subdito concessum, vt communis Doctorum fert opinio, reuocari potest. Sed priuilegium concessum Imperatori, vel Regi est priuilegium subdito concessum, cum Christus generaliter dixerit Petro, & consequenter eius successoribus, Pasce oues meas. Ergo, &c. Probatur secundò, quia huiusmodi priuilegia sunt odiosa, vtpote libertati Ecclesiasticæ contraria. Ergo strictè explicanda sunt, ita vt concessa censeantur illo modo, quo libertati minus præiudicent, & consequenter reuocari possunt. Adde quòd hæc censenda est iurisdictione delegata, quæ reuocari potest. Vide Suarez de imm. lib. 4. cap. 34. num. 27. Tuscum tom. 5. ver. libertas ecclesiastica. concl. 342. & alios.

Nota tamen supradicta priuilegia si fuerint concessa

in remunerationem, & in vim contractus non esse reuocanda sine iusta causa; verum iusta causa concurrente non solum potest, sed etiam tenetur aliquando reuocare, & à fortiori hoc verum erit, si Pontifex aliquid aliud in compensationem concedat. Ad argumentum verò iuperius adductum patet responsio ex dictis, vel neganda est consequentia, & suppono omnia bona Ecclesiastica iure diuino libera, & immunita esse à potestate laica; cum autem priuilegium Ecclesiæ concessum, ab eaque acceptatum inter bona Ecclesiæ connumeretur, sequitur principem laicum non posse priuilegium Ecclesiæ concessum reuocare; alioquin potestatem haberet super bona ecclesiastica. Priuilegium verò laicis concessum ab Ecclesia non fit liberum, & immune à potestate ecclesiastica, & consequenter ab Ecclesia reuocari potest, vide etiam DD quos citavi alibi in tract. de immunit. eccles.

An iudex laicus consuetudinem inducens, vel ea introducta utens, contra libertatem ecclesiasticam incidat in excommunicationem Bullæ Cæne?

RESOL. LVIII.

Non incurrere in censuram Bullæ, sed in censuram atam in cap. nouerit. de sent. excomm. putat Suarez de cens. disp. 21 sect. 2. n. 86. Duardus in Bull. Cæn. can. 15. q. 13. n. 4. Reginald. tom. 1. lib. 9. c. 23. n. 361. Filliuc. tom. 1. tract. 16. c. 10. n. 268. & alij, quia Bulla loquitur de statutis, & decretis, non autem de consuetudinibus. Ergo, &c.

Verum non desunt Doctores asserentes iudices laicos in tali casu incidere in censuram Bullæ Cæne, & ita docet Sayrus de cens. lib. 3. cap. 19. n. 10. Soula cap. 16. disp. 80. n. 6. Cariolanus, & alij, vnde videant ministri laicali iurisdictionis, quid faciant.

Nota etiam hinc obiter quòd Nauarr. cap. 27. n. 119. & Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 23. n. 364. sub finem, & n. 359. sub finem, tenent quòd iudices laici incurrunt in excommunicationem Bullæ, si sciunt seruari statutum contra libertatem ecclesiasticam, & non impediunt, licet aliqui Doctores contrarium sentiant; quia censura lata ob positam actionem, non incurritur ob omissionem.

An Clericus in feudalibus possit conueniri coram iudice laico?

RESOL. LIX.

Affirmatiuè respondet Suarez de immunit. lib. 4. c. 14. n. 12. Duardus in Bull. Cæn. can. 15. q. 11. n. 68. D. Antonius par. 3. tit. 9. c. 2. §. 3. Surdus lib. 3. conf. 396. Marta de iurisd. p. 4. cap. 89. num. 5. Ambrosinus de immunit. c. 20. num. 56. Baiardus in Clarum lib. 4. §. feudum. q. 90. num. 8. & alij, quia in tali casu non subiicitur iudicio domini feudi tanquam persona ecclesiastica, sed tanquam Dux Marchio, &c.

Sed hoc verum esse existimat Paulus Squillante de priuileg. cler. cap. 7. dub. 14. num. 105. & alij penes ipsum, quando clericus pro feudo coram seculari conuenitur intendendo petitionem, & sic quando de proprietate sola agitur; secus autem si iudicio possessorio impetitur, nam tunc causa possessoris est agitata coram ecclesiastico iudice, licet contrarium asserat Bonacina in Bull. Cæn. t. 3. disp. 1. q. 16. sect. 1. q. 16. sect. 1. punct. 6. n. 6. & aliter iudicatum fuisse referat Ioannes Baptista del Thoro in compen. decis. Neapol. ver. cler. fol. 93.

An laicus deponens falsum coram iudice ecclesiastico possit ab eo puniri, & quid è contra si Clericus deponat falsum apud iudicem secularem?

RESOL. LX.

Videtur prima facie quoad primum negatiuè respondendum; quia si clericus deponat falsum coram iudice ecclesiastico, non potest ab eo puniri, neque etiam

in bonis, vt de communi testantur, Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ part. 2. q. 74. num. 7. Gutierrez pract. qq. lib. 1. q. 24. Cabedo decis. 87. Fachineus lib. 9. contr. c. 27. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 9. & alij. Si igitur iudex secularis non potest procedere contra clericum periuurum, qui coram eo deposuit falsum, neque poterit Ecclesiasticus contra laicum; adde quòd testis falsus efficitur de iurisdictione illius iudicis, coram quo deposuit.

His tamen non obstantibus affirmatiua sententia vera est, quam tuetur Couar. pract. qq. c. 12. n. 8. Afflictus decis. 219. Capella Thololana decis. 379. Franchus decis. 149. & alij; ratio discriminis est, quia iudex ecclesiasticus habet iurisdictionem in laicum ratione periurij, & sic potest contra eum procedere; at verò iudex secularis non habet iurisdictionem contra clericum, qui coram eo testimonium falsum dixit, & per consequens non poterit eum punire, neque etiam in bonis, vt alibi contra aliquos Doctores Gallos diximus.

Sed vt clericus de falsa depositione facta coram laico possit puniri per suum iudicem competentem, extat pulchra questio apud Aloyium Riccium part. 4. decis. 81. per totam, lege illum, & non pigebit.

An milites sancti Stephani, & sancti Lazari gaudeant priuilegio fori?

RESOL. LXI.

Carolus de Grassis de esse clerici, effect. 1. n. 115. citatur quòd in hoc Regno Siciliae dicti milites non gaudent priuilegio fori, & idem procedere in Regno Neapolitano testatur Imbrianus in tract. de Iudice, &c. part. 2. n. 25. quia non habent Regium exequatur in suis priuilegiis.

Sed quid quid sit de hac praxi, ego puto dictos milites gaudere priuilegio fori, quia connumerantur inter personas ecclesiasticas, & profitentur religionem approbatam à Summo Pontifice, & ita docet Bonacina in Bull. Cæn. tom. 3. disp. 1. q. 16. punct. 3. num. 16. Nauarrus conf. 12. de regula. Barbosa de potest. episc. part. 2. allegat. 12. n. 45. & nouissimè Aloyius Riccius in praxi tom. 4. ref. 76. n. 3. loquens de Religione sancti Lazari, asseruit esse veram religionem, & gaudere priuilegio canonis, & quòd Pius IV. confirmando anno 1565 priuilegia dictæ religionis, exempti ipsam in omnibus casibus, in quibus est exempta religio sancti Ioannis Hierosolymitani, & etiam Marius Antonius lib. 2. de resolut. 112. cas. 63. docet dictam religionem sancti Lazari esse veram religionem.

Notandum est tamen hinc obiter dictos Equites etiam nouissimos gaudere exemptione gabellarum, sicut alibi diximus de nouitiis D. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ; quidquid in contrarium asserant nostri Regnicolæ, Mastrillus part. 3. decis. 190. n. 166. & Giurba in consiliis crim. conf. 77. num. 21. sed nostram sententiam nouissimè tenet Riccius ubi supra in praxi tom. 4. resol. 249. n. 3. vbi citat Nouarium tom. 1. qq. cap. 42.

An habens coadiutoriam à Papa concessam gaudeat priuilegio fori, & quid de clerico, qui beneficium obtinere non poterat, vel ordinatus est cum falsis dimissoriis?

RESOL. LXII.

Respondeo affirmatiuè, quia talis dictam coadiutoriam habens beneficiatus appellatur, & ita tenent Doctores quos citat, & sequitur Barbosa de potest. Episc. part. 2. allegat. 12. num. 4.

Notandum est etiam hinc obiter, quòd si clericus obtineat beneficium, quod non poterat obtinere, puta quia illegitimus, vel irregularis, & de facto reperitur in possessione beneficii, gaudet adhuc priuilegio fori, & ita fuisse decisum in M. C. Vicariæ Neapolitanæ testatur Franchus

Francus *dec.* 89. & tenent DD. quos citat Ioan. Baptista de Thoro in *compen. decis. Neapol. ver. clericus fol.* 94.

Nota etiam, quod licet olim clericus in minoribus constitutus à non suo Episcopo sine literis dimissoriis, vel cū falsis, possit gaudere priuilegio fori, vt notant DD. quos citat Squillante de *priuileg. cler. c. 7. dub. 2. n. 29.* Hodie tamen per constitutionem Urbani VIII. datam Romæ 11. Decembris 1624. taliter ordinatus minimè priuilegio fori gaudebit; ordinatum verò ante legitimam aetatem gaudere dicto priuilegio fori tradit Carol. de Grassis de *effect. cler. c. effect. 1. n. 666.* sicut etiam ordinatum per simoniam.

Clericus qualem habitum deferre debet, vt fori priuilegio gaudeat?

RESOL. LXIII.

Respondeo Clericos circa habitum se locorum consuetudini accommodare, vt tradit Ambrosinus de *immunit. cap. 23. n. 15.* ego verò absolute loquendo, illam priuilegio fori gaudere arbitror, qui eo vtitur vestium genere, vt si à populo videatur, clericus iudicetur; si autem controuertatur, an habitus cum quo inuentus est clericus sit clericalis, hanc habitus cognitionem ad ecclesiasticum iudicem pertinere, quidquid aliqui asserant, & pessimè, in praxi aliqui iudices, nixi autoritate Iulij Clari *libr. 5. q. 36. n. 11.* & Mascardi *concl. 961. n. 4.* & aduertat iudex laicus, quod dum hæc coram iudice ecclesiastico pendent, debet superfedere, vt nos alibi etiam docuimus, & aliter faciens immunitatem ecclesiasticam infringit, licet nonnulli apud Carolum de Grassis de *effectibus clericatus effect. 1. n. 1257.* & seq. oppositum sentire videantur, sed malè; quia fieri potest, vt in tali casu iudex laicus exerceat iurisdictionem in personam exemptam, & quia sequeretur elusoriam esse cognitionem iudicis ecclesiastici, & hæc omnia docet, & probat Bonacina in *Bull. Cœn. tom. 3. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 6. n. 30. 31. & 32.* cum aliis communiter.

An aliquis Princeps habeat à Pontifice priuilegium in causis violentiæ arcende?

RESOL. LXIV.

Hoc priuilegium habere Regem nostrum Hispaniarum docet Bannez in *2. 2. q. 67. art. 1.* Iulius Clarus *lib. 5. §. ult. q. 36. n. 16.* Menochius de *retinenda possessione remed. 3. num. 354.* & Cardinalis Bellarminus in *tract. de Summo Pontifice contra Berclium c. 35. col. 7. ver. addebat,* & Suarez de *immun. lib. 4. cap. 34. num. 43.*

Sed nouissimè Ceuallos *tract. de cognitione per viam violentiæ gloss. 6.* asserit Regem Hispaniarum non habere tale priuilegium, sed ex alia ratione hoc efficere, ita pulchrè obseruat Bonacina in *Bull. Cœn. tom. 3. disp. 1. q. 15. punct. 4. §. 1. n. 17.* dum praxim tribunalis [de la fuera] tueri, & à peccato, & censura excusare conatur, excusationis causam aufert, negando Regem Hispaniarum, vel ipsius ministros, ac magistratus hoc facere ex priuilegio, vel ex consuetudine priuilegio innixa. Ita Bonac. *ubi supra n. 3.* asserit Principes priuilegium à Summo Pontifice habentes excusari ab excommunicatione Bullæ Cœnæ auocando causas spirituales ad sua tribunalia, modo priuilegij formam seruent, & modo priuilegium reuocatum non sit, iuxta ea quæ ipse inferius docet.

An collatio Episcopatum, & aliorum beneficiorum possit à Principe laico præscriptione acquiri?

RESOL. LXV.

Negatiuè respondeo cum Cardinali Tuscho *tom. 4. concl. 452. n. 28.* vbi sic ait, licet ex priuilegio possit per Papam concedi collatio beneficiorum laico; non tamen potest consuetudine, neque præscriptione acquiri etiam per tempus immemorabile; quia laici sunt incapaces

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

ces. Ita ille, cuius opinionem Probus in *addit. ad Ioannem Monachum cap. 2. de præbend. num. 7. & 8. in 6.* asserit esse communem, vide etiam Zabarellam *conf. 57. sub num. 2.* & Doctores quos citat, & sequitur Silua de *beneficiis part. 2. q. 23. num. 16.*

Pro cuius sententiæ explanatione notandum est, quod vt consuetudo excuset, & valeat, debet esse legitima, & præscripta; consuetudo autem præscribi non potest, quoties subiectum est incapax illius rei, quæ per consuetudinem induci prætenditur, vt notat Panormitanus, & Felinus in *cap. causam, de præscript. & in cap. 4. de consuetud.* Decianus in *tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 9. n. 14.* & alij communiter; cum ergo laici incapaces sint iurisdictionis spiritualis, & ecclesiasticæ, ex *cap. causam, de præscript. & c. solita, de maiorat. & obediens.* sequitur ipsos non posse hanc iurisdictionem per consuetudinem acquirere; ex quibus clarè apparet non posse prætextu consuetudinis iudices laicos se tueri, & excusari, & idè optimè Cardinalis Tuschus *vbi supra tom. 4. concl. 452. n. 44.* asseruit omnes casus, qui, pro vt attestantur Doctores ex consuetudine alicuius Regni, vel prouinciæ, sunt contra ius commune, & sic super eis non potest fieri fundamentum, nisi quia sic de facto seruatur: vnde talis consuetudo etiam immemorabilis, vel præscriptio immemorabilis non valet. Ita ille, & ego.

Vt igitur Reges Episcopatus, & beneficia conferant, ad hoc requiritur priuilegium, nec suffragatur vlla consuetudo, aut præscriptio, etiam si esset immemorabilis cum perpetua tolerantia Papæ; cum enim versetur in his, quæ non sunt quæstibilia sine Principis concessione, tolerantia de nihilo inseruit; hæc enim non est tolerantia, sed simplex coniuuentia, seu patientia, quæ nusquam inducit dispensationem in his, quæ sunt contra iuris dispositionem, vt ex text. in *cap. cum iam dudum, de præbendis, & ibi glossa.* ea siquidem coniuuentia incidit ad euitanda duntaxat scandala, quæ possent committi in aufere huiusmodi abusus, vt tradunt Doctores in *cap. 2. de præben.* Quippe crimen publicum dissimulare dupliciter contingit, vno modo ipsum actum criminofum non prohibendo, cum prohiberi possit, vt hæc Ecclesia Romana non sustinet, nec dissimulat, immo prohibet in canonicis supra citatis; altero transgressorem talis prohibitionis non puniendo, & hoc modo Ecclesia dissimulat aliqua propter difficultatem correctionis, vt bene aduertit Turrecremata in *can. singula. num. 8. dist. 89.* multa enim tolerantur, quæ si in iudicium deducerentur, exigente iustitia non tolerarentur, vt dicit textus supra allegatus in *cap. iam dudum, de præben.* & hæc omnia docet Lotharius *tom. 1. de re beneficiaria lib. 1. q. 6. n. 39. & 41.* Hinc si Rex noster, vel alij Reges hodie conferunt Episcopatus, & alia beneficia, hoc ex priuilegio Romani Pontificis procedere dicendum videtur, vnde extante tali priuilegio non dicuntur, dicto modo loquendo Reges conferre dicta beneficia, sed Papa mediante ministerio Regum, atque ita collatio non reputatur regia, aut alterius Principis, sed merè Apostolica, & ideo omnia supradicta firmavit Rota in vna Aquinensis Monasterij die 26. Ianuarij 1601. coram Illustrissimo Seraphino, & tenet Riccius in *praxi tom. 4. res. 137.* qui per extensum ponit dictam sacre Rotæ Romanæ decisionem, quam omnino vide.

An Rectores Hospitalium gaudeant priuilegio fori?

RESOL. LXVI.

Affirmatiuè respondent DD. quos citat Carolus de Grassis de *effectibus clericatus effect. 1. num. 18.* si promittunt in manibus Episcopi castè viuere, & portant aliquod signum super vestimentum; secus autem dicit Abbas in *cap. 2. num. 11. de foro competen.* si isti hospitalarij vtuntur coniugio, & habent, & retinent proprium, & sunt laici.

At his non obstantibus Barbofa *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 12. n. 40.* & Valascus *conf. 105. n. 3.* asserunt simpliciter hospitalarios Prælati autoritate deputatos ad ali- quod hospitale erectum autoritate Episcopi gaudere priuilegio fori. Sed de hoc dubio vide Decianum *in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 9. n. 39.* Duardum *in Bull. Cæna lib. 2. can. 15. q. 9.* & alios.

An qui assumpsit habitum clericalem post delictum an mo subrahendi se à laica potestate, gaudeat priuilegio fori?

RESOL. LXVII.

DE hac quæstione olim mihi magna controuersia fuit cum quodam supremo ministro Regio, & affirmati- uam sententiam ipse docui *in tract. de immun. eccles. ref. 26.* & nunc iterum doceo; quia dici potest istum uti iure suo, assumendo statum clericalem, qui licet illum assumpsit hac intentione, non videtur priuari ipso facto priuilegio clericali, licet fortasse dignus sit, qui tali priuilegio priuetur, & ita hanc sententiam docet Suarez contra regem Angliæ *lib. 4. c. 15. n. 17.* & iterum Bonac. *in Bull. Cæn. to. 3. disp. ... q. 16. sect. 1. punct. 5. n. 9.* quidquid etiam in contrariū asserant DD. quos citauit *in dicta resolut.* quibus nunc ad- do Zerolam *ver. Clericus n. 6.* Iulium Clarum *q. 36. n. 38.* & eius additionatorem *ibid. litera G.* & alios penes ipsos. Sed si aliquis vellet stare in opinione negatiua, dicen- dum est in negantem incumbere onus probandi statum clericalem assumptum fuisse per fraudem; quomodo au- tem id probetur, vide Mascardum *tom. 2. concl. 815.* Gab- rиеlem *in comm. opin. tit. de presump. concl. 13. n. 2.* Ambrosi- num *de immun. c. 19.* Durandum *in Bull. Cæn. lib. 2. can. 15. q. 11.* Martam *de iur. part. 4. cas. 176.* & alios penes ipsos.

Si autem quis dicat suscepisse habitum clericalem ex vi voti, an ipsius iuramento standum sit, negat Farinacius *in de Inquis. q. 8. n. 14.* & alij; sed affirmat Decianus, & alij penes Ambrosinum *12.* quibus ego addo Hierony- mum Rodriguez *in compen. qq. Regul. resol. 101. n. 9.*

Quid facere debeat Episcopus dum indices laici edunt aliquod statutum contra libertatem Ecclesiasticam?

RESOL. LXVIII.

SI dubium sit an illud statutum libertati Ecclesiasticæ aduerfetur, & damnum Ecclesiis, vel clericis inferat, cogere potest conditorem ad declarandum expressè tali statuto clericos, & Ecclesias non comprehendendi. Si verò perspicuè constet illud statum esse contra libertatem ecclesiasticam, præcipere debet conditori, & ipsis ad quos pertinet, ut illud omnino tollant, & si hoc ipsi minimè efficere volunt, debet ipse autoritate sua tollere, & de- clarare huiusmodi statutum, legem, actum, pragmaticam, aut aliam ordinationem esse irritam, & inuvalidam. Vide Felinum *in cap. Ecclesia sancta Maria, num. 145. de constit.* Altherium *lib. 5. disp. 16. cap. 6. dub. 54.* Sayrum *de cens. lib. 3. cap. 34. num. 17.* & alios.

An Clerici inseruientes, & verè astricti alicui Ec- clesie, licet primam tonsuram non habeant, gaudeant priuilegio fori?

RESOL. LXIX.

NEGATIUE respondet Bonac. *in Bull. Cæn. tom. 3. disp. 1. q. 16. punct. 3. n. 7.* quia talis clericus non gaudet priuilegio canonis; ergo neque gaudet priuilegio fori, & hanc sententiam videtur innuere Reginald. *tom. 1. lib. 9. c. 23. n. 355.* cæteras rationes videbis apud Bonacinam.

Sed his non obstantibus non delunt Doctores post Concilium Tridentinum scribentes, qui asserunt dictos clericos priuilegio fori gaudere, & ita tenet Bellettus *in*

disquis. cler. part. 1. tit. de favore clericorum personal. §. 2. n. 2. Ambrosinus *de immun. cap. 22. n. 6.* & Decianus *in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 8. n. 2.* & ad argumentum quod ad- ducit Bonacina *ut supra* posset aliquis respondere, quòd clerici, qui dicuntur *saluatici*, non gaudent priuilegio ca- nonis, neque exemptione gabellarum, & tamen gaudent priuilegio fori, ut declarauit sacra Cardinalium Congre- gatio 10. Kalendas Iunij 1632. cuius verba affert Paulus Squillante *de priuileg. cleric. cap. 7. dub. 2. n. 4.* & Nouarius *de elect. fori q. 52. sub n. 13. sect. 2.* in vltima impressione Neapolitana, sed circa supradictos clericos saluaticos multas quæstiones suscitauit nouissimè Aloysius Riccius *in praxi fori eccles. tom. 4. resol. 223. vsque ad resol. 131.* lege illum, & non pigebit.

An index laicus possit dirimere controuersias ortas inter Confraternitates in aliqua processione?

RESOL. LXX.

AFFIRMATIUE respondet noster D. Carolus de Grassis *de effectibus clericatus eff. 1. n. 613.* vbi sic ait, quoad locū incedendi in processionibus, ut si debet incedere in quarto, vel in quinto loco, in talibus namque controuer- siis est iudex Illustrissimus Senatus huius Urbis, qui sum- mariè, & absque visione scripturarum, solet causas istas terminare, & cognita differentia statim causam terminat: quando autem est differentia an aliquis sit bene, vel malè cancellatus à Societatibus, & confraternitatibus, vel sit recipiendus, vel non, vel an sit canonicè quis electus ad gu- berniū, & administrationē, tales, & similes controuersie dirimuntur per Archiepiscopū, vel suū Vicarium. Ita ille.

Sed obseruat Barbofa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 78. n. 42.* quòd quamuis hæc Caroli de Grassis sententia circa primum membrū videri possit tolerabilis, quando agitur de iudicio possessorio, tamen extra illud non est admit- tenda, sed potius dicendum est ad iudicem ecclesiasticum dictas controuersias pertinere dirimere, quæ essent inter dictas laicorum confraternitates circa modum proceden- di, vel circa habitum, vel quid simile. Sic Barbofa.

An domus Parochorum, Canonorum, aliorumque Ecclesiasticorum existentes prope triginta pas- sus Ecclesie gaudeant eius immunitate, etiam si habitentur à laicis?

RESOL. LXXI.

NEGATIUE respondent Peregrinus *de immun. c. 4. n. 27.* Farinac. *in appen. cap. 19. n. 260.* & Marius Italia *lib. 1. cap. 4. §. 6. n. 6.* quia hæc consuetudo est in contrarium, & ideo asserit Villalobos *in summa tom. 2. tract. 39. diff. 5. num. 3.* quòd licet secundum iura [esta concedida esta im- munitad no solo alas Iglesias sino tambien quarenta passos al rededor de la Iglesia Matriz, y treynta passo al rededor de las demas, mas dize Couarruuias, que ya por la costumbre ha cessado esto quanto à las Iglesias que estan edificadas en las Ciudades, y que solo lo queda en las que estan edificadas dentro de los muros de los ca- stillos.] Ita ille.

His tamen non obstantibus aliqui affirmatiue respon- dent ad propositū dubium, & asserunt supradictas domus gaudere immunitate, quamuis eas inhabitent laici, & ita hanc sententiam tenet Decianus *in tract. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 16.* Ambrosinus *de immun. cap. 10. n. 8.* & no- uissimè Bonacina *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 16. §. 4. num. 7.* quia immunitas est veluti accidens morale loco affixa, locatio autem est actio extrinseca loco; tum quia seque- retur in potestate locatoris esse auferre, vel concedere loco immunitatis priuilegium; tum quia immunitas cõ- cessa est loco sacro, & existentibus in tali loco: per acci- dens autem est, ut in tali loco habitet potius conductor, quàm dominus directus, vel vtilis, tum quia loca sacra immunitate

immunitate gaudent, exceptis casibus expressis; hic autem casus nullibi expressus, & exceptus reperitur; ergo, &c. & hæc omnia docet doctus Bonacina *vbi supra*, qui etiam optimè notat, quòd nomine *passus* intelligitur mensura quinque pedum, pes autem complectitur mensuram quindecim digitorum, & hoc etiam notauit Fatinacius *vbi supra* n. 286. & Tuscus *tom. 4. litera I. conc. 59. n. 2.* & alij; ad consuetudinem verò quam in contrarium asserunt aliqui, respondeo Gregorium XIV. dampnare supradictas consuetudines. ergo, &c.

An occidens fatum animatum cum aliqua potione, gaudeat immunitate Ecclesie?

RESOL. LXXII.

Negatiuam sententiam docet Peregrin. *de imm. Eccl. c. 3. n. 8* Fatinac. *in app. c. 8. n. 13*; & alij penes ipsos; & ratio est, quia talis occidit proditoriè illum, qui nullo pacto præuidit, nec præcauere potuit talem mortem.

Verum ego contrariam sententiam teneo cum Martino Bonacina *t. 3. disp. 2. q. 3. punct. 16. §. 8. nu. 8* quia ait ille huiusmodi delinquens iuxta communem usum loquendi non vocatur proditoriè occidere; is enim dicitur proditoriè occidere qui per insidias, seu dolum aliquem id non præuidentem occidit; infans autem non dicitur in hoc casu per insidias, & dolosè occidi, cum ipse nullius rationis capax sit, nec dolum in ipsum committatur; dolum autem est fraus ad aliquem decipiendum adhibita, infans autem decipi non videtur. ergo, &c. & ita hanc sententiam tenet etiam Franciscus Leo *in Thes. fori eccl. par. 1. c. 13. ver. dubitari etiam potest*; ex his igitur dicendum est concubinarium potionem concubinæ, vel adulteræ tradendo gaudere Ecclesiæ immunitate.

An fugiens à birruarijs, si parietem Ecclesie partis exterioris tangat, vel fuerit amplexus, gaudeat immunitate?

RESOL. LXXIII.

Negatiuè respondet Archidiaconus *in c. unico, de reliq. & vener. sanct. in 6.* quia appellatione Ecclesiæ non venit pars exterior muri Ecclesiæ, quæ viam publicam spectat. Secundò supradictus reus in tali casu non dicitur esse in Ecclesia, & ita hanc sententiam tenent mordicus ministri laicalis iurisdictionis.

Sed pro affirmatiua sententia aliqui has rationes adducunt. Primò quia priuilegia immunitatis Ecclesiæ amplianda sunt. Secundò *in l. qua religiosis. ff. de rei vindicatione*, habetur, quæ Religiosis adhærent, religiosa censentur; ergo quæ adhærent loco sacro, censentur sacra, & consequenter gaudent immunitate loci sacri. Tertio accessorium sequitur naturam sui principalis, *c. si super gratia, de officio delegat. in 6.* Quarto priuilegium concessum Ecclesiæ, dicitur etiam concedi per triginta passus in circuita eius, vt ex sacris canonibus docent communiter Doctores, & nos *suprà* probauimus. Ergo multo magis hoc dicendum est in casu nostro de pariete, qui est anne-

xus, & accessorius, & incorporatus ipsi Ecclesiæ, & ita hanc sententiam docet Episcopus Viciaquensis Aloysius Riccius *in praxi tom. 4. resol. 560. n. 8.* & Martinus Bonacina *de legibus tom. 2. disp. 3. q. 7. punct. 4. n. 5.* Vnde ex his à fortiori apparet, quòd si quis confugiat supra tectum Ecclesiæ, gaudebit vtique immunitate, vt notat Villalobos *in summat. 2. tr. 39. diff. 5. n. 3.* Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 4. n. 63.* Suarez *de Relig. t. 1. lib. 3. c. 9. n. 8.* & alij scribentes super Bullam Greg. XIV. vide etiam Bonacinam *tom. 3. in Bull. Cæn. disp. 2. q. 3. punct. 16. §. n. 19. 20.*

An Bulla Cænæ tollat casus Regni Galliarum, quos priuilegiatos appellant, & quid de priuilegio Monarchiæ Regni Siciliae?

RESOL. LXXIV.

Hos casus priuilegiatos ponit Cassaneus *super consuet. Burgun. rub. 1. tit. des institutes & droits. §. 5. ver. 5. col. a grace n. 48. & seq.* & Bull. Cænæ illos non tollere tenet Antonius Bouius *in resp. ad Paulum Seruitam pro censuris Pauli V. p. 4. ad arg. 10. vbi sic asserit.* [In Fràcia in Reha Priuilegij della Sede Apostolica, onde se procede tolo ne delitti priuilegiati, non eccede in cosa alcuna i suoi Priuilegi, i quali se non l'auessero ecceduto i Signori Venetiani non farebbe loro stata detta cosa alcuna.] Sic ille.

At contrariam sententiam docet P. Binsfeldius *in comment. de iniurijs, & damno dato c. 7. concl. 1. 3. vbi sic ait.* Per Bullam Cænæ Domini videntur etiam sublatis Casus Regni Galliarum, quos priuilegiatos appellant, in quibus iudices sæculares in illo Regno se intromittunt etiam pro criminibus aliquibus contra Clericos. Hæc Binsfeldius; sed usum talium priuilegiorum Regis Galliarum non audet dampnare Nauarrus, & alij quos adduxi *in tr. de immunit. Eccles. n. 1. §. 6. licet ibi Sayrus, & alij damnandum esse existiment.* Ego verò circa resolutionem huius casus de meo nihil dicam, & nihil ponam, solum referre volui quid alij dixerunt; sicut etiam facio cum Martino Bonacina *in Bull. Cænæ t. 3. disp. 1. q. 21. punct. 1. n. 24.* circa iudicium de Monarchia huius Regni Siciliae, quam acriter impugnat Hieronymus Catena *in Vita Pij V. cum Cardinali Baronio tom. 11. anno 1097.* Sed defendit Antonius Xibeca *in allegationibus manu scriptis ad Marcum Antonium Columnam, & nouissimè, vt fertur, Io. Bertran de Guevara Archiepiscopus Compostellanus in discurs. de origine, & vsu Monarchiæ Regni Siciliae lingua Hispanica conscriptis, & editis Vallisoleti anno 1605. apud Aloysium Sanchez.* vide etiam Henriquez *in sum. lib. 10. c. 29. n. 3. & lib. de Summi Pontificis clauæ c. 10. §. 3.* Sebastianum Cæsarem *de Eccl. Hier. par. 1. disp. 3. §. 1. n. 9.* Camillum Borrellum *de præstantia Regis Catholici c. 50. per totum.* Goffredum *lib. 4. de rebus gestis Roberti Guisardi. c. 29.* Fasellum *lib. 7. posterioris decadis cap. 1.* Ioannem Marianam *histor. Hispan. lib. 10. c. 5.* Ferdinandum Matute *in responso pro impositione gabellæ contra Messanenses fol. 24.* Maurolicum *in hist. Sicil. lib. 3. art. 98.* Laurentium Ananiam *in fabrica mundi tract. 1. fol. 129.* Antonium Costam *lib. 1. consil. 1. n. 75. & 85.* Cumiam *in prel. cap. si aliquem, n. 49. & 52.*

TRACTATUS SECVNDVS
DE DVBIIS REGVLARIVM.

An Generales, & alij Prælati Religionum possint confiteri Confessoribus extra Religionem, & quid de Generalibus, & præpositis nostræ Religionis?

RESOL. I.

AFFIRMATIVAM sententiam docent communiter DD. *ex cap. ne pro dilatione, de pæn. & remis. vnde Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 47. num. 4.* sic

asserit. [Tienen iurisdiction ordinaria los Prelados de las Religiones, como son generales, y Prouinciales que tienen iurisdiction quasi Episcopal, y los Guardianes, Abades, y Piores que presiden a toda la comunidad, que ellos todos son ordinarios respectiue, y tienen facultad de eliger confessor, por la concession de Greg. IX. porque todos ellos se comprehenden del baxo de nombre de Prælado, y assi esta en vso en las religiones como

d'ze] Soto in 4. dist. 18. n. 4. art. 2. Sic Villabos, & alij
ubi i. f. 2.

Sed difficultas est in nostra Religione, nam in decretis Capitulorum generalium part. 1. c. 6. n. 1. sic habetur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessariis, qui à Præposito domus fuerint designati, non obstante quocumque privilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus. Vnde sub his verbis Peregrinus in comment. ad nostras constitut. const. 3. part. 1. c. 9. lit. C. §. 1. purat comprehendi Generales, & Præpositos, & ideo ait ille, quod quando à Religione eliguntur ad dictas Prælaturas, subintelligitur pactum implicitum, quod est obseruandi, & curandi, vt obseruentur constitutiones, & decreta Capituli generalis, vnde eo ipso quod acceptant Prælaturas, tacite renunciare videntur dicto privilegio, quo gaudere non possunt nisi intra Religionem, nec decreta hoc est contrarium canoni, quia privilegio suo cuique licet renunciare l. si quis in conscribendis, C. de pactis, hæc Peregrinus.

Sed contrariam sententiam proffus sustinendam esse puto. Primò, quia privilegium insertum in corpore iuris, vt est illud, de quo loquimur, reputatur ius commune, vt patet ex textu in l. eius militis, §. militia missus, de test. milit. & notat Iason in l. 1. n. 16. de constit. Henriquez ubi infra, & Lotterius de re beneficiaria tom. 1. lib. 2. q. 7. n. 26. vnde in generali derogatione non comprehenditur sub nomine privilegij; quia eo quod insertum est in corpore iuris, habetur pro iure, & lege, & ideo Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 51. n. 3. loquens de privilegio Religiosorum in Clem. dudum, de sepulturis, sic asserit. [Aunque el Concilio Tridentino en aquel decreto reuoca los privilegios, mas no de los que estan insertos en el cuerpo del derecho, porque ellos son leyes Ecclesiasticas y no se entiende de baxo desta palabra privilegio que la ley que se instituye de nouo no reuoca estos privilegios, aunque ponga qualesquieras clausulas generales, si no es que se haga dellos expressa mencion.] Ita ille.

Idem etiam tenet Io de la Cruz de statu Reliq. lib. 2. c. 6. dub. 1. ubi ita ait. Iuxta morem loquendi Iuristarum nomine privilegij non intelligitur, quod est in corpore iuris insertum, & lex de nouo instituta non reuocat privilegia in iure inserta, nisi de illis fiat expressa mentio, licet apponat qualibet non obstantias generales, & reuocet privilegia, quia privilegia in iure inserta vendicant sibi aliud nobilius nomen, & sunt iam leges communes. Sic ille. Hoc etiam docet Miranda in manuali Prælatorum, tom. 1. q. 45. art. 6. in concl. Henriquez lib. 6. c. 6. num. 4. Fagundez præcept. 2. lib. 7. c. 2. n. 15. & n. 78. & 82. Rodriguez in quæst. regul. tom. 1. qu. 9. art. 2. Paulus Layman in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 23. n. 26. & lib. 4. tract. 6. c. 11. n. 5. & alij.

Hinc præter Layman vt supra, & alios citatos DD. notauit etiam Glossa in Auth. quæ in provincia. C. de criminibus, vers. illico omni privilegio, & in l. 3. C. de silent. l. 12. cum Barbosa in l. 2. §. legatis n. 117. ff. de iudiis. Borgos de Paz in l. 3. Taur. n. 559. Decio consil. 165. n. 4. Iacobo Bennio de privileg. Iuris cons. part. 3. privileg. 100. num. 2. Ruyno vol. 1. consil. 228. n. 13. Rebuffo respons. 15. vers. septimo etiam, & resp. 134. vers. item si mandetur. Mandosio de privileg. ad instar. glossa 14. n. 2. Gomez in c. 1. n. 93. de constit. in 6. Felino in c. 1. n. 12. & in c. nonnulli, n. 9. & 26. de rescriptis, & aliis, quod ista clausula, non obstante quocumque privilegio, non comprehendit privilegium in corpore iuris insertam.

His igitur omnibus suppositis, sic argumentor contra Peregrinum. Privilegium quod habent nostri Præpositi locales, est insertum in corpore iuris, sed privilegia inserta in corpore iuris non derogantur, neque comprehenduntur, vt probatum est in clausulis generalibus, non obstante, & c. etiam alicuius Concilij Generalis, nisi de illis efficiatur expressa mentio, ergo è fortiori dictum privilegium nostrorum Præpositorum non erit comprehen-

sum in illa clausula Decreti, quod Peregrinus adducit, cum sit privilegium, vt dictum est, in corpore iuris insertum. Dicendum itaque est illud decretum factum fuisse in Capitulo generali pro gaudere volentibus privilegio Bullæ Cruciatæ, vel aliis licentiis, & indulgentiis confitendi cuiusque etiam extero Sacerdoti iuncto Superiore, non autem pro Generalibus, & Præpositis habentibus hoc privilegium clausum in corpore iuris; cum igitur tale decretum loquatur tantum de privilegiis, non est extendendum ad iura Prælatorum quorum mentionem non facit: nam si hoc privilegium comprehendere voluisset, de illo expressam mentionem facere debuisset, & ideo quando in aliqua Religione Capitulum generale voluit restringere, aut limitare, ne Prælati vtantur supra dicto privilegio, specificè illis hoc prohibuit, & ita factum esse in Religione Cisterciensi, notauit Hieronymus Llamas in meth. part. 1. cap. 5. §. 5.

Deinde supponitur in illo Capitulo Patres renunciassent huic privilegio, quod ego nego, & negant omnes, qui in illo Capitulo adfuerunt; nam tunc nihil de hac renunciatione talis privilegij inter illos actum fuit, & tamen renunciatio privilegij supponit necessariò renunciantis consensum, vel voluntatem, vt notat Suarez de legibus lib. 8. c. 33. n. 8 & alij communiter, nam consensus, & voluntas non fertur in rem non cognitam, ergo dicto privilegio in dicto Decreto renunciatum fuisse minimè dicendum est. Concedimus igitur Peregrino Superiores quando eliguntur ad prælaturas subire onus obseruandi, & curandi vt obseruentur constitutiones, & decreta nostræ Religionis, sed negamus, quod renunciant tunc tacite huic privilegio de quo dictum est; nam nunquam ipsi huic renunciarunt, neque ex vi verborum decreti in illo comprehensi sunt, ideoque neque illud obseruare tenentur, cum ex dicto cap. finali possint sibi eligere in Confessarium quemcumque Sacerdotem, etiam ab Episcopo non approbatum intra, & extra Religionem. Et ita præter Villalobos ubi supra docet Miranda in manuali Prælatorum tom. 2. q. 20. art. 7. & q. 32. art. 6. concl. 1. Syluius in addit. ad 3. p. D. Thom. q. 8. art. 5. Quæritur 2. conclus. 2. Ioan. Valerius in diff. vtriusque fori, vers. in iurisdictione d. 14. n. 2. Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 38. c. 16. mem. 2. Filiucius tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 231. Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 2. n. 9. & 10. Coninch. de Sacramentis disp. 8. dub. 8. n. 60. Nugnus in 3. part. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 2. asserentes Prælatos Regularium posse eligere Confessarium etiam extra Religionem, dummodo ab eorum constitutionibus, & statutis hoc illis facere non prohibeatur, quod in nostris non prohibetur, nam in hoc tantum negatiuè se habent, vt patet.

Non desistam adnotare etiam hic quod noster P. Alphonsus de Leone, vir quidem doctus in tract. de officio, & potest. confes. tom. 2. recollect. 11. n. 95. & 106. docet Capitulum generale nisi fuerit à Papa confirmatum, non posse derogare huic privilegio Superiorum, quod habent à iure eligendi Confessarium extra ordinem, lege illum, & non pigebit; vnde apparet, quàm parum solidè opinio Peregrini defendi potest. Vide etiam Hieronymum Rodriguez in compen. qq. Regul. resolut. 10. n. 17. ubi ait, quod confirmatio statutorum alicuius Capituli generalis facta à Papa intelligitur, quatenus ipsa non sunt contraria iuri communi, & sacris canonibus, sed de his opinionibus Leonis, & Rodriguez alibi à nobis fusiùs dicetur.

Notandum est tamen aliquos DD. dictum privilegium de eligendo Confessario extra Religionem concedere tantum Generalibus, & non inferioribus Prælati, & Guardianis, Præpositis, & c. & ita tenet Reginaldus tom. 1. lib. 1. c. 4. sect. 2. n. 36. Llamas in meth. part. 1. c. 5. §. 5. & alij, meliùsque fecisset Peregrinus si cum istis DD. tenuisset; sed ille tenet cum communi DD. sententia, & postea vt visum est, huic privilegio nostros Præpositos renunciasse, quod minimè, vt supra probaui, admittendum esse censeo.

Non grauior etiam his omnibus addere, quod probabiliter secundum Megalam in 1. part. lib. 1. c. 10. n. 4. & Cariolanum de cas. refr. part. 1. sect. 1. art. 24. supradictum priuilegium, quod habent Præpositi eligendi quemcumque confessarium, extendi potest etiam ad Vicarios nostros in sede vacanti, vel alio modo absente Præposito, & ita interminis hanc sententiam post hæc scripta docet P. Leone de officio confess. tom. 2. recollect. 6. n. 36. licet etiam probabiliter contrarium asserat Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 27. sect. 2. n. 8. & ratio est, quia actio subrogata habet priuilegium eius, cui subrogatur; & in nostris constitutionibus part. 3. c. 9. dicitur quod Vicarius absente Præposito huius vicem gerit, quæ verba explanans in commentariis suis litera F. Peregrinus sic asserit. Si absentia Præpositi esset non solum à domo, sed etiam à ciuitate, vel esset mortuus, vel ex alia causa dimisisset officium, in istis casibus Vicarius haberet iurisdictionem fori conscientie, & contentiosi, quia esset quasi Ordinarius vices Præpositi in omnibus gerens, & sic declarauerunt P. P. Dominicani in suis constitutionibus in Capitulo generali Parisiis celebrato anno 1246. Ita Peregrinus. Cuius verba non parum probabilem nostram, & Megalæ sententiam efficiunt, nam vt dictum est, & patet ex l. si eum §. qui iniuriarum. ff. si quis cautioni, & ex c. Ecclesia, vt lite pen. subrogatus in locum alterius, in eius quoque iura, & priuilegia subrogatus esse censetur, quod etiam notauit Tamburinus de iure Abbat. tom. 1. disp. 15. qu. 11. num. 10. Verum pro coronide huius resolutionis aduertè cum Molfesio in summa tom. 1. tract. 7. c. 15. n. 44. quod licet omnia supradicta contra Peregrinum sint vera, tamen non conuenit, vt Prælati Regulares confiteantur extra Religionem, licet, vt dictum est, de rigore possint.

An Guardiani, Priores, Præpositi, & Rectores Regularium possint illis præbere licentiam, vt eligant Confessarium extra Religionem?

RESOL. II.

Affirmatiuè respondeo, seclusa constitutione Religionis, vel statuto in contrarium. Et ratio est, quia qui habent ordinariam potestatem, possunt illam alteri delegare vt habetur in cap. quibus de officio ordinarij, & notat Syluius in addit. ad 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. Io de la Cruz in direct. part. 2. de sacram. Pœn. q. 5. dub. 6. concl. 1. Barbosa in l. cum prator. §. 1. n. 527. ff. de iudicijs, & alij communiter. Sed Guardiani, Præpositi, &c. habent potestatem ordinariam, & sunt suorum subditorum Ordinarij vt notat Suarez de Relig. tom. 4. lib. 10. c. 5. n. 3. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 14. n. 60. Filiucius tom. 1. tract. 7. c. 7. n. 188. Ledesma in sum. tom. 1. de Sacram. c. 38. q. 7. n. 3. & alij communiter. Ergo possunt hanc potestatem alijs subdelegare, & ideo Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 49. n. 11. sic asserit. [Los Guardianos, y Prelados semejantes como son Ordinarios, tambien pueden delegar su iurisdiccion.] & citat Angles Rodriguez, & Cenedum, quibus etiam ego addo portel in dubijs Regularium, ver. Prælati nu. 1. & 2. vbi ita ait, Guardiani possunt delegare, id est, committere alicui vt faciat omne illud, quod ipsi possunt facere ex officio ordinario, quia habent potestatem ordinariam, & in addit. vers. Prælati potestas, n. 2. sic etiam ait. Omnes Prælati conuentuales Religiosorum habent iurisdictionem ordinariam in vtroque foro, ac proinde possunt illam delegare, quia habent iurisdictionem ex officio, seu ex lege Canonica, quæ Prælati ritè electis dat iurisdictionem competentem suo officio, & tandem Io de la Cruz de statu Religionis lib. 1. c. 6. dub. 8. docet, quod non tantum iurdictio competens Prælati Regularium ex iure communi, vel particulari suarum legum est ordinaria, ac subinde delegabilis, sed etiam iurdictio illis concessa ex priuilegio Principis. Vide omnino Alcanum Tamburinum de iure Abbat. tom. 1. disp. 3. q. 2. n. 1. & Sa vers. delegatus n. 2.

Sed difficultas in nostra Religione. Nam Peregrinus in comment. ad nostras const. part. 1. cap. 9. lit. C. §. 2. negatiuam sententiam docet. Sic enim ait. Dubitari posset vtrum Præpositi locales possint licentiam tribuere vni ex nobis sibi subdito, vt confiteri possit Confessario extra Religionem nostram. Respondetur, quod non absque necessitate; ratio est, quia Capitulum generale potuit hoc prohibere, & de facto prohibuit hoc decreto. Ita Peregrinus.

Verum ego contrarium sentio; nam verba decreti sunt hæc in part. 2. c. 6. num. 2. Nemo nostrum sua peccata exero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessariis, qui a Præposito domus fuerint designati, non obstante quocumque priuilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus. Quæ quidem verba, vt clarè apparet, & nos in superiori resolutione firmauimus, loquuntur tantum de priuilegijs, vt est Bulla Cruciatæ, vel aliud indultum eligendi quemcumque Confessarium in scio Superiore. & ideo non debent, neque possunt extendi ad licentias, quas subditi obtinent à suis Prælati, quibus de iure communi ex cap. Omnis vtriusque sexus, de pœn. & remiss. tamquam ordinarijs competit, & possunt hanc facultatem præbere & hæc omnia in resolutione superiori factis firmata sunt. Igitur cum tale decretum loquatur expressè de priuilegijs, non est extendendum ad iura Prælatorum, quorum mentionem non facit. Adde quod de renuntiatione huius priuilegij, vt patet omnibus, nihil actum fuit in illo Capitulo generali, ex quo decretum supradictum emanauit; & cum esset res grauis, tollens circa hoc potestatem ordinariam Prælati, specificè efficeretur prohibitio, si Capitulum generale tunc dictam potestatem tollere, aut limitare voluisset, sicuti fecerunt constitutiones Prædicatorum, in quibus, vt notauit Ioan de la Cruz de statu Relig. lib. cap. 6. dub. 11. habetur, non posse Priorem concedere sibi subdito licentiam confitendi Sacerdoti alterius ordinis, sed solus Magister Ordinis hoc potest concedere, quando non adest Confessor Ordinis. Per quod infert Ioan de la Cruz, limitatur auctoritas ordinaria istorum Prælatorum, quod in nostra Religione per constitutionem, vel per aliquod decretum vsque adhuc minimè factum esse censeo.

At dicit aliquis Sixtum IV. Innocentium VII. Clementem VII. Leonem X. concessisse Regularibus, vt cum licentia suorum Prælatorum, tantum cum itinerantur, possint extra Religionem Confessarium eligere, quas Bullas affert Ioan. de la Cruz vbi supra, Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 49. n. 12. ergo si Prælati Regularium possunt hanc licentiam subditis præbere, vt etiam extra Religionem confiteantur, ad quid deseruiunt priuilegia illa Pontificum? Respondeo cum Llamas in meth. p. 1. art. 1. c. 5. §. 5. quod aliquando in priuilegijs conceditur Regularibus minus, quam quod de iure communi illis competit, & ideo in casu nostro plus possunt subditi à Prælati Regularibus ex potestate ordinaria obtinere, quam quod in priuilegijs Summi Pontificis concesserunt, qui tamen cum dictis priuilegijs potestatem ordinariam Prælati Regularium tollere minimè intenderunt. Probatur totum hoc ex priuilegijs quæ affert Llamas vbi supra concedentia Prælati Regularem eligere Confessorem cum licentia sui Generalis, non obstante, quod hoc competeat illis de iure, ex c. fin. de pœn. & remiss. vt supra probatum est, independenter à licentia Generalis, & tamen, vt patet, per dicta priuilegia hoc ius illis non fuit ablatum, quin si vellent, sine Generalis licentia Confessarium eligere non possunt. Sic dicendum est in casu nostro supradicta priuilegia non tollere Prælati Regularium potestatem ordinariam, quin possint, si velint, præbere licentiam subditis, non solum itinerantibus, sed etiam in Monasterio existentibus eligere sæcularem vel regularem Confessarium, & ideo Miranda in manuali Prælatorum tom. 2. q. 32. art. 6. concl. 1. Villalobos

in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 49. n. 11. & 12. & alij adducunt lupradicta priuilegia Pontificum. Attamen non obstantibus dictis priuilegijs, firmant posse Prælatos lupradictam licentiam potestate ordinaria suis subditis præbere, quia proprias oues, ait Miranda, vbi supra, cui voluerint Pastori, alias idoneo, possunt committere. Et ideo ait Grassius in decis. p. 1. lib. 1. cap. 2. num. 54. quod Franciscanus de licentia sui Prælati confiteri possit Augustiniano, & credendum est illi sine litteris, si dicat habuisse licentiam. Nec refert, quod possit Prælati indulgentie uti tali potestate; nam id est per accidens, & quomodocumque id faciat, factum tenebit. Verum aduertant Prælati, hanc licentiam non præbere absque causa, nam si aliter facerent, non expediret. Confessionem tamen cum tali licentia factam validam, & firmam esse puto.

Notandum est etiam hinc obiter contra Peregrinum in compen. priuileg. ver. absolutio quo ad fratres, §. 2. in scholio, quod quando Regulares ex licentia, vel priuilegio confitentur extra ordinem, non tenentur eligere Confessarium ab ordinario, approbatum, sed sufficit eligere idoneum, hoc est, non suspensum, vel excommunicatum, &c. Ita Ioan. de la Cruz de statu relig. lib. 2. cap. 6. dub. 11. concl. 1. in fine.

An Episcopus extra diocesim possit eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario, & quid de Prælati Religionum.

RESOL. III.

Quo ad primum Suarez vbi supra, notat Romæ fuisse hanc quæstionem excitatam, & ventilatam in quadam congregatione, cui decem Cardinales interfuerunt, & diuisos fuisse in diuersas sententias, quinque enim illorum affirmabant, & quique negabant. Prima ergo sententia affirmat, quam nouissimè tenet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 55. num. 4. Io. Valerus in diff. vtr. fori, ver. iurisdiclio, diff. 14. n. 2. Coriolanus de cas. reseru. part. 1. sect. 1. art. 2. n. 5. & alij. Nam cur non poterit Episcopus Sacerdotem sibi non subditum ad se confitendum per hanc electionem approbare; sicut potest illum approbare pro ouibus suis? Deinde Concilium Trident. sess. 23. de refor. c. 15. in illis verbis, *Non obstantibus priuilegijs, &c.* non derogat priuilegijs in corpore iuris insertis. Neque enim per clausulam generalem priuilegio in iure inserto derogatur, ut est regula canonistarum, quam tradit Decius consil. 165. & nos supra satis probauimus. His tamen non obstantibus.

Secunda sententia negat; & ita decreuit Gregorius XIII. & ita docent Riccius in praxi, tom. 1. resol. 470. n. 2. Grassius tom. 2. lib. 5. consil. 4. de pœn. & remiss. n. 1. Alphonsus de Leone tract. de lubileo, part. 1. q. 9. n. 28. Faustus de Iubileo lib. 4. q. 7. Azorius part. 2. lib. 4. c. 3. q. 16. Armendariz in addit. ad recop. leg. Nauar. lib. 1. tit. 18. leg. 7. n. 54. Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 8. c. 16. n. 4. Filiucius tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 256. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 28. sect. 4. n. 2. Megala in 3. part. lib. 1. c. 10. n. 18. Molfesius in summ. tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 34. & alij. Quia Concilium verè & propriè non derogat Episcoporum priuilegio, quia priuilegium expressè dicit, ut possint eligere Sacerdotem idoneum, & hoc illis integrum manet, neque Concilium illud in totum, vel in partem abstulit, sed solum ex parte Confessoris posuit conditionem necessariam, ut idoneus sit, nempe approbatus ab Ordinario: & hæc conditio vniuersaliter apposta est respectu omnium sæcularium, inter quos Episcopi continentur.

Quoad verò Prælatos Regulares certum est, Concilium Trident. nihil innouasse; nam solum loquitur de confessionibus sæcularium, & ad has approbationem Episcoporum in Confessarijs requirit, tam sæcularibus, quam Regularibus. Igitur Prælati Regularis, vel quilibet Regularis, habens licentiam eligendi

Confessarium, possunt eligere sibi in Confessarium quemlibet Sacerdotem, etiam si ab Episcopo non fuerit approbatus. Et ita docet Portel. in duobus regul. verb. Confessor erga regulares, n. 14. Fagundez præcept. 2. lib. 7. c. 2. n. 3. 4. & 5. Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 4. n. 5. Nauar. in manuali c. 4. n. 2. Coninch de sacram. disp. 8. dub. 7. num. 48. Zerola in praxi pœnit. cap. 15. q. 2. §. Dico quarto. Reginald. tom. 1. lib. 1. c. 5. n. 41. cap. 15. n. 175 & lib. 8. c. 3. sect. 4. n. 36. cum alijs communitur. Quod verò Prælati Regularis possint eligere quemlibet Sacerdotem sibi in Confessarium, patet ex cap. ne pro dilatione, de pœn. & remiss. & tradunt communiter DD. & nos dicemus infra.

Ex his infero contra Peregrinum in comment. ad nostras constitut. part. 1. c. 5. lit. C. Præpositum nostræ Religionis posse confiteri simplici Sacerdoti nostræ Religionis, etiam si non sit admissus ad audiendas confessiones à nostro P. Generali, quia, ut dictum est, habet potestatem ex dicto cap. ne pro dilatione, &c. eligendi pro Confessario quemlibet Sacerdotem, & Concilium Trident. nihil innouat quoad Regulares; ergo, &c. Vnde ex multis alijs rationibus hanc opinionem post hæc scripta inueni contra Peregrinum docere etiam ex nostris P. Leone de offic. & potest. confess. tom. 2. re. collect. 6. n. 92. Et dato sed non concessio, quod contraria opinio esset probabilis displicet mihi id, quod asserit dictus Peregrinus, nempe esse sequendam tanquam tutiorem, & quod in ministrandis, & recipiendis Sacramentis necessarijs ad salutem semper tutiores opiniones amplecti debeamus; quia obligatio charitatis, qua tenemur prouidere proximo de remedio, postulat, ut illa prouideamus remedia, quæ sunt absque periculo, quando possumus id absque detrimento; ergo, qui minus tutam opinionem amplectetur, non satisfaceret huic obligationi. Præterea sic est vniuersalis vsus Ecclesiæ. Ita Peregrinus.

Sed si hæc doctrina esset vera, ita absolute prolata, mundus scrupulis implicaretur, & vix vix Confessarijs, & pœnitentibus; non est igitur admittenda in calu nostro. Nam quando adiunt opiniones probabiles circa iurisdictionem Sacerdotis ad confessiones audiendas, potest Sacramentum ministrari secundum opinionem probabilem, relicta probabiliori: secus autem si opiniones verarentur circa materiam, & formam Sacramenti; nam tunc tutior opinio est sequenda & in hoc calu loquuntur Doctores, quos citat Peregrinus. Et ratio nostræ sententiæ est, quia probabilis opinio confert Sacerdoti iurisdictionem, & sic nulli periculo pœnitens exponitur. Vnde cessat ratio Peregrini. Adde quod semper pœnitens se accusat de aliquo veniali, & cum simplex Sacerdos super venialia iurisdictionem habeat, absolvens propter opinionem probabilem semper gratiam causabit, & sic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria. Et ita hanc nostram sententiam tenet Granado in 1. 2. D. Thom. controu. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 4. n. 38. Suarez tom. 4. disp. 26. sect. 6. n. 7. & 8. Martinez in 1. 2. D. Thom. tom. 1. q. 19. art. 6. dub. 6. concl. 7. Malderus in 1. 2. D. Thom. q. 9. art. 5. disp. 86. Salas de legibus disput. 12. sect. 6. num. 24. Valquez in 1. 2. tom. 2. disput. 156. num. 27. Henriquez lib. 3. de pœnit. c. 14. num. 3. & 4. Sanchez de matrimo. to. 1. lib. 3. disp. 22. n. 65. & alij. Quidquid in contrarium asserat Nugnus in 3. p. tom. 2. quæst. 8. art. 5. dub. 3.

Vnde non grauabor hinc apponere verba Henrici Villalobos in summ. tom. 1. tract. 1. diff. 13. num. 5. sic asserentis [Hase de aduertir aqui grandamente, que si de hecho de verdad falta la materia, ó forma del Sacramento, aunque aya opinion, que diga, que lo es, la que se pone, no se haze Sacramento, ó aunque todos los Doctores dixessen lo contrario, porque las materias, y formas de los Sacramentos son de derecho diuino, y no se pueden supllir por derecho humano, ni por opinion de Doctores, mas quando ay diuersas opiniones en cosa, que toca à iurisdiccion v. g. como si se dada, si vn Clerigo puede assistir validamente ad Sacramento del matrimonio,

ò no, ò en el Sacramento de la penitencia se da, si fue legitima la licentia que se dio à tal Sacerdote, ò si el priuilegio de la Bulla esta reuocado en todos los casos dichos, ò otros semejantes, que tocan à iurisdiccion, aunque de verdad la opinion, que dice, que no es legitimo ministro, sea verdadera delante de Dios con todo esso, mientras la tal verdad esta escondida, y ay probable opinion de lo contrario, lo que el ministro en estos casos haze, es valido por razon del comun error, y el titulo presunto, que tienne de legitimo Superior, y el defecto de la tal iurisdiccion, ò licencia le puede suplir, y suple el derecho humano.] Ita Villalobos, & ante illum, præter Doctores citatos, Lessius *lib. 2. c. 29. dub. 8. n. 68.* sic asserens. Non solum error communis, sed etiam probabilis Doctorum opinio efficit, vt Ecclesia det iurisdictionem, etiam si opinio illa sit falsa. Vt si probabile sit, talem posse absoluerè à reueruatis, vel centuris, vel assistere matrimonio, excommunicare, eligere Confessorem, priuilegium non esse reuocatum, & similia, & ille ex hac opinione operetur, validum erit, Ecclesia supplente defectum, si fortè subit. Sic Lessius, Ad vsum verò vniuersalem Ecclesiæ, quem Peregrinus adducit, nescio quomodo possit illum probare, imò contrarium apparet ex communi DD. sententia, vt supra visum est, & Confessarij passim absoluunt cum opinione probabili, etiam in casu, in quo agitur de eorum iurisdictione.

Notandum est etiam hic obiter ex dictis, posse Præpositos nostræ Religionis dare licentiam, vt Sacerdotes simplices audiant aliquando confessiones Fratrum, quidquid in contrarium videatur sentire Peregrinus in *comp. Priuileg. ver. absolutio quoad fratres, §. 2. in scholio*, & ita aduersus dictum Peregrinum docet Leone in *tract. de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 6. n. 97.*

An Confessarius secularis possit absoluere Nouitios Regulares etiam à peccatis in Religione, reueruatis?

RESOL. IV.

Negatiuam sententiam tenet Peregrinus in *comment. ad nostras constitut. p. 1. c. 5. lit. K.* vbi sic asserit. Aduerti debet, quòd Nouitiorum confessiones audiendi cura soli Magistro Nouitiorum committi debet, semel tamen vel bis in anno, id etiam licebit Superiori, vel cui ille commiserit, vt patet ex decreto Clement. VIII. in illis verbis, *Quilibet Nouitius, &c.* & ex hoc decreto apparet manifestè quòd nullus alius præter nominatos in dicto Decreto habet facultatem audiendi confessiones Nouitiorum, & si alij de facto audiant, & absoluant, confessio erit nulla ex defectu potestatis Confessarij. Ita ille, qui nullum authorem pro hac sententia adducit: sed poterat; nam illam tenet etiam ex nostris Megala in *1. part. lib. 1. c. 8. n. 20.* & Vecchius in *praxi Nouitiorum disput. 10. dub. 3. n. 3.* Tamburinus de *iure Abbatum tom. 2. disp. 6. q. 6. num. 11. alij.*

Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam tuetur ex nostris Molfesius in *sum. tom. 1. tract. 7. c. 34. n. 81.* Ortiz in *sum. c. 5. n. 11.* Homobonus in *exam. Eccl. part. 1. tract. 5. c. 2. q. 13.* Rodriquez in *qq. Reg. tom. 1. q. 27. art. 1.* Portel in *dubiis Reg. ver. Nouitij absolutio, n. 36.* Petrus Fey in *add. ad 3. p. D. Thom. qu. 8. art. 5. disp. 6.* Villalob. in *sum. tom. 1. tract. 9. diff. 56. n. 6.* Miranda de *manu li. Prælatorum tom. 2. q. 34. art. 16. in fine.* Riccius in *praxi tom. 4. resolut. 241. n. 3.* vbi asserit opinionem Peregrini esse contra communem, & alij. Ratio est, quia Nouitij ante professionem sunt in hoc ad instar secularium, & ideo si confiteantur cum approbato ab ordinario, valida erit confessio, nullibi enim videtur expressum contrarium, & ideo casus reueruatio Superiorum Monasterij illos non comprehendit, vt notarunt, Portel, Fay, Villalobos, & Miranda vbi supra, quibus adde Azorium *tom. 1. lib. 12. c. 2. qu. 10.* Vegam in *sum. tom. 2. cap. 50. cas. 6.*

Bellochium de cas. refer. part. 1. q. 2. n. 109. Vgolinum de *potest. Episcopi p. 2. c. 35. §. 1. n. 5.* Coriolanum de *cas. refer. p. 1. sect. 3. art. 18. n. 3.* & 4. Florinum de *cas. ref. p. 1. c. 3. n. 7.* Naldum in *sum. vers. Nouitius, num. 7.* Emanuelem Sà *vers. casus, n. 8.* Grassium in *Appen. lib. 1. cap. 7. n. 69.* Homobonus de *cas. refer. p. 1. c. 32.* Io. de la Cruz de *statu relig. lib. 1. c. 6. dub. 10.* quia citat Ledesma. *Quidquid in contrarium asserat nouissimè Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 5. cap. 6. n. 4.* Corduba in *qq. lib. 1. q. 3.* Rodriquez in *Bulla Cruc. §. 9. num. 26.* Vecchius in *praxi Nouitiorum disp. 9. num. 2. & alij.*

Dicendum est igitur confessionem Nouitiorum, etiam à peccatis reueruatis suis superioribus, factam coram quocumque Confessario seculari, vel regulari, ab Episcopo tamen approbato, validam, & firmam esse. Nec obstat. huic sententiæ Decretum Clem. VIII. quod asserit Peregrinus pro sua firmanda opinione; nam respondeo cum Molfesio *vbi supra n. 83.* & Alphonso de Leone in *tract. de offic. & post. confess. tom. 2. recollect. 11. n. 151. & 152.* & aliis, Decretum illud non esse latum à Pontifice per modum præcepti, irritantis confessionem aliter factam, sed per modum regulæ, & consilij. Vide etiam circa præsentem quæstionem Henriquez *lib. 6. cap. 16. n. 3. in glossa lit. X. & lib. 7. cap. 22. num. 7. in glossa lit. X. & V.*

Notandum est tamen, quòd nos loquuti sumus de validitate confessionis; nam de cætero existimo, quòd talis nouitius deberet expelli à Religione. Ita Molfesius Coriolanus, & Rodriquez *vbi supra.*

An confessarij designati à Superiore ad excipiendas Fratrum confessiones, possint confiteri Clericos professos stantes sub cura Magistri?

RESOL. V.

Negatiuè respondet Peregrinus in *comment. ad nostras constitut. p. 1. c. 9. lit. C. §. 6.* quod probat ex decreto Clem. VIII. quod licet loquatur de Nouitiis formalibus, tamen, Paulo post in dicto Decreto, quod incipit, *Vt autem Nouitij*; cum sequenti Decreto loquente de nouellis professis, ordinat, vt maneat in secundo nouitiatu distincto à professis antiquis, & vt instruantur cum maiori restrictione aliorum Professorum, & vt in negotiis monasterij, & communibus tractatibus, & obedientiis exterioribus ne se immisceant. Vnde colligitur, quod quamuis professionem emiserint dicti iuuenes, adhuc vult Summus Pontifex, vt permaneant in nouitiatu, & vt viuunt sub regulis Nouitiorum, & quòd non se immisceant cum aliis Professis, quod fieri non posset, si in eorum libertate esset confiteri cui voluerint ex Confessariis Monasterij. Ita Peregrinus, nulla DD. autoritate fretus. Non reticebo tamen hanc sententiam ante illum docuisse Portel in *dubiis regul. ver. Nouitij absolutio, num. 36.* vbi sic ait. De professis verò qui non sunt Sacerdotes, sed viuunt sub cura Magistri Nouitiorum, credo quòd non possunt validè confiteri alteri extra suum Magistrum, vel extra illum, assignato à Prælato, quia pro illorum confessionibus solus Magister, vel ille assignatus deputatur vt Parochus, & proinde non potest ille alterum eligere. Ita ille.

His tamen non obstantibus affirmatiua sententia magis mihi placet, quam probabilem putat ipsemet Peregrinus *vbi supra*; nam contrariam opinionem, quam ipse tenet, vocat tantum probabiliorem. Ratio est, quia in nostris constitutionibus approbatis à Clemente VIII. in *p. 1. c. 9.* sic habetur. Confitebitur autem quisque nostrum suo Præposito, aut cui volet ex Confessariis, quos Præpositus deputauerit. Et in decretis Capituli generalis *p. 1. cap. 6. num. 6.* sic habetur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessariis, qui à Præposito domus fuerint designati, non obstante quocumque priuilegio, &c. Quæ verba absolutè loquuntur, nec distinguunt inter Profes-

fellios manentes sub cura Magistri, & alios. Vnde ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut patet ex *l. de pretio ff. de public. & ibi Glossa*. Deinde Clem. VIII. in decreto publicato anno 1593. die 26. mensis Maij ordinat Superioribus Regularium, ut deputent Confessarios pro subditorum numero, &c. Ratio autem quare Pontifex vult ut in Monasteriis plures Confessarij constituantur, videlicet ne Religiosi propter verecundiam sacrilegas confessiones efficiant: magis potest militare cum dictis Clericis professis, quam cum aliis: ergo cum Pontifex absolute loquatur in illis verbis, *pro subditorum numero*, non sunt restringenda ad subditos antiquos, excludendo iuvenes Professos.

Ad aliud verò Decretum Clem. VIII. quod pro se adducit Peregrinus, respondeo quod non facit ad rem, non solum quia loquitur de novitiis formalibus, & non professis, sed etiam quia ut supra dictum est cum Mofesio in *summ. tom. 1. tract. 7. cap. 14. n. 83.* & alijs, Pontifex ibi loquitur non per modum præcepti irritando confessiones aliter factas, sed per modum regulæ, & consilij, quod etiam notat P. Alphonsus de Leone in *tract. de officio, & potest. confess. tom. 2. recoll. Et. 11. n. 151. & 152.* in terminis casus nostri contra Peregrinum.

Post hæc scripta inveni P. Suarez de *relig. tom. 4. lib. 2. c. 15. n. 7.* nouum sensum adducere super verba Clem. VIII. quæ nos supra in fauorem nostræ sententiæ adduximus: verba autem Pontificis sunt hæc. Superiores in singulis domibus deputent duos, vel tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, qui à non referuatis eos absoluant, & quibus etiam referuatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit. Ita Pontifex, cuius verba, ait Suarez, dubia sunt, nam duplex potest esse sensus. Vnus est, ut duo, vel plures Confessarij indifferenter pro omnibus Religiosis talis domus designetur: ita ut liberum sit cuique Religioso, cui voluerit eorum confiteri. Alius est, ut designentur quidem plures, qui inter se habeant diuinum onus audiendi confessiones omnium, ita tamen, ut vnique definita pars, & certæ personæ designatæ sint, neque possint, qui vni commissi sunt, alteri confiteri. Ita Suarez, qui putat hunc vltimum sensum esse veriore, & posse illum Superiores Religionum eligere & praticare. Quare docet etiam, non esse mentem Pontificis, ut hi Confessores debeant ad minimum esse duo, etiam in paruo Conuentu; quæ omnia, si vera essent, satis firmarent opinionem Peregrini, & aliorum, quam supra refutauimus.

Sed hanc sententiam Suarez nullo modo admittendam esse sentio. Ratio est, quia clarè apparet in illis verbis in principio Decreti positus, [Nonnullos infirmiores interdum Superiori suo conscientia maculas detegere formidantes, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem,] in istis, inquam, verbis clarè patet Pontificem per illud Decretum prouidere voluisse, quomodo Religiosorum confessiones liberius fiant ita ut propter verecundiam sacrilegia non committant. Sed si explicatio illorum verborum, quam adducit Suarez, esset vera, in isto periculo, & in eadem difficultate versaremur; nam subditis cum vno Confessario necessarium esset semper confiteri. Ergo dicta explicatio, tamquam parum consonans literæ, & menti Pontificis non est admittenda. Vnde veram expositionem huius Decreti esse nostram, & non illam, quam affert Suarez, patet ex communi vsu, & consuetudine omnium Religionum, in quibus post dictum Decretum Clem. VIII. Superiores in suis domibus plures Confessarios constituunt, à quibus indiscriminatum subditi possunt absolui, & de facto absoluuntur.

Dices quod melius esset, & ad spirituale profectum valde conduceret, non mutare Confessarium. Fateor hoc equidem, sed in nostro casu non agimus de maiori in viâ spirituali profectu, sed de medicina languenti animæ

tradenda. cui Clementi Pontifex indulgere iudicauit, ut patet in illis verbis textus, *nonnullos infirmiores, &c.* quos supra attulimus.

An vocales nostræ Religionis possint licitè abesse à Capitulis, & quid de Cardinalibus, Senatoribus, Consiliariis, & Decurionibus ciuitatum?

R E S O L. VI.

Quoad Senatores, Cardinales, &c. negatiuè respondet Paleotus de *Sac. o. Consi. part. 1. quæst. 8. & 13.* Garzias de *benefic. tom. 1. part. 3. c. 2. n. 525. in fine.* Ioan. de *Madera de Senatu cap. 8. §. 1.* Azucudus in *addit. ad Curiam Pisanam lib. 2. cap. 8.* & Petrus de *Ala tract. de Decur. 9. 4.* ubi sic asserit. Non excusantur quod multi alij conuenerint, quia quod lex civilis, vel municipalis certo nonnumquam numero Consiliariorum contenta sit, non ad eum sensum detorqueri debet, ut arbitrato suo sine iusta causa possint Decuriones à consilio abstinere, præsertim quia quod legitimus numerus conuenerit, bono potius euentui, quam præuisæ rationi adscribendum est, quantum enim fuit in istis Decurionibus, res communes Ciuitatis non fuissent consultatæ. Sufficit ergo maior pars illorum, qui conuenerunt ex *l. quod maior ff. ad municipal. sed quod non omnes conuenire debeant, hoc lex non dicit, imò causam iustam requirit.* Ita Ala.

Sed difficultas est quoad vocales nostræ Religionis, nam Peregrinus in *coment. ad nostras constitut. p. 3. cap. 9. lit. T. §. 23. n. 6.* tam negatiuam, quam affirmatiuam sententiam probabilem putat, & pro negatiua adducit has rationes. Primò, quia vnusquisque potest renunciare fauori suo. Secundò, quia non peccat contra iustitiam, non enim tenetur ex officio, neque contra charitatem, quia alij ad Capitulum accedunt, & possunt supplere; ergo, &c. Patrem verò affirmatiuam probat, quia dicti vocales non interueniendo Capitulis, deficiunt in suo officio, ad quod de iure tenentur, ita, ut si continuatè ter absint, forsitan ait peccare mortaliter, quia per trinum actum inducitur consuetudo. Hæc Peregrinus *ubi supra.*

Sed ut verum fatear, mihi affirmatiua sententia magis placet, & ideo assero vocales nostræ Religionis non posse pro suo libito abesse à Capitulo domus, quod clarè probatur. Nam quando Capitulum generale vigore nostrarum constitutionum adscribit in vocalium numero personas dignissimas, non tam intendit præbere illis quamdam dignitatem, & præminentiam, quam imponere onus, & præbere illis munus, ut cum Præpositis cuiusque domus, ubi pro tempore manerint, negotia graua, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ac commune bonum illius domus, & Religionis, non solum consultatiuè, sed etiam decisiuè pertractent, statuunt, & determinent, ut habetur in nostris constitutionibus, & Decretis. Vnde gubernatio nostræ Religionis magis accedit ad regimen Aristocraticum, quam Monarchicum. Ex quibus appertè apparet vocales teneri ex officio ad efficiendum omnia, quæ supra dicta sunt; nam præcipuum munus eorum est Capitulis assistere. Vnde idem Peregrinus *part. 3. cap. 9. lit. ... §. 13.* asserit, quod vocalatus est officium, & vnusquisque tenetur suum officium exercere; ergo, &c. Nec valet dicere, quod Armilla *ver. electio, num. 20.* Gutierrez in *qq. canon. lib. 2. cap. 11. num. 187.* & alij communiter docent, quod electores, & canonici possunt renunciare voci suæ, & iuri suo, & sic aliquando faciunt nostri vocales; ergo signum est non teneri ad præbendum votum ex officio. Nam respondeo doctrinam istam esse veram, sed non procedere ordinariè, sed in vno, vel altero actu electionis, dummodo auctoritas prouidendi maneat apud eos, qui zelo non careant, & ita docet Garzias de *benef. tom. 1. part. 2. cap. 2. num. 533. & seq.*

Restat modò respondere ad argumenta, quæ pro contraria

contraria sententia adducebat Peregrinus. Ideo ad primum dico, verum esse, quod quilibet potest renunciare favori, & iuri suo, ut habetur in *cap. ex conscientia, de fortiliis*, & notant DD. quos affert Barbosa in *collect. tom. 2. lib. 5. tit. 20. cap. 9. num. 4.* attamen hæc non procedunt, ut obseruat Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 4. c. 39. num. 29.* & latè Nouarius in *qq. forensibus part. 1. quest. 66. n. 2. & seq.* quando illud ius, & fauor, etiam est introductum in ordinem, & fauorem aliorum, ut patet ex *l. si quis in conscribendo, C. de Pactis*, & ideo asserit Suarez de *legibus lib. 8. cap. 33. num. 2.* Tamburin. de *iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 12. num. 3.* non posse aliquem renunciare priuilegio sibi concessio, quod continet etiam ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicatur. Sed totum hoc accidit in casu nostro, nam ius cui cederent vocales interueniendi Capitulis, vergeret in damnum Religionis, pro cuius seruitio, & gubernatione, ut probatum est, vocales effecti sunt; ergo non possunt dicto iuri, & favori eorum cedere, quia continet ius alterius, cui per talem renunciationem præiudicatur. Vnde ex his docuit Sigilmundus à Bononia de *elect. part. 1. cap. 2. dub. 25. n. 7.* & Lauorius in *uariis elucubr. tit. 4. cap. 14. num. 87.* quod fratres in electione discreti vocalis possunt renunciare huic iuri, & favori, dummodo talis renunctio non redundet in præiudicium religionis, sed hoc accidit in casu, de quo loquimur; ergo, &c.

Ad secundum dico, quod, ut dictum est, hoc munus pertinet ex officio ad vocales; ad illud verò, quod alij in Capitulo assistent, patet responsio ex Petro de Ala *vbi supra*, cui adde Garziam de *benef. tom. 1. part. 3. c. 2. n. 30.* Dico igitur, quod licet onus, de quo loquimur, incumbat vocalibus Capitularibus, non ut singulis, sed ut vniuersis, id est, ut pertinent ad vniuersitatem Capituli, & sunt pars illius, attamen ut parti Capituli manet vnicuique prædicta obligatio. Aliàs si quilibet in particulari non teneretur assistere Capitulis, sed posset abesse, alij etiam possent id facere, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero, & sic posset deficere bonum regimen Monasterij, & Religionis. Vnde Cardinalis Paleottus de *Sacro consist. part. 5. q. 13.* sic asserit. Vnumquemque, qui munus suscipit, debere cogitare, an illi satisfaciatur, non autem de aliis, quid sunt acturi; quid enim si reliqui idem facerent, & commune bonum ab omnibus destitutum inueniretur? Non est igitur excusandus consiliarius, qui consilium non præbet, eo quod ceteri illud administrare possunt. Sic ille.

His tamen minimè obstantibus, non assentior Peregrino, licet cum formidine loquatur, asserenti, quod vocales nostri, si per tres vices absint continuatè à Capitulo, forsitan peccent mortaliter, quia, ait ille, consuetudo introducitur per trinum actum. Sed hæc ratio mihi non placet, & illam refellunt Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 2. diff. 3. n. 3.* Suarez de *leg. lib. 7. c. 10. num. 3.* & alij communiter, ideo per quot vices peccent mortaliter vocales se ipsos à Capitulo sine causa absentando, arbitrio boni viri remittendum esse puto.

Quares, an vocalis si se absentet à Capitulo, quando, licet tractanda sit res magni momenti, ipse tamen certissimè scit concludendam esse, nec posse cum suo voto aliquid iuuare, nisi illud dicendo, inquietudinem, periculum notabilis damni, rixas, & notam singularitatis, & proteritiæ acquirere; an inquam in tali casu se absentando peccet mortaliter. Respondeo negatiuè, per ea, quæ adducit Petrus de Ledesma in *summ. tom. 2. tract. 7. cap. 2. concl. 24.* Garzias de *beneficiis, tom. 1. part. 3. c. 2. num. 537.* Ioan. Valerus in *diff. utr. fori, ver. suffragium, diff. 2. in fine.* Et ratio est, quia durum esset obligare aliquem ad assistendum Capitulo cum tanto incommodo, quando ut suppositum est, nihil votum suum potest efficere; licet contrariam sententiam possit quis sustinere per ea, quæ adducit Paleottus de *Sacro consist. part. 2. q. 6. & seq.* cum nostro Molfesio in *summ. tom. 1. tract. 6. c. 7. num. 93.* quia

Anton. Diana Ref. Mor. Pars. III.

ratione officij tenentur singuli de Capitulo aperire veritatem, & procurare, quod ab aliis percipiatur, etiam si contradictio nihil profutura esset, & damnum, quod timeretur, est contingens, & potest non euenire, & si eueniet, potius illud debent sustinere, & ex parte sua procurare, ut euitetur peccatum. Sed prima sententia tunc potest amplecti. Verum dicendum est omninò, quod si vocalis rem iniustam concludendam ab aliis, possit cum suo voto impedire, tunc enim si se abientaret à Capitulo propter humanos timores, & respectus, mortale peccatum committeret, & ita docet Armilla *ver. consensus, n. 3.* Tabiena *ver. electio, n. 3.* Castellinus *tract. de elect. in append. ad cap. 5. n. 1.* & alij DD. communiter. Vide etiam Riccium *part. 3. dec. 276. n. 5.* Rebellium *part. 1. lib. 3. q. 7. n. 9. & 10.* Graffium *dec. part. 1. lib. 2. c. 127. num. 18.* & Syluestrum *ver. consensus, q. 3. in fine.*

An Pralati nostræ Religionis, & aliarum, quæ priuilegiarum communicatione gaudent, possint concedere Dimissorias Nouitiis, ut ab Episcopo ordinentur.

R E S O L. VII.

Negatiuè respondet Peregrinus in *Comm. constitut. nostræ Relig. part. 1. c. 4. litera A. §. 1.* & sic ait ille. Si aliquis ex nostris Præpositis concederet Dimissorias Nouitio ad recipiendam primam tonsuram, incurreret suspensionem ab officio, & beneficio, latam in Concil. Trident. *sess. 23. c. 10.* Ita Peregrinus.

Sed aduersus illum prorsus affirmatiuam sententiam sustinendam esse puto. Nam ut obseruat Bartholomæus de Vechis in *praxi Nouitiorum disp. 11. dub. 8. n. 3.* Ascanius Tamburin. de *iure Abb. tom. 2. disp. 2. q. 27. n. 2.* Ioan. Baptista Tiber. in *Instruct. pro ordinan. c. 7. q. 50.* & Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. cap. 10. n. 22. in fine.* Si in aliqua Religione adest priuilegium mittendi Professos cum literis dimissorialibus ad quoscumque Episcopos, causa sacros Ordines suscipiendi, integrum est Superioribus dictæ Religionis conferre etiam Nouitiis hanc licentiam, & literas dimissorias præbere. Sed in nostra Religione adest supradictum priuilegium; ergo, &c. Minorem propositionem huius argumenti, ex qua labefactatur opinio Peregrini, probo euidenter ex ipsomet Peregrino in *Compen. nostrorum priuileg. part. 2. tit. ordines, §. 1.* vbi sic ait. Per facultatem concessam Congregationi S. Benedicti Vallisoleti à Clem. VII. anno 1590. die 2. Augusti, Pontificatus sui ann. 5. possunt nostri cum literis dimissoriis Superiorum suorum à quibuscumque locorum ordinariis ad omnes, etiam Presbyteratus, Ordines promoueri, absque Episcopi diocesani licentia, seu literis commendatiis. Ita Peregrinus.

Cum igitur secundum Peregrinum Superiores nostræ Religionis possunt concedere Professis literas dimissoriales, poterunt etiam illas Nouitiis conferre, ut docent Vechius, Tamburin. Tiberius, & Sanchez *vbi supra*, quia Nouitij gaudent priuilegiis Religionis circa Professos concessis. Et ita hanc sententiam præter DD. citatos, tenet etiam Suarez de *Relig. om. 3. lib. 5. c. 16. n. 17.* qui etiam addit ad tollendas omnes difficultates, Superiores Religionis Societatis IESV habere hoc priuilegium, nempe concedendi literas dimissorias Professis, etiam cum ampliacione illud communicandi Nouitiis. Vnde addit Suarez, quod hoc priuilegio uti poterunt aliarum Religionum Pralati erga suos Nouitios, si cum dicta Societate IESV in priuilegiis communicant. Sed nostræ Religio gaudet æquè principaliter priuilegiis concessis Societati IESV, ut docet ipsemet Peregrinus. Ergo constanter aduersus illum dicendum est posse Superiores nostræ Religionis concedere literas dimissorias Nouitiis, & illas concedendo non incurrere in suspensionem latam in Concil. Trident. *vbi supra*; ut ipse perperam volebat

Nec aduersus supradicta facit Naldus *in sum. ver. Nouitii*, n. 8. Vgotinus *de potest. Episcop.* .26 §. 10. n. 7. Henriquez *lib. 10. c. 23. n. 3.* & *lib. 14. c. 9. n. 2.* cum aliis afferentibus literas dimissorias esse concedendas Nouitiis ab Episcopo; nam loquuntur de iure communi, non autem, ut notant citati DD. in casu priuilegij, concedentis Superioribus Religionum posse dictas literas suis subditis concedere, maximè quando priuilegium extendit hoc etiam ad Nouitios, quæ omnia adesse in casu nostro, satis supra probatum est. Ergo, &c.

An relinquere Missam solemnem in nostris Ecclesiis diebus festiuis sit peccatum mortale, vbi mul a de vi consuetudinis?

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam docet Peregrinus *in comm. ad nostras constit. part. 1. cap. 1. lit. E.* vbi sic ait. In Ecclesiis nostris, in quibus solet, & potest solemniter Missa cani, si id omitteretur ex aliqua iusta causa, non peccaret Superior, neque alij. Si verò ex negligentia Superior, vel qui causa principalis esset huius omissionis, mortaliter peccaret, non solum ratione scandali, si scandalum oriretur apud seculares, sed etiam secluso scandalo, quia cum ista consuetudo sit conformis canonibus, & consuetudini generali Ecclesie, eius transgressio ex negligentia est peccatum mortale, cum sit materia grauis. Ita ille.

Sed hæc opinio mihi non placet, quia non omnis consuetudo obligat ad culpam mortalem, sed illa, quæ inducta est cum tali intentione per modum obligationis, & præcepti, ut notat Suarez *de leg. lib. 7. c. 14. n. 6.* Azorius *part. 1. lib. 5. c. 18. q. 5.* Rebellius *part. 1. lib. 1. q. 5. n. 17.* Reginaldus *tom. 1. lib. 13. c. 23. n. 244.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. c. 3. n. 49.* Becanus *in part. 2. tract. 3. c. 8. q. 1. n. 4.* Valquez *in part. 2. disp. 177. cap. 2. in fine.* Layman. *in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 24. n. 2.* Fagundez *part. 4. ib. 1. c. 2. n. 14.* Granadus *in part. 2. D. Thom. contr. 7. tract. 4. part. 2. disp. 16. sect. 2. n. 13.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. d. ff. 2. n. 7.* & alij, & ideo bene asseruit Glossa *in c. frustra, disp. 8.* ad consuetudinem necessarium esse, ut eo animo, & intentione seruetur, ut ius in posterum fiat. Ratio est clara, quia primò actus agentium non transgrediuntur intentionem eorum. Secundò, de ratione legis est, ut fiat intentione obligandi. Tertio, quia nemo se obligat sine intentione, ut in voto & professione constat.

Hoc supposito, sic argumentor. Consuetudo, quam affert Peregrinus, oritur ex nostra Regula: nam ideo cantamus Missam solemnem in diebus festiuis, quia Constitutiones *part. 1. ap. 1.* asserunt, quod Missa solennis diebus festiuis celebretur. Sed nostræ Constitutiones, ut patet, non obligant ad peccatum mortale. Ergo necessariò sequitur, quod neque consuetudines ex illis ortæ ad illam obligabunt, cum accessorium sequatur naturam principalis, ut tradit *lex, Cum principalis, & lex, nihil dolo, ff. de regul. iur.* & notant communiter DD. quos ad satietatem adducit Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 5. sexti Decr. regul. 42. n. 1.* & Menochus *vol. 1. consil. 58. num. 13.* Deinde dictam consuetudinem non fuisse introductam cum intentione obligandi, ultra supradictum argumentum, patet ex sensu communi omnium Patrum nostræ Religionis, qui in Capitulis generalibus tam difficulter, etiam in casibus magni momenti, noluerunt imponere præcepta obligantia sub mortali, conformando in hoc seipos nostris Constitutionibus, quæ ad culpam noluerunt obligare; & idò tandem in Capitulo celebrato anno 1622. fuerunt abrogata omnia præcepta imposita sub mortali in aliis præteritis Capitulis. Et reuera in casu, de quo loquimur, quis potest cogitare, cum Regula nos non obliget sub onere peccati mortalis canendi Missam, quod nostri hoc onus ipsis, & nobis voluntariè, & sub hac intentione imponere voluerint; quod factum mini-

me esse ex hoc apparet, quia nemo ante Peregrinum ex nostris Patribus tenioribus dixit vnquam, hanc consuetudinem introductam esse cum intentione obligandi ad mortale. Quod si hoc esset, ipsi necessariò deberent scire, si scirent, vtrique dixissent.

His omnibus addendum est, quod quando adest dubium, an consuetudo fuerit introducta cum intentione obligandi, non obligat, ut docet Suarez *de leg. lib. 7. c. 15. num. 13.* licet contrarium tutius esse asserant, Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 13. c. 23. n. 224.* & Azorius *part. 1. lib. 5. c. 18. q. 5.* quia in dubio nemo presumitur velle obligari, nec expedit multiplicari præcepta, vbi moraliter certa non sint; ergo cum in nostro casu saltem dubij simus, an dicta consuetudo canendi Missam fuerit à nostris Patribus introducta cum intentione obligandi, illam non obligare, dicendum omnino est.

Confirmantur omnia supradicta ex his, quæ adducit Gauantus *in comment. ad rubr. Missalis, tom. 1. part. 3. tit. 11. n. 4.* vbi sic ait: Collegiæ Regulares (quæ tamen minus collegiæ dicuntur) tenentur ad Missam in choro ex vi regulæ tantum, & consuetudinis interpretantis regulam. Ita ille. Sed regula nostra, & consuetudo, ut supra ostensum est, non obligant nos sub onere peccati mortalis dicere Missam in choro; ergo illam omittere minimè culpa lethalis erit. Nec valet dicere cum Peregrino, quod talis consuetudo sit conformis canonibus, & consuetudini generali Ecclesie; nam hoc concedendo, non inde sequitur, nec deduci potest, quod nostra consuetudo obliget ad mortale.

Verùm his non obstantibus, si nostri Superiores Missam non canerent, sine iusta causa, essent seuerè puniendi, & si adesset scandalum, peccarent mortaliter, alioquin minimè.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint commutare, vel dispensare vota extra confessionem?

RESOL. IX.

Negatiuè respondet Peregrinus *in scholiis ad nostra priuilegia, tit. commutatio, §. 3.* vbi sic asserit. Aduertendum est, quod cum nostri Confessores habent facultatem commutandi, & dispensandi in illis, virtute priuilegiorum non debent, nec possunt hoc facere nisi in Sacramento Pœnitentiæ. Similiter & illi, qui virtute alicuius Bullæ commutant, & dispensant. Ita ille, qui citat Cordubam, & Sorbum.

Sed quia non sunt à nobis restringenda, sed potius amplianda nostra priuilegia, ideo contrariam sententiam aduersus Peregrinum teneo, & ita tenent Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 9. q. 2. n. 5.* Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 30. n. 6.* Sancius *in selectis disp. 14. n. 2.* Layman. *in Theolog. mor. lib. 4. tr. 6. c. 21.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. c. 54. num. 6.* & Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 34. diff. 29. num. 7.* vbi sic asserit. [Se aduertita que pueden vsar los Confessores de las Religiones de estos Priuilegios de comutar, y dispensar los votos fuera de la Confession, segun la mas probable opinion, y verdadera, que aunque en la conc. sion de Paulo III. que queda referida de dize (confessionibus diligenter auditis) no se ha de referir esta clausula a la comutacion de los votos, sino ala absolucion de los pecados aunque algunos tienen el contrario, y assi se pueden comutar fuera de la confession: la razon es, porque aunque la clausula, que se pone en vna disposicion al principio, medio ò fin de ella se entienda, que se refiera à todo lo contenido en la clausula, conforme al texto *in cap. 2. requisitis, de appellat.* mas ha se de entender esso, quando corre la misma razon en todo ello, come dizen Menochio, y Decio con ortos, lo qual no acontece aqui, que corre muy diferente razon en la absolucion de los peccados, y la comutacion de los votos, que la absolucion de

de los pecados, forzosamente pide confession sacramental, y la comutacion de los votos no la ha de menester, y asi no es visto, que quiso limitar el Pontifice esta facultad.] Sic Villalobos, & alij.

Est igitur supradicta opinio probabilissima, & tota in praxi. Notandum est tamen hic obiter cum Sanchez *vbi supra* in *summ. tom. 1. lib. 4. c. 5. num. 17.* & Henriquez penes ipsum, non oportere, vt commutans vota virtute nostrorum priuilegiorum sit Confessarius vouentis, quia priuilegia solum petunt Confessarium ex approbatis ab Ordinario. Et idem contra Rodriquez in *addit. ad Bull. Cruc. §. 9. num. 120.* dicendum esse putat Villalobos *loco citato, n. 6.* Si Regulares non commutent, sed dispensent vota, sic enim ibi. [Mas probable me parece, que esta facultad se entienda a dispensar los votos de los que vienen de otras partes, de fuerte que pueden dispensar los votos de todos a aquellos, cuyas confessiones pueden oyr.] Quod verò dictum est de Regularibus virtute priuilegiorum, dicendum est etiam de Bulla Cruciatæ, & Iubilæo. Nam Confessarij, qui per Bullam, vel Iubilæum commutant vota, possunt id efficere extra Sacramentum Confessionis, vt ego alibi satis firmaui & docui.

An priuilegia Mendicantium reuocentur per Bullam Cœnæ Domini?

R E S O L. X.

Affirmatiuè respondet Peregrinus in *scholiis ad nostra priuilegia, part. 2. tit. Bull. Cœnæ, §. 1.* Ratio potest esse, quia in publicatione dictæ Bullæ, quæ fit singulis annis, derogatur expresse Mendicantium priuilegijs. Quod si dicas non esse verisimile, quod Pontifices, qui dicta priuilegia concesserunt, ea, voluerint statim reuocare, nam sic visi essent, vel voluisse illudere, vel decipere? Respondetur, quod dicta priuilegia valuerunt tantum durante vita dictorum Pontificum, qui præsumendi sunt in publicatione dictæ Bullæ semper voluisse excipere eos, quibus priuilegia concesserant.

At his non obstantibus Soufa in *Bulla Cœnæ cap. 23. disp. 10. n. 7. concl. 3.* Peirinus in *priu. Minimorum, tom. 1. const. 4. Sixti IV. §. 5. n. 10. & seq.* Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 9. diff. 61. num. 5.* Bullam Cœnæ tenent non reuocare Regularium priuilegia, quia vt alibi dictum est in clausula Bullæ Cœnæ, non prohibentur absoluerè absolutè ratione priuilegiorum, sed eorum prætextu, vnde asserit Villalobos *vbi supra*. [A las palabras de la Bula se responde, que aqui no se reuocan los priuilegios, si no absoluer eorum prætextu, y por esso no se escluye lo que se haze con legitima facultad; porque la palabra (*prætextu*) es velamen, quo moueri se quis ad aliquid agendum simulat, como dize Soufa, y declarando Gonzalez in *Reg. 8. Cancellar. Gloss. §. 7. nu. 2.* esta palabra dize.] Dicitio *sub prætextu*, idem significat, quod sub velamine, vel colore alicuius rei, quæ non est, vel iam desinit esse, seu falsa est. [Loqual se prueua por el derecho in *l. sub prætextu 1. & 2. C. de transact.* de manera que solo es color para hazer vno lo que quiere, y assi no comprehende esto, y queda libre el priuilegio de los Religiosos.] Vnde ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico enim, vt supra dictum est. Bullam Cœnæ non prohibere absolutè priuilegia Mendicantium, sed absolutionem eorum prætextu; prætextus autem non excludit illud, quod efficitur legitima facultate interueniente, sed illud quod sub aliquo velamine exercetur. Sed hoc non accidit in casu nostro; ergo, &c.

Sed post hæc scripta inueni hanc sententiam, præter citatos DD. docere etiam Laurentium de Portel. in *Addit. ad dub. Regul. ver. Abbas, num. 10.* vbi præter rationes adductas hanc addit. Quia Bulla Cœnæ, non obstante sua rigorosa reuocatione, non tollit, quo minus valeant priuilegia Bullæ Cruciatæ ad absoluendum à casibus Bullæ Cœnæ, exceptis illis, quæ exprimuntur in Bulla Anton. Diana *Ref. Mor. Pars. I. I.*

Cruciatæ. Ergo cum priuilegia concessa Religiosis non sint minoris valoris, quam priuilegia Cruciatæ, cum Cruciatæ non tollat priuilegia Religiosorum, iuxta communem sententiam, sequitur priuilegia Religiosorum in foro conscientie non tolli per reuocationem generalem Bullæ Cœnæ quoad casus in illa contentos, si sint occulti, excepta hæresi; & proinde poterunt absoluerè subditos ab illis, si sint occulti, excepta hæresi. Ita Portel. Vide etiam circa præsentem quæstionem Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 1. lib. 2. cap. 21.* Sed prima opinio est omnino tenenda, & ita tenent ex nostris viri doctissimi, & amicissimi. P. D. Thomas de Afflicto, & P. D. Zacharias Pasqualigus, quibus adde Zenardum in *direct. Theog. part. 1. de Sac. pœn. cap. 24. §. 8.*

An quis ex præsumpta voluntate Superioris possit aliquem absoluerè?

R E S O L. XI.

Affirmatiuam sententiam docent aliqui, quam tueri etiam videtur Peregrinus in *Comm. ad nost. constit. part. 1. c. 9. lit. C. §. 3.* vbi postquam adduxit Decretum appositum in *part. 1. c. 6. de Decretis Capitul. general.* prohibens ne alicui vnus domus Confessario alter alterius domus confiteri liceat, sic asserit. Circa Decretum supradictum aduertendum est, quod ex præsumpta voluntate Superioris ipsius pœnitentis posset fieri in aliquo casu, sed non sæpè. Ita ille.

Sed hæc opinio absolutè, & sine distinctione prolata mihi summopere displicet, quia præsumptio si non fundetur in aliquibus signis, quæ sufficienter indicent præsentem voluntatem Superioris concedendi facultatem, non sufficit ad dandam iurisdictionem; nam sic est tantum existimatio de futuro consensu Superioris, & coincidit, vt optimè obseruat Suarez *tom. 4. disp. 27. sect. 4. num. 16.* cum rati habitione de futuro, quam non esse sufficientem docent communiter DD. asserentes ad excipiendas Confessiones non satis esse rati habitionem de futuro, sed opus est adesse de præsentem. Et ita tradit Becanus *de Sac. c. 3. §. 8. n. 3.* Homobonus in *exam. Eccles. par. 1. tract. 4. c. 11. q. 105.* Fagundez *part. 2. lib. 7. c. 2. n. 71.* Tolet. *lib. 3. c. 13. n. 22.* Henr. *lib. 6. c. 13. n. 13.* Coninch *de Sac. disp. 8. dub. 5. n. 36.* Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 9. diff. 51. n. 2.* cum alijs, quidquid in contrarium mordicus teneat Didacus Nugnus in *Addit. ad 3. part. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 2.* asserens ad excipiendas Confessiones non sufficere non solum rati habitionem de futuro, sed neque rati habitionem de præsentem, & affirmatiuam sententiam improbabilem putat, sed immeritò quidem; nam quomodo Nugnus improbabilem potest vocare sententiam illam, quam communiter docent Doctores?

Dicendum est igitur pro expositione supradicti Decreti, quod si in aliqua ciuitate, vbi sunt plures domus, adfit consuetudo (in illam tamen per aliqua signa conuenientibus Prælati) vt Confessarijs alterius domus nostri Patres in aliquo occurrenti casu aliquando confiteantur, validæ erunt tales Confessiones, quia adest rati habitio de præsentem, & præsumptio modo quo supra dictum est. Vnde illa scientia, & patientia Prælatorum, vt notant citati Doctores, habetur pro licentia: at hic Panormi in domo S. Ioseph, & S. Mariæ de Catena certum est non adesse talem consuetudinem; vnde standum videtur determinationi supradicti Decreti.

An Regulares virtute suorum priuilegiorum possint ministrare Eucharistiam vagis, aduenis, & peregrinis in die Paschatis ad implendum præceptum annuæ communionis?

R E S O L. XII.

Negatiuè respondet Peregrinus in *scholiis ad nostra priuilegia part. 2. tit. communicare, §. 2.* quia ex decreto Eugenij

Eugenij IV. apparet supradictos adipisci incolatum quoad Sacramentum Confessionis, & communionis tempore Paschatis, licet ibi modico tempore steterint. Præterea dici potest hos teneri confluere ad Ecclesiam Cathedralis, & Matricem, quia videtur esse Parochia vniuersalis totius Diocesis. Ita ille.

Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto, quam præter Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 73. n. 17.* tuetur nouissimè Alcanius Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disp. 5. quest. 3. n. 6.* Laurentius Portel *in dubiis Reg. ver. Sacrament. administratio, num. 6.* qui citat Rodriguez. Et hanc sententiam docet etiam Fagundez *præcep. 1. lib. 1. c. 8. n. 1.* quia exceptio diei Paschatis appositæ in *Clem. 1. de privileg.* fuit introducta in fauorem Parochorum, & vt saltem eo tempore, & die omnes Parochi ad suam Parochiam confluerent; sed in nostro casu nulla fit Parochis iniuria, nam dicti non sunt sui Parochi; ergo, &c. Adde quod in tali casu Regulares ministrant Eucharistiam ex tacita licentia proprij Parochi; nam cum ipse illis in alias regiones proficiscentibus hanc licentiam non restrinxerit, videtur illam virtualiter concessisse, videlicet vt possint Eucharistiam sumere in die Paschatis vbicumque voluerint.

Restat modò respondere ad argumenta Peregrini. Et Ad primum dico, quod non obstat Decretum Eugenij IV. quia fuit concessum in fauorem peregrinorum ad tollendos eorum scrupulos, non tamen eos obligauit, vt alienis Parochis subicerentur, sed reliquit eos iuris communis dispositioni. Ita Sanchez, Rodriguez, & Henriquez, quos citat, & sequitur Fagundez *ubi supra.* Vel dic cum Portel, quod in illo decreto Summus Pontifex intellexit, vt ibi vagi, v. g. tunc etiam pro paruo tempore communicent, id est, à potente Eucharistiam ministrare, non autem limitat, quod sit Parochus, vel hic, aut ille, sed mens eius est, quod satisfaciant communicando ibi in illo incolatu.

Ad secundum respondeo cum Portel, & Sanchez *ubi supra*, quod nullo iure probatur, vt Cathedralis sit communis omnium Diocesis, neque vllò textu probatur, vagos, & peregrinos ad illam debere confluere.

Notandum est etiam hæc obiter cum Portel *loco cit. n. 9.* quod seruis, & domesticis intra Conuentum degentibus in morte, & in die Paschatis possunt Religiosi ministrare Eucharistiam, & extremam Vnctionem, & Confessionem. Et idem dicendum est de famulo coniugato, qui nocte dormit extra Conuentum, huic enim poterunt eadem Sacramenta ministrari; est enim commensalis continuus, ac de isto, si intra Conuentum sit in articulo mortis, cum semper ferè vixerit intra Conuentum, ac de stipendio illius, puto illi dandam esse à Fratibus extremam Vnctionem: secus autem si sit extra Conuentum. Ita Portel, qui citat privilegia Pontificum, quæ an sint hodie reuocata per Bullam Urbani VIII. vide Leonem *de offic. confess. tom. 2. recollect. 10. n. 10.*

Nota etiam quod Religiosus, qui cum licentia certò præsumpta, & moraliter certa Parochi alieni ministrat Eucharistiam in articulo mortis, & in die Paschatis, sciens certò moraliter, quod Parochus amicus id velit, non peccat, neque incurrit censuram quia habens talem certitudinem moralem de Parochi voluntate, de eius licentia facere censetur. Ita Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 72. sect. 2. ver. hinc*, quem citat, & sequitur Portel *ubi supra, n. 7.*

An Regulares virtute suorum privilegiorum possint absoluerè à censuris ab Episcopo reseruatis, non obstantè Decreto Clem. VIII. & Cardinalium declaratione?

RESOL. XIII.

Negatiuam sententiam docet P. Marullus in suis eruditissimis disputationibus, quas nouissimè edidit, *tom. 1.*

disp. 1. c. 2. dist. 4. n. 575. putat enim, quod sub prohibitione casuum reseruatorum in dicto Decreto Clementis, comprehenduntur censuræ, nam ratio prohibitionis Summi Pontificis militat etiam in censuris.

At his non obstantibus affirmatiuam sententiam tenet noster Megala *in 1. part. lib. 1. c. 3. n. 10.* vbi sic asserit. Nec tali privilegio obstat reseruatio censurarum, quam Episcopi faciunt. Quia quamuis Decretum Sacræ Congregationis publicatum die 9. mensis Ianuarij 1601. & declaratum die 26. Nouembris 1602. restringat dictum privilegium quoad casus, quos ordinarij locorum sibi reseruauerunt, vel in posterum reseruabunt, tamen cum dictum decretum loquatur tantum de casibus, non habet locum in censuris, nam in diuersis non fit illatio, *ex l. Papinianus, ff. de minor. cap. ad audientiam, de decimis*, & censura non est casus, sed pœna casus, vt dicit Nauarrus *in man. c. 27. n. 262.* Ita Megala. Vnde vtramque opinionem puto esse probabilem.

Displicet verò mihi id, quod Marullus *ubi supra* asserit, nempe falsam esse sententiam Suarez *tom. 4. disp. 28. sect. 3. num. 13.* asserentis posse Prælatos Regularium excommunicationem reseruare, non obstante quodam motu proprio Clem. VIII. in quo abstulit Prælatibus Regularibus facultatem peccata reseruandi; nam sententiam Suarez puto probabilem esse, & illam tuetur Faustus *in speculo relig. lib. 6. præc. 88.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 58. n. 5.* Coriolanus *de cas. reseru. part. 1. sect. 11. art. 6. n. 1.* Fagundez *part. 2. lib. 8. cap. 4. num. 5.* & alij, quæ opinio multam probabilitatem confert opinioni Megalæ superius adductæ. Licet ego magis probabiliter cum multis alijs, vt alibi diximus, putem, Prælatos Regulares, stante dicto Decreto Clem. VIII. non posse excommunicationem sibi reseruare.

Notandum est tamen hæc obiter primo, quod Comitolus *in respons. moral. lib. 6. quest. 9.* & Marullus *ubi supra* docent, quod si Confessarius in excommunicationem incidat Papæ reseruatum ex Decreto Clem. VIII. quia absoluit à casibus reseruatis, non posse absolui à Regularibus vigore suorum privilegiorum etiam stante moderatione dicti Decreti facti a Sacra Cardinalium congregatione. Verum aliqui contra uero docent, quia excommunicatione, de qua loquimur, neque in Bulla Cœnæ, neque in exceptione ex casuum, in secundo decreto contentorum, comprehensa videtur, qui soli casus videntur exclusi à iurisdictione Regularium, qui ante primum Decretum, vigore suorum privilegiorum à Pontificiis casibus absoluebant, vt patet ex illis verbis secundi decreti, ibi ipsum decretum ita moderatum, &c. Sed exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; ergo, &c. Et hanc sententiam esse probabilem, patet ex ipomet Marullo *ubi supra n. 581.* Nam negatiuam, quam ipse tenet, vocat probabilior.

Nota etiam secundò, quod Paulus V. die 7. Ianuarij ann. 1617 confirmauit, & aliqua addidit supradictis Decretis Clem. VIII. ita vt aliqui opinati sint in supradicto Decreto Pauli V. fuisse abrogata simpliciter omnia privilegia, & facultates, non solum absoluedi à casibus, & censuris Bullæ Cœnæ, violationis immunitatis ecclesiasticæ, & alijs in declaratione, seu moderatione Decreti Clem. VIII. recensitis, verum etiam ab omnibus alijs, Romano Pontifici reseruatis; & hoc per illa verba. Ac insuper designat nouam legislatoris dispositionem ab antiquis omnino distinctam, vt patet ex textu *in cap. statutum, §. insuper, ubi glossa, de rescriptis n. 6.* Sed hanc sententiam refellit Duardus *in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2. quest. 1. num. 31. & seq.*

Nota tertio contra Megalam *in 1. part. lib. 1. cap. 13. num. 21.* quod Decretum supradictum Clementis VIII. non derogat privilegijs Regularium, & Confessariorum in suburbis ciuitatis Romæ commorantium; quia licet in materia odiosa, appellatione Urbis, seu Ciuitatis non veniant suburbia; secus verò dicendum est

est in materia fauorabili, & ita hanc sententiam terminis tenet Marullus *ubi supra*, diff. 2. n. 556.

Nota quartò, non ligari excommunicatione in dicto Decreto contenta, confessarios, absoluentes à casibus Episcopo reseruatis à iure; ex quo inferitur, Regulares, qui antea habebant priuilegium absoluendi ab omnibus casibus, & censuris, etiam Papæ reseruatis, posse non obstante dicto decreto, nunc vigore dictorum priuilegiorum absoluere à casibus à iure Episcopo reseruatis, sicut antè potuerant; & posse etiam absoluere à casibus Papalibus occultis, quia huiusmodi casus post Concilium Tridentinum sunt Episcopales, vt notat Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54. n. 27.* cui nouissimè addendus est Marullus citatus *disp. 1. c. 2. diff. 11. n. 540. vbi etiam. n. 138.* notat, & rectè, ad incurrendam dictam excommunicationem in supradicto Decreto, contra Confessarios latam, non sufficere ignorantiam, etiam crassam, siue iuris, siue facti, quia fertur tantum contra presumentes absoluere, quod verbum denotat requiri scientiam in absolvente, vt plerique tradunt Doctores.

Tandem nota quintò, quod dictus Marullus *loc. cit. num. 542.* putat aduersum me *in tract. 3. Miscellan. resol. 3. Gambaruptam de cas. reseru. cap. 3. num. 8.* supradictum Decretum Clem. VIII. derogare priuilegiis Regularium existentium in Insulis Siciliae, Sardiniae, & Corsicae. Sed ego nostram sententiam puto iterum probabilem esse, & ita illam etiam existimant multi viri docti Societatis IESV, & nostrae Religionis, nunc post Marullum visum, de hac re à me consulti.

An Confessarij Regulares possint dispensare cum secularibus ad petendum debitum, si à suis Superioribus ad hoc minimè deputati fuerint?

RESOL. XIV.

Videtur affirmatiuè respondendum ex Peregrino *in compen. nostrorum priuilegiorum part. 1. tit. dispensatio, §. 8.* vbi sic ait: Confessarij nostrae Cõgregationis possunt in foro conscientiae dispensare cum secularibus inter coniugatos, quorum alter eorum cum alterius consanguinea adulterium perpetravit, ad petendum debitum coniugale. Ita etiam docet Sayrus *in clau. Regia lib. 6. c. 11. num. 98.* Vnde Ioannes Suarez *in Enchiridic. casuum conscientia lib. 5. ver. debitum coniugale, §. incestuosus coniux,* sic asserit. Regulares dispensare possunt cum incestuoso ad petendum debitum, si sint deputati à Prouincialibus. Verum alij hanc limitationem non referunt, sed absolutè docent concessum fuisse Confessariis Ordinum Minorum, & Prædicatorum, vt absque alia facultate possint in dicto casu dispensare. Ita ille, qui citat Peregrinum in compendio nostrorum priuilegiorum.

Sed ego contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, vt patet clarissimè ex verbis priuilegiorum, quæ hanc facultatem tantum concedunt Confessariis deputatis ad hoc à Prouincialibus, & ideo docent hanc sententiam omnes, qui super priuilegia Regularium diligentissimè scripserunt, vt Rodriquez *tom. 1. q. 63. art. 1. Portel. in dubiis Regular. ver. Abbas, n. 5. & ver. Confessor erga seculares, n. 18. & 23.* Ioan de la Cruz *de statu relig. lib. 2. c. 6. dub. 9. concl. 1. & 2.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 43. n. 10.* Hieronymus Rodriquez *in compen. 99. Regular. resol. 104. num. 15.* Rebellius *part. 2. lib. 3. quest. 18. num. 16.* & Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. diff. 51. num. 5. & diff. 52. num. 10.* vbi sic asserit. [Puede dispensar para pedir el debito el Comissario de la Cruzada, conforme al tenor de su comission, y puede tambien dispensar el Obispo, como tiene Soto; y esta en vso pueden lo mismo los confesores de nuestra Orden, y los que gozan de nuestros priuilegios, como tengan comission, para ello de sus Prouinciales, y no espira esta

Anton. Diana Ref. Mor. Pars. III.

comission, aunque muera el Prouincial, d'acabe su officio.] Ita ille.

Nec Peregrinus, Sayrus, & alij faciunt contra nos, nam fateor magis clarè loqui debuisse: attamen, ipsi, vt patet, præbent Confessariis hanc facultatem iuxta priuilegia Pij V. Iulij II. &c. Sed dicti Pontifices facultatem concedunt per dicta priuilegia Confessariis à Prouincialibus ad hoc specialiter deputatis, ergo etiam secundum Peregrinum, & alios id absolutè efficere minimè possunt Regulares, nisi à Superioribus ad id fuerint designati. Igitur explicandus est Peregrinus, & alij secundum tenorem priuilegiorum, quæ citant, aliter nec sunt audiendi, nec sequendi, vt perperam illos intellexit, & sequutus est Suarez *ubi supra.*

Notandum est tamen, quod post hæc scripta inueni, Molfesium *in summ. tom. 1. tract. 4. c. 12. n. 42.* quem sequitur Leone *de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 10. n. 125.* docere Confessarios Societatis IESV habere hanc facultatem ab A.R.P. Generali, & citat pro hac sententia Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 5. disp. 16. num. 1.* qui tamen non loquitur in casu nostro, sed in dispensatione votorum, in quo casu etiam loquitur Priuilegium nostrae Religionis, quod adducit Molfesius, qui confundit hos duos casus multum inter se diuersos, ratione diuersitatis priuilegiorum Summorum Pontificum. Nam in Priuilegio Pij V. concedentis dispensationem in incestu, habetur, quod hæc auctoritas concedatur à Prouinciali viris Religiosis, ac doctis, vnde non potest committi omnibus indiscriminatim, & absolutè. Et ideo mihi constat, quod in Societate IESV hæc facultas committitur à Prouinciali particularibus Confessariis, & non omnibus.

Notandum est tamen hic obiter cum Portel. *ubi supra in dubiis regul. ver. Prælati potestas, num. 20.* quod Prouinciales concedentes alicui subdito licentiam, vt possit dispensare cum impeditis ad petendum debitum, ab incestu, vel voto, non possunt datam licentiam reuocare absque iusta causa, faciunt enim iniuriam illi, qui habebat. Ita Portel, qui citat etiam Rodriquez. Nota etiam, vt alibi diximus cum dicto Portel *in addit. ad dubia regular. ver. Confessor dispensans, n. 13. & 14.* quod hæc dispensatio ad petendum debitum, potest fieri extra Sacramentum, & urgente necessitate in absentia per scriptum, quod est valde notandum.

An Abbates possint consecrare calices, altaria, campanas, & benedicere lapides, pyxides, & alta vasa ecclesiastica, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum?

RESOL. XV.

Negatiuè respondent Suarez *de relig. tom. 4. lib. 2. c. 30. n. 8.* Marius Antonius Maceratenis *lib. 2. resol. 112. cas. 3.* Aloysius Riccius *in praxi tom. 1. resol. 461. n. 2.* & Pialecius *in praxi, part. 1. c. 2. art. 4. n. 14.*

Sed hæc opinio vera est, stando in iure communi, vt patet *ex cap. Abbates, iuncta glossa in ver. consuram, de priuileg. in 6.* Verum ex consuetudine fundata in priuilegio Innocentij VIII. contrariam sententiam docent Barbosa *de potestat. Episc. part. 2. allegat. 26. n. 36.* Miranda *in man. Prælat. tom. 2. q. 40. art. 4.* Portel *in dubiis regular. ver. Abbas, n. 3.* Rodriq. *in summ. tom. 3. cap. 19. n. 2.* nouissimè Alcanius Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disp. 23. q. 13.* qui adducit verba priuilegij dicti Innocentij Papæ; & ideo sic asserit, Abbatibus non est interdictum campanas ad vsum alterius loci consecrare, vt docet communis praxis, & consuetudo. Videmus enim actu Abbates habentes vsum Pontificalium, consecrare campanas vnde cumque ad eos ad hunc effectum delatas. Et idem dicendum puto de Altaribus portatilibus, de corporalibus, & vestibus, &c. Ita Tamburinus. Vide etiam Riccium, virum quidem doctum, sed in hoc sibi contrarium

in collect. prat. 4. col. 955. qui male citat pro hac sententia Maceratenlem.

Quoad consecrationes campanarum, etiam idem dicendum est ex priuilegiis Urbani I I. & Pauli I I I. quæ referuntur à Tambur. *vbi supra q. 12.* & à Renato Chopino *in monast. lib. 1. tit. 2. n. 18.* Ex quibus omnibus priuilegiis sententiam in fauorem Abbatum tenuit Sacra Cardinalium Congregatio, vt testatur noster Pater Naldus *in summ. ver. Abb. n. 4.* vbi sic asserit. Abbas benedictus mitræ, & baculi pastoralis vsum habens, ex Sacræ Congregationis declaratione non potest se ingerere in illis benedictionibus, in quibus vnctio requiritur. Dubitatũ verò fuit, an huiusmodi declaratio, seu prohibitio sit intelligenda de omnibus Abbatibus etiam Regularibus, & qui gaudent priuilegiis amplissimis pro benedictionibus altarium, calicum, & huiusmodi; & eadem Sacra Congregatio, instante Procuratore Generali Congregationis Cassinensis, & exhibente summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusdem, declarauit in hæc verba, videlicet Decisionem, aliàs à se editam, vt Abbates vtcumque benedicti, benedicere non possint ea, in quibus vnctio requiritur, non obstat quominus iidem prædictæ benedictionis munus quoad ea, in quibus vnctio requiritur, impendere queant, si specialibus Sedis Apostolicæ priuilegiis, quibus Concilium Tridentinum nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum Romæ die 10. Nouembris 1614. Hæc omnia Naldus.

Notandum tamen est cum Miranda *vbi supra*, quod supradicto priuilegio non perfruuntur, nec perfrui possunt aliæ Religiones, priuilegium etiam habentes communicationis. Nam prædicti Abbates sunt benedicti, & in suis domibus & Monasteriis habent iurisdictionem, quasi Episcopalem, & secundum ius, ac priuilegia multa sibi conceduntur, quæ non conueniunt, nec conceduntur Prælati aliarum Religionum, quod est multum notandum, ac memoriæ commendandum; nam in his, & similibus non fit communicatio, cum non militet eadem ratio.

An Nouitius, qui redit ad seculum, teneatur ad expensas, quas in eum alendo Monasterium fecit?

R E S O L. XVI.

Affirmatiuam sententiam posse aliquem sustinere, docet Peregrinus *in comment. ad nostras constitut. part. 2. c. 1. lit. G. §. 10.* Quia Concilium Trident. *sess. 16. de Regul. c. 15.* habet, quod discedente Nouitio à Religione ante Professionem, si aliquid acceperunt Religiosi ex bonis Nouitij, parentibus dicti Nouitij tenentur restituere, (nota) excepto victu, & vestitu Nouitij. Non enim hoc dixisset Concilium, nisi dicti Nouitij tenerentur. Deinde in Monasteriis mulierum consuetudo est vniuersalis, vt Nouitij alantur à parentibus, vel curatoribus. Ergo cum Concil. Trident. loquatur de Nouitiis, tam fœminis, quam masculis, sequitur idem obseruandum esse in vtriusque. Ita Peregrinus.

Sed hæc opinio est contra communem DD. sententiam, quam tuentur 13. Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 6. c. 10. n. 4.* quibus add. Ioannem Suarez *in Enchiridio casuum conscientie lib. 3. ver. Religio, §. Nouitius egressus.* Faultum *in thes. relig. lib. 5. q. 191.* Villalobos, & Suarez *vbi infra.*

Dico igitur Nouitios ex Religione egredientes nullatenus teneri ad expensas, quia cum liberè possint redire ad sæculum, si ad expensas tenerentur, possent ex hoc aliquando teneri; ergo, &c. Deinde redditus, aut elemosynæ Monasterij, non tantum sunt ad alendos Professos, sed etiam Nouitios. Et tandem is, qui ingreditur Religionem, statim se offert seruitio, & vtilitati Religionis, & de facto illi deseruit, ideo debitum est, vt eius bonis alatur.

Restat modò respondere ad argumenta Peregrini, & ideo.

Ad primum dico, quod si is, qui ingreditur Religionem in sustentationem suam, pro tempore Nouitatus aliquid Religioni donet, non teneri postea Religionem illi egredienti restituere, nisi eam partem, quam non consumpsit pro rata temporis. Et hoc secundum Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 11. num. 5.* & alios, determinat Concilium à Peregrino adductum; vnde non loquitur in terminis casus nostri, vbi nulla donatio, vel obligatio Nouitij, aut parentum intercedit.

Ad secundum respondeo, ex consuetudine vniuersali omnium Religionum ita fuisse interpretatum Concilium Tridentinum, vt in ipso comprehendantur solum Nouitiæ fœminæ, & ideo Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 16. num. 6.* sic asserit. [El nouitio que se sale de la Religion, no esta obligado à pagar los alimentos del nouiciado. La razon es, porque si el monasterio le alimento, tambien el lo seruió, y no obsta si à caso estuuo malo, que esso es accidental, y assi està en costumbre, que no son los nouicios, como las nouicias quanto à esto.] Ita ille, Suarez, & alij communiter.

Illud verò quod addit Peregrinus, quod Magistri Nouitiorum benè experti sunt, Nouitios non seruire Monasterio, cum sint inexpertes rerum pertinentium ad Religionem, sed potius Monasterium seruire Nouitio, hoc inquam mihi non placet, sicut neque placuit supradictis Doctoribus, qui Religiosi fuerunt, & tamen dixerunt Nouitios seruire Monasteriis, & mereri alimenta pro dicto seruitio. Et ego puto, quod quilibet Nouitius licet stolidus, ordinariè loquendo, pro seruitiis Monasterio exhibitis, victum, & vestitum meretur; maxime in nostra Religione, vbi tam parè induimur, & comedimus. Igitur absolurè nostram sententiam tenendam esse existimo, & ita his diebus in facti contingentia consului, nec aliter tenendum est.

An Nouitius in articulo mortis constitutus, non expleto probationis anno ad professionem admitti possit, & si moriatur sine testamento, an succedat in bonis eius Monasterium?

R E S O L. XVII.

Respondeo affirmatiuè cum Beia *part. 4. cap. 38.* Sanchez, & aliis DD. *vbi infra*, ex priuilegio Pij V. anno 1570. die 23. Augusti, quod asserit Rodriguez *in qq. regul. tom. 6. quest. 15. art. 6.* quidquid in contrarium asserat Ioan. de la Cruz *de stat. relig. lib. 1. c. 8. dub. 4. & lib. 2. cap. 3. dub. 6. concl. 3.* Emmanuel Sa *ver. Religio, num. 56.* asserentes dicto priuilegio fuisse postea derogatum à Gregor. XIII.

Sed difficultas est, an si dictus Nouitius moriatur, succedat Monasterium? Peregrinus *in compen. nostrorum priuileg. tit. Nouitius, §. 2. in scholio*, negat, quia illud priuilegium fuit concessum ad lucrandum indulgentiam plenariam, qua gaudent Religiosi in illo articulo. Deinde priuilegium debet striçte interpretari, quando vergit in præiudicium tertij. Ita Peregrinus.

Verum ego contrariam sententiam teneo, quam tuetur ex nostra Religione P. Megala *in part. 2. lib. 2. cap. 17. num. 50.* ex Societate IESV P. Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 4. num. 16.* ex Dominicanorum familia P. Zanardus *in Direct. Theol. part. 2. num. 17.* ad finem Idem etiam docent Peirinus *in priuileg. Miraculorum, tom. 2. Constitut. B. Pij V. §. 2. num. 1.* Ioannes Suarez *in Enchiridio casuum conscientie lib. 3. ver. de Profess. §. monialis Nouitia.* Faultus *in Thesaur. Relig. lib. 5. quest. 167. n. 4.* & alij. Ratio est, quia etfi Confessionis finis sit consolatio Nouitij, & spiritualis ipsius fructus, & nulla successione Monasterij in bona mentio ibi fiat: at vbi semel virtute illius priuilegij professus est, redditur verè in posterum professus,

nec ad pristinam sanitatem restitutus indiget alia professione, sed fruatur omnibus professorum privilegiis: at eo ipso, quod aliqua persona proficitur, succedit Monasterium ipsi. Quare Pontifex nulli iuri alterius in hoc derogat. Ius enim venientium ab intestato est, ut Nouitio decedente ab intestato ipsi succedant; quando autem virtute privilegij proficitur, non decedit Nouitius. Et hæc omnia docet Sanchez *ubi supra*. Ex quibus patet responsio ad argumenta Peregrini.

Adde quod Megala *ubi supra*, tenet ex Decio, & aliis bona Nouitij decedentis ab intestato ante emissam professionem, Monasterio acquiri. Ergo multo magis acquiri debent, si tempore mortis Nouitius intestatus proficere. Vnde secundum sententiam Megalæ non obstat dicere cum Peregrino, quod privilegium Pij V. conceditur tantum ad indulgentiam lucrandam; nam opinio Megalæ non fundatur in privilegio, sed in dedicatione personæ, & bonorum, quæ fit tempore simplicis ingressus in Religionem: sed ego puto cum Zanardo, Sanchez, & aliis, nostram sententiam esse veram secundum privilegium Pij V. Quidquid asserat Peregrinus, & Rodriguez *tom. 3. q. 15. art. 6.* Portel. *in dub. regul. ver. Nouitij, n. 5.* Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 15. n. 12.* & alij.

An Religiosus, si ex consuetudine non recitat Horas canonicas in Choro, peccet mortaliter?

RESOL. XVIII.

Affirmatiue respondet Peregrinus *in comment. ad nostras constit. p. 1. lit. B. §. 3.* ubi sic ait. Religiosus, qui sine iusta causa omittit recitare Horas canonicas in choro, quamuis priuatim illas recitet, mortaliter peccat, si habet consuetudinem non recitandi in choro. Sic ille, qui citat Syluestrum, & Angelum.

Sed hæc opinio mihi non placet, quia obligatio canendi in choro per se, & directe non afficit singulares personas, sed totam communitatem. Vnde Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 10. n. 15.* sic ait. De Religiosis, qui chorum profitentur, existimo non teneri ex vi generalis legis, seu præcepti obligantis sub culpa mortali ad canendum in choro, nisi ubi fuerit speciali consuetudine hoc præceptum, ita expresse declaratum, & impositum est, vel si alicubi proprium votum de hoc fieret, quod in nulla Religione credo fieri, neque etiam scio in aliqua esse consuetudinem, illo modo obligantem. Nec enim consuetudo chori est in hoc sensu in Religionibus introducta, sed solum, ut horæ in choro omnino dicendæ sint; & omnes adesse debeant iuxta regulam, & quod in hoc deficientes pœnæ subiaceant, non verò quod in hoc grauiter peccent, dummodo alias horas recitent. Ita ille, & post illum Raphaël de la Torre *2. 2. D. Thom. tom. 1. contr. 10. de Horis canon. disp. 1. num. 6.* ubi sic ait. De Religiosis, qui ex vi suorum statutorum profitentur chorum, maior ratio dubitandi est, an peccent, & existimo, non teneri ex lege, aut præcepto generali, aut aliquo iure; quod certe ad Religiosos non dirigitur; tenebuntur autem ex vi præcepti, si quod reperitur in aliqua Religione, quod credo in nulla esse. Superest ergo, ut si aliqua obligatio sit, ea ortum habeat ex obligatione seruandi suas constitutiones; sed credo iam omnes, aut ferè omnes Religiones, se ab hoc vinculo liberasse. Et in Ordine Prædicatorum in Prologo dicitur. Volumus ut nostræ constitutiones non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam. Et consuetudo & iussio Chori in Religione hac, & ut existimo etiam in aliis, in hoc sensu introducta est, ut omnes horæ in Choro canantur, non verò quod grauiter peccent, imò neque leuiter in Ordine præfato Prædicatorum, secluso contemptu & præcepto. Ita ille. Et hanc sententiam docent etiam Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 4. n. 239.* & Bonacina *de horis canon. disput. 1. q. 1. punct. 1. n. 9.* cum Fausto *de horis canon. lib. 2. quest. 186.*

Ex his omnibus apparet Religiosos particulares non

esse astrictos recitare Horas Canonicas in choro. Vnde nescio qua ratione Peregrinus dixerit illos peccare, si hoc frequenter facerent; nam ex aliqua lege, vel consuetudine ad id non tenentur, ut satis probatum est; quod verò id frequenter faciant, non potest esse peccatum mortale, quia ex consuetudine frangere aliquam regulam, non obligantem ad culpam secluso contemptu, non esse peccatum lethale docet ipsemet Peregrinus *in proemio constit. lit. B. fol. 29.* & alij communiter; ergo, &c. Vide etiam Bartholomæum à sancto Fausto *in Speculo religiosorum lib. 6. q. 152.* Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 6. cap. 4. n. 17. & 18.* Ledesmam *in addit. ad summ. cap. 4. concl. 12. dub. 1. fol. mihi 157.*

An Religiosi negantes suffragium Nouitio idoneo peccent mortaliter?

RESOL. XIX.

Peregrinus *in comment. ad nostras constit. p. 2. cap. 5. lit. B. §. 1.* negatiuam sententiam probabilem putat, quam docet Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 5. cap. 4. n. 59.* qui ait. Sicut culpa nouitij leuiter retrocedentis est solum venialis, ita etiam negantes suffragium non peccant plus quam venialiter, non enim magis obligatur Religio Nouitio, quam Nouitius ipsi Religioni, quoad culpam.

Verum hæc opinio summopere mihi displicet, & nullus auctor, quem ego legerim, neque ante, neque post Sanchez hanc sententiam docere ausus est; & ideo Sanchez nominatim impugnant Vechius *in praxi Nouitiorum d. sp. 1. 2. dub. 1. n. 4.* Portel. *in addit. ad dub. regul. ver. Nouitius, num. 17.* Faustus *in Thesaur. Relig. lib. 5. q. 213. & 214.* Corduba *in Regul. Minor. c. 2. q. 2. & 11.* cum Miranda *in Manuali Prælatorum tom. 1. q. 25. art. 12. concl. 1. & 2.* Sed audiamus in hac re P. Suarez sic differentem *de Religio. tom. 3. lib. 4. cap. 3. num. 7.* Existimo ministros Religionis grauiter peccare expellendo Nouitium idoneum sine causa rationabili, vel quia abutuntur potestate iurisdictionis sibi concessæ, ratione cuius ex officio tenentur, & bonum Religionis procurare, & quasi iustum iudicium ferre in causa. Videntur etiam mihi peccare contra charitatem respectu Nouitij, quia priuant illum magno bono, & grandi periculo exponunt. Quæ rationes non habent locum in ipso Nouitio, quia disponere potest de se ipso, non ut minister, aut dispensator, sed ut dominus, & potest cedere iuri suo. Ita Suarez.

Vnde patet responsio ad argumentum Sanchez & Peregrini; est enim dispar ratio inter obligationem Nouitij, & Religionis. Nouitius enim secluso voto recedens absque vlla causa ratione leuitatis, peccat tantum venialiter non enim peccat contra charitatem, eo quod inde non resultat nocumentum alicuius momenti Religionis: non etiam peccat contra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promisit. At Religio, seu Religiosus negans absque iusta causa suffragium, peccat contra charitatem, ut probatum est, & peccat, quia abutitur potestate incorporandi Religionis, qua tenetur bonum Religionis procurare & iustum iudicium ferre. Ex quibus aperte constat in hac obligatione, quæ non est iustitiæ commutatiuæ, sed distributiuæ, vel charitatis, non esse mutuam obligationem inter Nouitiū, & Religionem, ut supponit Sanchez.

Deinde probatur supradictos peccare mortaliter; nam communiter Doctores docent retrahentes quempiam sine iusta causa ab ingressu Religionis, lethale peccatum committere contra charitatem. Sed Religiosus, qui negat suffragium idoneo Nouitio non solum retrahit, sed illum expellit à Religione; ergo peccatum mortale committit. Quod verò retrahentes aliquem à Religione peccent, ut diximus, mortaliter, docent Portel *in dub. Regal. ver. Religiosus, n. 13.* Peirinus *de relig. tom. 1. q. 1. c. 29.* Rebellius *p. 1. lib. 4. q. 15. n. 5.* Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 62. art. 2. quaritur 1. concl. 1. & 2.* Lessius *lib. 2. c. 8. dub. 13. n. 12.* Laym. *in Theol. moral. lib. 3. sect. 6. tract. 2. c. 8. n. 2.* Molina *de*

iustitia tom. 5. tract. 4. disput. 5. n. 2. vers. secunda vero pars. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 11. diff. 26. n. 1. & 2.

Dicendum est igitur Religiosum negantem iustitiam Nouitio idoneo peccare mortaliter, quidquid asserat Peregrinus opinionem Sanchez esse probabilem.

An Confessores Regulares possint extra sacramentum Pœnitentia absoluerè à censuris ratione suorum priuilegiorum?

R E S O L. XX.

Negare videtur Suarez in 3. part. tom. 5. disp. 7. sect. 5. n. 36. & Nauarrus in manuali c. 28. n. 31. Sed vterque mutauit sententiam, hic in conf. 11. n. 2. de priuileg. ille in tr. de leg. lib. 8. c. 6. n. 15. & 16. Ideo affirmatiuam sententiam omnino tuendam esse puto, quam docent Coninch. de Sacram. disp. 14. dub. 1. n. 253. Auila de censur. p. 2. c. 7. dub. 23. & alij; quod etiam procedere debet in Confessariis, quando absoluunt excommunicationem virtute Bullæ Cruciatæ, vt aduersus Vasquez, Filliucium, Sanctarellum, & alios satis probaui in tract. Bullæ Cruciatæ, resol. 25.

Notandum est etiam hic cum Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 21. & aliis, hanc doctrinam multo magis locum habere in dispensationibus super irregularitate, voto, iuramento, petitione debiti, quarum facultates si Confessariis alicuius Ordinis delegate sunt, non rectè inferuntur, quod eas extra sacramentum Pœnitentiæ exercere non possint, nam à sacramentali absolutione nullo pacto dependent, sed de hac quæstione iterum redibit sermo.

An Confessarius eligendus virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi, debeat esse approbatus ab Episcopo, etiam quoad Regulares?

R E S O L. XXI.

Affirmatiuè respondent Nald. in sum. ver. indulgentia, n. 9. Molfesius in summ. tom. 1. tr. 7. c. 16. n. 27. cum Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 28. sect. 6. n. 11. Henricus lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 4. in gloss. lit. K. Homobonus tr. de cas. reseru. p. 1. c. 6. Lopez p. 1. c. 26. Ledesma in sum. tom. 1. de sacram. Pœnit. cap. 13. dub. 6. & hanc sententiam amplexi sunt Patres Societatis I E S V, & eam obseruant in praxi, eo quod vbi eorum Prælatus concedit licentiam alicui subdito fruendi facultate eligendi Confessarium per Bullam, aut Iubilæum, pro reseruatis eligendus est approbatus ab Episcopo, teste Henriquez de indulg. c. 22. n. 5. in fine, vnde non sufficit esse approbatus à Prælato regulari.

Non reticeam tamen contrariam sententiam præter Rodriguez in explicat. Bullæ Cruciatæ, §. 9. dub. 6. n. 9. docere etiam nouissimè doctum Ioannem Valerum in diff. vtriusque fori, ver. absol. differ. 1. n. 33. & seq. vbi latè tractat hanc quæstionem, & tandem in fine sic asserit. Supradictis tamen non obstantibus teneo negatiuam opinionem. Vnde dicendum est, quod per facultatem Bullæ Cruciatæ, & Iubilæum, nulla alia exigitur approbatio, quam illa Prælati Regularis, maxime stante dicta declaratione Clem. VIII. per quam tollitur omne dubium illorum verborum appositorum in plumbea Cruciatæ, & Iubilæi, scilicet approbati ab Ordinario. Si enim in omnibus, spectantibus ad confessionem Regularium, standum est statutis, & constitutionibus Ordinum, & Prælatorum dispositionibus, ad quid quærimus, si vltra id requiratur approbatio Episcopi, cum satis constet non requiri? nam si voluisset, dixisset cap. ad audientiam, de decimis. Ita Valerus. Et hanc sententiam docent etiam ex aliis rationibus Fernandez in exam. resol. moral. p. 3. cap. 9. §. 8. n. 7. Zanardus in direct. p. 1. de sacram. Pœnit. cap. 21. q. 32. Coriolanus de cas. reseru. part. 1. sect. 3. art. 16. & alij, non solum si regularis confiteatur approbato sui Superioris, sed etiam alterius Religionis.

An reuocatio confessionum, præsertim quoad Regulares, facta ab Episcopo sine iusta causa, sit nulla?

R E S O L. XXII.

Talem reuocationem non esse nullam docet nouissimè ex Vasquez Turrianus de pœnit. q. 8. art. 1. disp. 26. dub. 3. Imò Ioannes Sancius in selectis disp. 48. n. 23. tenet etiam non interueniente causa posse Episcopum licentias confitendi reuocare.

Sed ego puto cum Portel in dubiis Reg. ver. confessoris presentatio, n. 1. non posse Episcopum licitè sine iusta causa approbationem semel concessam reuocare, quia potestas illi data est in ædificationem. Deinde puto etiam probabiliter, licentiam sine iusta causa reuocatam esse nullam, & posse talem Confessarium ex vi prioris licentiæ confessiones audire. Et hanc sententiam docet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 28. sect. 8. dub. 7. Ratio est, quia talis reuocatio sine causa facta, est quasi ablatio iuris iam acquisiti, vel quasi reuocatio sententiæ iustæ sine causa; ergo non tantum erit iniusta, sed etiam nulla. Et licet hæc opinio quoad Confessarios sæculares, non sit ita certatamen quoad Regulares omnino tenendam esse puto, per ea quæ adducunt Henriquez lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 4. & Peirinus de priuileg. Minior. tom. 1. const. 26. Leonis X. §. 6. n. 7. vbi sic ait. Si Episcopus Regularem debitè præsentatum, & examinatum indebitè reprobauerit, poterit nihilominus per eius priuilegia licitè, & validè confessiones audire. Nec hoc est contra Concilium Trident. sess. 23. cap. 15. Nam credendum est, Concilium voluisse tantum idoneis ministris facultatem concedere confessiones audiendi per examen Episcoporum rectè, & rationabiliter iudicantium, non autem confouere aliquos eorum in suis passionibus, & odiis contra Regulares, & quandoque cum maximo Christi fidelium scandalo. Quare si quis Regularis cum licentia sui Prælati examinatus, & iudicio examinerum, vel maioris partis ipsorum fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter passionem fuerit ab Episcopo reprobus (saluo saniori, & meliori iudicio) puto, quod licitè, & validè poterit confessiones audire, si nihil obstat, v. g. quod non sit malæ famæ, nec scandalosè viuat, quod tamen præsumendum non est, quando adest legitimi Superioris licentia. Ita Peirinus, qui adducit Nauarum, Mirandam, Rodriguez, & alios asserentes Clem. Dudum de sepul. per Concilium Trident. non esse reuocatam.

Igitur si Regularis potest audire confessiones, si iniuste ei licentia denegatur ab Episcopo, etiam poterit illas excipere, si iniuste reuocetur. Et tandem hanc sententiam præter DD. citatos tenet etiam Zanardus in direct. Theol. p. 1. c. 24. §. 7. vbi sic ait. Non possunt Ordinarij suspendere, vel impedire Regulares ab audientia confessionum si semel eos approbauerunt; nam non habent nisi eos examinare, non autem eis iurisdictionem dare, cum examine illam intelligantur ante, qui à Papa ex suis priuilegiis, &c. Ita Zanardus. Verum in facti contingentia consulo Regularibus, vt ab excipiendis confessionibus se abstineant.

An casus reseruati desinant esse tales, si Superior Regularium reseruans munere suo functus fuerit?

R E S O L. XXIII.

Non esse amplius reseruatos existimo ex doctrina, quam asserit Iacobus de Granado in p. 2. D. Thom. const. 7. tract. 1. disp. 7. n. 6. vbi sic asserit. Si Prælatus præcipiat vno subdito, au toti Conuentui, vel prouinciæ aliquid, & ei subditi paruerint, dum viueret, eo ipso quod moriatur vel ab officio amouetur, cessat obligatio præcepti, sicut & cessat excommunicatio ab homine, cum moritur, qui eam fulminauit. Ita ille.

Sed diceas, hoc verum esse in aliis Religionibus, non autem in nostra Clericorum Regularium: nam per Decretum Capituli generalis ann. 1610. *tit. de Præposito, Vicario, & vocalibus, §. 6.* sic habetur. Decreta, seu statuta à Patre Generali, seu à quolibet alio Præposito in sua domo facta, indictæve in suo robore permanent, & vnulquisque accuratè ea seruet, etiamsi ad Generale Capitulum illi se contulerint, munusque suum abdicauerint, quousque à Generali Capitulo, vel à successore speciatim abrogentur. Attamen noster P. Megala in *1. p. lib. 1. c. 12. n. 5.* putat prædictum Decretum in nostra Religione non habere locum quoad reservationem casuum, quia loquitur de Decretis, & statutis ab ipsis Superioribus factis, & reservatio casuum, quæ fit ab ordinariis Superioribus Religionis, non est neque Decretum, neque statutum; ergo, &c. Vnde Vicarij nostrarum domorum casus præcedentis Patris Præpositi sibi referuent, si volunt eos reservatos esse.

An si Episcopus sine iusta causa non admittat Regulares ad confessiones audiendas, possint non obstante dispositione Concilij Tridentini confessiones audire, ac si essent approbati?

RESOL. XXIV.

Negatiuam sententiam docent Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 28. sect. 1. n. 5.* Coninch. *de Sacram. disp. 8. dub. 7. n. 58.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 257.* Barboza in *collect. tom. 3. p. 2. lib. 3. Clem. tit. 7. Clem. dudum, n. 8.* Syluius in *addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. queritur 4.* Valquez in *3. p. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 3. n. 2.* Pitigianus in *4. sent. tom. 2. distin. 17. q. unica, art. 4. dub. 4.* Sancius in *select. disp. 48. n. 16.* Reginaldus in *praxi tom. 1. lib. ... cap. 16. q. 5. n. 192.* Fernandez in *exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 8. n. 2.* & alij; quia Concilium statuens nullum, nisi habentem Parochiale beneficium, aut approbatum ab Episcopo, idoneum esse audiendis confessionibus, satis indicat ad eam idoneitatem requiri approbationem actu datam. Nam particula conditionalis, *nisi*, eam vim habet, vt si conditio requisita non ponatur re ipsa, non sequatur effectus. Sic enim facto statuto, ne quis bonis suis priuetur, nisi per sententiam iudicis declaratus fuerit hæreticus, quamdiu iudex aliquem non declarat talem esse, etiam si forè id iniuste faciat, ille non priuatur bonis suis, & sic de similibus.

His tamen non obstantibus non desunt præstantissimi viri, contrariam sententiam docentes, vt Cochier *de iurisdic. ord. in exempt. p. 4. q. 77.* Layman in *Theol. mor. lib. 4. tr. 6. c. 11. n. 4.* Finellus *de cas. referu. c. 3. n. 3.* Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 1. diff. 53. n. 3.* Peirinus *de Religioso subdito tom. 1. q. 1. cap. 21. §. 2.* Miranda in *manuali pralat. tom. 1. q. 45. art. 6.* Henriq. *lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 4.* Ioan. de la Cruz *de sacra Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1.* Rodriquez in *99. reg. tom. 1. q. 59. art. 2.* Sotus in *4. dist. 18. q. 4. art. 3.* Graffius, Angelus, Vega, Cenedus, quos citat, & sequitur nouissimè Fagundez *præcep. 2. lib. 7. c. 2. n. 15* nam in *Clem. dudum de sepul. ipso iure approbantur Mendicantes ad confessiones audiendas, si Episcopi ex odio non approbauerunt.* Et Concilium Tridentinum non reuocare dictam Clementinam probat solidè Fagundez, & ante illum Doctores citati, quibus adde iterum Rodriquez in *addit. ad Bull. Cru. §. 9. n. 30.* & Nauarr. in *manuali c. 27. n. 264. in fine.*

An Episcopi possint ex iusta causa approbare Religiosos ad audiendas confessiones limitatè, v. g. ad viros, & non ad fœminas?

RESOL. XXV.

Affirmatiuè respondeo cum Fagundez *præcep. 2. lib. 7. c. 2. n. 1.* & Doctoribus citatis in superiori resolutione pro prima sententia.

Sed his non obstantibus minimè grauabor hinc apponere verba Henrici Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 9. diff. 53. num. 2.* sic asserentis. [Hauendo iusta causa puede el Obispo no solamente limitar à los Religiosos la licencia de confessar quanto al tiempo, sino tambien quanto à las personas, como si por falta de sciencia limitasse, que no confessassen mercaderes. Lo mismo dicen estos Doctores, que puede hazer Obispo por falta de edad limitandoles, que solo confiesen hombres, y no muger hasta que tengan quarenta años. Mas lo contrario es probable, y se puede seguir seguramente, que ansi lo tuieron hombres doctissimos de la compania, que fueron consultados à cerca desto, lo qual lleua gran camino, mayormente que a penas parece que se puede dar caso, en que esto sea iustificado, y es menester para ello que aya causa iusta. La razon es, porque entodos los Obispados, se da vn beneficio curado a vn Clerigo de veynta y quatro años sin limitacion ninguna, y por el conseqüente puede confessar mugeres, non obstante que no tenga quarenta años, luego no puede hauer razon paraque se limite la licentia a los Religiosos, por esse respeto, pues se deue presumir dellos mayor virtud.] Ita Villalobos, & ante illum Vega in *sum. tom. 1. c. 62. cas. 7.* quem postea citat, & sequitur Portel in *dubiis regul. ver. Confess. 3.* Vide etiam Peirinum *de Relig. sub tom. 1. q. 1. c. 21. §. 2.* & Zenardum in *direct. Theol. part. 2. de sacrament. Pœnit. cap. 24. fol. 296.* Verum praxis Episcoporum est in contrarium, nam limitant Regularium confessiones ad viros, & non ad fœminas.

An Episcopus admittens Regulares ad audiendas confessiones, vsque ad beneplacitum, possit dictas licentias ad libitum reuocare?

RESOL. XXVI.

Ad hanc questionem ita respondet Peirinus *super Apriu. Min. tom. 1. const. 2. Sixti IV. §. 2. n. 44.* Licet communiter, quod ad beneplacitum conceditur, possit ad libitum concedentis reuocari. In subiecta tamen materia puto, quod non possit ad libitum Episcopus licentiam confessiones audiendi ad beneplacitum datam reuocare, sed quod requiritur iusta aliqua causa, & ad sacramentum Pœnitentiæ pertinens Moueor, nam licentia, quæ datur ab Episcopis Confessariis Regularium ad audiendas sæcularium Confessiones non est propriè licentia, sed approbatio personæ, & quasi iusta sententia, seu declaratio, quod talis persona est idonea ad confessiones audiendas, vt patet ex ipsis Concilij verbis *ss. 15. de refor. c. 25. vbi, & approbationem: vnde postquam Episcopi iudicauerint, Regulares esse idoneos ministros sacramenti Pœnitentiæ, statim Papa illis concedit facultatem dictum Sacramentum ministrandi, vt patet ex Clem. dudum, de sepul.* sed sententia data secundum regulas iustitiæ non potest reuocari; ergo dicta approbatio facta, vt supponitur, modis debitis, licet sit ad beneplacitum, non potest ab Episcopo reuocari absque magna causa, & ad dictum Sacramentum pertinente, vt ait Glossa in *Clem. dudum, ver. concesserint.* Ita Peirinus; sed non desunt alij Doctores contrarium sentientes, quod communiter obseruatur.

An nouus Episcopus possit omnes Regularium licentias suspendere, & de nouo illos examinare?

RESOL. XXVII.

Hanc questionem diffusè pertractat Sancius in *select. disp. 48. per totam*, & affirmatiuam sententiam mordicus tenet; quam etiam ego teneo, & tenent Riccius in *praxi tom. 4. resol. 70. num. 5.* Zanardus in *direct. Theol. part. 1. de sacrament. Pœnitent. cap. 24. §. 4.* Fagundez *præcep. 2. lib. 7. cap. 2. num. 30.* Miranda in *manuali Pralat. tom. 1. q. 45. art. 7.* Campanili *diuer. iur. can. vrb. 12.*

c. 13. n. 70. & alij adducunt constitutionem Pij V. & declarationem Cardinalium.

Sed hanc sententiam non ita absolute esse intelligendam tenet Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 9. diff. 53. n. 5.* ubi sic asserit. [El Obispo, que aprobo vna vez al Religioso para confessar, no le puede quitar la licenci ni el capitulo sede vacante, por que no le da ella iurisdiccion sino el Papa, ni le pueden boluer examinar, mas podrale examinar el Obispo successor pro maiori conscientie sue quiete, que es quando fuere necessario para la seguridad de su conciencia conforme a vna Bulo de Pio V y lo declaran assi los Cardinales, y dicen, que no esta esto reuocado por la Bula de Gregorio XII. que endereza esta, y otras a los terminos del derecho comun, y assi se pratico en Roma. Esta permission es para que, quando los Obispos entran de nueuo estuuieren informados, que algun particular no tiene la suficiencia deuida, le pueden mandar examinar de nueuo. Mas no se entiende por esto, que pueden reuocar generalmente las licencias de todos los Religiosos ad nutum, y mandar, que se bueluan a examinar de nueuo, que esto no lo pueden hazer, como han dicho personas muy doctas, que han sido consultados a cerca desto.] Ita ille, & post illum Alphonsus Carranza, qui in fauorem Regularium contra Archiepiscopum Toletanum edidit quoddam pulchrum consilium lingua Hispanica conscriptum, quod omnino legendum est. Vide etiam aliud consilium impressum Barcinonæ anno 1618. in fine explicationis Bullæ Cruciatæ Emanuelis Rodriguez, & subscriptum a 29. Doctoribus, qui ex multis rationibus firmant sententiam in fauorem Regularium. Sed praxis Episcoporum est contra Regulares. Vide etiam Becanum de *Sacram. c. 38. q. 1. n. 4.* & Henriquez *lib. 3. c. 6. n. 5. & 6.* Ioan. de la Cruz de *statu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 4. concl. 4.* Valquez in *3. p. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 5.* Ledesma in *summ. tom. 1. de sacrament. pœnit. cap. 13.* Lopez in *instrucl. p. 2. c. 8.* & Nouarium in *conclusionibus noui iuris Pontifici, concl. 69. num. 3.*

Notandum est tamen hic obiter, quod quamuis DD. citati asserant, id fieri posse ab Episcopo successore, & compelli, vt Regulares iterum presententur, vt si opus fuerit examinentur, & approbentur. Negamus tamen id fieri posse a Capitulo Sede vacante, vt patet per priuilegium particulare Clem. IV. & docet Miranda in *man. Prælat. tom. 1. quest. 45. art. 7. ad finem,* & Fagundez *præc. 2. lib. 7. cap. 2. num. 28.* qui etiam n. 30. & optime notat, quod si nouus Episcopus reuocet omnes licencias, & approbationes audiendi confessiones, non comprehenduntur Regulares, quando de illis specialiter edictum non loquatur; & ita etiam docent Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 6.* quia in odiosis Regulares non comprehenduntur, nisi explicentur.

An Vicarius possit concedere facultatem absoluendi à reseruat. si Præpositus absi. à domo per vnum diem naturalem?

R E S O L. XXVIII.

Respondent affirmatiuè Peirinus in *privileg. Minimo- rum tom. 1. constit. 4. Sixti IV. §. 6. n. 16.* Homobonus in *Exam. Eccles. p. 1. tract. 5. cap. 4. q. 21.* Beia *part. 4. cas. 37.* & Naldus in *summ. ver. Abesse. n. 11. & ver. Absolutio. n. 25.* quia non est detinendus subditus in tam malo statu, sed ab eo, quam citius possit, liberandus. Deinde vicarius relictus a Præposito, est tunc solus, & absolutus Superior domus; ergo debet habere illa omnia, quæ pro recta illius administratione sunt necessaria, inter quæ sine dubio potestas spiritualis est.

Sed prima sententiâ limitanda videtur. Primò, quando Superior eodem die est reuersurus, tunc Vicarius non poterit supradictam licentiam concedere. Secundò, si subditus de industria sine sufficienti causa in illum

diem Confessionem distulisset. Tertio nisi in aliqua Religione aliter dispositum sit.

An quicumque Confessarius ab Ordinario approbatus possit tempore Iubilæi absoluere Moniales à peccatis, vel à casibus, & censuris reseruat.?

R E S O L. XXIX.

Affirmatiuam sententiam docet Bonacina de *Sacramentis, disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. n. 22. in fine.*

Sed aduersus illum insurgit Faustus de *Iubilæo lib. 4. q. 78.* & Alphonsus de *Leo. etiam de Iubilæo, part. 2. q. 9. n. 25.* Quia Confessarius prohibitus est accessus ad Monasteria Monialium, & ideo Roman. Pontifex non intendit dare iurisdictionem illi Sacerdoti, qui habet aliquod impedimentum. Hinc in praxi rationabiliter obseruatur pro bono regimine Monialium, quod dum virtute Iubilæi habent Moniales facultatem eligendi sibi Confessarium, tenentur designare Confessarium Ordinario ipsarum, & solent Abbatissæ congregare Moniales, & ab eis habere votum quosnam Confessarios gratos habeant: & sic nominant tres, quatuor, vel plures, quorum nomina mittunt ad eorum Ordinarium, vt ab eo omnes, vel provt ei libuerit, approbentur, & impertiatur eis licentiam accedendi ad Monasteria; sic enim Ordinarij sciunt personas, accedere volentes ad Monasteria, ne sub prætextu earumdem licentiarum, accederent ad vana colloquia facienda, & non ad audiendas confessiones Monialium; cum omnis concessio intelligatur facta in ædificationem, non autem in destructionem Regularis obseruantie. Et hæc omnia notat, & docet noster Molfesius in *summ. tom. 1. ar. 7. c. 16. n. 31.* & post illum Ioannes Suarez in *enchiridio cas. cons. lib. 5. ver. Indulgentia, §. tempore Iubilæi.*

An Equites D. Ioannis, D. Iacobi, Calatraue, Alcantaræ, Montese, &c. possint confiteri cum Confessario non approbato ab Episcopo?

R E S O L. XXX.

Suppono Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 15. de re- form.* nihil inuouasse circa approbationem Confessariorum Regularium, & ideo Regulares, qui sæcularium non auscultant confessiones, non egent Episcopi approbatione, & si habent licentiam confitendi in itinere, v. g. possunt eligere Sacerdotem sæculares non approbatum ab Ordinario. Et sic præter Doctores, quos supra citauimus, tenent Sæversic. *confess. n. 6.* Ochagauia de *Sacram. tr. 2. q. 3. n. 4.* Ragucius in *Lucerna Parochorum de absol. q. 120.* Vega in *summ. tom. 1. cap. 62. cas. 2.* Ledesma in *summ. tom. 1. tract. 13. diff. 4. & 11.* Grassius *part. 1. lib. 3. c. 5. n. 107. & tom. 1. lib. 6. consil. 1. num. 14.* Henriquez *lib. 6. c. 1. num. 1.* Suarez *tom. 4. disput. 28. sect. 4. num. 5.* Campanili in *diuer. iur. can. rubr. 12. cap. 13. num. 58.* Nauarrus *c. 4. n. 7.* & alij communiter.

Hoc autem supposito affirmatiuè ad casum propositum respondent aliqui, quia, vt ego ipse satis probavi in *part. 1. tract. 2. de immun. eccl. res. 49* & satis probat nouissime Ferdinandus Pizzarus in *discur. apolog. in fauorem Ordinum Militarium in fine Historia dictorum Ordinum Martiri apud Ioan. Zongalizam 1629.* supradicti Equites sunt verè Religiosi; ergo non comprehenduntur in Decreto Concilij Tridentini. Et ita hanc sententiam docet in terminis Ioannes Sancius vir doctissimus, & amicissimus in *select. disp. 49. n. 10.* sic asserens Equites S. Ioannis confiteri possunt Confessario Regulari, siue sæculari, non approbato per Episcopum; nam verè Religiosi sunt. Et n. 13. ita ait. Verè Religiosos esse Equites Christi, & Aij in Lusitania, & Montelæ in Aragonia, & S. Stephani in magno Ducatu Florentiæ probabiliter arbitror, cum hi etiam Milites professionem trium votorum in manibus Prælatorum emittant, non aliter ac Milites S. Iacobi Alcantaræ, & Calatraue, præter Equites S. Stephani qui votum

votum castitatis, obedientiæ, & charitatis emittunt, & non paupertatis, vt ex Bulla Pij V. ad fundationem concessa anno 1560. Coimo de Medicis Florentiæ Magno Duci constat, quam ego vidi. Et idem iudico de quibuslibet aliis Religionibus militaribus, tria vota emittentibus in manibus Prælati, & à Sede Apostolica approbatis; omnes hi confiteri valebunt sua peccata aliis Regularibus sui Ordinis, non approbatis ab Episcopo, & etiam aliis Sacerdotibus sæcularibus, similiter ab Episcopo non approbatis. Ita Sancius *vbi supra*. Sed tu cogita, nam consuetudo est in contrarium.

Ex his omnibus inferitur primò, quod dicti Equites in confessione tenentur dicere, se concubuisse cum homine religioso, ambo enim egerunt contra castitatem, voto solemniter Religionis addictam, & ita docet Mota *lib. 2. cap. 2. §. 23. num. 6.* vbi citat Ayalam, Rodriquez, Fenam, & alios.

Secundò filios supradictorum Equitum ex copula fornicaria habitos esse sacrilegos, docet ipse Mota *vbi supra n. 7.* vide Franciscum Molinam, apud ipsum *lib. 2. c. 2. §. 29. n. 32.* sic asserit. [Los hijos de los Caualleros de Santiago que enjendraron fuera del matrimonio son sacrilegos, y para que se dispense con ellos para algunas dignidades ò para professar alguna religion, para lo qual son inhabiles por los sacros canones, es menester particular dispensacion, nombrando esta circunstancia.]

Tertio notat idem Mota *lib. 2. c. 2. §. 21. n. 3. & 5.* quod si dicti Milites temerariè relinquunt suum habitum, crucem scilicet, peccant mortaliter, & incurrunt in excommunicationem constitutionis Pontificiæ Clem. VIII. vnde possunt esse apostate, sicut alij Religiosi deserendo habitum, vt probat dictus Mota *lib. 2. c. 1. §. 6. n. 5.*

Quartò non possunt supradicti Equites transire ad aliã religionem sine licentia Magni Magistri, vt firmat ipse Mota *lib. 2. c. 1. §. 6.* quod verò gaudeant priuilegio fori, gabellarum, & canonis, etiam Nouitij, nos alibi etiam docuimus, & docent Henriq. *lib. 7. c. 25. n. 7.* Rodriquez *tom. 1. c. 80. n. 17.* & Mota *lib. 2. c. 2. §. 8.* cum aliis.

Quintò notandum est, per votum Equitum D. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ, &c. non dirimi matrimonium contrahendum, neque dissolui matrimonium ratum, non quia votum solemniter non sit, sed quia Summus Pontifex præscripsit illi formam, & modum, minuendo solemnitatem eius, quoad hoc scilicet, vt hunc profitentibus, nubentibusque matrimonium non sit cassum. Vide dictum Motam *lib. 2. c. 2. §. 19. n. 18.* qui citat Nauarrum, quod non accidere in Equitibus D. Ioannis dicendum est. Nam per illorum professionem dissoluitur matrimonium ratum, & communiter probant DD. quidquid in contrarium asserat Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. artic. 4.* Michaël Medina *de sac. hominum contin. lib. 1. c. 36.* & Sarmiento *in defens. lib. de redditibus p. 1. man. §. 6. num. 1.*

Et tandem sextò contra quemdam imperitum. Confessarium notandum est, dictos Religiosos militares decenter accedere ad sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariistiæ, ense, & pugione accinctos, vt latè probat Sancius *in select. disp. 45. n. 3* qui *n. 6.* probat etiam laicos, non obstante consuetudine in contrarium, si hoc facerent, peccatum nullum committere, imò nec irreuerentiam, si taliter accedant præhabita cognitione, non referre quidquam ense accinctos, seu absque illo accedere. Ita Sancius, quem puto hanc sententiam tenere, secluso scandalo, quod in tali casu difficiliter non contingere existimo.

An Regulares possint ordinari ab Episcopis extra tempora à iure statuta?

R E S O L. XXXI.

Aliqui respondent negatiuè, quia Gregor. XIII. qui concessit hoc priuilegium Patribus Societatis Iesv, vetat expressè, vt aliæ Religiones possint in tali priuilegio participare, etiam si habeant participationem priui-

religiorum dictæ Societatis. Et ita docet Peirinus *in priuileg. Minorum tom. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 39* Suarez *de legibus, lib. 8. c. 17. n. 8.* Miranda *in Manuali Pralat. tom. 1. q. 38. art. 4.* Valquez *in 3. part. tom. 3. disp. 246. c. 5. n. 50.*

Sed contrariam sententiam probabilem esse existimo & tutam in praxi; sicut aliqui Episcopi cum nostris obseruarunt, & ideo illam docet Portel, qui etiam testatur de praxi *in dubiis regul. ver. Ordines sac. n. 4.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 11. diff. 12. n. 8. & d. ffic. 13. n. 6.* Io. de la Cruz *de statu Relig. lib. 2. cap. 8. dub. 1.* Homobonus *de exam. Eccl. tom. 1. tr. 2. c. 1. q. 3.* Moneta *de commut. vlt. volunt. c. 10. n. 188.* Barbosa *de potest. Episcopi, p. 2. alleg. 17. num. 7.* Emanuel Rodriquez *in 99. Regul. tom. 3. quest. 23. art. 5. & tom. 1. quest. 55. art. 17* & hoc non solum per priuilegium supradictum, concessum Societati, non obstante illis prohibitione: quia alij Pontifices successores Gregorij concesserunt priuilegia Societatis nostræ Religioni, & aliis, sine vlla limitatione, vt tenent Doctores citati, sed etiam per priuilegium Clem. VIII. concessum die 23. Nouembr 1596. Patribus Congregationis S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia; quod testatur vidisse Portel in compendio illius Religionis, & per priuilegia Alexandri VI. Eugenij IV. concessa Religionibus D. Hieronymi, & D. Benedicti; quæ reuocata minimè esse tenet à Concilio Tridentino, & probat ex Rodriquez Villalobos *loco citato*; & ideo, vt dixi, possunt Episcopi sine vllò scrupulo ordinare Regulares extra tempora. Vide etiam Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. cap. 8. n. 2.*

An dispensatio interstitiorum pertineat ad Episcopum, etiam respectu Religiosorum?

R E S O L. XXXII.

Afirmatiuè respondet Bonacina *de Sacram. disp. 8. q. vnica. p. ant. 6. n. 34.* qui citat Riccius Barbosam, & Quarantam, idem etiam docet Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Ordinis, cap. 8. concl. 11. in fine.*

Sed non desunt Doctores contrariam sententiam docentes ex Bulla Greg. XIII. concessa Societati Iesu. Et ita docet Villalobos *in sum. tom. 1. tra. 11. diff. 22. n. 8.* & Io. de la Cruz *direct. conscien. p. 2. de sacram. Ordinis, dub. 5. concl. 2.* vbi sic ait. Iuxta Bullam Gregor. XIII. pro Societate Generales Ordinum, & ab istis delegati possunt cum suis subditis dispensare in interstitiis. Et hanc sententiam etiam probabilem vocat Ledesma *vbi supra*.

Notandum est etiam hinc contra Henriquez *lib. 6. c. 10. n. 3. in gloss. lit. Q.* suscipientes Ordines non seruatis interstitiis, nullam incurrere censuram, vel irregularitatem, quia nulla talis censura in iure inuenitur expressa, & ita docent Riccius *in collect. decis. p. 3. collect. 176.* Zerola *in praxi part. 2. ver. Ordo, n. 8.* Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 11. diff. 12. n. 2.* & alij.

An licitum sit legatum annuum Fratibus Minoribus relictum pro infirmaria, & de aliis legatis?

R E S O L. XXXIII.

Negatiuè respondent Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 7. c. 26. num. 47.* & Paulus Glemoneus *in tr. de legatis perpetuis relictis Fratibus D. Francisci de Observantia, p. 4. §. 6. num. 19.* Hæc opinio est probabilis. Sed contrariam probabilem etiam esse puto, quam tuetur ex veteribus Ananias *conf. 30. à n. 3. vsque ad 5.* & ex recentioribus Rodriquez *in 99. Regul. tom. 2. quest. 126. art. 4.* quem nouissimè citat, & sequitur Laurentius de Portel *in dubiis Regul. verb. legatum, n. 7.* vbi sic asserit: Licitum est legatum relictum Minoribus, etiam si sit annuum, pro necessitatibus infirmorum. Sic ille.

Notandum est etiam hinc obiter. Primò licitum esse, contra Azorium *part. 1. lib. 12. cap. 23. qu. 15.* & Paulum Glemoneu

Glemonensem *ubi supra*, annum legatum relictum Fratribus pro fabrica templi, vel Sacelli, aut pro vestimentis, & ornamentis Ecclesie, & Sacristie, quia nec Clem. *ex vii, de verb. sig. ifi. ut. in 6.* nec regula D. Francisci prohibet legata pro Ecclesiis, sed pro eorum victu, & ita docent Homobonus de Bonis *in exam. Eccles. part. 2. tract. 9. c. 11. quæst. 33.* Menochius *tom. 2. conf. 14.* Bonacina *de contract. disp. 3. quæst. ult. punct. 3.* & alij penes ipsos; qui etiam docent cum Sanchez, *num. 46.* & Layman *ubi supra* valere legatum annum dictis Fratribus relictum pro studio, & emendis libris, & hoc etiam docet Hieronymus Rodriguez *in compen. qq. Regul. resolut. 88. num. 10* quidquid in contrarium asserat Quelada *in aiversis qq. iuris cap. 12. n. 23.*

Nota secundò contra Paulum Glemonensem *ubi supra part. 1. §. 4. n. 4.* valere legatum annum relictum dictis Fratribus, si non attingat spatium decem annorum: nam tempus infra decennium modicum est, & ita tenet Layman *in Theol. mo. lib. 3. sect. 5. tract. 5. cap. 10. n. 4.* cum Sanchez *num. 39.* & alij penes ipsum.

Sed difficultas est, an minores sint capaces legati relictæ ad vitam alicuius Fratris. Layman *ubi supra* negativæ sententiæ videtur adherere, præsertim si Monachus sanus, ac valens corpore sit, cum ius annuatim recipiendi tota hominis vita pluris æstimari soleat, quam ius percipiendi ad decennium.

Attamen his non obstantibus Sanchez *n. 40.* qui citat Federicum, Antonium, & Abbatem, affirmatiuam sententiam docet, quem ego sequor; ideo dicendum est, non esse legatum annum perpetuum, vt sic Minores non sint illius capaces, quando legatum relinquatur ad vitam alicuius Fratris Minoris.

Nota tertio cum Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 30. diff. 12. num. 8.* quod testator potest in fauorem Fratrum Minorum de Obseruantia facere testamentum in hac forma, videlicet, [*Instituyo à mi alma por hereda en esta forma, que quiero, y es mi voluntad que lo que restare de mi hazienda se ven a por mis testamentarios, y lo que dello se hiziere, se gaste en pescado, azeite, pan y otras cosas, que son de limosna al Conuento de san Francisco desta ciudad; y puesta esta clausula desta manera, lo podran haucr qualesquieras Religiosos de nuestra Orden por recoletos que sean.*] Ita ille, qui etiam, & optimè notat cum Portel, & aliis, quod licet Fratres Minores [*no pueden ser herederos, por razon de ser incapaces de dominio, puede el Iuez de oficio obligar à los testamentarios, que de à los dichos Religiosos por via de limosna, los que les fue dexado en el testamento, y que esto lo puede pedir qualquiera de pueblo.*] Et hæc dicta sufficiant in gratiam Fratrum Minorum, qui Deum pro me deprecabuntur.

An possit fieri legatum alicui Religioso professo cum conditione, vt nihil acquiratur Monasterio?

R E S O L. XXXIV.

Affirmatiuè respondeo cum Homobono de Bonis *in exam. Eccles. part. 2. tract. 9. c. 8. quæst. 2.* vbi sic ait. Et si donatio causa mortis, vel legatum factum Religioso professo cum conditione, vt illud habeat independenter ab eius Prælati voluntate, validum non sit, cum hoc omnimodo paupertatis voto aduersetur; subsisteret tamen, si relinqueretur, ita vt nihil Monasterio acquiratur quia legatum illud intelligendum est, vt Religiosus illud habeat oculis Prælati conuiuentibus, qui si illam licentiam dare nolit, relictum expirat. Ita ille, & ante illum Molfesius *in summ. tom. 1. tr. 7. cap. 20. n. 50.* Vincentius de Franchis *decis. 718.* Rodriguez *tom. 2. quæst. 125. art. 2.* & alij.

Notandum est tamen, quod illa verba, *vt nihil iuris Monasterio acquiratur*, interpretanda sunt, vt cum li-

centia Superioris illud legatum in vsus licitos, & honestos, vt vestimentorum, & librorum, &c. conuertat, licet indirectè hoc in ipsius Monasterij commodum redundet; non tamen intelligenda sunt, vt ille ad libitum, & quomodocumque etiam cum licentia Superioris disponere possit; nam ita faciens esset proprietarius, nec Prælati illam licentiam dare potest.

Nota etiam cum Molfesio *ubi supra*, quod in retrocessione illius legati ad heredem, nulla alia requiritur iuris solennitas, cum nihil acquisitum sit Monasterio, sed solum sufficit denegatio licentiæ Superioris, quæ negatio facit, vt reuoluatur legatum.

An Episcopus possit denunciare, vt euitentur, si Regulares exempti incidant in aliquam excommunicationem?

R E S O L. XXXV.

Affirmatiuè respondent Cenedus *in quæstionibus canon. quæst. 26. num. 30.* Alterius *de censuris tom. 1. disp. 10. lib. 3. cap. 5. in fine.* Riccius *in addit. ad Instit. canon. lib. 2. tit. 22. §. nec id mirum, & in praxi tom. 2. resol. 210. num. 4.* Bagnus *de S. R. E. dignitatibus. tr. 12. fol. 202.* Triuifanus *lib. 1. decis. 36. num. 1.* Henriquez *lib. 7. cap. 2. num. 7.* Rodriguez *in qq. Regul. tom. 2. q. 63. art. 11.* & Piafeciis *in praxi Episc. nouissima p. 1. cap. 3. §. 6. num. 59.* vbi sic asserit. Licet Regulares exempti propter eorum priuilegia, ab Episcopo excommunicari non possint, nec ligentur statuto Episcopi excommunicationem annexam trahente, si tamen committant aliquod delictum, propter quod ex iuris communis dispositione, vel ex consuetudinibus Apostolicis incurrant ipso facto excommunicationem, possint declarari per Episcopum, & pro excommunicatis publicari ad effectum, vt euitentur à populo Diocesis. Imò Felinus *in cap. non potest, num. 3. de re iudic.* dixit, exemptum sic excommunicatum, citari etiam posse ad videndum declarari, concessio enim principali, videtur concessum accessorium, præsertim cum sit sumenda informatio super excommunicatione incurfa. Ita Piafeciis.

Non desunt tamen Doctores contrariam sententiam docentes, & asserentes hoc fieri posse ab Episcopo tantum in illis casibus, in quibus id illis specialiter permittitur, vt v.g. si Extremæ vnctionis, & Eucharistiæ Sacramenta ministrant, aut matrimonia solennizent. Et ita docent Laurentius de Peirinis *super priuilegia Minimor. tom. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 10. num. 11.* Thomas Zerola *in praxi Episc. p. 1. ver. excommunicatio, de excommunicatio is causa material, in fine,* & Nauarrus *conf. 2. vers. 2. de sent. excommun.* Ratio est, quia antequam Regulares denunciarentur, declarare Episcopus prius debet, eos in excommunicationem incidisse; declaratio autem hæc fieri non potest, nisi cognita causa, & citata parte; fieri enim potest, vt Regulares probent se in excommunicationem non incidisse. At causæ cognitio ad proprium iudicem pertinet. Ergo Episcopus incompetens iudex Regularium, non potest illos declarare, neque denunciare excommunicatos.

Aliqui verò limitant hanc secundam opinionem, vbi delictum, propter quod excommunicatio lata fuit, notorium est, itémque notoriam nullam causam Regulares habere, quamobrem se excusent; tunc enim quod declaratione opus non est, denunciari ab Episcopo etiam poterunt, ne alij eorum communionem vtentes in excommunicationem incidant: & ita hanc sententiam ex multis rationibus probat Vgolinus *de potest. Episc. cap. 29. §. 10. n. 2.* & hanc opinionem videtur etiam docere Barbosa *de potest. Episc. part. 3. allegat. 105. n. 73.* Vide etiam alios penes ipsos.

An Regulares includantur in prohibitione Episcopali, ne aliquis exorciset sine Episcopi licentia, & cum cæteris conditionibus?

RESOL. XXXVI.

Negatiuè respondeo cum Laurentio de Portel *in add. ad dubia Reg. ver. Exorcismus*, vbi licet. Si Episcopi in tua Diocesi prohibeant exorcizare absque expressa illorum licentia, talis constitutio solos Clericos ligat, non verò Religiosos exemptos, qui aliàs iure communi non prohibentur, & ex ordine Ecclesiastico, Exorcistæ & Sacerdotes id facere permittuntur. Ita ille.

An verò Episcopus in ordine ad Clericos possit multas restrictiones apponere circa modum exorcizandi, negat Nauarr. *to. 1. lib. 1. conf. 6. de offic. iud. ordin. n. 5.* & Vgolinus *de offic. & potest. Episc. c. 47. n. 6.* Sed tu vide Naldum *verb. Demon. n. 9.* Homobonum *de ex. am. Eccl. part. 1. tr. 3. c. 8. q. 73.* & nostram Synodum Panormitanam Eminentiissimi Cardinalis ab Auria *part. 1. c. 7. n. 15.*

An in Religionibus sine præuia correctione fraterna peccatum occultum fratris possit quis denunciare Prelato, tanquam Patri?

RESOL. XXXVII.

Affirmatiuam sententiam nouissimè mordicus tenet Turrianus *tom. 1. in 2. 2. disput. 89. dub. 4.* vbi citat Bonauenuram, Angelum, Rosellam, & Artualum, & addit in tali casu posse Prælatum cum suis Consultoribus, si necessarium sit, agere de illo peccato. Vide etiam Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 18. n. 46.* & Suarez *tr. de charit. disp. 8. sect. 6. num. 22.* Probat hęc opinio, quia fructus vberior spiritualis illius fratris, meritò præponderat iacturæ illius famæ.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto cum Tannero *in 2. 2. disp. 2. q. 5. dub. 5. n. 106.* qui citat Adrianum, Syluestrum, Sotum, Bannez, Nauarrum, Valentiam, Humbertum, Hugonem, Victorinum, & D. Thomam, quibus ego addo Rodriguez *de ordine iudiciario cap. 9. nu. 5.* Thomam à Iesu *lib. de Visi. tract. 1. c. 9. n. 1. & 6.* Lorcam *in 2. 2. sect. 3. disp. 47. n. 9.* & Io. de la Cruz *in direct. consilien. p. 1. præc. 5. art. 2. dub. 5. concl. 1.* Becanum *in 2. 2. c. 21. dub. 4.* Mirandam *de ordine iudiciario, tom. 1. q. 11. a. 4.* & Sayrum *in clau. Regiu. lib. 1. c. 4. n. 10. & seq.* Ratio est, quia Christus *Matt. 18.* præcipit, vt correctio præmittatur antequam peccatum fratris Superiori denunciatur; ergo hoc faciendum est. Deinde frater debet corrigi, quantum fieri potest cum minima iactura suæ famæ, quia id ipsum exigit charitas, vt frater suo quam minimo damno corrigatur, neque ad vllam infamationem coram altero procedatur, si absque hoc satis corrigi possit; neque fas est solum propter maius bonum spirituale alicuius famam, aut fortunas eiusdem lædere. Vnde patet responsio ad contrarium argumentum. Adde quod ex huiusmodi denunciationibus, non præmissa correctione, generantur odia, & dissensiones inter correptum, & denunciantem, & nociuæ sunt paci communitatis.

Limitatur tamen supradicta opinio, quod non procedit in aliqua Religione, in qua adest statutum, vt qui noverit peccatum Socij, immediatè denunciet Prælo, non præmissa correctione fraterna; nam in tali casu huiusmodi Religiosi cedunt iuri suo; videlicet quod secum ordo fraternæ correctionis præmittatur; & ita faciunt Religiosi Societatis Iesu, cuius constitutionem optimè defendunt Suarez *tr. de fide disp. 8. sect. 6. n. 12 & 17.* Coninch *de act. supernat. disp. 28. dub. 12. n. 121.* Laym. *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 2. c. 4. n. 5.* Valentia *in 2. 2. q. 10. pun. 5.* Sanctarellus *super decal. lib. 2. c. 69. n. 211.* Rodrig. *in exercit. spirit. tom. 3. tr. 8. c. 6.* Sancius *in selectis, disp. 46. nu. 28.* Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 18. num. 50.* Ribadeneira *de instit. Societ. Iesu, cap. 34.* Peregrinus *in constit. Cler. Regul.*

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

part. 3. c. 9. littera P, §. 2. concl. 14. Syluius *in 2. 2. q. 33. art. 7. con. 3.* Malderus *etiam in 2. 2. q. 33. art. 8. §. arguitur secundo.* Becanus *in 2. 2. c. 21. dub. 5. n. 53.* & alij. Quidquid in contrarium aduersus tale statutum asserat Lorca *in 2. 2. q. 33. a. 8. sect. 3. disp. 47. n. 12.* & seq. cum Ladelma *in sum. tom. 2. tract. 4. c. 4. concl. 24. §. dico secundo.* & Colmo Philiarcho *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 14.* quorum sententiam tanquam probabiliorem nouissimè die 24. Aprilis 1627. sequuta est Academia Salmanticensis, teste Hieronymo Rodrig. *in compen. q. Regul. resol. 36. n. 13.*

Notandum est tamen hic obiter, quod Doctores primæ sententiæ in praxi eam deducendam esse putant, quando Superior, cui tanquam Patri reuelatur peccatum occultum fratris, est vir prudens, & discretus; secus autem si sit vir imprudens, violentus, vel subditis non bene affectus; nam in tali casu etiam supradicti Doctores asserunt minimè talem denunciationem esse faciendam, & aliter facientes peccare. Sed tu absolutè nostram sententiam tene, nempe non esse denunciandum peccatum occultum fratris Superiori, tanquam Patri, sine præuia correctione fraterna, nisi vt dictum est in aliqua Religione aliter per constitutiones cautum sit.

Notandum est etiam hic obiter, quod Octavianus Spatarius *in practica de modo corrigendi Regulares, tract. 5. c. 1. n. 4. & c. 3. n. 4.* existimat, non esse deueniendum ad denunciationem Euangelicam, & multò magis ad iudicalem, si antè non adhibeatur fraterna correctio.

An quis teneatur sub peccato veniali corrigere peccata venialia proximi, & quid de Religiosis?

RESOL. XXXVIII.

Affirmatiuam sententiam tenent Turrianus *in 2. 2. tom. 1. disp. 86. dub. 2.* Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 10. pun. 2. sub fine.* Sotus *de regendo secreto q. 2. concl. 3.* Lorca *in 2. 2. disp. 41. n. 9.* & alij. Quia lex charitatis videtur exigere, vt malum proximi, licet exiguum, impediatur.

Sed negatiuam sententiam docet Azorius *p. 2. lib. 12. c. 14. q. 4.* ex Angelo, & Syluestro. Ratio est, quia quando frater peccat venialiter, gratiam Dei non amittit, ac proinde correctionis præceptum non obligat, quia est ad lucrandum fratrem. Ergo, &c. Cæteras rationes adducit Layman *in Theol. moral. lib. 2. tract. 3. cap. 7. n. 3.* & Bannez *in 2. 2. q. 33. art. 1. dub. 2.* Sed excipiuntur, qui ratione officij curam aliorum habent, vt prælati Religionum. Imò fieri potest, vt ij sub mortali peccato venialia subditorum corrigere teneantur, si aliter faciendo, regularis obseruantia grauius minuatur. Et ita docent Thomas à Iesu *in lib. de Visi. tr. 1. c. 6. num. 11.* Miranda *de ordine iudiciario. tom. 1. q. 10. art. 1. concl. 5.* Tannerus *in 2. 2. disp. 2. q. 5. dub. 4. n. 76.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 4. diff. 2. n. 5.* & alij.

At plus addit Bannez *in 2. 2. q. 33. art. 1. dub. 2.* Nam supradicta doctrina extenditur non solum ad Prælatos Religionum, sed etiam, saltem in aliquo casu, ad Gubernatores Reipublicæ, sic enim asserit. Sotus addit, Gubernatores Reipublicæ tenentur tales defectus, qui sunt venialia peccata grauiora, & consuetæ, expellere à Republica sub peccato mortali, si possunt; hoc tamen mihi videtur nimis durum, obligare temporales Gubernatores ad tantam perfectionem, nisi fortè sint peccata perturbantia pacem Reipublicæ, vel abusus, qui Rempublicam damnificare possunt, & tales solent esse Pragmaticæ circa eurositatem, vel pretiositatem vestium, quamuis huiusmodi abusus in singulis, non sit nisi veniale peccatum. Sic Bannez, quem sequitur Azorius *vbi supra.*

Sed his non obstantibus, loquens etiam de Prælati Religionum, sic asserit Rodriguez *de Ordine iudiciario, cap. 9. n. 7.* Pecaran grauiamente los Prelados no estirpando las costumbres malas de pecado veniales, si son, ò pueden ser ocasion de pecados mortales, porque

no siendo ocasion de pecados mortales, yo no hallo razon suficiente, para los condenar a pecado mortal, siendo descuydados en estipar vicios veniales, porque no tiene maior obligacion el Prelado de mirar por tu Republica, que el particular de mirar por su alma, y cierto es, que el particular, que no descarga su alma de las malas costumbres de pecados veniales, no peca mortalmente, si las tales malas costumbres no son ocasion propinqua de pecados mortales.] Ita Rodriguez,

Sed supposita contraria sententia, difficultas verò est, an particulares Religiosi teneantur, sicut praelati, sub eodem onere corripere fratres de peccato veniali. Affirmatiue respondet Coninch. *vbi supr. disp. 28. dub. 3. n. 24. vbi sic asserit.* Certum est superiorem Religiosum teneri in suis subditis corripere peccata venialia, quando alias imminet periculum, ne disciplina religiola magna ex parte dissoluatur, quia tenetur, quantum potest, dare operam, vt hæc tota integritate seruetur. Imò credo certum esse, quemuis etiam priuatum, præsertim si sit membrum illius Religionis, teneri ad eiusmodi correctionem, quando con modè potest, & sperat fructum, quia talis dissolutio est graue valde malum ipsius Religionis, siue totius communitatis, quod ille ex charitate, & fide, quam debet matri suæ, scilicet ipsi Religioni, tenetur impedire. Ita Coninch. Sed citati DD. hoc onus in tali casu imponunt solum super humeros Prælatorum, & nihil asserunt de Religiosis particularibus. Ergo, &c. Cogita.

An Carthusiani secluso scandalo extra morbum possint comedere carnes sine peccato mortali?

RESOL. XXXIX.

Negatiue respondeo cum Nauarro *conf. 51. de Regularibus, n. 6. Valquez in p. 2. tom. 1. disp. 16. c. 4. n. 16. Salas de legib. disp. 11. sect. 2. n. 17.* & aliis, quia licet non teneantur abstinere à carnibus ratione voti, tenentur ad hoc ratione statuti, & consuetudinis sub mortali obligantis.

Non reticeam tamen aliquos docere contrariam sententiam, quam probabilem putare videtur Emanuel Sà *ver. Religio n. 58. vbi sic asserit.* Carthusianos teneri vesci carnibus, si aliter non possint morbo liberari, quidam aiunt, alij negant. Ego dixerim teneri, si non possint aliter viuere. Sunt & qui affirmant non peccare illos mortaliter, si carnibus vescantur extra morbum, si absit scandalum, non enim ex voto tenentur abstinere, sed ex consuetudine. Ita ille. Sed tu tene primam sententiam.

An Prælati nostræ Religionis, & aliarum possint benedicere paramenta, non solum nostrarum Ecclesiarum, sed etiam exterarum?

RESOL. XL.

Affirmatiuam sententiam docent Peirinus *de Relig. tom. 1. conf. 1. Iulij II. §. 19. n. 44. Rodriq. in qq. Reg. to. 1. q. 16. art. 2. Miranda in manuali Prælatorum, to. 1. q. 40. art. 1.* & in nostris priuilegiis p. 1. tit. *Benedicere, §. 2.* sic habetur. Præpositi nostræ Congregationis, & in eorum absentia quilibet habens principale regimen cuiuscumque nostræ domus, & Ecclesiæ, possunt solenni benedictione benedicere paramenta, corporalia, ornamenta, & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia, vnde cumque eis delata, etiam ad vsum nostrarum Ecclesiarum non pertinentia. Innocentius VIII. & S. Iustinæ de Padua, vt habetur in compendio Societatis Iesu, tit. *benedicere, §. 2.* & in compendio Minorum eodem titulo, & notat Cabucin. in suis *Adnot. tit. benedicere Ecclesiastica.*

Sed his non obstantibus Bartholomæus Gauantus in *sommem. rubr. Missal. tom. 1. part. 4. tit. 19. num. 21.* adducit Decretum sacræ Rituum Congregationis die 24. Augusti 1609. quo cauetur, Prælatos Regulares non posse bene-

dicere paramenta Ecclesiarum sibi non subiectarum, sed aliqui asserunt de hac reponcione non constare authentice. & Tamburinus Romæ editus *de iure Albat. tom. 1. disp. 22. q. 2. n. 2.* putat suprascriptum Decretum Congregationis procedere seclusa consuetudine, & vfu dictorum priuilegiorum.

Verum, iterum Gauantus *vbi supra*, in noua editione *num. 21.* asserit sacram Congregationem die 18 Augusti 1629. abrogasse dictam consuetudinem.

An ingressus Religionis liberet debitorem ob onere restituendi?

RESOL. XLI.

Prima sententia affirmatiua sentire videntur D. Thomas in *2. 2. q. 1. art. 6. ad 3.* Caietanus *ibid.* & sequitur Paludanus in *4. dist. 38. q. 4. art. 3. concl. 3.* Angelus *ver. Religiosus, §. 16.* Syueiter *ver. Religio, lib. 1. q. 4.* & D. Antoninus *part. 2. tit. 11. c. 2. §. 1.* quia liber homo non obligatur quoad personam suam, sed tantum quoad bona; ergo cecidendo bonis, libera remanebit persona.

Secunda opinio negat, & illam tuentur Medina *Cod. de restit. q. 3. caus. 8.* Nauarrus *commen. 1. de Regular. n. 8.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 7.* Molina *tom. 3. poster. disp. 757.* & alij, quia solutio debitorum est iuris naturalis.

Sed mihi placet opinio, quam tenet Lopez in *instruct. p. 1. c. 19.* Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 1. q. 5.* Lessius *lib. 2. c. 16. dub. 8.* Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 4. c. 19. n. 8.* & alij. Ideo dico, quod si quis breui tempore in seculo manendo tantum lucraturum se existimet, vt debita sua vel integrè, vel secundum magnam partem soluere possit, ad hoc obligatur, secus autem si longo tempore, tunc enim puto non esse adstrictum ad expectandum, sed potest statim ingredi Religionem: & tempus breue, quod expectandum sit in tali casu, puto cum Sanchez esse biennium.

Nota verò, quod si post ingressum Religionis hæreditate, legato, donatione, &c. Religioso aliquid acquiratur, tenetur Monasterium illius debita soluere, non tamen tenetur Religiosus ad laborandum in Monasterio pro soluendis debitis, vt notant Sanchez *n. 4.* Paludanus, Angelus, & Syluester, quidquid in contrarium asserant Azorius, Molina, & alij.

An Prælati Regularis possint inquirere peccata occulta subditorum, vt illa corrigat fraternè, & quid de subditis?

RESOL. XLII.

Ad primum respondeo affirmatiue cum D. Thoma in *2. 2. q. 33. a. 2. ad 4.* & aliis *vbi infra*, asserentibus Prælatos aliosque Superiores teneri non solum corrigere peccata, quæ casu vident à subditis fieri, aut ab iis facta cognoscunt, sed etiam inquirere in vitam subditorum, vt videant si quæ in iis fortè corrigenda sint. Nisi enim hoc facerent, subditi faciliter impune peccarent, cum facile ipsis esset cauere, ne in conspectu Prælati peccarent, & faciliter sibi persuaderent alios per se sine Superioris inquisitione ipsos non delaturos, atque ita cum maximo boni communis (quod Superiores tenentur conseruare) detrimento omnia scaterent peccatis, & vigor disciplinæ omnino solueretur.

Verum quamuis hæc sit obligatio Prælatorum, tamen, vt optimè obseruat Petrus Lorca in *2. 2. D. Thom. q. 33. a. 6. disp. 4. sect. 3. n. 11.* prudentiæ moderamine temperanda est, ne sit nimia sollicitudo, & intempestiua inquisitio. Vnde prouenit, vt Prælati ipse, tanquam inquietus, & suspiciosus odio habeatur, & detractores foueat; excessus enim sollicitudinis in hac parte non solum inutilis, sed molestus, & odibilis subditis esse solet; quare prudenter D. Benedictus in *regula, c. 64. de Abbate*, inquit. Non sit turbulentus, & anxius, non sit nimius, non sit zelotypus, & nimis suspiciosus, &c. Ita Lorca *vbi supra*, & alij.

Sed

Sed licet, ut dictum est, Superior Religionis possit, & teneatur inquirere peccata subditorum, tamen illicitum erit subdito inquirere vitam fratrum, ut illos fraternè corrigat. Nam, ut patet ex D. Augustino *serm. 16. de verb. Domini*, quem affert, & sequitur D. Thomas in 2. 2. *qu. 33. art. 7. ad 5.* non sunt querenda peccata, ut ipsa corrigantur. Admonet nos Dominus, ait Augustinus, non negligere inuicem peccata nostra, non querendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Et ideo Lorca *vbi supra, num. 10.* sic asserit. Non solum non tenemur querere peccatores, & peccata, quæ corripimus, sed talis inquisitio vitiosa est, & reprehensibilis, quia generat scandala, & occasionem præbet odiis, & dissensionibus: nam homines molestè ferunt, facta sua scrutari ab aliis, & natura sua inquisitio hæc iniuriam infert proximis, aduersatur enim honori, & bonæ existimationi, quam de se haberi omnes cupiunt; quare numquam ex charitate, sed ex ambitione, & sollicitudine vana, & inepta oritur. Sic Lorca, quem sequitur Ioseph à sancta Maria in *Tribunali Religiosorum, tr. 1. c. 10. §. 3.* vbi sic ait. [Nota que los subditos, y personas priuadas en ninguna manera tien en obligacion à inquirir pecados ajenos para corregirlos antes la tienen para no hazerlo, y à no ser exploradores de vidas ajenas. Esta doctrina quisiera yo, que tuuiesse muy en la memoria, y que la diessen assiento en la voluntad los subditos quien Dios ha librado del cargo de almas ajenas, y de la obligacion de dar quenta mas que de la suya, para que no se inquietassen à si à las comunidades donde moran, dando ocasion à discordias, y pesadumbres confu demasiado cuydado en inquirir, y procurar saber las faltas de los proximos, y hermanos.] Sic ille. Et ideo hanc sententiam docent communiter Doctores: ut Coninch. *de Actibus supernat. d. 18. dub. 5. n. 71.* Ledesma in *summ. tom. 2. tr. 4. c. 4. concl. 11.* Miranda *de ordine iudiciario tom. 1. q. 9. ar. 3. conc. 3.* Malderus in 2. 2. *q. 33. art. 3. asser. 3.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. c. 25. n. 336.* Tannerus in 2. 2. *disp. 2. qu. 5. dub. 4. n. 79.* Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 4. diffic. 6. n. 3.* Bannez in 2. 2. *q. 33. art. 3. dub. 3.* Petrus Fay *de poenit. in addit. ad 3. part. quest. 11. art. 1. disp. unica, ad ult. argum.* Spatarius in *Practica criminali canonica, tr. 4. c. 2. n. 1.* Turrianus in 2. 2. *tom. 1. disp. 89. dub. 5.* Layman in *Theol. mor. lib. 2. tract. 3. cap. 7. numer. 2.* & alij. Non potest igitur aliquis inquirere peccata aliena, ut corrigantur; ex quo principio damnatur opinio asserentium, licitum esse in confessione interrogare de complice, ut corrigatur: nam si non licet inquirere peccata aliena extra confessionem, quanto minus in confessione? Sed hæc opinio, ut alibi probauimus, est perniciosa, & sacramenti Pœnitentiæ destructiua.

Quæ causa legitima, ut quis possit transire ex Religione strictiori ad laxiorem?

RESOL. XLIII.

Potest Religiosus licitè transire ex Religione strictiori ad laxiorem cum licentia Superioris. Primò ob infirmitatem, aut corporis debilitatem, unde ferre non possit austeritates Religionis, ad quam se primò contulit. Ita D. Thomas 2. 2. *q. ult. art. 8.* Angelus *ver. Religiosus, num. 35.* Syluester *ver. Religio 4. q. 2.* Tabiena *ver. Religio 4. n. 2.* Geminianus in *c. cum singula, §. prohibemus, n. 6. de preben. in sexto.* & Franchus *ibidem n. 4.* & alij. Secundò, si Religiosus in priori Religione odio habeatur à cæteris Religiosis, aut indignè, ac malè tractetur, aut si aliis sit exosus. Ita Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 102.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 14. quest. 8.* Reginaldus *tom. 2. lib. 18. cap. 29. n. 414.* & Sanchez *vbi infra.* Tertio, si in illa Religione ita infamatus sit ob aliquod crimen à se patratum, ut semper in ea pudore suffusus, ac subinde magna tristitia affectus, vitam transacturus sit, & hoc sæpius potest accidere in Religionibus, in quibus viget obseruantia.

Anon. Diana Res. Mor. Pars III.

Ita Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. c. 7. num. 72.* Et tandem quarto Bartholomæus de Vechis in *praxi nouitiorum d. sp. 15. dub. 7. num. 4.* putat habere causam sufficientem transeundi ad laxiorem Religionem Religiosum, cui ob suam imperfectionem, & prauum habitum obseruantia austeritatum propriæ Religionis adeò difficilis redditur, ut ferè continuam mœlitiã, & pœnitentiã professionis emissã in illa Religione experiatur, quamvis ratione huius difficultatis regulam frequenter non transgrediat; quod probatur. Primò, quia hæc ferè continua mœlitiã, & pœnitudo constituit Religiosum in probabili periculo violandi regulares obseruantias. Secundò, quia sicut tristitia, & displicentia grauis, quam experitur Nouitius tempore probationis, censetur sufficiens ad liberandum eundem Nouitium à nexu voti Religionis; ita eadem tristitia in casu nostro censenda est dispensationis causa, maximè si spes habeatur petentem dispensationem cum gaudio, & animi tranquillitate seruiturum esse Deo in laxiori Religione. Ita Vechius, licet alij contrarium sentiant, quando non obstante dicta displicentia, & mœlitiã Religionis, regulas frequenter non transgredietur.

Notandum est tamen hic obiter, quod Rodriquez in *qq. regul. tom. 3. q. 52. art. 9.* allegans falsò Sotum limitat primam causam superius positam, quando Prælati Religionis strictioris dispensarent cum illo Religioso, ut propter infirmitatem ad onera Religionis non teneatur. Sed ego cum Sanchez *vbi supra in summ. tom. 2. lib. 5. c. 7. n. 72.* puto his non obstantibus, posse dictum Religiosum transire ad laxiorem Religionem, quia licet cum iplo Prælati dispensaret, non posset (moraliter loquendo) non esse Religioni onerosus, & causa multi scandali, notæ, & murmurationis.

An nouitius recedens à Religione recidat in censuras, ac irregularitates, à quibus in Religione absolutus fuit?

RESOL. XLIV.

Affirmatiuè respondet Peregrinus in *compen. nostrorum priuileg. p. 1. tit. absolutio, §. 1. in scholio.* Sorbus in *compen. priuileg. tit. nouitius, §. de nouitiorum absolute, ver. deinde,* & Rodriquez in *qq. Regul. tom. 1. q. 24. a. 15.* asserentes nouitios vi aliquorum priuilegiorum absolutos, redeuntes ad sæculum in censuras, & irregularitates reincidere, ex eo quod hæc concessiones videntur conditionem includere, si in Religione perseuerauerint, iuxta Syluestrum *vers. Absolutio §. n. 9.*

Verum mihi contraria sententia placet, si dicti nouitij à præfatis nexibus fuerunt absoluti vigore priuilegiorum, quæ adducit ipse Rodriquez *q. 20. a. 21.* vel vigore cuiusdem priuilegij Clem. IV. & aliorum priuilegiorum, quæ adducit Bartholomæus de Vechis in *praxi nouitiorum disp. 9. dub. 25. n. 3.* vbi nostram sententiam tenet, & validissimis rationibus firmat. Vide etiam Bonacinam *de leg. disp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n. 28.* Suarez *de Relig. 10. a. 17. 8. lib. 2. cap. 24. num. 6.* & alios. Ratio est, quia absolutio purè, & simpliciter data non est explicanda, datam fuisse ad reincidentiam, ut notat Suarez in *3. part. tom. 5. disput. 7. sect. 5. num. 35.* nisi in casibus à iure expressis, ut habetur in *c. eos qui, de sent. excomm. in 6.* vel nisi facultas absoluendi ita expressè concessa sit. Cum ergo in priuilegiis relatis eisdem nouitiis nominatim concessis non exprimitur hæc reincidentia; ergo, &c. Et confirmatur, nam ut ego alibi firmaui absolutus tempore Iubilæi à casibus reseruatis, &c. habens animum lucrandi verè Iubilæum, si postea illud non lucretur, non reincidit tamen in censuras, & liber remanet à reseruacione; ergo idem dicendum erit de Nouitiis vi priuilegiorum absolutis, cum eadem militet ratio.

An Superiores Regulares possint dispensare cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio voluntario?

RESOL. XLV.

Negatiuè respondent Peirinus in *pruul. Minim. tom. 1. const. 2. Iulij II. §. 29. n. 103. & 104.* Layman in *Theol. mor. lib. 2. tract. 5. part. 5. c. 9. n. 7.* Ludouicus Molina de *iust. tom. 4. tract. 3. disp. 70. n. 12.* vbi sic ait. Dixi dispensare poterat, quoniam si homicidium sit voluntarium, esto sit occultum, statuit Concil. Trident. *sess. 14. c. 7. de reform.* vt in eo non dispensetur ad sacros Ordines suscipiendos. Priuilegia autem omnia Regularium reuocata sunt, quatenus cum dispositionibus Concilij Tridentini pugnant, eaque de causa Prælati Religiosorum, neque in conscientia foro dispensare hodie possunt, vt homicida voluntarius ordinem aliquem sacrum suscipiat, & fortè in eo priuilegio non continuabitur. Ita Molina, & alij.

Non desunt tamen affirmatiuam sententiam tuentes, & ita docet Io. de la Cruz de *statu Relig. lib. 1. c. 6. dub. 19.* Miranda in *manuali Prælat. tom. 2. §. 8. art. 10. concl. 2.* Sigismundus à Bononia *tract. de elect. part. 2. c. 4. dub. 71. num. 1.* Rodriguez in *gg. Regul. to. 1. quest. 24. art. 12.* Corduba, & alij. Et hanc opinionem extendit etiam ad nouitios Bartholomæus de Vechis in *praxi nouit. disp. 9. dub. 16. num. 2.* & fundatur hæc facultas in quodam priuilegio Martini V. & alijs relatis in *Compen. Societatis Iesu, verb. dispensatio, §. 1. & in nostro part. 1. verb. dispensatio, §. 2. & seq.* & hanc sententiam nouissimè docet etiam Laurentius Portel in *dub. Regul. verb. dispensare, n. 8.* vbi sic ait. Possunt Prælati etiam conuentuales dispensare cum suis subditis super irregularitate orta de homicidio voluntario, si sit occultum, non verò si sit publicum. Sic ille.

Notandum est etiam hic obiter insigne priuilegium concessum à Paulo III. Religiosis D. Benedicti Vallisoleti, & relatum à Rodriguez in *Bullario, fol. 817.* vbi conceditur, vt singulis annis primo die Lunæ Quadragesimæ dispensent cum omnibus subditis in omni irregularitate, quauis occasione, vel causa contracta, in qua concessione obseruat Hieronymus Rodriguez in *compen. gg. Regular. resol. 16. n. 14. & resol. 52. n. 25.* Laurentius Portel in *addit. ad dub. regul. ver. dispensare, n. 5.* quod Summus Pontifex non limitat si sit homicidij voluntarij, neque casualis, neque limitat si sit delictum occultum vel publicum, neque excipit bigamiam, &c. Sed absolute, & in communi ait, quauis occasione, aut causa contracta, quod non reperio alium Pontificem concessisse. Cumque concessio sit tam ampla, & generalis, & Papa id possit concedere, nec ab aliquo successore reuocatum inueniamus in speciali, videtur posse Religiosos illa vti, sicut iacet, sine limitatione; quia cum lex, vel Princeps non distinguit, nec nos debemus distinguere. Ita Portel *vbi supra.*

Sed an omnia supradicta pro sententia affirmatiua sint probabilia, necne, remitto me iudicio aliorum, sicut & in alia questione, An dicti Prælati regulares possint vigore priuilegiorum dispensare super bigamia vera, vel interpretatiua, nam negant Layman *vbi supra,* & alij, quos citat, & sequitur Vechius in *praxi nouit. disp. 9. dub. 25. n. 2.* Sicut è contra affirmant Auila de *cenfuris p. disp. 8. dub. 4. concl. 8.* Henricq. *lib. 12. c. 6. n. 11. in glossa liera Z.* & alij.

An qui de proximo vult ingredi Religionem, possit absolui per Confessarium illius Religionis à casibus Episcopo reseruatis?

RESOL. XLVI.

Hic casus frequenter potest accidere, & ad illum affirmatiuè respondet Bartholomæus de Vechis in *praxi nouit. disp. 9. dub. 7. n. 5.* vbi sic asserit. Integrum est præfatis Regularibus absoluerè eos, qui ingredi volunt

Ordinem, à casibus Episcopalis, quibus fortè essent interdicti. Neque obstat Decretum sacre Congreg. iussu Clem. VIII. editum die 9. Ianuarij 1601. & eius declaratio ab eadem congregatione edita anno 1602. 26. Nouembr. vbi Regularibus inhihetur absoluerè vi priuilegiorum pœnitentes à casibus locorum Ordinariis reseruatis; quia tam Decretum, quam declaratio loquuntur de iis Confessarijs, qui sæcularium confessiones audiunt, & ideo sub iis sæcularibus non comprehenduntur illi, qui Claustrum sunt statim ingressuri. Cum eo tempore ego nouitiorum curam haberem, consului super hoc Anselmum à Monopolo, tunc Ordinis nostri in Curia Romana Procuratorem, qui postea ad dignitatem Cardinalitiam promotus fuit, & de mente eiusdem Clem. VIII. respondit, præfatos nouitios absolui posse à casibus Episcopo reseruatis es modo, quo absolui poterant prius, quam memoratum Decretum emanasset. Ita Vechius.

An puella volens assumere habitum Monialium, debeat esse maior duodecim annorum?

RESOL. XLVII.

Affirmatiuam sententiam ex Concil. Trident. *sess. 25. c. 17.* docent Naldus in *sum. verb. habitus, n. 1. & verb. monialis, n. 5.* Azotius *to. 1. lib. 12. c. 18. vers. 55. & 56.* Rodriguez in *gg. Regul. tom. 3. quest. 12. art. 2.* qui testatur ita sensisse omnes Patres, qui in Concilio Prouinciali Toletano adfuerunt.

Verum contrariam sententiam mordicè tenent P. Suarez de *Relig. tom. 3. lib. 5. c. 1. n. 9.* P. Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 4. c. 18. n. 34.* Miranda in *manuali Prælat. tract. de monialibus, quest. 8. art. 2.* & Michael de Medina de *sac. hominum continen. lib. 4. controu. 9. cap. 4.* vbi probat, & dicit, nihil alienius à Concilij Tridentini mente excogitari posse, quam illum intellectum à Doctoribus pro sententia affirmatiua adductum, & ait se interfuisse illi Decreto, atque attentissimis auribus suffragia omnium Episcoporum accepisse, & nihil tractatum fuisse de sola puellarum maiorum duodecim annis ad Religionem admissione; quare concludit duo in Decreto statui. Alterum est, vt si puella ingrediens sit maior duodecim annis, quantumque ætatis sit, duplex Episcopi examen subeat, alterum ante habitus susceptionem, & alterum postea ante professionem, & vtrumque petiit, quia sæpè puellæ inuitæ habitum suscipiunt, & quamuis voluntariè illum assumant, non raro inuitæ profitentur timore parentum, vel cognatorum, vel verecundia habitum dimittendi. Alterum verò quod in eo decreto statutum est, vt puella minor duodecim annis ingrediens, vnicum examen subeat, nempe professionis tempore, quoniam ante ætatem duodennem vanum existimauit Tridentinum hoc examen præmitti ob tenerum rationis vsum puellæ. Ex quibus supradicti Doctores negatiuè ad dubium propositum respondendum esse putant.

Attamen his non obstantibus à prima sententia putat non esse recedendum Bartholomæus de Vechis. in *praxi Nouitium, disp. 52. dub. 9. n. 16.* vbi notat ita determinasse sacram Cardinalium Congregationem, cuius tenor hic est. Per hæc verba Congregatio rescripsit aliquam puellam non debere admitti ante duodecimum annum ad habitum suscipiendum, cuius causa requiritur voluntatis puellæ exploratio. Non est autem voluntas Congregationis, neque Concilij, vt ante illam ætatem puella admittatur. Ita sacra Congregatio.

Notandum est tamen hic obiter, quod quamuis, vt dictum est, Concilium Tridentinum duplex examen petat, maiori duodecim annis ingrediente Religionem, at vsum, & consuetudine iam receptum est, vt vnicum puellæ quantumque ætate ingredienti præmittatur, nimirum quando professura est. Et ita docet Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 5. cap. 4. n. 84.* & Rodriguez in *gg. Regul. to. 3. quest. 12. art. 2.* & hoc examen ab Episcopo faciendum est necessariò, etiam

etiam in puellis ingredientibus in Monasteria exempta, & dicto Episcopo non subiecta, vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, & notat Piafeci in *praxi Episc.* part. 2. c. 3. a. 7. n. 8. & esset peccatum mortale illud pratermittere, in quod incurrerent, non solum ipsa puella, sed etiam Abbatissa, vel Prælati professionem admittens.

Notabilia quedam circa prohibitionem colloquendi cum Monialibus.

RESOL. XLVIII.

Nota primò quòd aliqui dixerunt non incurrere excommunicationem qui loquitur cum Moniali ea nihil respondente; quia verba legis pœnalis non sunt extendenda, sed *colloqui* significat simul loqui, &c. Verùm contrariam sententiam, & meritò docet Graffius tom. 1. conf. 22. de sent. excomm. num. 30. Sed an idem dicendum sit de eo, qui audit Monialem sibi loquentem, quamuis ipse illi non respondeat, affirmat Graffius *ubi supra*, n. 21. At ego contrariam sententiam teneo, quia excommunicatio lata est contra loquentes cum Monialibus, sed audire non est loqui, etiam ex lata significatione vocabuli. Ergo, &c.

Nota secundò, quòd qui per nutus, & signa Moniales alloquitur, incurrit in excommunicationem, quidquid asserant aliqui Neoterici moti eo, quod sic loquens non loquitur more humano, loqui etenim est voce articulata internos conceptus explicare; ergo si quis nutu illos manifestet, non est propriè loqui. Sed affirmatiua sententia, vt dixi, est tenenda, & illam docet Graffius de *cas. reseru.* lib. 2. cap. 5. n. 33. Vbi etiam tenet idem dicendum de eo, qui loqueretur per interpositam personam in præsentia Monialis audientis, & per eandem interpositam personam respondentis, quia id in effectu idem est, ac si cum ipsa Moniali colloqueretur. Sed ego in hoc contrarium teneo, & ita in praxi etiam à viris timoratis obseruatur, & à fortiori non incurreret in excommunicationem, qui mitteret Moniali absenti nuntium, vel epistolam.

Nota primò, quòd loquentes cum Abbatissis sine licentia Episcopi, incurrunt in excommunicationem, & ita tenet Graffius de *cas. reseru.* lib. 2. cap. 5. n. 31. Verùm mihi contraria sententia magis placet, quia sicut nomine Monachorum non venit Abbas, vt notat Glossa in *c. fin. de simonia*, & ibi Panormi. n. 2. Cardinalis in *Clem. 1. n. 7. in 6. opposit. de Regular.* ita dicendum est, quòd nomine Monialium non veniat Abbatissa.

Nota quartò, quòd qui per interpretem loqueretur, vt si loquatur aliqua lingua, quam Monialis non intelligit, sed alius explicaret Moniali sensum verborum, secundum Graffium de *cas. reseru.* lib. 2. cap. 5. num. 34. incurreret in excommunicationem; sed ego contrariam sententiam teneo, quia talis verè non loquitur cum Moniali, sed cum illo interprete; quare idem est, ac si dictæ Moniali nuntium mitteret.

Nota quintò, contra dictum Graffium tom. 1. conf. 22. de sent. excomm. n. 9. pueros, puellæve ante annum decimum quartum completum, loquentes cum Monialibus non incurrere in excommunicationem, per ea, quæ adducit Bonacina de *conf. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 7.* cum aliis. Idem dicendum est de aduenis, & peregrinis, si cum Monialibus colloquuntur in aliqua ciuitate, vbi domicilium non habent, ex his, quæ diximus in *tract. de legib.* Et idem asserendum puto de Episcopis, qui, vt experientia demonstrat, sine scrupulo cum Monialibus loquuntur absque Ordinariorum licentia. Et ita docet Graffius de *cas. reseru.* lib. 2. c. 5. n. 27. & 54. licèt contrarium teneat Gratianus tom. 2. c. 393. n. 20. & hinc Panormi obseruatur.

Nota sextò, quòd, vt alibi diximus, colloctio de rebus indifferentibus cum Moniali, per spatium vnus *Miserere*, & aliquod amplius ratione paruitatis materiæ, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, licèt aliqui asserant sufficere decem verba, imò duo, vel tria tantum, si

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

colloctio esset de rebus obscœnis. Adde etiam quòd aliquando quælibet, licet longa, colloctio etiam de rebus obscœnis, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, vt v. g. si dominus, qui solitus est minas exequi, comminaretur aliquod graue malum seruo, vel ancillæ, nisi ad colloquendum cum Moniali de rebus turpibus, non accedat; quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore; ideo in tali casu seruus, & ancilla, licèt peccent, non tamen in hanc excommunicationem incurrunt.

Nota septimo, quòd excommunicatio lata contra accedentes ad Monasteria ad colloquendum cum Monialibus, non ligat illum, qui loquitur cum Moniali, quæ est intra clausuram de domo, quæ propinqua est illi Monasterio, quia talis excommunicatio cum sit pœnalis, strictè est interpretanda; cum ergo sit lata contra accedentes ad Monasterium ad colloquendum, non est extendenda ad illum, qui non accedit ad Monasterium, sed cum Moniali loquitur de domo. Et ita hanc sententiam tenet Graffius tom. 1. conf. 22. de sent. excomm. n. 23. licèt contrarium, & magis probabiliter tenendum sit, quia principaliter, & per se prohibetur in tali casu ipsa colloctio, accessus verò ad Monasterium prohibetur per accidens; ergo, &c. Et ita videtur apertè docere Henriquez lib. 13. c. 26. n. 2.

Nota octauò, quòd omnes Regulares, etiam exempti, alloquentes cum Monialibus absque licentia, possunt puniri ab Episcopo ex constitut. Gregor. XV. & ex Declaratione Cardinalium Romæ typis excusa anno 1624. & hoc etiam si alloquantur in Monasterio ipsis Regularibus subdito, vt notant Bellochius in *praxi de cas. reseru.* part. 2. q. 9. num. 17. Bonacina de *claus. qu. 3. punct. 4. num. 8.* & alij. Notandum est tamen contra Duardum in *Bull. Cœn. lib. 1. cap. 1. q. 3. n. 19.* quòd non colligitur est dicta Declaratione Cardinalium Episcopos, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatos, posse peculiari statuto prohibere Regularibus exemptis, sub pœna excommunicationis, ne cum Monialibus colloquantur. Vnde infertur etiam contra Graffium in *decis. part. 1. lib. 2. cap. 49. n. 68.* & alios, quòd Religiosi exempti non afficiuntur censuris ab Episcopo impositis contra accedentes ad Monasteria Monialium absque licentia. Et ita tenent Sanchez de *matrim.* tom. 2. lib. 7. disp. 33. n. 33. Rodriguez in *99. Regul. tom. 1. q. 45. art. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa de *potest. Episcop.* part. 3. alleg. 102. n. 73.

Nota nonò, non incurrere in excommunicationem latam contra colloquentes cum Monialibus, si quis loqueretur cum Nouitia, & ita docet Graffius tom. 1. conf. 22. de sent. excomm. n. 26. quia in odiosis, & pœnalibus Nouitiæ non comprehenduntur sub nomine Monialium. Vnde si aliquis accessit ad Monasterium cum licentia colloquendi cum aliqua Moniali, si ex industria ad se vocari faciat Nouitiam, & cum ea colloquatur, non incurrere in excommunicationem dicendum est.

Nota decimò, quòd in conscientia ad euitandum peccatum, & pœnam excommunicationis, non est necesse, vt licentia Ordinarij colloquendi cū Monialibus sit in scriptis; & nota etiam quòd hanc sententiam dare potest non solum Episcopus, sed etiam eius Vicarius; & si data fuerit indefinitè, & absque temporis præfinitione, extinguitur per primam colloctioem. Vide Graffium *ubi supra* n. 40. & 41. Sbrozium de *vicar. Episc.* lib. 2. q. 109. & q. 210. Mastrillum de *decis.* 97. Riccium part. 3. collect. 587. & alios.

Et tandem notandum est hic obiter, quòd in *cap. monasteria, de vita, & honest. Cler. & in cap. periculoso, de stat. Regul.* in 6. prohibetur frequentare Monasteria Monialium. Sed difficultas est, an nimia frequentatio absque legitima causa sit peccatum? affirmat Hieronymus Llamas in *Methodo Curationis in Append. quam ponit in fine §. 4.* & idem docet Rodriq. in *99. Regul. tom. 1. q. 45. art. 4.*

Sed mihi absolute loquendo placet opinio Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. cap. 16. n. 120.* asserentis, seclusis aliis extrinsecis scandalis, aut mali finis circumstantiis, non esse culpam mortalem dictam frequentiam absque iusta

cauia, & licentia, nisi frequentans ab Episcopo monitus non delistat; verum rarissime dicta frequentatio non generat scandalum.

An Superiores Regulares aliqua peccata prohibere possint sub pena excommunicationis sibi reseruata?

RESOL. XLIX.

Affirmatiue respondent Villalobos in *summ. tom. 1. tr. 1. diff. 58. n. 5.* Tamburinus de *iure Abbat. tom. 2. diff. 13. q. 3. n. 1.* Coriolanus de *cas. r. ser. p. 1. sect. 1. art. 6. num. 1.* Fagundez *prac. 2. lib. 8. cap. 4. n. 5.* Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 29. sect. 3. n. 13.* & alij, quia hoc non est reseruare peccatum, sed censuram.

Sed mihi placet contraria sententia, quam tuentur Sigismundus à Bononia in *tract. de elect. part. 3. c. 4. dub. 12. 3. n. 9.* Peirin. in *priuil. Minim. tom. 2. constit. 10. Urbani VIII. §. 61. n. 10.* Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. cap. 1. n. 13.* Megala in *prima part. lib. 1. cap. 12. n. 8.* Molfesius in *sum. tom. 1. tract. 7. cap. 20. n. 17.* & ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem die 7. Iulij 1617. testatur P. Leone *tract. de officio, & potest. confess. tom. 2. recollect. tom. 11. n. 5.* Ratio est, nam ex Decreto Clem. VIII. omnis reseruatio illis interdicta est, & ratione censuræ appositæ illud peccatum reseruatum manet; ergo, &c. Vnde apparet talem modum reseruandi per excommunicationem esse inuentum, & excogitatum in fraudem legis Pontificiæ, nolentis, & prohibentis alia peccata reseruari, quam illa à Summo Pontifice expressa; non est ergo prima sententia admittenda, & Ioannes Faber de *pœn. in 4. sent. dist. 17. q. unica, disp. 27. cap. 1. n. 29.* asserit tutius esse Superiores cauere à tali censurarum reseruatione.

An Religiosus, Factus Episcopus, efficiatur dominus reddituum Ecclesiasticorum, & absoluatur à voto paupertatis?

RESOL. L.

Hic casus frequenter accidit, & licet negatiuam sententiam teneat 42. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. c. 6. num. 8.* quibus ego addo Tannerum in *2. 2. D. Thom. disp. 5. q. 4. dub. 6. n. 131.* Sanctarellum *tract. de Apostasia, c. 6. dub. 3. num. 20.* Cenedo de *paupertate relig. dub. 43.* & Barbosa in *collect. tom. 4. part. 2. causa 18. q. 1. n. 13.* Bartholomæum à S. Fausto in *Thef. Relig. lib. 6. q. 190.* quia vota à talibus Episcopis in Religione emissa non laxantur, nec limitantur, nisi quatenus obstant muneri Episcopali, tanquam maiori bono; sed muneri Episcopali non obstat paupertatis votum, & abdicatio dominij, dummodo tales Episcopi habeant liberam administrationem omnium bonorum Ecclesiasticorum, vt ea in quolibet vsus decentes expendant, ergo, &c.

Attamen his non obstantibus, contrariam sententiam puto etiam esse probabilem, quam ex Dominicanorum familia docet Sotus de *iust. lib. 7. q. 4. art. 2. ad vlt. & ex Societate Iesu Valquez in p. 2. quest. 96. art. 4. disp. 165. cap. 8. n. 81. in fine, & n. 104.* Palacios, Medina, Angles, & alij. Et si hæc opinio non esset probabilis, & negatiua esset tenenda, sequeretur quod alijs deberent ij Episcopi superuacaneè consumpta restituere, atque ab ipsis sic accipientes etiam restituere tenerentur. Dicendum est igitur Religiosum ad Episcopatum assumptum eximi à paupertatis voto, efficique verum dominum reddituum Ecclesiasticorum, initar Episcoporum sæcularium, ex quorum numero est, quia eodem prorsus modo adiudicatur sua portio Episcopo sæculari, ac regulari, cum libertate transferendi in alium dominij administrationem. Ex his patet posse liberè supradictos Episcopos testari de bonis patrimonialibus, & ex industria acquisitis. Vide Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 35. dub. 40. n. 6.*

Sed quæret aliquis, an dictus Religiosus Episcopus te-

neatur saltem sub culpa veniali ad obseruantias Regulares, quæ Pontificio muneri non obstant, imò valde conferunt, vt potè quæ iuuant ad promouendam, & custodiendam perfectionem, quam Episcopalis status proficitur, vt sunt oratio, abtinentia moderata, &c. Respondeo negatiue, & ita docent Sanctarellus *ubi supra n. 17.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 14. n. 113.* Sanchez *loco cit. num. 19.* Villalobos *num. 17.* & alij penes ipsos; solum igitur dicendum est debere illas obseruare ex quadam honestate, & debito morali.

Hinc inferitur primò contra Caietanum *2. 2. q. 185. art. 8. dub. 1. in fine.* Religiosum Episcopum, si edat carnes feria 6. in quam Natus Domini incidit, contra id, quod præcipitur in sua Regula, non peccare. Ita docent Barbosa *ubi supra n. 5.* Sanctarellus *num. 20.* Sanchez *num. 20.* Cenedo *num. 20.* qui bene asserit, hoc etiam verum esse, si Episcopus esset ex Fratribus Minimis. Secundò inferitur supradictum Episcopum Religiosum non teneri diuinum officium iuxta suæ Religionis titulum persoluere. Ita Faustus in *Thef. Relig. lib. 6. q. 194. n. 3 in fine,* & alij. Et tandem contra Doctores, quos rectè impugnat Sanchez *n. 3.* Cenedo *n. 18.* Si Religiosus promotus ad Episcopatum omittat habitum suæ Religionis, & assumat exteriorem Episcopalem tunicam, non incurrit in excommunicationem latam aduersus Religiosos dimittentes habitum Religionis. Et ita etiam hanc sententiam docet Sanctarellus *ubi supra tract. de Apostas. cap. 1. dub. vnic. n. 15.* Villalobos in *summ. v. i supra tom. 2. tract. 35. dub. 4. n. 19.* Barbosa in *Collect. tom. 3. lib. 3. tit. 24. c. 1. n. 4.* & alij. Sed circa præsentis quæstiones præter Doctores citatos, lege Syluium in *2. 2. quest. 185. a. 1. 8. concl. 1. 2. 3.* & Ledciman in *addit. ad summ. tract. 32. cap. 1. concl. 25. & seq. fol. mihi 73.*

Quædam Monialis infirma obtinuit licentiam confitendi cum quodam Confessario Regulari: dubitatum tunc fuit, an possisset ingredi cum socio, & finita confessione an statim deberet egredi?

RESOL. LI.

Licet Superior illius Religiosi noluit, vt cum socio ingrederetur: tamen ego tunc probabiliter censui potuisse cum socio ingredi, quia decentia postulat, vt Religiosi numquam soli incedant, & ita docent Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. c. 6. n. 46.* & innuit Miranda de *Monialibus, q. 2. a. 17. sub. fine,* & hoc licet in licentia Vicarij Generalis non adest mentio de socio, sufficit enim ad hoc licentia explicita ipsi Sacerdoti cõcessa, nam hæc etiam ad socium extenditur. Scio contrariam sententiam docere Bonacinam *tr. de clausura, q. 4. p. 4. n. 4.* Quia, ait ille, non dedecet Confessarium claustra Monasterij ingredi, socio ad ianuam remanente, sicut non dedecet Religiosum in vno cubiculo negotium cum Principe agere, socio illum ad Palatij ianuam expectante. Sed ego puto esse disparem rationem inter vtrumque casum, vt omnibus patet, non nego tamen opinionem Bonacinæ probabilem esse.

Ad secundam dubitationem respondeo, statim debere egredi, & peccare mortaliter aliter facièdo, nisi breui spatio immoretur, paruitas enim materiæ, etiam in hoc, à mortali excusat. Imò Sanchez *n. 69.* Molfesius in *sum. tr. 7. cap. 20. n. 42.* Rodriq. in *99. Regul. tom. 1. q. 47. art. 1.* Miranda *q. 2. de Monialibus, art. 2.* & alij, non solum à mortali, verum etiam à veniali excusant breuiter immorantem; vt si causa curiositatis aliquantisper in visendis officinis immoretur. Difficultas est, quanam mora dicatur breuis, vt quis in tali casu intra Monasterium immorando, non dicatur peccare contra clausuram. Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35. diff. 49. nu. 1.* sic asserit. [El Señor Don. Fr. Antonio Trejo Obispo de Carthagená, quando fue General de nuestra Orden declaró, que se tuuiesse por poco tiempo vn quarto de hora.] Igitur secundum Villalobos, si Confessarius in tali casu immoraretur in Monasterio

rio per quadrantem horæ, non peccaret contra clausuram, semotis tamen aliis prauis circumstantiis, vel sine malo.

An Monialis, quæ se ponit in rota, & facit illam volui versus partem externam, ad quam seculares accedunt, frangat clausuram, & incidat in pœnas, etiam si non egrediatur è rota?

RESOL. LII.

Affirmatiuè respondent Comitulus in *Respons. mor. lib. 6. q. 3.* & Portel in *dub. regular. ver. Clausura Monialium, num. 24.* Ratio est, quia hæc accessit ad locum, ad quem seculares accedunt, quod expressè prohibetur in Bulla Gregor. XIII. ergo, &c.

Sed ego contrariam sententiam puto esse veriore, quam tuctur Bonacina *q. 1. punct. 8. num. 7.* & hoc ratione paruitatis materiæ, sicut si Monialis staret in solo ostio, quia ostium, vt docet glossa in *cap. cum sanctam, de pœnit. disp. 6.* est partim intra, partim extra clausuram, & in hanc sententiam inclinat Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. cap. 16. n. 70. in fine.*

Difficultas est, an etiam ratione paruitatis materiæ possit Monialis excusari à pœnis, si utroque pede, & toto corpore egrediatur, etiam si ad vnum, vel ad duos tantum palmos ianuam sit egressa, quod etiam queritur de secularibus Monialium Monasteria ingredientibus, nam eadem est ratio. Respondeo supradictam Monialem clausuram perfectè violasse, cum talis sit verus extra clausuram egressus sufficiens ad culpam lethalem, & ad censuras incurrendas; secus autè, si Monialis sub ostio clausuræ existat vno pede extra ianuam extenso, & altero intra ianuam retento, tunc enim à mortali excusaretur ratione paruitatis materiæ. Ita Sanchez, & Bonacina *ubi supra.*

Non reticebo tamen aliquos Doctores docere etiam Monialem, quæ extra ianuam clausuræ limites terminantem, ambobus pedibus se transtulit ad vnum, vel duos palmos, non peccare mortaliter propter materiæ paruitatem. Et ita docent Graffius in *decis. p. 1. lib. 4. c. 23. n. 25.* & de *cas. reser. c. 5. n. 44.* & Naldus in *sum. ver. clausura, n. 4.*

An ignorans nullitatem professionis, vel impeditus ad reclamandum intra quinquennium, possit ad huc reclamare, non obstante Concilio Trident. sess. 25. cap. 9. de Regul.

RESOL. LIII.

Negatiuam sententiam docet Bonacina *de clausura, q. 2. punct. 10. diff. 4. n. 5.* quia Concilium loco citato concedit, Religiosum audiri solum intra quinquennium; ergo non permittit ipsum vti alio remedio, cum eo vti non possit, nisi audiatur. Deinde in pari causa Restitutionis in integrum inter duos minores, melior est conditio possidentis. *l. si minor, ff. de minor.* Sed Religio priuilegio minoris gaudet. *c. 1. de in integ. restit.* ergo Religiosus non potest contra Religionem vti priuilegio restitutionis in integrum.

Sed affirmatiuam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam tuentur plures Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 37. à nu. 22. usque ad n. 27.* qui respondet ad argumenta Bonacinae. Et ita hanc sententiam docet etiam nouissimè Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 35. diff. 25. n. 9.* & ante illum Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 66.* Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 4. q. 10.* Gratianus in *discept. tom. 3. c. 413. n. 9.* & *c. 440. n. 25.* Miranda in *manuali Pralat. tom. 1. q. 22. art. 3. concl. 2.* cum aliis.

Sed plus addit Sanchez loco citato *n. 28.* vbi probat, quòd in foro conscientia maior, qui reuera sciuit professionem fuisse nullam, & labi quinquennium, intra quod solum conceditur reclamatio, at nullo modo ratam habuit professionem, possit reclamare, & deducere causam ad forum

externum, petens restitutionem in integrum ratione iustæ ignorantia, possitque petito à se iuramento, id iurando affirmare, quia reuera in foro conscientia, non est professus, & potest fugere; quod si denegetur audientia, est ob ratificationis præsumptionem, & iuramentum illud, quo se ignorasse testatur sic accipiendum est, quia ignorauit, id est, non habuit scientiam, qua ratam haberet professionem, sicuti Tridentinum præsumit. Ita Sanchez, qui alias rationes adducit.

Notandum est tamen hic obiter pro intelligentia Concilij Tridentini *ubi supra*, quod dimissio temeraria habitus non impedit, vt Regularis non audiatur super nullitate professionis, si postea eundem habitum reassumat, non obstantibus illis verbis Concilij, *quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur.* Et ita docent Riccius *part. 4. dec. 48. n. 10.* Portel in *dubis Regul. verb. Professionis nullitas, n. 45.* Campanili in *diuer. iur. can. rubr. 12. c. 11. n. 18.* Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 7. c. 3. n. 14.* Miranda in *manuali Pralat. tom. 1. q. 30. art. 6. concl. 1.* Barbosa *de potest. Episc. par. 3. all. 104. n. 12.* Gratianus in *discept. tom. 3. c. 413. n. 7.* & *8.* & Villalobos in *sum. tom. 2. tr. 35. diff. 25. n. 4.* & alij.

An Regularis in casu iustæ appellationis possit omissio medio non appellare ad Prouincialem, seu ad Generalem, sed ad Romanum Pontificem?

RESOL. LIV.

Negatiuè respondet Duardus in *expof. Bull. Cœn. lib. 2. canon. 9. q. 37. n. 8.* Spatarius in *praxi tract. 10. part. 4. c. 1. n. 3.* Peirinus *de Religioso subdito tom. 1. q. 1. c. 20.* & alij penes ipsos, & hanc sententiam nouissimè etiam docet Ioan. de Santa Maria in *Tribun. Relig. tract. 5. c. 10. §. 1. n. 3.* in fine, vbi sic asserit. [La appellacion no se ha de hazer por causas liuianas, sino pocas vezes, y quando la qualidad, y grauedad del nogocio lo demandare, y hauiendo primero hecho recuso a los Prelados de la orden, y no hauiendoles defagrauiado, ò fauorecido, y lo mismo que se ha dicho del Papa, se entiendo tambien del Nuncio Apostolico.] Ita ille, & hoc stante quadam declaratione Cardinalium, & Decreto Clem. VIII.

Non reticebo tamen, contrarium docere Remigium Scofra in *opus. de inualiditate Professionis dub. 25. & 26.* qui facit mentionem Decreti Clem. VIII. Idem etiam docet Laurentius Portel in *dub. Regul. verb. Appellare, n. 3.* vbi sic asserit. Congregatio Cardinalium declarauit modum appellandi hunc esse seruandum, vt scilicet à Guardiano appelletur ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, ab hoc ad Protectorem Cardinalem, ab hoc ad Papam. At his non obstantibus, potest Religiosus omissis illis mediis, statim ad Papam, seu Nuntium appellare, vt praxis obseruat. Ita Portel.

Notandum etiam cum Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 6. c. 8. n. 10.* & aliis, quod licet aliqua Religiones habeant priuilegia summi Pontificis interdientia Religiosis appellare, tamen intelligenda sunt eo modo, quo ius commune appellationem dictis Religiosis denegat, nempe quando Prælati corrigentes, seu punientes subditum non excedunt limites religiosæ disciplinae, tunc enim minimè grauant, secus quando grauant, eos limites prætergrediendo. Nec valet dicere; quod priuilegia aliquid ultra ius commune operari debent, *cap. Abbate, de verb. significat.* Nam respondetur, aliquando nihil nouum continere, sed maioris expressionis gratia, concedi, vt probat idem Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 37. n. vlt. ad vltim.*

Non reticebo tamen Sanchez in loco citato suæ summæ putare etiam dicta priuilegia hoc amplius continere, vt subditus non possit appellare, nisi excessus Prælatorum manifestus sit, quia pax, & simplicitas, & obedientia Religiosorum hoc postulat.

An in Concilio Trident. Sess. 25. cap. 16. de Regul. comprehendatur renunciatio facta ante ingressum nouitiatus, intuitu ingressus Religionis?

R E S O L. LV.

Affirmatiuam sententiam docent 16. Doctores apud Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 7. c. 5. n. 3.* licet ipse *n. 4.* & merito cum multis aliis contrarium doceat, quibus ego addo Villalobos *in summ. tom. 2. tr. 35. diff. 17. n. 4.* & Portel *in dub. Reg. verb. Nouitiatus, n. 41.* vbi sic ait. Si Nouitius ante ingressum Ordinis, iam talem ingressum cogitans, & proponens, aliquid donauit, vel renunciauit, factum tenet, & est validum; nam adhuc non erat Nouitius, & Concilium solum prohibet, ne donet Nouitius; & refert. Quaranta, sic declaratum fuisse à Cardinalibus, Ita Portel. & hanc sententiam etiam docet nouissime Menochius *in addit. ad lib. 2. de arbitr. iud. cas. 436. num. 3.* vbi affert quamdam petitionem factam Sacræ Congregationi cum eius responsione; petitio verò, & responsio hæc est.

Anna de Cagnolis, nunc soror Hortentia Maria, facta Monialis, & professa in Monasterio Sanctæ Agnetis Mediolani, hæres pro tertia parte sui patris, asserens se habere animum ingrediendi Religionem, cum conditione, quatenus in eo professionem emitteret, & non alias, ante tamen ingressum Monasterij portionem vnâ paternâ, & alia iura, retentis sibi scutis duobus millibus tantum pro sua dote, Dominis Scipioni, & Ferdinando Cagnolis renunciauit, & cessit, vt constat publico instrumento cum iuramento. Promisit etiam Anna ad cautelam, iura iuribus addendo, intra duos menses ante professionis emissionem dictum instrumentum ratificare. Adueniente bimestri ante professionem. Anna non solum ratificare noluit, sed obtenta absolutione à iuramento illud, & contenta in eo totaliter reuocauit, asserens se fuisse seductam metu reuerentiali, & numquam fuisse intentionis suæ talem concessionem facere, postea solenniter professionem emisit. Nunc Monasterium, & soror ista animaduertens huiusmodi cessionem esse factam in fraudem Religionis, & Monasterij contra formam Sacri Concilij Trident. *sess. 25. c. 16. de reg.* instant declarari Sacrum Concilium comprehendere casum istum, & annullare superscriptum instrumentum, de opportuno remedio providere.

Congregatio Concilij censuit, Decretum Concilij Trident. *c. 16. sess. 25. de reg.* non habere locum in renunciatione facta ante susceptionem habitus. Hieronymus Cardinalis Matthæus.

An Religiosi possint recurrere ad Superiores supremos sine inferiorum Prælatorum licentia ad ornatum Concilij Trid. Sess. 25. cap. 4. de Regul.

R E S O L. LVI.

Verba Concilij sunt hæc. Ne liceat Regularibus à suis Conuentibus exire, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, Qui verò sine prædicto mandato, in scriptis obtento, reperiit fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti, puniatur. Ita Concilium, quæ verba non sunt intelligenda de adeunte Superiorem ex graui causa, vt si à Superiore monasterij nimium fuerit grauatus, & inique vexatus; sed Concilium solum vetat, ne quis Religiosus possit exire à Monasterio sine licentia Superioris, etiam vt adeat Superiorem; non autem vetat, ne grauatus grauius per viam iusti grauaminis, & appellationis iustæ, verbo, vel facto interpositæ, possit adire Superiorem ad conquerendum de illo. Vnde arbitror, quod licet Ordinarius iuste posset capere talem Regularem per suum territorium transeuntem, iuxta tenorem prædicti Concilij, non tamen iuste retinere, nec punire, si fidem faceret, se grauatum appellasse, vel de grauamine

protestatum iter arripuisse ad Superiorem, & ideo licentiam scriptam non deferre, quia noluit eam dare Prælatum, a quo appellauit, vel iuste metuit petere, vel quia ob appellationem, vel licentiæ petitionem, in carcerem iniuste coëctus fugit, & quia in tali casu non tenetur Religiosus petere licentiam, non enim consensus petendus est ab eo, qui vexat inique, vel de cuius culpa corrigenda & emendanda curatur, nec enim verisimile est voluisse Concilium punire actus licitos, & vt non possit iusta de causa recurri ad Superiorem. Et hæc omnia desumpta sunt à Sanctarello *tr. de Apost. cap. 3. dub. 1. nu. 11.* quæ ipse delumpfit à Nauarro *comm. 2. de Reg. nu. 61.* & *comm. 3. n. 51.* ab Azorio *t. 1. lib. 12. c. 11. q. 7.* Sayro *in clauis lib. 12. c. 17. n. 40.* & Rodriguez *t. 1. q. 29. art. 2. & q. 30. n. 4.* Claudam hanc resolutionem cum verbis Emanuelis Sæ verb. *Religio, n. 71.* sic asserentis. Non obstat Concilium Tridentinum ei, qui fugit, nimis sæuiente Superiore.

An vt valida sit professio, annus nouitiatus sumendus sit de momento ad momentum.

R E S O L. LVII.

Affirmatiuè respondent doctus Acugna *in comment. ad Decretum Gratia p. 1. dist. 53. c. 1. n. 19.* Reginaldus *tom. 2. lib. 18. c. 17. nu. 585.* Portel *in dub. Regul. verb. nouitij annus, n. 48.* Bartholomæus de Vechis *in praxi in nouitiis, dub. 4. disp. 11. n. 2.* Zanardus *in direct. Confess. p. 2. cap. 26. n. 12.* Syluester *verb. Religio. q. 5. §. 3. & seq. n. 19.* Angelus *ver. nouitiis, n. 7.* Tabiena *eodem ver. n. 4.* Henriq. *lib. 13. c. 4. n. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 24. n. 21. & in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 3. n. 31. & cap. 4. n. 9.* Molina *de iust. tom. 2. disp. 573. num. 2.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 7. notan. 4.* Rodriguez *in qq. Regul. tom. 3. q. 15. art. 4.* Graffius *lib. 3. consiliorum, conf. 6. de Regular. n. 2.* Sorbus *in compen. priuileg. ver. nouitiis, ad 6. notandum.* Gratian. *in discept. tom. 3. c. 413. n. 16. p. 1.* attentè legantur Miranda *in manuali Præl. tom. 1. q. 22. art. 3. concl. 2.* Campanili *in diuersor. iur. can. rubr. 12. c. 3. n. 4.* Suarez *de Relig. t. 3. lib. 4. c. 13.* Naldus *in sum. ver. Professio n. 6.* & Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 35. diff. 15. n. 4.* vbi sic asserit. [Ha se de aduertir. que el año del nouiciado no es necessario que sea año, y dia, como algunos imaginan; porque si esso fuera, el derecho lo señarla, si no que corre el año del momento à momento, de manera que el que recibio el habito vn dia antes de las visperas, puede hazer professio en año siguiente el mismo dia despues de las visperas, que con esso està cumplido el año, si no que es menester, que el año sea cumplido.] Ita ille.

Dicendum est igitur, quòd si quis suscepit habitum Religionis 1. Ianuar. post meridiem, non potest eodem die recurrente in termino anni, profiteri ante meridiem, sed expectandum erit punctum suscepti habitus. Vide *Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de Regular. & l. 3. §. minorem, ff. de minoribus.*

Sed quæres, an idem dicendum sit, si nouitius expleto anno nouitiatus, vt supra, tamen non attingit annum decimum sextum? Respondeo affirmatiuè ex Tridentino, & DD. citatis, & ideo Villalobos *in sum. vbi supra. tom. 1. tr. 15. diff. 20. n. 1.* sic ait. [Se dio por nula vna professio con parecer de los hombres mas doctos desta Vniuersidad de Salamanca, por hauerse echo seys horas antes, que el nouicio compliesse los diez y seys años.] Vide etiam Gratianum *discept. forens. tom. 3. c. 413. n. 31.*

An Episcopi possint prohibere ne Regulares prædicent in Ecclesiis suorum Ordinum?

R E S O L. LVIII.

Negatiuam sententiam docent Cenedo *in qq. can. quest. 26. numer. 13.* & Vega *in summ. tom. 2. cap. 86. cas. 40.* ex Bulla quadam Pij V. quæ incipit, *Et si mendicantium.* Dat. Romæ ann. 1567. & licet Portel *in dub. Reg. ver.*

ver. *Prædicatores*. n. 7. *Piafecit in praxi part. 2. cap. 3. art. 6. n. 7.* Franciscus Leo in *Thessfori. Eccl. part. 1. c. 8. n. 9.* contrarium doceant, asserentes Greg. XIII. reuocasse dictam Bullam Pij V. Tamen Laurentius de Peirinis *sup. Priuil. Minim. tom. 1. constit. 2. Greg. XIII. §. 2. n. 21.* docet minimè dictam Bullam reuocasse Greg. XIII. & ideo speculatiuè loquendo, existimo Prædicatores Regulares posse etiam contradicente Episcopo, prædicare in suis Ecclesiis, dummodo non prædicent illa hora, & tempore, quo Episcopus prædicare voluerit. Et ita docet Miranda in *manuali Prælat. tom. 1. q. 50. art. 3. conclus. 1.* Barbosa de *potest. Episc. part. 3. alleg. 76. n. 20.* & Peirinus *vbi supra*, interpretantes Concilium Trident. in duobus locis. Vide etiam Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35. diff. 5. n. 4.*

Sed nota quod dixi, *speculatiuè loquendo*, nam vt in simili casu dicebat Suarez de *Relig. tom. 4. lib. 9. c. 1. num. 9.* in praxi puto dictum Concionatorem prædicare non expedire, quia scandalum potius, vel detrimentum timeri posset ex tali prædicatione, quam fructus sperari. Sed Episcopi non deberent prædicationem dictam Regularibus prohibere, quia non possunt.

An Regulares possint in foro conscientia vt priuilegijs suis, quæ sunt extrinsece reuocata per Concil. Trident.

R E S O L. LIX.

Respondeo negatiuè cum Portel in *dub. Regul. verb. priuilegium*, n. 64. Miranda in *manuali Prælat. tom. 1. q. 39. art. 1. concl. 2m.* Io. de la Cruz de *statu Relig. lib. 2. c. 3. dub. 1. concl. 2. & 3.* Emanuel Sà *verb. Relig. n. 56.* & alij.

Sed affirmatiuam sententiam tuentur Henriquez *lib. 7. c. 24. in glossa lit. K.* Vega, in *summ. tom. 1. cap. 62. cas. 4.* Rodriquez in *qq. Regul. tom. 1. q. 8. art. 9.* Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 5. c. 4. n. 16.* Beia *part. 4. cas. 38.* Compendium Soc. Iesu *verb. Concilium Trident. §. 3.* Cabucinus, & alij. Et hanc sententiam probabilem esse putat Portel *loco cit. vbi ait.* Et proinde qui voluerit tenere cum Rodriquez, Henriquez, Capucino, & Compendio Societatis Iesu, non condemno. Ita ille. Et ratio est, quia hoc priuilegium Regularium concessit Pius V. & licet Greg. XIII. reuocauit illa, quæ Pius V. concesserat contraria Concilio Trident. solum reuocauit, vel pro foro externo tantum, vel reuocauit solum constitutiones scriptas, non verò oracula viuæ vocis, quæ non sunt constitutiones. Sed an stante hæc opinione possint Regulares ordinari in foro conscientia ante legitimam ætatem, affirmat Emanuel Sà *ver. Religio, n. 56.* sed optimè negat Vasquez in *3. part. tom. 3. disp. 246. c. 4. n. 43.*

Notandum est tamen hic obiter cum Portel *vbi supra n. 65.* quod quando Pontifices dicunt in confirmatione Priuilegiorum (dummodo sacris Canonibus, & Concilio Trident. non aduersentur) illud, *sacris Canonibus*, non intelligitur de Decretis contentis in iure Canonico; his enim multa priuilegia clarè sunt contraria, sed intelligitur de Canonibus positis in eodem Concilio Trident. in illo enim sunt etiam Canones, & Decreta.

An expulsus à Religione teneatur se corrigere, vt iterum in illam admittatur?

R E S O L. LX.

Affirmatiuè respondet Conradus in *respons. part. 1. q. 285.* Miranda in *Manuali Prælat. tom. 1. q. 52. art. 3.* Aragon in *2. 2. q. 88. art. 3.* Graffius in *dec. part. 1. lib. 3. c. 5. n. 47.* Philarchus *tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 21.* Molina de *iust. tom. 1. tr. 2. disp. 140.* Federicus de Senis *consil. 134.* Additionator Nauarri *consil. 77. de regular. lib. 3.* & alij.

Mihi verò contraria sententia probabilis etiam videtur, quam docet Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 17. q. 1. & cap. 16. q. 6.* Nauarrus *consil. 78. & 80. de Regul.* & ideo Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35. diff. 39. num. 2.* sic asserit. [Es

probable que los que han sido escluydos legitimamente de la Religion, no tienen obligacion de boluerse a ella. La razon es, porque no ay derecho, que a esso les obligue, y assi puedan quedar en el siglo de baxo de la obediencia del Opispo.] Ita ille, & ante illum Nauarrus *comm. 2. de Regul. tom. 36.* & Rodriquez *tom. 1. q. 30. art. 21.*

Nota tamen quòd Religiosus expulsus tenetur ad votum castitatis: de obedientia autem Nauarrus, & Rodriquez putant non solum teneri ad obedientiam Episcopi, vt alij Clerici, sed etiam ratione voti. Vnde statim postquam expulsus est, debet Episcopum adire, & certiorum illum facere de sua expulsionem. Sed hæc sententia mihi non placet, sicut displicuit Soto *lib. 7. quest. 1. art. 1.* Azorio *part. 1. lib. 12. cap. 16. quest. 11.* & alijs. Dicendum est igitur, Religiosum expulsum manere liberum à voto obedientia, & teneri tantum Episcopo obedire, vt alij Clerici.

Sed difficultas est quoad votum paupertatis. Sotus vbi supra docet manere liberum ab hoc voto, quia Monasterium ei alimenta non præbet. Sed contrarium communiter tenent, & ego puto, quod quidquid acquirit, Monasterio acquirit, vt probat Molina *dicta disput. 140.* Verum aduertit Villalobos *vbi supra n. 10.* [que podra dar limosna, y hazer donaciones mientras viue, como si no fuera religioso, no obstante, que no tiene dominio, porque toda la comodidad, y incommodidad de la hazienda, que tiene, corre por su quenta, y por esto dize Molina, que si gasta algo con rameraz, ò en otro mal trato trasfiere el dominio, no esta obligado el que lo recebio à restituir, mas esto no me quadra, porque no es justo darle tanta libertad, pues no tiene dominio.] Sic Villalobos. At opinio Molina, quam Villalobos impugnat, mihi probabilis videtur, & illam tenet etiam Ioannes Salas *tract. de ludo dub. 21. n. 5.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 113.* & in terminis docet Sanctarellus *tr. de Apostaf. c. 6. dub. 2. n. 11.* adde quod post hæc scripta inueni Ioannem Franciscum Suarez in *Enchiridio cas. conf. lib. 3. §. de voto Obedientia*, absolutè docere professum eiectum non teneri ad vota paupertatis, & obedientia, nec ad officium diuinum, si non est in sacris, nec ad ieiunia, aliãve annexa Religioni. Ita ille.

An Religiosus factus Episcopus sit liber ab obseruatione votorum?

R E S O L. LXI.

Communiter negatiuè respondent, sic D. Thom. in *2. 2. q. 185. art. 8. & q. 88. art. 11. ad 4.* D. Bonaventura in *4. dist. 38.* Sotus *lib. 10. q. 5. art. 7.* Syluester *ver. Religio 7. num. 11.* Rodriquez *to. 2. q. 58. art. 3.* Syluius in *2. 2. q. 185. art. 8. concl. 1.* Valerus in *diff. utr. fori, ver. Regularis, differ. 5.* Toletus *lib. 5. c. 4. n. 24.* & alij, quibus ego libenter adhaereo *ex cap. de monachis 16. q. 1.*

Non desinam tamen hic adnotare contrariam sententiam probabilem à multis existimari, & ita illam vocat Villalobos in *summ. to. 2. tract. 35. diff. 40. n. 6.* vbi sic ait. [Algunos tienen que el Papa dispensa con los Obispos Religiosos en los votos, assi lo tiene Bobadilla, que fue Padre muy docto de nuestra Orden, el fundamento desta sententia es vn texto en el *c. statutum, q. 1.* que dize.] Statutum est, & rationabiliter secundum Sanctos Patres à Synodo confirmatum, vt Monachus, quem Canonica electio à iugo Regulæ Monasticae professionis absoluit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, veluti legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat [y ha se aqui de ponderar la palabra *absoluit*, y la palabra *legitimus hæres* y la palabra *sibi*, y aun la palabra *de Monacho Episcopum fecit*; que parece, que diga, que dexa de ser Frayle. Esta sententia es probable, y si alguno lo contentara mas esta, que otra opinion, podra responder al *cap. de Monachis*, que se

se entiende de decencia, y no obligacion. Y la razon de congruencia de S. Thomas, puede responder, que como el Religioso, que se passa de Orden menos estrecha, à la que es mas, no queda obligado à las cosas de perfeccion de las que dexo, que basta cargarle de las nuevas, assi es à qui. Y como el Religioso, à quien hazen Papa, no esta obligado à las cosas de la Religion, assi el Obispo.] Ita Villalobos, & ante illum absolute docuit hanc sententiam Medina de sac. homin. contin. lib. 5. c. 26. & 27. cum Angles in 4. quest. de voto, dub. 6. concl. 1. & consequenter Ouandus in 4. dist. 38. propof. 17.

An professus Religionem per vim, & metum possit post quinquennium reclamare?

R E S O L. LXII.

Negatiue respondet Ioan. Val. in diff. vtr. fori, ver. Regularis, d. ff. 2. n. 3. vbi sic ait. Concilium Tridentinū sess. 25. c. 19. de Regul. dat quinquennium ad reclamandum his, qui per vim, & metum, aut alias causas professiones annullare pretendunt. Circa quod Decretum est valde aduertendum à Gregor. XII. ex sententia Congregationis eiusdem Concilij fuisse declaratum post quinquennium memoratum non esse amplius audiendos, etiam si allegarent vim, & metum semper durasse, nisi intra ipsum quinquennium reclamauerint, idque legitime probauerint: id aptissimum esse iudicans pro quiete, & pace singularum Monasteriorum, quamuis de iure aliter dicendum esset, & etiam per ea, quæ adducit Nauarrus, quæ cessant per dictam declarationem. Ita Valerus.

Sed his non obstantibus contrarium tenet Villalobos in sum. tom. 2. tra. 35. diff. 25. n. 8. vbi sic asserit. [Quando vno pretende, que su profesion fue inualida por el miedo, que le pulso su padre, ò otra persona durante el miedo, aunque palle el quinquennio, no le daña, porque siempre dura la causa, y as si lo hauemos visto praticar, aunque vna declaracion de Gregorio XII. de consejo de los Cardinales dize.] Non audiatur, tametsi allegauerit metum, & vim semper durasse. Sic Villalobos. Notat tamen Hieronymus Rodriguez in compen. qq. Regul. resol. 101. n. 71. quod vt quis possit audiri post quinquennium, debet impetrare rescriptum à Papa, sine quo nec Superior, nec Episcopus possunt audire reclamantem, seu allegantem causas nullitatis suæ professionis, quod est petere à Papa restitutionem quinquennij. Et ita hanc sententiam tenet etiam, & testatur de praxi Laurentius Portel in dub. Regul. ver. Professionis nulla reclamatio, num. 44. Alia verò dubia circa presentem questionem videbis apud Barbosa de potestate Episcopi part. 3. alleg. 104. per totam.

An qui transit ad aliam Religionem, possit secum deferre scripta, vel libros à se compositos?

R E S O L. LXIII.

Negatiue respondent Villalobos in sum. tom. 2. tract. 5. diff. 14. num. 5. vbi sic ait. [Dize Nauarro, que de licentia presumpta podria lleuar tus escritos de mano, que fuesen inutiles à la primera Religion, quales parece que son los apuntamientos de los estudiantes, porque en este caso se puede presumir la licencia del Superior. Mas no podra lleuar los papeles de importancia sin licencia del Prelado.] Sic ille, & post illum Hieronymus Rodriguez in compen. qq. Regul. resol. 123. num. 82. & Faultus in Thes. Relig. lib. 5. q. 386. num. 5. Hac opinio est probabilis.

Sed contrariam non minus probabilem etiam esse existimo, quam alibi etiam docui, & tenet Ioannes Valerus in differ. vtr. fori, ver. Regularis, d. ff. 8. n. 2. nisi scripta sint omnino correctæ per Authorem, & Domustranseuntis vellit illa typis mandare, vnde ait Valerus. Vidi quemdam Religiosum doctissimum secum detulisse duos

libros à se compositos, nulla ad id licentia à suo Prælato petita; qui Religiosus erat ex Societate Iesu, & transitum fecerat ad nostram. Ita Valerus.

An sit peccatum simonia, dare aliquid Titio, vt Caium adscribere faciat inter Equites D. Jacobi, Calatraue, Alcantara, &c.

R E S O L. LXIV.

Affirmatiue respondet Azorius to. 3. lib. 12. c. 16. q. 5. quia per preces Titij via ad ingressum in Religionem paratur Caius, & sicut Caius pecuniam dare non potest, vt in Religionem admittatur, sic etiam non potest dare, vt sibi viam paret ad ingressum in Religionem, emere enim videtur à Titio aditum ad Religionem. Ita ille, & dans, vel accipiens aliquid pro ingressu in Religionem, ligatur excommunicatione Summo Pontifici reseruata in Extrauag. 2. de simonia, vt notat Reginaldus tom. 2. lib. 23. c. 12. n. 173. & alij.

Sed his non obstantibus ego existimo supradictam opinionem Azorij procedere, quando Titius daret Caius illam pecuniam, tanquam pretium emendi habitum illorum Ordinum, quod licite fieri non potest ex cap. quoniam, & cap. non satis, de simonia, secus autem si illam pecuniam præberet Caius gratis, & liberaliter, vel in remunerationem laborum, licet excederet eorum mensuram; nam in isto casu possunt adesse duo contractus, vt ego ipse notauit in part. 2. meorum resolutionum moralium tractat. 2. Miscellan. resol. 39. Vnus scilicet emptionis laboris, & alter liberæ donationis & ita hanc sententiam expressè collegi ex D. Thom. in 2. 2. quest. 100. art. 3. ad 4. & illam tenet nouissime Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. disput. 1. dub. 3. n. 1. & alij communiter, asserentes ad facilius impetrandam suam receptionem in aliqua Religione, posse quem gratis, & sponte præbere munera Superioribus vel aliis. Imo ego puto in tali casu licite pactum adhiberi posse, eo modo tamen, quo explicauit cum Valentia tom. 3. disp. 9. q. 6. punct. 3. & Adamo Tannero in 2. 2. D. Thom. disp. 5. q. 8. dub. 3. n. 76. in dicta resolutione loco citato.

Deinde notandum est, quod habere habitum dictorum Ordinum secundum communem hominum estimationem est quid honorificentissimum; ergo quando quis præbet pecuniam pro eius susceptione, non intendit emere, vt ita dicam, Religionem, sed honorem illum pretio æstimabilem, quem confert habitus dictorum Ordinum, & sic Villalobos in sum. tom. 2. tract. 37. diff. 14. num. 5. sic asserit. [El que compra el habito, no quiere comprar la Religion, que antes le pesa con los votos, que estan accidenes coniuñtos al habito, y el no quieria sino la honra, y renta, que es à qui lo principal, y lo demas accessoriõ.] Igitur nullo pacto committitur in tali casu simonia.

Adde etiam, quod quis probabiliter sustinere potest, supradictos Ordines non esse verè Religiones, vnde cessat ratio adducta ab Azorio vbi supra, & ita tenent Doctores, quos citat Sancius in selectis disp. 49. n. 12. Garzias de benefico. tom. 1. part. 1. c. 4. nu. 16. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 12. nu. 46. & quos ego ipse citauit in 1. part. tr. de immunit. Eccl. resolut. 49. quibus nunc addo Ioannem Franciscum Suarez in Enchiridio casuum consc. lib. 3. ver. Religio. Bonacinam in Bull. Cæn. disput. 1. q. 16. sect. 1. pun. 3. n. 16. Alterium de cens. tom. 1. lib. 5. disp. 16. c. 1. Zenardum in direct. Theol. p. 2. prac. 4. c. 31. Narbonam in recopil. to. 1. lib. 1. tit. 5. leg. 8. glossa unica, num. 14. & Viuianum in praxi nouiss. Juris patronatus, part. 2. lib. 6. c. 2. n. 17. vbi testatur sic fuisse decisum in Rota Romana coram Seraphino die 4. Iunij 1587. & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem die 10. Nouembr. 1609.

Nec valet dicere cum Suarez de Relig. tom. 1. lib. 4. c. 27. n. 6. quòd dato hos Ordines non esse verè Religiones, tamen eo modo, quo sunt Religiones, habent aliquid spirituale,

spirituale, & inuendibile; nam respondeo cum Aragonio in 2.2. *quæst.* 100. *art.* 4. & aliis, quod quamuis ordinentur huiusmodi Religiones vltimatè ad diuinum cultum, proprius tamen earum finis est quid temporale, scilicet in militia: sed cum non vltimi, sed proximi finis sit habèda ratio, non erit simonia, dare aliquid, vt quis in his Ordinibus adscribatur; & ideo Raphaël de la Torre *tom.* 2. in 2.2. *D. Thom.* 9. 100. *art.* 4. *disp.* 3. Villalobos, Suarez, Aragonius, & alij penes ipsos docent, non esse simoniam, si Rex vendat *las Encomiendas* supradictorum Ordinum.

Sed instabis dicendo supradictos Doctores asserere quidem, non esse simoniam vendere dictas Encomiendas, tamen omnes asserunt, si Rex hoc faceret, esse peccatum mortale. Ergo hoc etiam dicendum est in casu nostro. Respondeo negando consequentiam; nam in casu, de quo loquimur, Rex ad preces tantum alicuius prinati sine vilo pretio, & pecunia confert habitum Equiti habenti, vt suppono, omnia requisita necessaria, Eques vero est ille, qui pro labore, ab intercessore suscepto, dat ei in pretium aliquam pecuniarum summam, quod si excedat laboris mensuram, dum dictus Eques, vt omnes facere possunt, illud plus, quod labor ille non meretur, gratis, & liberaliter remittat, nescio quo pacto in tali negotiatione culpa interuenire possit. Saluo semper meliori iudicio; & præsertim præstantissimorum Hispaniæ Doctorem, quibus hæc corrigenda humiliter, & ex corde submitto.

An sit contra paupertatem inscio Superiore ex nummis, à pœnitentibus acceptis, libros emere, dummodo Religiosus expositos illos in cubiculo teneat?

RESOL. LXV.

Negatiuè respondi in tract. de Paupert. Relig. *resol.* 16. cum Azorio, Fabro, Coriolano, & Homobono. Hæc sententia aliquibus displicuit, sed sine fundamento, & ratione, & ideo illam iterum nunc teneo, & pro eius confirmatione adduco celebrem doctrinam Antonij Perez viri doctissimi in *Reg. D. Benedicti*, c. 33. *dub.* 5. n. 125. vbi asserit, posse Monachum inconsulto Prælato accipere aliquod munus à patre, fratre, vel amico, animo non occultandi, sed palam habendi illud, cum non accipiat illud suo, sed Monasterij nomine, cui acquirit, quidquid acquirit, & ad hoc faciendum semper intercedit generalis, licet tacita, Prælatorum licentia, quæ ad illius rei honestatem sufficit. Ita ille, & hanc sententiam nouissimè docet Ioannes Franciscus Suarez in *Enchiridio cas. consc. lib.* 3. *ver. de voto paupert.* fol. 255. vbi sic ait. Non est proprietarius Religiosus emens libros ex pecunia sibi donata inscio Superiore, si illos penes se retineat tantum ad vsum, idque palam inter cæteros libros, quos habet de Superioris licentia. Sic ille.

Nota etiam hinc obiter primò, quod Religiosus non peccat contra paupertatem, si absque Superioris licentia accipit pecuniam, vt ipse liberè disponat de illa in elemosyna nominis eius, qui dedit. Et pro hac sententia vbi supra in *resol.* 29. citavi Sanchez, & Faustum; quibus nunc addo Petrum de Ledesma in *addit. ad summ. tract.* 32. c. 4. *diffic.* 12. *fol. mibi* 111. *col.* 1. & Ioannem Franciscum Suarez vbi supra *fol.* 256. §. *Accipiens pecuniam.*

Nota secundò quod non est contra votum paupertatis Religiosum in depositum res accipere, ita vt deprensens omne ius dominij, ac possessionis retineat, tametsi tali modo pecuniæ v. g. sitæ sint apud Religiosum, vt iis vti possit, petita postea, & impetrata Superioris licentia. Item sæpè præsumi potest Superiorem inuitum non esse, vt quæ Religioso ad suum vsum concessa sunt, v. g. breuiarium, aut vestem cum aliis commutat, quæ sibi magis accommodata videntur, præsertim si permutatio instituitur cum domesticis, imo etiam cum externis, si quæ reci-

piuntur, similia, aut æqualia sint. Interdum verò licet inuitus sit Superior quo ad modum, quia talia efficiuntur ipso non rogato; non tamen inuitus est quoad rem ipsam, ac proinde culpa mortalis non committitur. Vide Doctores, quos citavi vbi supra, *resolut.* 37. 38. & 42. quibus nunc addo Layman in *Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. n. 4. & Perez loco citato n. 109. & 125.

Nota tertio quod est opinio probabilis illa, quæ docet Religiosum habentem licentiam expendendi aliquam pecuniam in vsum, qui sibi placuerint, aut in suas honestas recreationes, si in vsum turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis, & accipiens in tali casu non tenetur restituere. Ita ex Dominicanorum familia Bannez in 2.2. *q.* 62. *ar.* 5. Lopez de *contr. lib.* 2. c. 40. *ver. non autem Religiosus*, & ex Societ. Iesu Rebellius p. 2. *lib.* 12. *q.* 4. *sect.* 2. n. 6. Ioannes Franciscus Suarez vbi supra, licet magis probabiliter contrarium doceant alij, quos ego alibi citavi.

Nota quarto quod cum Religiosus donat alteri, siue eiusdem, siue alterius Conuentus, an requiratur licentia tam in dante, quam in recipiente, affirmat Sanch. in *sum. tom.* 2. *lib.* 7. c. 19. *num.* 71. Sed quoad Religiosum alterius Conuentus res est certa. Verum quoad Religiosum eiusdem Conuentus, ego teneo contra Sanchez non esse necessariam licentiam in recipiente. Ratio est, quia dare, & recipere sunt correlatiua; si ergo huic datur licentia dandi; ergo & alteri recipiendi, quod enim in vno correlatiuorum statuitur, etiam in reliquo locum habet *ex l.* 1. & 2. *C. de cupress. lib.* 11. sicut cum datur subdito licentia recipiendi Ordines ab alieno, eo ipso ratione connexionis videtur data facultas alieno conferendi. Et ita nostram sententiam aduersus Sanchez tuetur Ioannes Franciscus Suarez vbi supra in *Enchiridio cas. consc. ver. de voto paupert.* §. *cum Religiosus donat.*

An pœna priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, lata in Bulla Pij V. contra introducentes fœminas in Monasterio, incurratur absque iudicis sententia?

RESOL. LXVI.

Affirmatiuè respondet Sayrus in *clavi Regialib.* 3. c. 10. *num.* 35. Bonacina de *clausula tom.* 1. *q.* 5. *punct.* 3. n. 2. *iuncta q.* 1. *punct.* 4. *num.* 7. Merolla in *disp. Theol. tom.* 1. *disp.* 1. c. 2. *diff.* 10. n. 253. & alij penes ipsos, quia in Bulla supradicta imponitur dicta pœna non solum ipso facto, sed sine alia declaratione; ergo.

Hæc opinio est probabilis, sed ego probabiliorem negatiuam sententiam existimo, quam tuetur Sanch. in *summ. to.* 2. *lib.* 6. c. 17. n. 39. & illa verba, *absque alia declaratione*, intelligenda sunt de declaratione pœnæ. Fundamenta huius sententiæ adducit ipse Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. c. 22. n. 20. & c. 39. n. vlt. & ita intelligenda etiam esse existimo similia verba apposita à Clem. VIII. in Bulla de largitione munerum, vt doctè adnotauit Soufa in *illius explanatione*, n. 102. & à Greg. XIII. in Bulla, quæ incipit, *Dubia qua emergunt contra Prælatos ingredientes monasteria Monialium*, vt tenet Suarez de *Relig. tom.* 4. *lib.* 1. c. 7. n. 10. cum aliis, & à Paulo II. in *Extrauag. ambitiosa, de rebus Ecclesia non alien.* vt notauit Henriquez *lib.* 13. c. 56. *num.* 41. Graffius in *decis. part.* 1. *lib.* 2. c. 11. n. 41. & alij.

Notandum est tamen hinc obiter, stando in prima sententia, contra Graffium p. 1. *lib.* 4. c. 23. n. 12. posse Generales, & Prouinciales Religionum exemptare, & dispensare in supra dictis pœnis, & ita tenet Rodriguez *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 17. non autem Confessarium virtute Bullæ Cruciatae, quia dictæ pœnæ non sunt censuræ.

Notandum est etiam hinc præter supradictas pœnas, introducentes fœminas in Monasteriis incurrere excommunicationem per Bullam Pij V. Pontifici reservatam, de qua secundum Riccium in *praxi to.* 1. *resol.* 544. n. 5. & alios, Episcopus, etiam si sit occulta; non potest absoluerè.

Sed contrarium dicendum esse puto cum Merolla *ubi supra*, n. 27. qui me ipsum citat in *tr. 2. Miscellan. resol. 35.* quod etiam dicendum est de Confessario virtute Bullæ Cruciatæ. Nam sicuti Episcopus potest dictam excommunicationem abluere, ita incurrunt etiam supradicti in suspensionem à diuinis, de qua contra Sorbum in *compen. Privileg. ver. ingressus Monasteriorum*, n. 11. Rodriquez in *expositione huius motus*, n. 34. non solum semel, sed toties, quoties potest Confessarius cum Bullæ Cruciatæ abolutionem impendere in foro conscientiæ, etiam si causa fuerit deducta ad forum contentiosum, ut notat Merolla *ubi supra*, n. 525. & Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 6. c. 17. n. 41.* Sed alia transeamus.

An ingrediens Monialium Monasteria cum licentia, si tamen finito ministerio multo spatio ibi moretur ob malum finem, non solum peccet mortaliter, sed etiam incurrat in excommunicationem latam à Greg. XIII.

RESOL. LXVII.

Affirmatiue respondet Bonacina *de clausura tom. 1. q. 4. pun. 4. n. 21.* & nouissime Merolla in *disp. Theolog. mor. tom. 1. disp. 1. d. ffic. 7. n. 498.* ex quo fit ab hac excommunicatione non posse abluere Religiosos habentes priuilegium absoluedi à casibus Summo Pontifici reseruatis, quia hic casus excipitur à Clem. VIII. in quodam Decreto. Nam in illo reperitur violatio clausuræ. Hæc opinio est probabilis.

Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem, & tutam in praxi existimo, & ideò illam tenet Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 6. c. 16. num. 69.* quia sic ingrediens non ingreditur absque licentia, contra quem Summus Pontifex excommunicationem tulit, & hanc sententiam tenet etiam Zerola in *praxi, ver. Moniales ad 8. questum*, ubi asserit, non incurrere censuras ex causa iusta, & legitima licentia ingredientem, si cum Moniali intra Monasterium fornicetur.

Ad argumentum verò, quod pro affirmatiua sententia adducit Zerolla nempe motum Gregorij XIII. non esse odiosum, sed fauorabilem, respondeo, quod contrarium asserunt Doctores, & nouissime inter illos Hieronymus Rodriquez in *compen. qq. Regul. resol. 26. n. 18.* & ideò non videtur extendendus. Vnde puto cum Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 1. c. 7. n. 5. Sanch. lib. 6. c. 16. n. 3. & 77. n. 5.* & aliis, quod sub prædicto motu proprio Greg. XIII. & prohibitionem Concilij Tridentini, *sess. 25. cap. 5. de Reg.* non comprehenduntur Reges, Reginae & Cardinales; licet contrarium asserat Merolla *ubi supra diff. 3. n. 470.* Constitutio enim pœnalis non comprehendit personas supradictas tam insignes.

Notandum est hic obiter primò, quod Confessarius potest intrare clausuram, non solum quando Regula confiter præcipit, sed etiam quoties infirma dixerit se indigere Sacramento Pœnitentiæ, & ita ex Rodriquez notat Portel in *dub. regul. ver. clausura Monialium*, n. 9 & post illum Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35. d. ffic. 47. n. 4.*

Nota etiam secundò cum ipso Villalobos *diffic. 46. n. 12.* [que no es causa obstante el hazer la elecion de Abadesa, ò Priora, para que el Obispo, ò Prelado entren en el monasterio, que esto se puede hazer por la parte de afuera, recibiendo los votos à la craticula, conforme al Concilio Tridentino *sess. 5. c. 7. de Reg.* Mas estenderse esto bablando regularmente, porque si se diese caso, en que las monjas estuuiesen inquietas, y huuiesse sospecho de soborno, fuerza, ò otra causa iusta por donde s'entendiesse, que no se haria canonicamente la elecion, si no entrassen allà à tomar los votos, se podria hazer, porque esta es causa necessaria, y tal podria ser el alboroto que fuesse necessario entrar seys, ò ocho frayles.] Ita ille, & ego.

Nota tertio contra Naldum in *summ. ver. Clausura n. 3. Vgolinum de potest. Episc. ... 21. §. 3. n. 3. Comitolum lib. 6. q. 22. Fulcum de visit. lib. 2. c. 18. n. 25.* quod infantes nondum docti capaces, possunt in monasteria Monialium admitti, nec esse melius sub prohibitione Greg. XIII. & Concil. Trident. *ubi supra.* Et ita tenet Ioan. de la Cruz *de statu Relig. lib. 1. c. 5. dub. 2. concl. 3. Granado in 1. 2. D. Tho. contro. 7. tract. 1. part. 1. disp. 6. sect. 5. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 4.* & alij, quos ad taciturnitatem adducit, & sequitur Merolla *ubi supra*, quibus ego addo Hieronymum Rodriquez in *compen. qq. Regul. resol. 26. n. 7.*

An derogatio in amplissima forma priuilegiorum Societatis Iesu, & nostræ Religionis valeat, & præiudicet, si non fuerit dictis Religionibus intimata, & insinuata?

RESOL. LXVIII.

Respondeo negatiue, quia priuilegium, in cuius reuocatione requiritur certa forma, non dicitur reuocatum, ea non seruata, Sed Gregorius XIII. concessit religioni Societatis Iesu, ut nulla derogatio sub qualibet amplissima forma præiudicet priuilegiis dictæ Societati concessis, si non fuerit intimata, & dictis Patribus insinuata; ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet Flavius Cherubinus in *compen. Bularum to. 2. constit. 1. Greg. XIII. schol. 2.* & ante illum M. Antonius de Amatis *decis. 7. per totam*, ubi refert ita decisum fuisse à Rota Prouinciæ Marchiæ, & refert verba priuilegij Greg. XV.

Nota tamen hoc priuilegio gaudere etiam nostram Religionem per ea, quæ adducit Peregrinus in *comp. nostrorum p. in. p. 2. ut confirmatio priuilegiorum §. 4. in scholio.* Vbi sic ait. Nostra Congregatio gaudet omnibus, & singulis priuilegiis concessis, & concedendis Societati Iesu, ut patet in *tit. priuilegia, §. 1.* & non solum ad instar, sed æquè principaliter, ut patet ex alio priuilegio Greg. XIII. nostræ Religionis concessio, quod est in principio primæ partis compendij nostrorum priuilegiorum, §. 4. Ergo quando priuilegia sunt ei confirmata ex certa scientia, sunt etiam nobis confirmata æquè principaliter: quia confirmatio priuilegiorum est noua gratia, & nouum priuilegium, ut docet Suarez *de legibus lib. 8. c. 19. n. 8. usque ad si em captus, sed præcipue n. 10.* facit ad casum nostrum. Hæc omnia Peregrinus. Dicendum est igitur non valere derogationem priuilegiorum Societatis Iesu, & nostræ Religionis, si non fuerit nobis intimata, & insinuata, quia ita disposuit Greg. XIII.

Non desinam etiam hic adnotare priuilegium concessum nostræ Religionis, quod adducit Hieron. Rodriq. in *compen. qq. Regul. resol. 20. n. 6.* ubi sic asserit. Item Fratres Minores prædicationi verbi Dei, audientiæ Confessionum, vel etiam sacre Theologiæ, & sacrorum Canonum lectioni, ac studio insistentes, possunt uti alio priuilegio Clem. VII. concessio Clericis Sancti Syluestri de Vrbe, alias vocantur Theatini, dicendo saltem sex, aut septem Psalmos assignandos à Prælato, cum septem Pater noster, & bis Symbolum Apostolorum, loco Horarum Canonicarum. Ita Rodriquez. Et hoc est maximum priuilegium, in quo etiam apparet contra aliquos, nostram Religionem fuisse institutam ad salutem animarum, & cum exercitiis studiorum, ut patet ex verbis Pontificis, priuilegium supradictum concedentis in primordiis dictæ Religionis.

An peccata fornicationis inter Regulares dicantur contra bonum publicum?

RESOL. LXIX.

Quando crimina sunt contra bonum commune, potest iudex procedere per viam inquisitionis contra delinquentem particularem, etiam si contra ipsum non sit aliqua probata infamia, & aliqui asserunt esse denuncianda

cianda sine praeuia correctione fraterna; ideo multum scire conducit, an peccata carnis in Religionibus sint contra bonum commune. Prima opinio, quam ego teneo, firmat, & tuctur Miranda in ordine iudiciario, tom. 1. q. 11. art. 2. concl. 2. Aldrete de Relig. discipl. tuenda lib. 1. c. 5. §. 4. n. 29. Ioseph de Sancta Maria in Tribun. Relig. tr. 2. c. 3. §. 2. & alij. Secunda opinio negat, quam docet Rodriq. de ordine iudic. c. 3. n. 5. Spatharius in praxi corrig. Regul. tract. 3. c. 8. n. 9. & alij. Tertia opinio est media, & concordat duas praecedentes, quam inuenies apud Ioan. Valerum in differ. utr. fori, ver. Inquisitio, diff. 1. n. 6. vbi sic asserit. Peccata fornicationis in Religiosis, vbi timeri potest publicatio, puto vergere in damnum totius Religionis, secus vbi est adeo secretum, & cum tali persona, vt verisimiliter credatur numquam detegi; & ita concordari possunt Miranda, & Rodriq. qui in hoc sunt contrarij, nam Miranda tenet vergere in damnum publicum, Rodriguez negat. Ita Valerius, quem sequitur Thomas à Iesu lib. de visitat. Regul. tract. 1. c. 12. n. 6.

Notandum est tamen hic obiter primò, quòd etiam stando in prima sententia, quando fornicatio committeretur semel, vel bis, tunc dici non deberet vergere in perniciem publicam, & ita in casu fortiori de crimine nefando docet Pitigianus in praxi criminali Regul. c. 11. in addit. lit. A. in fine, sed in hoc casu consulatur prudens Confessarius.

Nota secundò cum Miranda loco cit. quòd etiam stando in prima sententia, in his criminibus adhibenda est fraterna correctio, quando speratur, quòd etiam in casu fortiori, nempe haereticis, & sollicitationis, docent DD. quos ego ipse citavi in tract. de denunciationibus resol. 2. & ideo ponam hic verba Octauij Spatharij vbi supra in praxi de modo corrig. Regul. tract. 6. c. 3. n. 3. sic asserentis. Ordinem praescriptum à Christo Domino in Euangelio circa correctionem fraternam essentialissimum arbitror in Religionibus, vt millies dixi, & qui nunquam sine grauissima culpa omitti possit, quando est ei locus, & qui vtinam seruarietur; nam eo seruato, non essent in Religionibus tot controuersia, tot amulationes, tot contentiones, tot persecutiones, tot mortales inimicitiae, tot scandala, & pracluderetur aditus omnis, & omnis via inquietis, & maleuolis, & Religiones fruorentur summa pace, charitate summa, summa concordia, & summa Regulari obseruantia. Hæc Spatharius, quæ non procedunt, si in aliqua Religione quis circa hoc cederet iuri suo, vt supra probatum est de Societate I E S V.

An recipere possit professionem solennem simplex Religiosus, de licentia tamen sui Superioris?

RESOL. LXX.

DE hoc casu his diebus interrogatus fui, & prima facie videtur respondendum quòd non, per verba Ioannis Valeri in differ. utr. fori, ver. Regularis, differ. 4. n. 5. vbi sic ait. Potest incorporare professum in Monasterio, vel Prælatus Monasterij, vel alius Prælatus de proprij Prælati licentia. Ita ille, licet loquatur in ordine ad forum externum.

Sed ego tunc affirmatiuam sententiam docui per ea, quæ asserit Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. disp. 12. dub. 1. n. 17. Cucchus in instit. lib. 3. tit. 1. de Regul. n. 54. & doctissimus Villalobos in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 20. n. 5. vbi ita ait. [La profession se ha de hazer en manos del Prelado de la Religion, que es el que puede con el conuento recebirle, y assi no bastaria, que professasse en manos del Obispo del lugar, si no es en los conuentos, que estan suietos à el. Mas podrialo hazer de mandato del Prelado, no solo el Obispo, però tambien vn Clerigo, y aun lego.] Sic ille, qui etiam plus addit num. 6. ita asserens. [Mas si succediessè que algun frayle recebiesse vn nouicio à la profession en nombre del Prelado, sin tener mandato del para esso, en tal caso, si sabiendolo el Pre-

Anton, Diana Res. Mor. Pars. III.

lado lo tuuiere por bien, valdria la profession, y serà professo desde el punto de la ratihabicion.] Hæc Villalobos, & ego. Vnde si in nostra Religione Præpositus detineatur aliquo impedimento in die, qua professionem aliquis ex nostris efficere debet, licentia illius non solum Vicarius, sed etiam quilibet vocalis, vel simplex Sacerdos ex nostris poterit inter Missarum solemniam dictam professionem recipere. Et hæc omnia contra Valerum procedunt, non solum in foro poli, sed etiam in foro fori.

An Prælati Regulares possint commutare, & dispensare vota Nouitiorum?

RESOL. LXXI.

NEGatiuam sententiam tenet Azorius part. 1. lib. 11. n. 19. q. 21. Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. de voto, c. 11. n. 9. Sayrus in clau. Regia lib. 6. c. 11. n. 92. & alij, quia Prælatus Religionis non habet simpliciter iurisdictionem Episcopalem in Nouitium; ergo, &c.

Sed tu tene affirmatiuam sententiam, quia licet Prælatus non habeat potestatem dominatiuam in Nouitium, habet tamen in illum potestatem Ecclesiasticam; & ita hanc sententiam tenet Henriquez lib. 7. de indulg. c. 22. num. 7. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 13. n. 80. Sanchez sum. tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 17. Faustus in thes. Relig. lib. 3. q. 27. Miranda in manuali Prælat. tom. 2. q. 32. art. ult. Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. disp. 10. dub. 6. n. 2. Tamburinus de iure Abb. tom. 2. disp. 18. q. 3. n. 2. & Portel in dub. Regular. ver. dispensare, num. 13. vbi sic ait. Vota Nouitiorum non possunt Prælati irritare, quia non habent erga illos potestatem dominatiuam, nec similiter Abbatissæ possunt irritare vota Nouitiarum, possunt tamen Prælati vota Nouitiorum, & Nouitiarum commutare, & dispensare. Ita ille.

An Prælati Regulares possint absoluere suos subditos à casibus Bullæ in Cæna Domini?

RESOL. LXXII.

AFFirmatiuè respondet Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 21. per totum, & nouissimè Hieron. Rodriq. in compen. qq. Regul. resol. 3. n. 3. vbi sic ait. Prælati Regulares possunt absoluere suos subditos à casibus Bullæ Cænae Domini, non obstante noua reservatione ipsorum, quæ quotannis fit in publicatione dictæ Bullæ. Ita ille. Et hanc sententiam mordicus etiam defendit Peirinus in priuileg. Minim. tom. 1. constit. 4. Sixti IV. §. 5. n. 6. cum seq. & Portel in addit. ad dub. Regul. ver. Abbas, n. 8. Vide etiam Emanuelem Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. q. 20. art. 9. Vegam in summ. tom. 1. c. 49. cas. 1.

At his non obstantibus Sigismundus à Bononia tract. de elect. dub. 69. n. 13. Ascanius Tambur. de iure Abb. tom. 2. disp. 14. q. 15. n. 3. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 6. dub. 15. concl. 1. Zanardus in direct. theol. part. 2. c. 17. Naldus in sum. ver. nouitius, n. 7. Vechius in praxi nouit. disp. 9. dub. 6. n. 3. Graffius in appen. lib. 1. c. 7. n. 22. & alij penes ipsos, asserunt non posse Prælatos Regulares absoluere neque Professos, neque Nouitios à casibus Bullæ Cænae. Sed ego in controuersia tam grani cum Miranda in manuali Prælat. tom. 2. q. 9. art. 10. iudicis officium agere nolo, ideo de illa penes alios sit iudiciū, seu consulatur Summus Pontifex.

An Nouitij gaudeant priuilegijs Professus alicuius Religionis concessis?

RESOL. LXXIII.

NEGatiuè respondet Rodriguez in qq. Regul. tom. 3. n. 53. art. ult. & Portel in dub. Regul. ver. Nouitij annus, n. 53. vbi sic ait. Nouitius directè, ac propriè solum gaudet priuilegio canonis, alijs verò priuilegijs non gaudet,

E que

quæ conceduntur Profecsis, nisi exprimat de Nouitiis. Ita ille.

Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tuetur Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 16. n. 17. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 13. & tom. 2. lib. 6. c. 10. in fine Riccius in praxi, tom. 4. ref. 240. n. 2. Azorius tom. 1. lib. 12. c. 2. q. 10. Henriq. lib. 7. c. 22. n. 7. Sayrus de cens. lib. 7. c. 13. n. 6. quia licet Nouitius non sit verè, & in effectu Religiosus, in fauorabilibus tamen habetur tamquam Religiosus, & Profecsis, & largo modo Nouitius dicitur Religiosus, & Monachus, vt bene notat Rebuffus in praxi benef. tit. de dispensat. cum Regul. n. 23. qui testatur Cancellariam Apostolicam vocare Nouitium Monachum; quæ omnia magis corroborantur ex priuilegio speciali concessio Generali Societatis IESV, cuius vigore omnia Societatis priuilegia Nouitij communicare valent, vt patet in compen. priuilegior. dictæ Societatis, tit. Communicatio, n. 5. vnde nostra Religio, & aliæ ratione communicationis hoc priuilegio gaudebunt.

An Nouitius etiam Patrum Minorum, aut Capuccinorum possit in suo testamento reseruare electionem puellarum, quibus suus hæres debet quotannis soluere certam pecuniarum summam?

RESOL. LXXIV.

Negatiuè respondet Politius in regul. Capuc. c. 6. n. 77. & alij, qui docent supradictos Religiosos non posse suscipere vltimarum voluntatum executionem, ex Clem. Exiui. §. proinde, de ver. significat.

Sed ego contrarium puto, etiamsi Nouitius sit ex fratribus Minoribus, seu Capuccinis, quia in tali casu cessat ratio dictæ Clem. non enim adsunt litigia, & pecunie contrectationes, seu administrationes. Nota tamen quòd supradicta nominatio puellarum debet fieri cum licentia Superioris. Et hæc omnia docet Bartholomæus de Vechis in praxi Nouitiorum, disp. 8. dub. 13. num. 2. & alij penes ipsum.

An sit licitum Religioso suum testamentum, ante professionem factum, declarare?

RESOL. LXXV.

Negatiuam sententiam tenet Miranda in manuali Prælat. tom. 1. q. 23. art. 10. & alij penes Galparum Thelautum in qq. forens. lib. 9. §. 6. n. 3.

Sed contrariam sententiam, & meritò tenet Reginaldus tom. 2. lib. 18. cap. 27. n. 397. Moneta de commut. vlt. volunt. c. 5. q. 1. n. 14. & alij, quos nouissimè affert Bartholomæus de Vechis in praxi nouit. disp. 18. dub. 12. n. 2. quibus ego addo Hieron. Rodriq. in compen. qq. Regul. resol. 101. n. 50. qui citat Sanchez in summ. tom. 2. lib. 7. c. 11. n. 16.

Dico igitur posse Religiosum, etiam minorem Capucinum declarare suum testamentum ante professionem confectum, dummodo tale testamentum dubiæ, vel obscuræ voluntatis interpretatione indigeat, & Religiosus declarationem verbis conuenientem proferat. Vide Gozadinum consil. 41. n. 15. 16. & 17. Ratio est, quia in tali casu Religiosus non disponit aliquid, sed ostendit, quid actum sit in præteritum.

An Episcopus possit excommunicare Regulares nolentes ad processiones accedere?

RESOL. LXXVI.

Affirmatiuè respondet Riccius, Genuensis, & alij, quos citat, & sequitur Barbosa de potestat. Episcop. part. 3. alleg. 78. num. 25. & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem testatur.

Non desunt tamen Doctores contrarium sentientes & præter Sanchez, Henriquez & Rodriquez, quos citat Barbosa, docent etiam hanc sententiam Tamburinus de

iure Abbat. tom. 1. disp. 19. q. 7. n. 7. Scortia in Bull. Pontificis, theorem. 393. Peirinus in priu. Minim. tom. 1. const. 11. Sixti IV. n. 60. Portel in addit. ad dub. regul. ver. Episc. n. 5. & Villalobos in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 5. n. 17. vbi sic asserit. [Duda es, si en los casos, que los religiosos estan sujetos, a los Obispos, como en obligarles a yr a las processiones, los puede compeler por delcomuniones, y censuras. A lo qual respondo, que supuesto, que los mendicantes tienen priuilegio especial, para que no los puedan descolmugar, ni poner otras censuras, no se las podran poner los Obispos, si no es quando especialmente se les concede, como se haze en el concilio en algunos casos particulares, y anti no los podran compeler con censuras en el caso de las processiones, y otros, donde no tienen especial comission para esso.] Ita ille, qui multos alios Doctores citat.

Ad declarationem Cardinalium dicendum est, quòd de illa non constat authenticè. Imò nouissimè Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regul. resol. 118. n. 1. ex Quarta & Portel in addit. ad dub. Regul. ver. Processiones, n. 1. ex Barbosa notant Sacram Cardinalium Congregationem pluries determinasse, non posse Regulares compelli ab Episcopo per censuras ad processiones, & ideo à nostra sententia non est recedendum.

An Regulares possint facere processiones extra Conuentum sine licentia Episcopi?

RESOL. LXXVII.

Ad istam quæstionem sic respondet Villalobos in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 5. num. 9. [En lo que toca à Processiones dize Rodriquez in addit. ad summ. tom. 4. cap. 105. num. 5. que los Religiosos no las pueden hazer de derecho comun fuera de sus conuentos, porque no tienen territorio, Mas el Padre Portel in dub. Regul. ver. Processiones, num. 8. dize que siempre ha visto praticar, que los Religiosos sin licencia del Obispo hagan processiones fuera de sus conuentos.] Ita ille. Vnde Tamburinus de iure Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 7. n. 39. Hieron. Rodriquez in compen. qq. Regular. resol. 118. num. 10. existimat in hoc standum esse consuetudini locorum, & Iacobus de Grassis consil. 20. de Regul. opinatur Regularibus licere per triginta passus extra ambitum Conuentus processiones facere.

Non reiceam tamen Barbosam de potest. Episc. part. 2. allegat. 78. n. 7. & alios penes ipsum, docere, non posse Regulares dictas processiones facere extra Conuentum sine licentia Episcopi; & ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem sub die 2. Iulij 1620. quod etiam testatur Peirinus in priuilegia Minim. tom. 2. const. 7. Pij V. §. 10. n. 11. ad 8. & hic Panormi obseruatur.

Nota tamen quòd ex eadem declaratione Cardinalium obseruat Peirinus vbi supra, processionem Rosarij posse fieri per totam ciuitatem, si ita habeat consuetudo à decem retro annis seruata, & in quatuor festiuitatibus B. Mariæ, nimirum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis.

An Prælati Regulares teneantur emittere professionem fidei.

RESOL. LXXVIII.

Affirmatiuam sententiam præcipit Pius IV. in sua constitut. & docet Hieronymus Rodriq. in compen. qq. Regul. resol. 67. n. 1. Emanuel Rodriquez in qq. Regul. tom. 2. q. 72. art. 1. Riccius part. 4. decis. 83. n. 1. Ricciullus tract. de iure part. 5. lib. 1. c. 13. num. 5. Barbosa de potestate Episc. part. 2. allegat. 61. n. 7. & alij penes ipsos.

At ferè in omnibus Religionibus vsus est in contrarium, & ideo Prælati ad hanc fidei professionem non tenentur. Vnde Tamburinus de iure Abbat. tom. 1. disp. 8. quest. 3.

quest. 3. num. 3. sic ait. In illis Religionibus, in quibus constitutio Pij V. non est vsu recepta, vel est contrario vsu abolita, Prælatus Regularis non tenentur ad fidei professionem emittendam, & Hieronymus Sorbo in annot. ad compen. priuileg. tit. Professio fidei, dicit Sacram Cardinalium Congregationem respondisse prædictam constitutionem quoad Prælatos Regulares non esse in vsu, atque ita pariter consuluisse alios doctissimos viros, & ita in praxi obseruari, quidquid dicant alij, & reuera hodie in Religionibus prædicta constitutio non obseruatur. Ita Tamburinus, & de dicta praxi testatur etiam Portel. in dubiis Regul. ver. professio, num. 3. & illam approbat Sigismundus à Bononia tract. de elect. part. 1. cap. 7. dub. 50. num. 7. & Villalobos in summa, tom. 2. tract. 1. diff. 6. n. 3. vbi sic ait. [Aduerto que aunque el Concilio Tridentino no obliga à los Prelados à hazer la professio de la fe; los obhga Pio IV. en vn moto proprio, aunque sean de los Ordines militares. Mas esto en muchas religiones no està en vsu, y donde no lo estuuere, non obligarà.] Ita ille, & ego cum Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 5. n. 3. quidquid asserat Barbosa vbi supra.

Sed maius dubium est circa Regulares lectores Philosophiæ, ac sacre Theologiæ, an, inquam, teneantur emittere fidei professionem? Portel vbi supra in dub. Regul. ver. Professio fidei, n. 3. affirmatiuè respondet, & cum Rodriguez asserit Prælatos Regulares aliter promouentes Lectores in suo ordine incurrere pœnas positas in 2. Bulla Pij IV. sed si in aliqua Religione dicta Bulla non fuit vsu recepta, vel per contrarium vsum fuerit abrogata, vt supra de Prælatis dictum est, non condemnare Lectores dictam professionem fidei minimè facientes.

An sit prohibitum Regularibus studium iuris ciuilibus?

RESOL. LXXIX.

Respondeo affirmatiuè ex cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, lib. 6. quando principaliter Monachi, vel Clerici ius ciuile audiunt, secus autem si ad cognitionem iuris Canonici illi studio incumbunt, & ideo ferè omnes Regulares legum studio incumbentes excusari possunt, quia hoc facere possunt in ordine ad meliùs addiscendum ius Canonicum, & ita tenent communiter DD. quos alibi citauit.

Tantum hic obiter addam contra Sanchez in summa, tom. 2. lib. 6. cap. 8. num. 82. quod sufficit licentia Prælati facta Religioso, ad existendum in studio, nec requiritur consensus Conuentus, sed vt plurimum consilium, quod quidem non tenetur sequi Superior, & ita ex multis docet Hieronymus Rodriguez in compen. qq. Regul. resol. 97. num. 11.

An Regulares possint celebrare vbique in altari portatili, etiam in domibus secularium?

RESOL. LXXX.

Negatiuè respondet Miranda in manuali Prælatorum, tom. 1. quest. 40. art. 9. citans Suarez pro se idem sentientem.

Sed Laurentius Portel in dubiis Reg. ver. Altare, num. 1. contrariam sententiam tenet, & ideo asserit posse Regulares non contradicente Episcopo celebrare in domibus secularium in altari portatili, seruata debita decencia extra cameras, vbi dormiunt, & in plateis, & castris, & in grangiis, & citra visum dubium posse hoc facere Fratres itinerantes dicendum est. Ita Portel, qui citat pro hac sententia Ioan. de la Cruz, Ledesmam & Rodriguez.

Anton. Diana Ref. Mor. Pars. III.

An alie Religiones gaudeant priuilegiis concessis Societati Iesu cum limitatione, ne illis aliqua Religio communicet?

RESOL. LXXXI.

Negatiuè respondet Pater Suarez lib. 8. de legib. c. 17. prope finem. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. q. 55. art. 17. & Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. cap. 4. §. 2. & ideo per priuilegia concessa dictæ Societati possunt alij Regulares ordinari absque interstitiis, & extra tempora absque examine de cantu ab Episcopo, & similia; & hoc propter amplam confirmationem, & extensionem priuilegiorum concessorum à sequentibus Pontificibus aliis Religionibus.

Nota verò, quod omnes concedunt, quod quando Pontifices concesserunt priuilegia Societati IESV tali modo, vt subditi illius non communicent illis, nisi concedantur illis à suo Generali; hæc limitatio non ligat alios Regulares, sed inconsulto suo Generali gaudent illis priuilegiis. Vide Mirandam in manuali Prælat. tom. 2. q. 46. art. 5. ad finem. Portel in dub. Regul. ver. Priuilegij communicatio, n. 23. Suarez, Rodriguez vbi supra.

An Prælati Regulares omittentes informationes, quas præcipit Sixtus V. in receptione Nouitiorum, peccent mortaliter?

RESOL. LXXXII.

Ad hanc quæstionem respondent Bartholomæus de Vechis in praxi nouitiorum, disp. 6. dub. 1. n. 6. vbi sic ait. Quo verò ad condiciones, quarum inquisitio præcipitur in constitutione Sixti V. vel etiam illa tradita à Regula nostra, vt scilicet examinentur de fide Catholica, &c. Dico maiorem difficultatem esse, an prætermissio inquisitionis eorum sit peccaminosa: nihilominus censeo recipientem nullo peccati nexu illaqueari, omittendo eam circa omnes, vel vnâ, aut alteram ex his conditionibus, quotiescumque, vel ex cetra scientia, vel ex probabilibus indiciis, seu coniecturis pro certo habet, non esse necessariam respectu personæ, quæ in Religionem admitti postulat. Ita Vechius.

An Prælati recipientes Nouitios sine dicta informatione, incurrant in pœnas Bullæ Sixti V. si Nouitius careat illis defectibus.

RESOL. LXXXIII.

Respondeo negatiuè, & ita ex Rodriq. in qq. Reg. tom. 3. q. 54. art. 4. docet Laurentius de Portel. in dub. Reg. ver. Nouitij informationes, n. 6. vbi sic ait, Consolatorium valde est quod doctè notauit Rodriguez ex verbis Bullæ Sixti V. videlicet quod Prælati omittentes informationes non incurrunt pœnas Bullæ, nisi à parte rei Nouitius sic receptus absque informationibus fuerit aliàs criminofus, & ligatus aliquo impedimento ex ibi notatis: si enim careat omni impedimento, non incurrit pœnas, quia textus ligat solum recipientes criminofos. Ita ille, & post illum nouissimè tenet etiam Bartholomæus de Vechis in praxi Nouitiorum, disp. 7. dub. 5. n. 3. & ita ego olim liberaui à magnis angustiis quemdam Superiorem Regularium, contra quem Fratres subditi insurgebant propter receptionem cuiusdam Nouitij, non præcedente informatione de vita, & moribus secundum Bullam Sixti V.

An egressio Nouitij è monasterio, cum licentia tamen Superioris, interrumpat annum Nouitiatu, & quid si licentia sit illicitè data.

RESOL. LXXXIV.

VT, v.g. si ob malam valetudinem Nouitius in domos secularium se transferat, vel ad videndos parentes,

vel recreationis causa, &c. Negatiuè respondendum est cum Gratiano *part. 1. lib. 3. c. 5. num. 18.* Zenardo *in direct. Tr. ol. part. 2. cap. 16.* Gratiano *in discep. n. 1. c. 166. n. 14.* & aliis communiter, quod etiam verum esse puto, licet illicitè, & sine rationabili causa concessa fuisset à Superiore Nouitio licentia manendi extra Monasterium. Nam in tali casu licet Superior illicitè præstans licentiam peccet, ex hoc tamen non sequitur, quod annus Nouitatus interrumpatur, & ita docet contra Nauarrum Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 14. n. 13.*

Nota etiam contra Emanuelem Rodriquez, quem nouissimè sequitur Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. res. 101. n. 44.* Nouitium extra Monasterium de licentia Superioris posse demorari, causa, v.g. morbi curandi, non solum per vnum, vel duos menses, sed etiam per maiorem partem anni, & ita docet contra Rodriquez Pater Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 5. c. 4. n. 28.* & citat Nauarrum *lib. 3. conf. 42. in prima edit. iii. de Regul.* & Azorium *tom. 1. lib. 12. c. 2. q. 8.* loquentes de Nouitio, qui decem menses, & semi mensem extra Religionem demoratus est, & residuum tantum in illa permansit. Imò Azorius loquitur de nouitio, qui toto probationis anno extra Conuentum apud sæculares demoratus est, cum licentia tamen Superioris.

Nota etiam hic obiter, quod non interrumpitur annus Nouitatus, si Nouitius retento habitu perterritus seueritate, vel iracundia Superioris, seu Magistri, Monasterium abditè exeat causa se celandi dummodo animum habeat redeundi, & ita docet Galuanus *consil. 12. num. 8.* Et idem dicendum est, si Nouitius retento habitu exeat indebitè, & sine licentia clausuram, dummodo ad Monasterium redire intendat, & ita tenet Suarez *ubi supra de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 14.* & alij.

An Prælati Regulares possint absoluerè subditos suspensos propter Ordines susceptos ante legitimam ætatem, vel absque licentia, vel per saltum?

R E S O L. LXXXV.

Negatiuè responderet Gabucinus, quem citat, & sequitur Sayrus *de censuris, lib. 6. c. 12. num. 13. & 14.* vbi asserit, priuilegiis Regularium circa hoc esse derogatum per Concil. Trident. *sess. 23. cap. 12. de reform.*

Sed prorsus contrariam sententiam tenendam esse puto, quam latè defendit Laurentius Portel *in dub. Regul. ver. Ordines sacri, n. 14.* & nouissimè Hieronymus Rodriq. *in compen. qq. Regul. res. 106. num. 26.* & ad argumentum Sayri responderet Portel, quod Concilium ibi solum reuocat priuilegia, ne ordinentur Regulares ante ætatem ibi assignatam, non verò reuocat priuilegia Regularium, quæ alias habent absoluerè à Sede Apostolica suos subditos. Imò Concilium clarè loquitur: ait enim (priuilegiis quoad hoc exclusis) quoad hoc, inquam, id est, quoad Ordines suscipiendos ante hanc ætatem; vnde non loquitur de priuilegiis Regularium ad absoluerè subditos.

Neque obstat, quod Sixtus V. in sua constitutione contra malè promotos, reuocauit priuilegia Regularium ad absoluerè subditos sic malè promotos, quia postea reuocata sunt per alios Pontifices subsequentes, qui confirmarunt priuilegia Regularium ex certa scientia, quæ forma confirmationis reuocat inualida, & reuocata per suos antecessores, vt communiter docent Doctores, & præcipuè inter illos Sigismundus à Bononia *tr. de elect. part. 2. c. 4. dub. 76. n. 6.* & Suarez *de legib. lib. 8. c. 19.*

An Regulares non benè linguam Latinam callentes possint ab Episcopis ordinari?

R E S O L. LXXXVI.

Videtur respondendum negatiuè, nam Concil. Trid. *sess. 23. de reform. c. 11.* generaliter requirit in ordinandis scientiam saltem linguæ Latinæ.

Sed ego alibi cum Villalobos contrarium docui, & nunc iterum doceo cum Tamburino *de iure Abbat. tom. 2. disp. 1. q. 21. num. 5.* Hieronymo Rodriquez *in compen. qq. Regul. res. 106. n. 24.* & Peirino *in priuileg. Minim. tom. 1. constit. 26. Leonis X. §. 13. n. 25.* quia in Regularibus non requiritur tanta literarum peritia, quanta in Clericis sæcularibus. Nam Religiosi, regulariter loquendo, non ordinantur ad curam animarum habendam sicut Clerici. Vnde patet responsio ad authoritatem Concilij. Adde, vt obleruat Peirinus, quod Concilium id relinquit Episcoporum arbitrio, ait enim Minores Ordines iis saltem, qui linguam Latinam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur: arbitrium enim illud Episcopi non solum est super interstitiis, ita vt iis non seruatis, si Ecclesiæ utilitas postulet, possit ordines conferre; sed etiam super Grammatica, ita vt nescienti Grammaticam, si alioquin bonæ indolis sit & docilis, vel possit optimè inseruire ministerio, ad quod ordinatur, sine Grammatica possit Ordines quoscumque conferre. Neque enim ex verbis Concilij colligi potest ratio, quare arbitrio Episcopi relinquatur potius dispensatio super interstitiis, quàm super Grammatica cum verbum, *conferantur*, sub quo stant illa duo, post *arbitrium*, collocetur. Ita Peirinus *ubi supra*, qui citat Menochium *lib. 2. de arbit. cas. 425. n. 58* quæ omnia sunt valde notanda à Dominis examinatoribus Episcoporum.

An Generales, & Capitulum generale possint limitare, vel omninò tollere à Fratribus vsus priuilegiorum Apostolicorum?

R E S O L. LXXXVII.

Respondeo affirmatiuè cum Tamburino *de iure Abbat. tom. 1. di. p. 16. q. 9. n. 2.* Peirino *in priuileg. Minim. tom. 1. constit. 2. Iulij II §. 3. n. 9.* Portel. *in dubiis Regul. ver. priuileg. 78.* Miranda *in manual. Prælat. tom. 2. q. 43. art. 4.* Emanuele Rodriquez *in qq. Regul. tom. 1. q. 9. art. 2.* & hæc opinio procedit etiam in Religionibus, non habentibus specialem auctoritatem Apostolicam ad hoc faciendum, quidquid aliqui contradicant, aduersus quos insurgit Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. res. 106. num. 26.* & alij.

Aduertendum est tamen, quod Capitulum generale non potest statuere aliquid contra ius commune; vnde in gratiam lectorum ponam hic per extensum quoddam consilium à me in casu, de quo interrogatus fui, magna diligentia, & studio compositum, & facti species erat ista.

Capitulum generale cuiusdam Religionis determinauit quædam immobilia certæ domus alienanda esse tantum à quinque Patribus eligendis per Capitulum dictæ domus, vt postea factum fuit. Queritur, an tale decretum fuerit validum, & an alienatio, si tali modo efficeretur, fuisset inualida?

Respondeo, supradictum decretum fuisse inualidum, & suppono primò, Capitulum generale cuiuslibet Religionis non posse determinare aliquid contra ius commune, vt patet *in cap. quod super his, de maior. & obedi. vbi Panormitanus, & alij Canonistæ.* Idem etiam docet in terminis Miranda *in manuali Prælat. tom. 2. q. 2. art. 5.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 12. n. 6.* Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. regul. res. 116. num. 26.* Peirinus *in priuileg. Minim. tom. 1. constit. Pyrrhi, §. 4. n. 10.* Portel *in dub. regul. 2. statutum, num. 9.* Salas *de leg. disp. 8. sect. 13. num. 56.* & Nauarrus *de Regular. lib. 3. conf. 56. n. 4.* qui agit de quodam statuto, facto in Capitulo generali Minorum.

Suppono secundò, alienationem bonorum immobilium pertinere de iure communi ad totum Capitulum Monasterij, vt patet ex *cap. sine exceptione 12. quæst. 2. & ex iuribus quæ affert Villagut tract. de alien. rerum Eccles. lib. 1.*

lib. 1. part. 1. cap. 1. num. 1. quibus adde Ioan. de la Cruz de statu relig. lib. 1. cap. 4. amb. 3. conclus. 2. Portel in amb. regul. ver. alienatio, n. 1. Filiucium tom. 3. tract. 44. c. 5. n. 13. Bonacinam de alien. bon. Eccles. disp. 2. q. vn. punct. 4. num. 4. Riccium in praxi tom. 1. resolu. 48. Lancelotum in instit. can. lib. 2. tit. 27. & alios penes ipsos. Vnde Urbanus VIII. alienationem bonorum immobilium, de qua loquimur, voluit faciendam esse à Patribus, & Prapposito dictæ domus, quam quidem Bullam, iuxta iuris formam interpretandam esse certum est, per ea, quæ adducit Decius conf. 403. num. 17. Amatus conf. 64 n. 11. & alij.

Hoc supposito sic argumentor. De iure communi competit Capitulo dictæ domus alienatio bonorum immobilium, sed Capitulum generale non potest determinare aliquid contra ius commune; ergo inualida fuit determinatio, de qua loquimur, quia est contra ius commune.

Sed instabis aduersus supradicta, quod dato dictam determinationem Capituli generalis fuisse inualidam, tamen vnusquisque potest cedere iuri suo, ex l. si index, ff. de minor. cap. tuis, ver. nisi de testibus, cap. ad Apostolicam, de Regul. cap. ex consuetudine de forrileg. vt notant Doctores, quos affert Augustinus Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 20. c. 9. n. 4. & Petrus Barbosa in l. alia, §. eleganter, n. 12. cum seq. ff. soluto matrimonio, vnde in cap. quia propter, de elect. habetur quod potestas eligendi residens penes totum Capitulum, potest à Capitulantibus committi aliquibus viris. Sed hoc accidit in casu nostro, quia vocales dictæ domus cesserunt iuri suo, & elegerunt illos quinque Patres; ergo valida erit alienatio dictorum bonorum ab illis facta. Nec possunt dicti Patres, qui elegerunt alios quinque, modò aliquid repetere. Nam qui renunciauit iuri suo, illud repetere non potest, & actiones suas remittentibus, non est dandus ad eas regressus, vt patet ex l. queritur, §. si venditor. de adilit. edict. & ex multis probat Parisius de resign. benef. lib. 1. q. 13. n. 1. & 8. Couar. lib. 1. var. c. 4. n. 1. Surdus decis. 231. n. 13. Tiraq. de retr. lig. §. 1. glossa 9. n. 119. & Barbosa in cap. quam periculosum, quest. 1. n. 2. Decius conf. 445. n. 56. Becius consil. 38. n. 4 & alij.

Verùm ego his non obstantibus, puto supradictam alienationem factam à dictis solis quinque Patribus esse inualidam. Vnde pro eneruanda doctrina adducta, notandum est, quod sacri Canones in alienatione bonorum Ecclesiæ requirunt pro forma consensum Capituli, vt notant DD. citati in 2. supposito, quibus addo Tannerum in 2. 2. D. Thom. disp. 4. q. 7. dub. 7. n. 18. Lessium lib. 2. c. 24. dub. 11. cum aliis, & hoc pro bono, & vtilitate dictarum Ecclesiarum, quia, vt ait Villagut tract. de rebus Eccl. malè alien. lib. 1. part. 1. c. 1. n. 1. illud quod commune est, negligi semper solet, & variis passionibus moti homines, potius querunt quæ sua sunt, quàm quæ communia, & Ecclesiarum. Meritò igitur vilum fuit tot Summis Pontificibus, negotium alienationis bonorum ecclesiasticorum committere pluribus, vt illud accuratiùs expediatur. Ita Villagut, & alij communiter.

His suppositis ad argumentum adductum respondeo. posse quem cedere iuri, & priuilegio suo, quando illud ius respicit tantum priuatum eius commodum, non autem quando respicit bonum publicum, & aliorum, vt patet ex cap. si diligenti, de foro competenti, & in l. ius publicum, ff. de pactis, & aliis iuribus adductis per Tambur. de iure Abbat. tom. 1. disp. 16. q. 15. n. 3. Peirinum in Rituali Minim. part. 2. not. 10. Syluest. ver. Priuileg. q. 10. Armillam eod. ver. n. 9. Nouarium in q. forens. part. 1. q. 66. n. 2. Sanch. in summ. tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 29. Sigismundum à Bononia tract. de electione, part. 1. c. 2. dub. 25. n. 7. Lauorium in variis elucubrationibus, tit. 4. c. 14. n. 87. Suarez de legib. lib. 3. c. 6. n. 2. & alios communiter. Sed ius, quod habet totum Capitulum Ecclesiæ, seu Monasterij, vt alienatio bonorum efficiatur cum ipsius consensu, respicit bonum commune, & bonum Ecclesiarum, quia plures magis accurate perpendunt negotia, quàm pauciores, vt patet ex iuri-

Anton. Diana Ref. Mor. Pars. III.

bus, & ratione adducta à Villagut *ubi supra*. Ergo non licet Patribus alicuius Capituli cedere iuri suo, & eligere aliquos tantum, vt possint bona Monasterij alienare, quia hoc vergeret in damnum Ecclesiarum, cum alienatio bonorum à pluribus magis mature perpendenda, efficeretur à paucioribus contra mentem canonum, qui in alienatione bonorum Ecclesiarum, ad earum vtilitatem præscribunt talem formam, nempè consensum plurimorum saltem maioris partis Capituli, quæ omnia non accidunt in casu cap. quia propter, de elect. adducto in argumento contrario. Nam, vt optimè aduertit glossa *ibi in verbo viri*, & Miranda in manual. Prælat. tom. 2. q. 23. art. 34. q. 1. Negotium electionis melius potest expediri per pauciores, quàm per plures, quod contrarium accidit in alienatione bonorum ecclesiasticorum, vbi quanto sunt plures, qui in illa interueniunt, tanto melius, & accuratiùs rem tractant, vt supra ex sacris Canonibus, & rationibus probatum est. Non est igitur sumendum argumentum de electione ad alienationem, quia in electione electores cedunt iuri suo, non vergenti in damnum Ecclesiarum, imò in vtilitatem: secus autem, vt dictum est, accidit in casu nostro, in quo Patres Capituli, si cederent iuri suo, frangerent formam immutabilem præscriptam in fauorem, & vtilitatem Ecclesiarum à sacris Canonibus, & Summ. Pontificibus, & vsque adhuc in Ecclesia Dei semper obseruatam; ergo, &c.

Et tandem his omnibus etiam addendum est, quod licet dicti Patres cesserint iuri suo, & remittentibus ius suum non detur regressus, hoc tamen intelligitur, nisi ita remittens esset aliquo modo excusabilis, vt docet Ioan. Andreas in cap. vt quis duas, de elect. in 6. sub n. 3. ad finem, super ver. tolerabilis, quem nouissimè citat, & sequitur Melchior Lotterius de re beneficiaria, tom. 1. lib. 2. q. 13. num. 93. Sed hoc accidit in casu, de quo loquimur, cum certum sit, vt ex iuramento & testibus patebit, supradictos Patres cesserisse iuri suo ex ignorantia, quia putabant ad hoc teneri vigore, & obligatione decreti facti in Capitulo generali, de cuius nullitate supra iam dictum fuit; ergo necessariò dandus est illis regressus ad rependum ius suum ex errore excusabili, vt dictum est, renunciatum. Adde quod licet ordinariè non liceat contrauenire facto proprio, & allegare propriam turpitudinem, excipitur tamen nisi fiat ob causam necessariam ad animæ salutem, vel nomine Ecclesiæ, vt notat Paulus Layman in Theol. morali, lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 50. n. 4. & ideo ex Abbate, & Nauarro asserit quod si rei ecclesiasticæ alienatio contra iuris terminos facta sit, non tantum Capitulum, siue Ecclesia, sed ipsemet Ecclesiæ Prælatum rem à se malè alienatam repetere potest, allegans propriam turpitudinem. Et ideo Naldus in summ. ver. alienare, n. 7. sic asserit, alienans rem ecclesiasticam sine debita solennitate recipit rem ipsam venditam vnà cum fructibus, in hoc enim casu contra iuris regulas auditur allegans turpitudinem suam. Ita ille, qui citat Rotam Romanam part. 1. decis. 24. sed hoc accidit in casu nostro; ergo, &c.

Vnde ex supradictis laicus emptor dictorum bonorum ecclesiasticorum non voluit illa emere à solis illis quinque Patribus, sed à toto Capitulo illius domus, vt postea factum fuit, nemine discrepante.

An Regulares possint uti suis priuilegiis, etiam si contra illa habuerint contrarium vsusum?

R E S O L. LXXXVIII.

Affirmatiuè respondeo, & ita docet Portel. in addit. ad dub. Regul. ver. priuilegium, n. 4. vbi sic ait. Quia modus frequentior amittendi priuilegia inter Regulares, est non vsus, seu contrarius vsus, libet pro Religiosorum quiete hinc transcribere verba, quibus Eugenius IV. concessit Congregationi S. Iustinae Benedictinorum,

vt possint vti suis priuilegijs, etiam si contra illa habuerint contrarium vsum; habetur concessio in Bullar. Rodriquez, fol. 194. col. 1. vbi Papa sic concedit. Vt si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contraria huiusmodi, aut quæcumque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates præfate Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod à quocumque cuiuscumque conditionis, gradus, seu status existat ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa, propter quam aliter fuerit attentatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen præiudicium decretis, priuilegijs, Indultis, gratijs volumus generari, sed in suo vigore, ac robore permanere. Sic ibi Summ. Pontifex, & Portel *vbi supra*; quod est valde notandum pro Regularium consolatione.

Nota etiam quod Ioan. de laCruz *de statu Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2.* refert quamdam Bullam, per quam concessum est Benedictinis, ne contra illos, nisi per centum annos, præscribantur priuilegia per non vsum.

An sit reuocatum priuilegium Iulij II. concessum Minoribus, vt nouitiatus interruptus possit continuari?

R E S O L. LXXXIX.

Emanuel Rodriquez *in qq. Regul. tom. 3. q. 15. art. 8.* refert multos viros doctos, tenet hoc priuilegium per Concilium Trident. *sess. 25. de regul. c. 25.* non esse reuocatum, in quo tantum definitur, quod annus debeat esse integer, non autem quod debeat esse continuus; ex quo infert posse hodie omnes Religiosos priuilegijs Mendicantium fruente, vti hoc priuilegio.

Verum Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 35. n. 9.* sentit dictum priuilegium sublatum esse à Tridentino, ita declarante Sacra Cardinalium Congregatione, & in facti contingentia ita Romæ fuisse decisum testatur ex Nauarro, ac idem iudicat nullo pacto debere Prælatos aliter ad professionem admittere, nisi post annum probationis continuum expletum. Et ita hanc sententiam tenet etiam Faustus *in thes. Relig. lib. 5. q. 166.* & Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 5. c. 4. a n. 30.*

An Prælatus possit dare licentiam subdito manendi extra claustra ad subueniendum parentibus, non solum in extrema necessitate constitutis, sed etiam in graui?

R E S O L. XC.

AD hoc quæsitum affirmatiuè respondet Laurentius Portel *in dub. Reg. ver. parentum fratres, n. 2.* vbi sic ait. Etiam si necessitas non sit extrema, sed solum grauis, potest Prælatus dare licentiam, vt Religiosus cum habitu maneat extra claustra ad subueniendum patri, vel matri. Ita ille, qui citat Nauarr. *lib. 3. conf. tit. de Regul. conf. 54.*

Sed si Prælatus neget licentiam subdito, vt extra claustra subueniat parentibus grauius tantum indigentibus, putat Portel non posse subditum de bonis sibi in vsum concessis parentibus subuenire; debet ergo ad illa donanda procurare licentiam, & Prælatus rectè faciet illam concedens, intra terminos suæ regulæ.

An votum subdit de transeundo ad strictiorem Religionem possit Prælatus Regularis dispensare?

R E S O L. XCI.

Respondet affirmatiuè Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 123. n. 80.* vbi sic ait. Prælatus votum subditi de transeundo ad strictiorem Religionem potest dispensare, non verò irritare quia id non est simpliciter votum Religionis, sed transitus vnus ad alteram Religionem, qui quidem transitus ad arctiorem Religio-

nem, non cadit sub potestate Prælati ad irritandum votum de illo emissum. Sic Rodriquez, & sic ego in facti contingentia consului, & ita etiam hanc sententiam docet Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 13. num. 19.* Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 4. c. 6. num. 15.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 4. c. 33. n. 2.* & alij.

An solus metus reuerentialis annullat professionem?

R E S O L. XCII.

Pro vtraque parte adsunt rationes probabiles; mihi verò magis placet opinio affirmatiua, quam inter Neotericos tuetur Basilius Pontius *de matrim. lib. 4. c. 11. n. 15. & 16.* & idem Farinacius apud Hieronymum Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 101. n. 78.* refert quamdam declarationem Cardinalium, qua per latam sententiam, Romæ declaratum est fuisse nullam professionem cuiusdam feminae factam ob solum metum reuerentialem, quod etiam testatur Portel *in dub. Regul. ver. Professio, n. 12.* & Pontius *vbi supra*, notant hoc etiam esse decisum in Rota coram Domino Oradino: licet contrariam sententiam teneat Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 6. n. 18.* Riccius *in praxi tom. 1. resol. 599. num. 4.* & alij penes ipsos.

An possit puniri Regularis, qui expositus à suo Superiore ad excipiendas tantum confessiones virorum, excepit tamen confessiones feminarum vigore Iubilæi?

R E S O L. XCIII.

Affirmatiuè videtur respondendum per ea, quæ adducit Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 32. num. 1.* vbi sic ait. Religiosi per suos Superiores legitime præsentati, & ab Episcopis approbati, licet sint apti, nullo tamen pacto exercere possunt hanc iurisdictionem contra Superiorum prohibitionem, etiam si eligantur virtute Iubilæi, aut Cruciatæ, & contra facientes possunt ab eis puniri, quia nunquam Papa intendit eximere Religiosos ab obedientia suorum Superiorum, nisi id exprimat. Ita Rodriquez, & magis in terminis Didacus Nugnus *in addit. ad 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. dub. 9. ad arg. 10.* vbi sic asserit. Qui simpliciter est expositus, vt audiat confessiones virorum, non tamen mulierum, si eligatur à mulieribus, virtute Bullæ Cruciatæ, valida erit confessio, ipse tamen Sacerdos peccabit contra obedientiam Superioris, si id faciat sine sufficienti necessitate.

Verum his non obstantibus, contraria sententia mihi magis placet; quia, vt docet Ledesma *in summ. tom. 1. de sacramen. Pœnit. c. 13. dub. 8.* & Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 8. disp. 36. num. 16.* probabilis est illa sententia, quæ dicit, Sacerdotem expositum tantum ad confessiones virorum, posse virtute Bullæ Cruciatæ, & Iubilæi excipere confessiones feminarum, & ita tenet Petrus Fay *in addit. ad 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. disp. 3. concl. 5. ad argum. 4.* Henriquez *lib. 3. c. 6. num. 8.* Fagundez *vbi infra*, & alij, quidquid asserant aliqui; sed qui operatur secundum opinionem probabilem, non potest puniri; ergo Regularis, excipiendo in tali calu confessiones feminarum, non erit puniendus.

Minorem propositionem huius argumenti, in qua consistit vis nostræ sententiæ apertè docet Ioan. Sancius *in selectis, disp. 45. n. 72.* & magis appositè *disp. 44. n. 27.* Et ratio est clara, quia pœna supponit culpam, sed qui operatur secundum opinionem probabilem, non operatur culpabiliter; ergo non est dignus aliqua pœna.

Nec valet dicere, quod dicta opinio est probabilis in ordine ad validitatem confessionis, non autem excusat Sacerdotem, ita contentem, à pœna. Nam respondeo, quod si hoc esset verum, sequerentur duo absurda. Primum, quod quis puniretur sequendo opinionem proba-

probabilem, & per consequens sine culpa; secundum quod, propter timorem pœnæ, nullus Sacerdos uti vellet supradicta opinione, & sic indirectè tolleretur, & arctaretur priuilegium Summi Pontificis absolute, & sine ulla limitatione in fauorem animarum, & pro bono publico concessum.

Restat modò respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico igitur cum Fagundez de *prac. Eccles. p. 2. lib. 7. c. 2. n. 45.* quòd prohibitio Episcopi, seu Generalis, interpretanda est rationabiliter, videlicet ut locum habeat, quantum ad iurisdictionem ab eodem Episcopo, seu Generali commissam, & delegatam, non verò quantum ad delegatam à Summo Pontifice per Bullam, seu Iubilæum. Vnde sequitur, Regularem expositum tantum ad confessiones virorum, si excipiat confessiones fœminatum, in nostro casu non peccare contra obedientiam Superioris, & sic cessat fundamentum contrarium.

An Regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium extra Religionem?

RESOL. XCIV.

Circa resolutionem huius quæstionis remitto me ad Cœca, quæ dixi in *tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 14.* tantum hic addam duos Authores, præter ibi citatos, qui absolute negatiuam sententiam docent, & hi sunt Hieronymus Rodriquez in *compen. qq. Regul. resol. 3. num. 14.* & Ascanius Tamburinus de *iure Abbat. tom. 2. disp. 6. q. 7. n. 2.* qui tamen malè asserit in *q. 6. n. 1.* Nouitios virtute Cruciatæ non posse eligere Confessarium extra Religionem: nam hoc interdictum est solis professis.

Nota etiam hîc, quod Greg. XIII. anno Domini 1575. die 3. Maij, concessit, ac decreuit, ne personæ Societatis Iesu, absque expressâ Superiorum eorumdem licentia, uti possint facultatibus in Iubilæis, aut Bullis Cruciatæ confessionalibus, aut alijs quibuscumque Apostolicis indultis, quomodocumque hætenus concessis, & in posterum concedendis: & declarauit præterea posse Superiorem, dum huiusmodi licentiam concedit, limitare eam ad usum vnus, aut alterius facultatis, & prohibere usum reliquorum, etiam in eadem Bulla, aut indulto, contentorum; & hæc omnia habentur in *compen. eiusdem Societ. tit. gratiarum usus, §. 2.* quo quidem priuilegio docet Tamburinus de *iure Abbat. tom. 1. disp. 16. q. 9. n. 1.* uti posse omnes Religiones per communicationem, vide etiam Bullam nouissimam Urbani VIII.

An Abbates possint Clericis secularibus sibi subditis literas dimissorias concedere?

RESOL. XCV.

Negatiuè respondent Tamburinus de *iure Abbat. tom. 2. disp. 2. q. 26. n. 1.* Miranda in *manuali Prælat. tom. 1. q. 39. art. 5.* & Azorius *tom. 2. lib. 3. c. 49. q. 3.* ex auctoritate Concilij Trident. *sess. 23. c. 10. de reform.*

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam tenet doctus Villalobos in *summ. tom. 1. tr. 11. diff. 9. n. 4.* vbi sic ait. [Aduertase que los Prælados que tienen iurisdictione casi Episcopal, como es el de Merida, y otros semejantes, pueden dar à sus subditos, aunque sean seglares, dimissorias para ordenarse. La razon es, porque como à estos, ningun Obispo las puede dar, porque no son sus subditos, es fuerza dezir se las han de dar sus Priores, como dan licentia para confesarse y approuan los Confessores, y assi el Concilio Tridentino, no habla con estos, como su echa de ver de su tenor.] Ita ille, quem nouissimè sequitur adducens alias rationes Hieronymus Rodriquez in *compen. qq. Reg. resol. 1. n. 26.* vide etiam Ledesmam in *sum. tom. 1. de sacram. Pœnit. cap. 8. post. 2. concl.*

Nota etiam, quòd Tamburinus, & alij Doctores primæ sententiæ illam etiam limitant, nisi huiusmodi Prælatus esset ordinarius priuatiuè ad Episcopum, ac haberet ius

visitandi, & Synodum congregandi, contra quem non intrare dispositionem Concilij Tridentini defendit Gratianus in *discept. foren. tom. 2. c. 112.* quem refert Campanili in *diuer. iur. can. rubr. 9. c. 8. n. 4.* & Barbosa de *offic. Episc. part. 2. allegat. 7. num. 8.*

An Moniales teneantur extra Chorum recitare Horas canonicas?

RESOL. XCVI.

Alibi affirmatiuam sententiam docui, & nunc iterum docco cum Miranda *tract. de Monial. quest. 9. art. 6.* & nouissimè hanc sententiam tenet etiam Hieronymus & Rodriq. in *compen. qq. Reg. resol. 98. n. 5.* vbi sic ait. Quidquid alij in oppositum sentiant, communior, & melior opinio, quæ & tenenda est, habet, omnes, & quascumque Moniales teneri priuatiuim ad recitationem Horarum canonicarum, ratione status Regularis, seu ecclesiastici irreuocabilis, quem profitentur. Ita ille, qui videtur docere negatiuam sententiam esse probabilem; nam affirmatiuam, quam ipse tenet, vocat tantum communior, & meliorem. Sed an ita reuera sit, remitto alijs iudicandum; & vide quæ de hac materia dixi in *tractat. de Horis canonicis.*

An Abbatissa licitè possit pacisci de certa summa pecunia, donec Monasterio dos Monialis soluantur, etiamsi Monasterium sit opulentum?

RESOL. XCVII.

Quoad Monasteria opulenta negatiuè respondet Emanuel Rodriquez in *qq. Regul. tom. 2. q. 48. art. 7.* scrupulosè quidem, vnde postea se retractauit in *addit. ad sum. tom. 3. c. 144. n. 8.* & hanc sententiam docet etiam Miranda *tract. de Monial. q. 8. art. 10. concl. 1.* quem nouissimè sequitur Hieronymus Rodriquez in *compen. qq. Reg. resol. 98. n. 20.* vbi sic ait: Ratione damni emergentis licitè potest pacisci de certa quantitate pecuniæ, donec Monasterio dos soluantur, absque labe vsuræ, quemadmodum pro dote vxoris non esse computandos fructus possessionis pro illa pignori obligatæ in sortem principalem, definitur in *cap. salubriter, de vsuris*, & cum dos detur ad alimoniam Monialis, militat eadem ratio etiam in Monasteriis opulentis.

An Religiosus, qui ex licentia Superioris liberè de aliquibus pecuniis potest dispensare, si illas insumat in ludis illicitis, vel cum meretricibus, peccet contra votum paupertatis, & accipientes teneantur ad restitutionem.

RESOL. XCVIII.

Affirmatiua sententia est communior & probabilior, sed negatiua est etiam probabilis, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Ioannes Salas *tract. de ludo, dub. 21. n. 4.* vbi sic ait. Religiosos, quibus per Superiorem licet de realiqua liberè disponere, etiamsi in ludis illicitis, vel rebus turpibus eam expendant, validè expendere, nec recipientes teneri ad restitutionem. Ita ille. Vbi multas pro hac firmanda sententia rationes adducit; licet contra illam nouissimè insurgat amicissimus Sanctarellus *tract. de Apost. cap. 6. dub. 2. num. 12.*

Sed si aliquis vellet stare in prima opinione, quæritur an dictam pecuniam possit quis restituere eidem Religioso, vel teneatur restituere Monasterio; & ad hoc dubium ita respondet Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 28. diff. 5. n. 11.* [Lo que vno gana al bijo que està en poder de su padre, ò al Religioso, ò à otro, que no podia iugar, basta que lo restituya à ellos, aunque no sean verdaderos señores dello. La razon es, porque no està obligado de iustitia à poner la cosa ganada en mejor estado del que

tenia; aunque alguna vez seria pecado contra caridad, y es quando haziendo esta restitucion a ellos, toman occasion para iugar otra vez.] Hæc ille, qui citat Rodriquez, & Rebellium.

An Monialis vidua possit eligi in Abbatissam?

R E S O L. XCIX.

Affirmatiuam sententiam mordicus defendit Laurentius Portel *in dubiis Regularium*, ver. *Abbatissa*, n. 16. & Hieron. Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 2. n. 26.* Ratio est, quia lex etiam Papalis tolli potest per contrarium vsum, & ad hoc aliqui dicunt sufficere decennium, aliqui dicunt sufficere aliquando, attentis circumstantiis, tempus breuius quam decennium; qui verò tempus amplius extendunt, dicunt per 40. annos sufficientissimè legem tolli per contrarium vsum; sed dato, & non concesso, quòd aliqua lex canonica prohibuit viduam fieri Abbatissam, iam est abrogata per contrarium vsum; ergo, &c. Minorem propositionem huius argumenti fusè probat Portel *vbi supra*, ideo Suarez *tom. 4. de Religione, lib. 2. cap. 6. num. 16.* asserit probabilem esse hanc opinionem, maximè si consuetudo id approbet; cui standum esse ait. Vide etiam Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 5. num. 22.* vbi probat ad Abbatissæ munus non desiderari virginitatem.

Non desinat tamen hic adnotare, quòd Miranda negatiuam sententiam docet *in manuali Prælat. tom. 1. q. 7. art. 6.* cui ego addo Homobonum *de stat. Relig. p. 5. c. 24.* Iulium Lauorium *in variis elucubrationibus tit. 4. c. 23. n. 10.* & Lucam Castellinum *tr. de elect. cap. 17. n. 5. 14. & 17.* vbi testatur sic declarasse sacram Cardinalium Congregationem die 15. Iulij 1616. sub his verbis. Si vidua monasticum habitum allumat, ad Abbatissæ, aut Priorissæ munus obeundum, absque Sedis Apostolicæ dispensatione eligi non potest. Vide etiam Barbosa *de potest. Episc. part. 3. alleg. 100. n. 14.* qui contra Sanch. tenet, quascumque, quæ virgines non sunt, excludi ab Abbatissæ, seu Priorissæ officio.

Notandum est tamen hic obiter, quod ex Decreto Pauli V. publicato à sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium sub die 22. Decembr. 1617. ac intimato Procuratoribus generalibus Ordinum, non possunt Moniales quacumque occasione transferri de Monasterio ad Monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, toties, quoties obtinenda, neque ratione Prioratus, vel alterius officij, quibuscumque in contrarium non obstantibus, vt notat Castellanus *vbi supra de elect. c. 17. n. 5.*

An Decretum Concilij Tridentini sess. 25. cap. 16. de Regular. prohibens recipi aliquid ultra vitum, & vestitum Nouitiæ, comprehendat mutuum, aut commodatum?

R E S O L. C.

Negatiuam sententiam docet Rodriq. *in qq. Regul. tom. 2. q. 48. art. 5.* & Miranda *in manuali Prælat. tom. 2. q. 8. art. 9.* vbi sic ait. In casu, quo Monasterium egeat, sufficienti præstita occasione, non videtur omnino illicitum Nouitiæ alicuius dotem mutuam recipere, aut parentes, & curatores ipsius eandem Monasterio accommodare. Nam mens, & intentio Concilij fuit, vt non propter præfatam dotis traditionem, mutationem, seu accommodationem, aliqua Nouitiæ inuita & coacta profiteri adstringatur; sed hæc omnino iam cessant in casu proposito præstita, & exhibita cautione; ergo id facere non erit contra mentem, & intentionem Concilij. Ita Miranda qui respondet etiam ad illa verba Concilij, *quocumque pretextu, &c.*

Sed his non obstantibus, contrariam opinionem mordicus tenet Suarez *de Relig. tom. 3. tract. 7. lib. 5. c. 9. n. 16.*

Rodriq. se retractans *in summ. tom. 3. c. 144. n. 6.* & Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 35. diff. 19. n. 4.* qui n. 5. plus addit, nempe [que mirado el Decreto del Concilio no pueden llevar las Monjas propinas, cera, y otras cosas, que suelen llevar el dia del habito, de los bienes de la novicia, ni se les pueden dar por las palabras que dize:] *Quotumque pretextu aliquid ex bonis eiusdem minime tribuatur,* [que son palabras que incluyen todo esto. Mas ya el dia de oy tienen costumbre legitimamente prescrita en muchos Monasterios de llevar propinas de entrada, y cera, y donde la huuiere podranlo hazer, porque la costumbre tiene fuerza de ley. Mas con todo esto verdaderamente es contra el Concilio, y era muy justo, que los Superiores lo remediaran, y que las Religiosas nos recibiran cosa alguna en la entrada.] Hæc Villalobos.

Notandum est etiam hic obiter, cum Isidoro Moscouio *de maiestate militantis Ecclesie, lib. 1. part. 4. c. 4.* sacram Cardinalium Congregationem declarasse, quòd si puella Monasterium ingressa animo monachandi, sed paupertate opressa dotem promissam soluere non poterit, non esse compellendam, eo quia dotem in conditionem necessariam ponere non debemus propter simoniam. Sed quia de hac declaratione non constat authenticè, hæc opinio mihi non placet; nam non committitur simonia in conventionibus, & pactationibus super dotibus recipiendarum in Monasteriis inter Moniales, dummodo sit pro congruenti, seu sufficienti sustentatione earum, non obstantibus *c. quoniam, de simonia, & Extrava. 1. eodem tit.* quæ omnia probat, & docet Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 54. n. 1. & 2.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. c. 17. num. 16. & seq.* Miranda *in manuali Prælat. tr. de Monialibus, q. 8. art. 6. & 7.* cum aliis; etiam si Monasteria sint opulenta. Nam opulencia Monasterij non facit, vt quod in paupere non est simonia, in diuite Conuentu simonia censeatur, nisi pecunia extra victum pro aliis causis recipiatur, quia puella recipienda est vilis conditionis, aut infamia, vel deformitate notata, vel ad magnitudinem, & magnificentiam clariorem Monasterij auctius, & superabundans pretium dotis pro ingressu exigatur.

Hinc inferitur, quòd Monasterium excessiuam dotem pro ingressu Nouitiæ recipiens, excessum ultra sufficientem sustentationem, tenetur restituere, nisi talis excessum liberaliter, absque alio expresso, aut tacito pacto illi concedatur. Vide Mirandam & Rodriq. *vbi supra.*

An Monialis illegitima possit esse absque dispensatione Abbatissa?

R E S O L. CI.

Negatiuam sententiam tenet Castellinus *de elect. c. 17. n. 5.* Barbosa *de potest. Episc. p. 3. allegat. 100. num. 13.* Sanctarellus *in variis resol. q. 40. n. 7.* Suarez *in 3. p. tom. 5. disp. 50. sect. 5. n. 15.* Homobon. *de stat. p. 1. c. 24.* Naldus *in summ. ver. Abbatissa, n. 2.* Sanch. *in summ. tom. 2. lib. 5. cap. 5. n. 19.* & alij penes ipsum ex auctoritate *cap. indemnitatibus, §. sane, ver. verum si qua, de elect. in 6.*

Verum non desunt contrariam sententiam docentes; & hi sunt Portel *in dub. Regul. ver. Abbatissa, n. 6.* Miranda *tract. de Monialibus, q. 6. art. 3.* & Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resolut. 2. n. 21.* Ratio est, quia *in c. 1. de filiis Presbit.* ne vllum verbum inuenitur de fœminis, sed tantum de viris, & fœminæ in odiosis non includuntur sub nomine masculorum, ex regula *c. generali, de elect. in 6.* Et ad *c. indemnitatibus*, pro negatiua sententia adductum respondet Rodriq. *vbi supra*, quibus omnibus adde id, quod notat Iulius Lauorius *in variis elucubr. tit. 4. cap. 24. num. 38.* nempe sacram Cardinalium Congregationem declarasse, quòd ex illegitimo thoro natæ confit. Sixti V. contra Regulares illegitimos, non comprehenduntur; quominus ad officium, vel dignitatem Abbatissæ, seu Priorissæ eligi possint.

Nota tamen, quòd etiam stando in prima sententia, possunt

possunt Prælati dictarum Monialium in dicta illegitimitate dispensare, vt docet Portel *vbi supra*, qui citat Emanuelem Rodriquez.

An Generales Religionum possint dispensare cum subditis illegitimis ad dignitates, & officia Ordinis extra Capitulum generale?

R E S O L. CII.

Negatiuè respondet Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 42. n. 40.* & alij, ex quadam Bulla Greg. XIV. in qua præcipitur, vt legitimatio, seu dispensatio Religiosorum, quoad dignitates & Prælatias, fiat à Generali, vel Prouinciali cum Capitulo generali, vel Prouinciali, sed extra Capitulum non possit fieri.

Sed his non obstantibus, ex alio priuilegio Gregor. XIV. concessio Clericis Regularibus ministrantibus infirmis *in tom. 2. Bull. in Greg. XIV. const. 17.* apparet posse Generales Ordinum, & de eius licentia Priores locales, atque Prouinciales cum illegitimis dispensare ad dignitates, & officia Ordinis absque Capitulo generali, vel Prouinciali. Et ita hanc sententiam tenet Sigismundus à Bononia *tr. de elect. part. 2. c. 4. dub. 76. n. 6.* Alcanius Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 14. n. 10.* Laurentius de Peirinis *in priuileg. Minim. tom. 1. const. 2. Iulij I. §. 29. n. 96.* Imò Laurentius Portel *in dubiis Reg. ver. illegitimus n. 10.* putat hoc esse verum, etiam in terminis prioris Bullæ Greg. XIV. quam affert pro sua opinione Rodriquez.

Nota tamen hic obiter, quòd legitimatus à Rege, vel Magistratu sæculari, si intret Religionem, non censetur legitimatus ad officia ordinis, quia Rex non potest tollere impedimenta canonica. Ita Portel *n. 5.* qui etiam *n. 6.* cum Miranda *in man. Prælat. tom. 2. q. 2. art. 5.* & Emanuele Rodriq. *in qq. Regul. tom. 1. q. 13 art. 10.* notat, quòd Sacerdos illegitimus dispensatus in sæculo, & habens ibi beneficium curatum, si religionem intret, non est dispensatus ad officia, & dignitates Ordinis.

An Regulares accedentes ad Monasteria Monialium absque Episcopi licentia, incidant in excommunicationem, quam Episcopus proposuit contra tales?

R E S O L. CIII.

Negatiuè respondeo quia ferè omnes Religiones habent priuilegium, vt non possint excommunicari ab Episcopis, & ideo hanc sententiam docent Rodriq. *tom. 1. q. 45. art. 2.* & alij cum P. Suarez *de Relig. tom. 4. tr. 1. lib. 1. c. 10. num. 27.* vbi asserit sic declarasse sac. Cardinalium Congregationem, sub die 9. Aprilis 1587. in hæc verba: Regulares accedentes ad Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi Regulares illi haberent ex priuilegio, quòd non possint excommunicari; & tunc deberent puniri à suis Superioribus alia pœna. Ita sacra Congregatio. Imò, secluso scandalo, in tali casu Regulares non peccare mortaliter docet nouissimè Merolla *in disp. Theol. tom. 1. disp. 1. c. 2. diff. 7. n. 614.*

An Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam decreti Sacre Congregationis editi Nonis Maij 1590. ultra pœnas appositas, peccent etiam mortaliter?

R E S O L. CIV.

Respondeo affirmatiuè, vt dixi *in tr. de legibus*, & ita declarauit ipsamet Congregatio die 1. Iulij anno 1606. Notat tamen ex Coriolano Laurentius de Peirinis *in priuileg. Minimor. tom. 2. const. 6. Pij V. §. 10. n. 36.* quòd non incurritur peccatum, neque pœna prædicta propter aliqua verba causa vrbانيتatis dicta, quia paruitas materiæ excusat in quacumque materia à mortali, & in hoc

boni viri iudicio standum erit. Nec etiam incurritur, si quis Religiosus declaret aliquem casum conscientie Moniali alicui, cum talis locutio speciem habeat sermonis, & exhortationis. Neque etiam incurrit ille, qui per interpositam personam loquitur cum Moniali: cum odia sint restringenda. Et hæc omnia docet Peirinus *vbi supra.*

An iustè poterit concedi Moniali licentia exeundi claustro, causa medendi morbo ita periculoso, vt eius salus desperaretur, ea non egressa?

R E S O L. CV.

Resolutio huius casus pendet ex illa quæstione, quam Ralibi proposuimus, nempe an casus exceptuati in Bulla Pij V. extendantur ad casus similes. Multi negant, vt notat Scortia *in Bull. Pontif. epitome 94. theorem. 228.* & multi affirmant, cum quibus ego sentio, & ideo assero, quòd iustè concedi poterit Moniali infirmæ licentia, vt à Monasterio exeat causa medendi morbo periculoso, ita vt eius salus desperetur, ea non egressa; tum quia credendum non est, Summos Pontifices cum tanto dispendio voluisse Moniales ad clausuram obligare, tum quia leges ecclesiasticæ non obligant cum tanto periculo; tum quia quod pro charitate inuentum est, contra illam retorqueri non debet, & tandem quia defensio naturalis nemini tollenda est. Et ita hanc sententiam tenet Peirinus *in Priuileg. Minimor. tom. 2. const. 6. Pij V. §. 4. n. 24.* & Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 1. lib. 1. c. 9. n. 9.* pro cuius firmitate inuenies pulchram allegationem Io. Mariæ Nouarij apud Riccium *in praxi tom. 4. resol. 193. n. 3.*

Ad quas processiones possit Episcopus compellere Regulares?

R E S O L. CVI.

Ad hoc dubium ita respondet sacra Cardinalium Congregatio apud Laurentium de Peirinis *in priuileg. Minim. tom. 2. const. 7. Pij V. §. 29. n. 25.* Ordinarius potest præcipere Regularibus, vt eant ad processiones publicas, vt puta in festo Corporis Christi, in Litanis, & Iubilæis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria, dummodo processiones sint eius generis, quòd in Bulla S. D. N. Pij V. Mendicantibus concessa, quæ incipit, *Etsi Mendicant.* publicata 17. Kal. Iunij anno 1567. comprehendatur; & dummodo Regulares non sint ex illis Conuentibus, Collegia nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur. Ita sacra Congregatio. Notat tamen Peirinus *vbi supra*, Quaranta, & ex sacra etiam Congregatio, quòd per publicas processiones intelliguntur etiam hæ, quæ pro bono publico de nouo indictæ sunt.

An Bulla Pij V. quæ incipit, Etsi Mendicantium Ordines, sub 17. Kal. Iunij 1567. fuerit reuocata per aliam Bullam Gregor. XIII. quæ incipit, Intacta, &c.

R E S O L. CVII.

Hic casus multum interest Regularibus, quia Pius V. concedit in dicta Bulla amplissima priuilegia, & ideo dictam constitutionem Gregor. III. non fuisse promulgatam, nec in praxi receptam, testatur Peirinus *in priuileg. Minim. tom. 2. const. 7. Pij V. §. 1. n. 2.* Henriq. *lib. 7. de Indul. c. 24. n. 8.* Thomas à Iesu *de procur. omn. gent. saluan. lib. 12. c. 8.* Hieronymus Llamas *in method. par. 1. c. 7. §. 6.* Nauarrus *in manual. cap. 27. in fine*, vbi testatur, quòd licet Gregor. XIII. voluerit dictam Bullam promulgari, tamen postea non publicauit. Attamen Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 76. num. 29.* & alij tradunt prædictam Bullam Pij V. fuisse reuocatam, & ad terminos iuris, & Concilij Tridentini redactam.

An Regulares in Missis festorum, quæ Episcopus præcepit seruari in sua diocesi, debeant permutare ritum suarum Religionum?

RESOL. CVIII.

AD hanc questionem responsum fuit à sacra Cardinalium Congregatione, cuius verba apud Laurentium de Peirinis in priuil. *Minim. tom. 1. constit. 27. Leonis X. n. 11. ver. Dies etiam fest. scilicet. 23. de Reg. ita esse intelligendum, ut Regularium ritus illis festis semper permaneat, quoad Missas celebrandas, & cætera diuina Officia tam publicè, quàm priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda, nec circa hæc ab Episcopis quomodo quidquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse, quòd si de facto præceperint, Regulares nequaquam ipsis Episcopis obedire tenentur. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangelii, & Epistolis, quibus Clerus sæcularis utitur illis diebus festiuis. Ita sacra Congregatio.*

An Episcopi possint in Ecclesiis Regularium ipsis inuitis predicare?

RESOL. CIX.

ALiqui dubitant, quia actus videtur honoris. Sed Peirin. in priuil. *Minim. tom. 1. constit. 26. Leonis X. §. 24. n. 47. tenet quòd non, per doctrinam Cardinalis in Clem. Archiepiscopo, §. si tamen, n. 2. & 3. quia exemptis, & priuilegiatis non prædicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur.*

Nota tamen, quòd in Ecclesiis Regul. possunt Episcopi diuina Officia priuatim, & publicè audire, & eà etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solenniter populo ibidem benedicere, per illa verba, Sit nomè Domini benedictum, &c. & ibidem facere coram se celebrari, sed sine Pontificalibus: non possunt tamen propter hoc in dictis Regularium Ecclesiis eà, quæ iurisdictionem dicunt, exercere, ut chrismare, ordinare, confirmare, degradare, &c. possunt tamen in dictis Ecclesiis Baldachino uti, & contradicentes Fratres ad id possunt pœnis, & censuris Ecclesiasticis cogi per decretum sacre Congregationis datum Romæ die 10. Iunii 1603. Et hæc omnia inuenies apud Peirinum *ubi supra n. 45.*

An casus reseruatio Superioris Monasterij comprehendat Nouitios?

RESOL. CX.

Affirmatiuè respondet Layman in *Theol. mor. lib. 4. tract. 5. c. 6. n. 4. Corduba in qq. 1. q. 3. & nouissimè Bartholom. de Vechis in praxi nouit. disp. dub. 26. n. 2.*

Contrariam tamen sententiam tenent communiter Doctores, ut Petrus Fay in *addit. ad 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. disp. 6. Villalobos in summ. tom. 1. tr. 9. dif. 56. num. 6. Miranda in manual. Pralat. tom. 2. q. 34. a. 16. Portel in dub. Reg. ver. Nouitij absolutio, n. 36. Coriolan. de cas. reser. p. 1. scilicet. 3. art. 18. Rodriguez tom. 1. quest. 21. art. 11. Ledesma in summ. tom. 1. de sacram. Pœnit. cap. 13. dub. 14. Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 2. quest. 10. Vega in summ. tom. 2. cap. 50. cas. 5. Bellocchius in praxi *Theol. mor. part. 1. quest. 2. n. 109. Vgolinus de potest. Episc. part. 2. cap. 35. num. 7. Naldus in summ. ver. Nouitius, num. 7. Emanuel Sà ver. casus, n. 8. Grassius in appen. ad decis. lib. 1. c. 7. n. 69. Homobonus de cas. reser. par. 1. c. 32. Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 10. & alij, quia Nouitij ad Religionis onera non tenentur.**

His tamen non obstantibus non reticeam hîc adnotare id, quod aduertit Laurentius Peirinus in priuil. *Minim. tom. 2. constit. X. Urbani VIII. §. 61. n. 9. nempe posse Superio-*

res Regulares reseruare sibi casus, non solum quoad Professos, sed etiam quoad Nouitios, & hoc per viam vocis oraculum Pauli V. die 7. Augusti 1609. pro Congregatione S. Mariæ Fulien. de quo testatus est Cardinalis Bandinus, ut apparet in *compen. priuileg. dictæ Congregationis, tit. casuum reseruatio. §. 4. & hoc est valde notandum quia nouum, & illud non inuenies apud Doctores, sed Urbanus VIII. nouissimè in Bulla edita tollit omnia viam vocis oracula.*

An Regulares predicantes in aliena Ecclesia sine licentia Episcopi possint ab eo puniri?

RESOL. CXI.

Respondet negatiuè Tamburinus de iure *Abbat. tom. 2. disp. 11. q. 4. n. 3. Campanili in diuer. sur. can. rubr. 12. c. 13. n. 10. Hieronymus Rodriguez in compen. qq. Regul. ver. Predicantes, n. 1. & alij ex Declaratione sacra Cardinalium sub his verbis. Congregatio Concilij censuit Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi decreto eiusdem Concilij c. 2. sess. 5. contradixerint, non posse tamè puniri ab Episcopo, sed tantum à suis Superioribus.*

At his non obstantibus Laurentius de Peirinis in priuil. *Minim. tom. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 21. & Barbosa de potest. Episc. part. 3. alleg. 76. n. 24. contrarium docent ex Bulla Greg. XV. quæ incipit, Inscrutabile, data Nonis Febr. 1622. vnde aduertant Regulares, quid faciunt.*

Notat etiam Rodriguez, & Barbosa *ubi supra*, Parochum, seu Curatum posse dare licentiam viro docto, & noto, etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in sua Ecclesia sine Episcopi approbatione. Imò, & Concionatores Regulares semel approbati in vno Episcopatu, itinerantes possunt predicare vbi voluerint, non contradicente Parocho, & non obstante proprio Episcopo loci, ex concessione Greg. XIII. facta Societati IESV, qua per communicationem frui possunt alij communicantes in priuilegiis. Vide Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 35. diff. 5. n. 2. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. c. 6. dub. 2. concl. 3. Portel ubi supra, n. 16. Barbosa ubi infra, n. 26. & 27. Miranda art. 4. concl. 1. & alios.*

Non desinam tamen hîc adnotare, id quod habet Miranda in *manual. Pralat. tom. 1. q. 50. art. 2. Barbosa de potest. Episc. part. 3. allegat. 76. n. 23. & Rodriguez ubi supra, n. 2. nempe probabile esse, quòd Prædicatores Regulares, etiam iuxta Conc. Trident. non debent ab Episcopis examinari, quia in Superiori eiusdem decreto tantum requiritur ipsorum licentia ad prædicandum extra suas Ecclesias, & nullum fit verbum de examine, ut patebit legenti textum Concilij; sed contrarium obseruatur in praxi à DD. Episcopis.*

An pro Episcopis in dispensatione interstitiorum cum Regularibus sufficiat sola attestatio Superiorum, & an Regulares possint ordinari, non seruatis temporum interstitiis?

RESOL. CXII.

Affirmatiuè respondeo, & sic declarauit sacra Cardinalium Congregatio sub his verbis. Non posse dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensationis iudicium suum formare debet ex attestacione superiorum Regularium, & hanc declarationem Cardinalium inuenies apud Peirinum in priuil. *Minim. tom. 1. constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 35.*

Non desinam tamen hîc adnotare, quòd Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 11. diff. 12. n. 8. refert quoddam priuilegium concessum Societati IESV, cuius etiam meminit Emanuel Rodriguez in qq. Regul. tom. 2. quest. 13. art. 5. nempe, ut possint Religiosi promoueri ad sacros Ordines, etiam Presbyteratus, absque vlla functione in ipsis Ordinibus,*

Ordinibus, aut obseruatione interstitiorum. Quo priuilegio frui possunt alia Religiones communicantes, non obstante prohibitione excommunicationis huius gratia expressè facta à Gregor XIII. in dicta constitut. vt probat Emanuel Rodriquez *art. 6. circa finem*, quem sequitur nouissimè Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 106. n. 20.* & licet Villalobos *ubi supra*, sentiat debere in hoc Religiosos se conformare consuetudini, propter constitutiones Pontificum contra malè promotos, quod tutius, & consultius videtur, licitum tamen, & tutum erit, ait Hieronymus Rodriquez *ubi supra*, vt dicto priuilegio, quod non est reuocatum, sed potius confirmatum, vt latè probat Emanuel Rodriq. *loco citato*.

Adde quòd Laurentius Portel *in dub. Reg. ver. Ordines sacri, num. 4.* testatur vidisse in Compendio Religionis Parum Congregationis S. Ioannis Euangelista in Portugallia priuilegium Clem. VIII. concessum dictis Patribus die 23. Nouembris anno 1596. vt possint ordinari extra tempora, & per quemcumque Episcopum tribus Dominicis, vel festis continuis, vel interpolatis, non seruatis interstitiis à Concilio Tridentino designatis, quæ, ait Portel *loco citato*, est amplissima, & magna concessio pro hac materia, & ideo illam mente teneant Regulares, & Domini Episcopi.

An Regularis, qui scit professionem suam esse irritam, & ordinatur, peccet mortaliter, & sit suspensus?

RESOL. CXIII.

Hic casus olim accidit, & de illo interrogatus fui, & tunc affirmatiuè respondi, & adduxi Laurentium Portel *in dub. Regul. ver. Ordine sacro, n. 8.* vbi sic ait. Qui fecit professionem irritam, & hoc si notum est, peccat mortaliter; si permittat se ordinari Ordine sacro; ordinatur enim tunc sine titulo patrimonij; quod est contra ius commune, & præterea manet suspensus. Ita ille, qui citat Emanuelem Rodriq. *in addit. ad sum. tom. 4. cap. 65. n. 10.* & Sayrum *de conf. lib. 4. c. 13. n. 14.* quos nouissimè citat etiam, & sequitur Hieronymus Rodriq. *in compen. qq. Regul. resol. 106. num. 25.*

An bona Religiosi transeuntis ad aliam Religionem pertineant ad primum, vel ad posterius Monasterium?

RESOL. CXIV.

Pertinere ad posterius Monasterium saltem quoad vsum fructum, docet Emanuel Rodriq. *in addit. ad sum. tom. 4. c. 53. n. 2.* & alij, sed Thomas Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 7. cap. 32. n. 8.* & alij penes ipsum, asserunt vniuersa bona priori Monasterio acquisita ratione Religiosi remanere omnino apud illud, quando Religiosus transit ad aliud Monasterium, vel ad Episcopatum, & hanc sententiam probat ex multis rationibus. Vide etiam Faustum *in thes. Relig. lib. 5. q. 386. num. 3.*

Ego verò puto ad summum in tali casu prius Monasterium teneri ad tribuendum Religioso translato sufficientia alimenta in Monasterio posteriori, & ita docet Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. c. 14.* & Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 123. n. 82.* maximè quando Monasterium est inops, vt vult Menochius *vol. 2. conf. 293. num. 22.*

Notatamen, quod rectè notat Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 35. diff. 14. num. 3.* ius succedendi Religioso competens, cum sit personale, transire cum eo ad Monasterium, ad quod transfertur, si est capax succedendi, vnde infert *num. 4.* legatum relictum sub conditione, quæ impleta est tempore secundæ professionis, ad secundum Monasterium pertinere.

Aliqui casus, in quibus Religiosi dimittentes habitum suæ Religionis, non incidunt in censuras cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.

RESOL. CXV.

Non est Apostata, nec incurrit in dictam excommunicationem Religiosus, qui habitum non defert in cubiculo suo, vel in loco alio secreto; vt melius studeat, quiescat, dormiat, &c. nec etiam, qui ex leuitate quadam habitum dimittit, vt melius currat, saltet, ludat, &c. Imò ego puto, neque Religiosum incurere in dictam excommunicationem si habitum dimittat, vt eat ad lupanar ad fornicandum, vel vt secreto furetur, statim habitum iterum sumpturus, etsi habitum alium ad sic se occultandum eo breui spatio assumat. Et hæc omnia docent, & probant Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 8. n. 57.* quibus ego addo Antonium Sanctarellum *tract. 2. de Apostas. cap. 1. n. 6. & 7.* quidquid asserat Portel *in dub. Regul. ver. Habitus, num. 4.* Hieronymus Rodriquez *in compen. qq. Regul. resol. 71. n. 6.* Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 23. sect. 4. num. 51.* Bannez *in 2. 2. q. 12. art. 2. dub. 2. concl. 2.* & alij asserentes Religiosum ob turpem causam deponentem habitum in excommunicationem incurere.

Non desinam tamen hic adnotare pulchrum casum, qui sæpius potest occurrere, ponit Laurentius Portel *in addit. ad dub. Reg. ver. Habitus n. 3.* vbi sic ait. Religiosus iniuste grauatus notabiliter à Prælato, & maius adhuc timens grauamen, nec habens aliud remedium, fugit ad Prælatum superiorem longè distantem, ita vt in ista fuga nullo modo peccet, nec venialiter, vt suppono (quod fieri posse multi dicunt) in hac tamen fuga, & longo itinere, certò moraliter scit, se fore detegendum, & comprehendendum ab inferiori iniuste grauante, si portet habitum Religionis propter custodes in viis adhibitos. In quo casu puto posse prædictum cum suprædictis circumstantiis habitum dimittere, donec tutò accedat ad Prælatum, ad quem appellat; quia portare habitum Ordinis est præceptum humanum, at præceptum humanum non obligat cum tanto periculo famæ, carceris, & iniusti grauaminis sperati certò moraliter, ergo, &c. Ita Portel *ubi supra*, & ego.

An Religiosus eiectus ab Ordine, si emendatus petat ingredi, teneantur illum Superiores iterum in Religionem recipere?

RESOL. CXVI.

Affirmatiuè respondet Molina *de iust. tom. 1. disp. 146. ver. quid ad votum.* Corduba *in regula D. Francisci c. 2. q. 71. punct. 2.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 112.* & alij.

Mihi verò magis placet sententia negatiua, quam ex D. Bonauentura tuetur Antonius Sanctarellus *tr. de Apostas. c. 5. dub. 2. n. 18.* cui ego addo Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 9. n. 32.* qui citat Azorium, & Rodriquez. Ratio est, quia ex iusta sententia Religiosus eiectus condemnatus est, vt extra Religionem viuat; ergo Religio non potest cogi ad eum recipiendum. Nec valet dicere cum Lessio *ubi supra*, quòd si Religio habet ius reuocandi Religiosum eiectum; ergo etiam iste debet habere ius compellendi Religionem ad eum emendatum recipiendum; nam respondeo quòd est dispar ratio. Nam cum Religio sit innocens, mirum non est si potiori iure gaudeat, quam Religiosus, qui suis delictis Religionem læsit.

Notandum est etiam hic contra Federicum de Senis *conf. 38.* & alios quos citat, & optimè reprobat Sanchez *loco citato, n. 34.* Religiosum eiectum, quando admissio in suam pristinam Religionem post debitam correctionem desperatur, non teneri ad aliam Religionem transire. Adde etiam, quòd aliqui, vt supra visum est, probabiliter asserunt. Religiosum eiectum non teneri redire ad ipsamet Religionem, de qua eiectus fuit.

Item contra Hieronymum Rodriquez in *compen. 99. Regul. resol. 57. n. 6.* & Emman. Rodriquez in *99. Reg. tom. 1. 9. 30. art. 19.* puto eictos à Religionis de qua eicti sunt, & ieiunia in regula Religionis de qua eicti sunt, sub præcepto contenta, & ita tenet. Ioan. Francif. Suarez in *enchirid. cas. consc. lib. 3. §. de voto obedientia,* & Sanchez *num. 53.*

Et tandem nota posse dictos eictos ad Ordines promoueri, vnde cum illis debent dispensare Prælati ante expulsionem per priuilegia Ordinis, vel Episcopus, si in illas irregularitates dispensare possunt. Vide Hieronym. Rodriquez *ubi supra.*

An Prælati Regulares possint amoueri à suis Prælatibus ad libitum suorum Superiorum sine causa?

R E S O L. CXVII.

Affirmatiuè respondeo, nisi Prælatuſ sit electiuus. Dico igitur Superiores Religionum posse amouere, & spoliare Prælatos manuales de suis Prælatibus manualibus quomodocumque, & quodcumque ipsis placuerit, etiam sine causa, nec ipsi Prælati manuales possunt conqueri, siue agere quidquam contra spoliatores, *ex c. cum ad monasterium, §. tales, in fine, iuncta gl. ver. perpetuo de stat. Monach.* Et ratio est, quia Superiores illos à dictis Prælatibus amouendo, vtuntur iure suo, nec illis iniuriam faciunt, & ita hanc sententiam ex multis Doctoribus probat, & tenet nouissimè Aloysius Riccius in *praxi, tom. 4. resol. 51. n. 4.* & ante illum Sigismundus à Bononia in *tract. de electione, part. 1. c. 7. dub. 49. n. 7. vbi n. 14.* asserit Prouinciales, Rectores, &c. Societatis I E S V, qui instituuntur à suo Præposito Generali, & item Priores, seu Guardianos aliarum Religionum, qui prouidentur à suis Generalibus, seu Diffinitoribus, posse mutari, vel spoliari ab eisdem suis Prouisoribus, seu Institutoribus, etiam sine causa, quomodocumque, & quodcumque id eis placuerit; hi enim omnes censentur beneficia, & Prælatuſ manuales. Ita ille, qui respondet ad argumenta, quæ in contrarium adduci possunt.

Nota tamen quòd in vno casu fallit supradicta opinio, & erit quando Superior, pendente accusatione, vel inquisitione contra aliquem, eum spoliaret Prælatuſ etiam manuali; & ratio est clara, quia dum Superior cœpit accusationem, vel inquisitionem contra subditum ad effectum spoliandi eum Prælatuſ, tum ipsa spoliatio superueniens non considerabitur, vt ius simplex, & imperium Superioris in subditum, sed vt pœna illius delicti, de quo ipse iam cœpit accusationem, seu inquisitionem. Sed talis pœna non potest imponi, nisi priùs probato delicto. Ergo, &c. vide etiam Laurorium in *var. elucubratis. tit. 4. c. 23. n. 23. & 24.* vbi etiam addit, Prælatos Regulares de facili, & leuioribus causis posse amoueri à suis prælatibus etiam electiuis, & citat *cap. per tuas el. 1. de simonia, & c. qualiter qd 2. de accusat.*

An Superiores Regularium possint sibi reseruare tactus impudicos, & oscula?

R E S O L. CXVIII.

Affirmatiuam sententiam tenet Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. disp. 13. q. 2. n. 3.* vbi sic ait. Aliquando in eadem supradictorum casuum decisione potest etiam Superior sibi alios casus reseruare, vt exempli gratia in materia lapsus carnis poterit sibi reseruare tactus impudicos, oscula, literulas, manusculas, &c. Ita Hieronymus Sorbo in *annot. ad compend. priuileg. ver. absolutio,* affirmans hoc à Clem. VIII. sibi declaratum fuisse. Hæc Tamburinus loco citato.

Sed meritò negatiuam sententiam docet nouissimè noter P. Leone *de offic. confes. tom. 2. recollect. 11. n. 132.* quia quibus illi, nempe tactus impudici, oscula, &c. nullo modo

comprehendi possunt sub significatione, & verbis Clem. VIII. videlicet *lapsus carnis voluntarie opere consummatus*, quæ quidem verba sonant consummationem actus in sua specie fornicationis, v.g. mollitici, &c. vide etiam Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 18. n. 12.* & Molfesum in *sum. tom. 1. tract. 7. c. 20. n. 46. & 104.*

An Regulares absentes cum licentia, vt possint cuiusque Confessario confiteri, possint absolui à reseruatis?

R E S O L. CXIX.

Affirmatiuam sententiam docere Peregrinum in *compen. priuileg. tom. 1. ver. absolutio quo ad fratres, §. 2. in scholio* notat Alphons. de Leone *de offic. & potest. conf. 10. 2. recollect. 11. num. 31.* eo quòd quando conceditur licentia eligendi Confessarium extra ordinem causa itineris, vel commorationis in locis distantibus à Monasterio, conceditur etiam tacitè licentia, vt à reseruatis absoluitur.

Verùm hæc opinio mihi non placet, quia facultas generaliter concessa eligendi Confessarium, non extenditur ad reseruata, vt ex multis textibus, & rationibus probat Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 6. q. 8. n. 4.* Suarez *tom. 4. disp. 27. sect. 4. n. 4.* Homobonus *de cas. refer. p. 1. c. 2.* Fagundez *præc. 2. lib. 8. c. 8. n. 12.* Layman *lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 20.* Ioan. de la Cruz *de stat. Relig. lib. 2. c. 6. dub. 11. const. 2.* & ex nostris P. Megala in *1. lib. 1. c. 10. num. 15.* & alij. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ specialiter, si peterentur, non essent concedenda, indecens enim esset, vt Sacerdotes sæculares peccata graui Religiosorum audirent, & ideo hanc sententiam contra Peregrinum, præter Doctores citatos, tenet etiam Miranda in *manual. Prælat. tom. 2. q. 33. art. 6. concl. 2.* vbi sic ait. In generali concessione facta Religiosis à Prælatibus, vt possint eligere Confessorem, quem voluerint, non comprehenditur absolutio à casibus reseruatis; nec etiam vilo modo credendum est, quòd quispiam sanæ mentis Prælatus sic indiscriminatim suam auctoritatem concedat alicui sibi subdito, vt absoluitur à casibus reseruatis. Non enim conuenit peccata graui alii extra Ordinem propalare. Nec prædictis obstat, quòd Fratres itinerantes, vel à Monasterio absentes propter scandalum debeant celebrare, & per consequens ante celebrationem præmittere confessionem omnium peccatorum, ac proinde debere præsumi in dicta generali concessione intelligendam esse facultatem absoluendi à reseruatis. Nam respondeo, quòd si talis Religiosus extra Monasterium se inuenerit, non habens expressam licentiam sui Prælati, vt absoluitur à casibus reseruatis, atque sine scandalo non potest non celebrare, tunc in tali casu benè potest accedere ad celebrandum; nam idem existimandum est de illo, ac si non haberet copiam Confessoris, satisque illi est, vt procuret habere contritionem. Ita Miranda, & ego.

An Regulares possint exhumare cadauera, & in alia loca eiusdem Ecclesia transferre?

R E S O L. CXX.

Notandum est, quòd corpora defunctorum non possunt exhumari, & transferri de loco in locum sine Episcopi licentia, vt definitur in *cap. corpora sanctorum, de consecr. dist. 1. l. si nec dum, l. n. mo. humanum, C. de relig. & sump. funer.* quod certè intelligitur, vt rectè obseruat Hieronymus Rodriquez in *compen. 99. Regul. resol. 127. n. 25.* de corporibus perpetuæ sepulturæ traditis, & de translatis de vna ad aliam Ecclesiam, secus quando sunt deposita, seu ad tempus seruata in vna, vt postea transferantur de vno loco ad alium eiusdem Ecclesiæ, & ita etiam docet Villalobos in *sum. tom. 2. tract. 31. difficult. 6. num. 4.* vbi sic ait. [Es licito trasladar los cuerpos de los defuntos,

defuntos, que estan depositados de vna Iglesia orta, o de vn lugar a orto, en la misma Iglesia; mas no lo es quando estan perfectamente sepultados, esto es, que no estan depositados sin licentia del Obispo.] Ita ille, vbi etiam notat *num. 5.* [que Leon X. concedio que los Prelados de la orden de los frayles menores de obseruancia, pueden desenterrar en sus Iglesias y Capillas los cuerpos de los defuntos, y trasladarlos a otras sepulturas de las mismas Iglesias, con consentimiento de los que fueren interessados, gozan deste priuilegio las demas ordines, que gozan de nuestros priuilegios.] Sed hoc priuilegium intelligo de corporibus positis in aliqua Capella particulari, & propria secularium, vel in alio aliquo loco electo pro corpore defuncti a consanguineis, vel amicis: secus autem si corpus defuncti fuit Regularibus datum, vt illud ponerent ipsi vbiicumque voluerint: nam in isto casu sine vlla licentia, neque Episcopi, neque consanguinei possunt illud exhumare, & ad alium locum eiusdem Ecclesie transferre. Et ex his patet responsio ad dubitationem positam.

An Regulares possint commutare, vel dispensare votum peregrinationis ultra duas dietas?

RESOL. CXXI.

Peregrinus in *compend. nostrorum priuilegiorum, par. 1. tit. absolutio, §. 12.* negatiuam sententiam docet, & duas dietas Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 8. disp. 16. n. 1.* Bartholomæus à S. Faustino in *thes. Relig. q. 173. n. 1.* & alij asserunt esse viginti leucas. Sed noster Mollesius in *summ. tom. 1. tract. 11. cap. 15. n. 134.* docet, quod votum peregrinationis ultra duas dietas intelligitur de peregrinatione, quæ duobus diebus compleri nequit, & ad summum est sexaginta miliariorum, & ita se habet communis praxis. Ita Mollesius, quod est valde notandum.

Verum non desinam hic adnotare, quod noster P. Alphonsus de Leone in *tract. de officio, & potest. Confessar. tom. 2. recollect. 10. num. 173.* tenet, Regulares posse dispensare, & commutare vota peregrinationis ultra duas dietas, & hoc per expressum priuilegium, quod habetur in *compend. priuileg. Congregationis sanctæ Mariæ Fulienfis, ver. dispensatio.*

An Prælati Regulares possint absoluere subditos ab hæresi occulta?

RESOL. CXXII.

Peregrinus in *compendio nostrorum priuilegiorum part. 2. tit. absolutio quoad fratres, §. 2.* affirmatiuè respondet ex priuilegio Gregorij XIII. concessio Societati Iesv die 18. Martij 1584. & hoc procedere etiam in Hispania testatur.

Verum de hac facultate, præsertim in Hispania, per consequens in hoc Regno Siciliæ valde dubitat Hieronymus Rodriguez in *compend. qq. Regul. resol. 3. num. 5.* & absolutè non posse Superiores regulares absoluere suos subditos ab hæresi occulta, docet Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 14. q. 17. n. 3.* Megala *conf. 21. num. 6.* Nouar. in *sing. iur. Pont. concl. 3. n. 10.* Auila *de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6. not. 3.* Vega in *summ. tom. 2. c. 125. cas. 12.* Sanch. in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 17. n. 7.* & hoc hodie non est dubitandum, vt ego obseruauit in *tract. de absolute ab hæresi, resol. 6.* per decretum Urbani VIII. datum Romæ die 17. Nouembris 1628. in quo reuocantur in ampla forma omnia priuilegia Regularium absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, vt est hæresis, &c. Vnde corruunt omnia argumenta, quæ ego in dicta resolutione pro opinione affirmatiua adducebam. Adde quod priuilegium Gregorij XIII. habet etiam difficultatem, per aliud priuilegium eiusdem Gregorij vt aduersus Pe-

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

grinum obseruat Alphonsus de Leone *de offic. & potest. conf. ff. tom. 2. recollect. 11. num. 209.*

An Regulares approbati in vna diœcesi, si in itinere commodè non se possunt præsentare Ordinariis, possint Confessiones audire?

RESOL. CXXIII.

Ex priuilegiis Eugenij IV. & Gregor. XIII. concessis Ordini Minorum, & Societati Iesu, vt patet apud Peregrinum in *compen. priuileg. part. 1. tit. absolutio quoad seculares, §. 5.* apud Mirandam in *Manuali prælat. tom. 1. quest. 45. art. 8.* & alios Confessarij Concilij Tridentini, quando non possunt commodè se præsentare Episcopis, quia sunt in itinere, vel alibi, possunt fidelium confessiones audire in illis locis, aut oppidis, vbi Ordinarij non existunt, non repugnantibus tamen Parochis.

Sed his priuilegiis an sit derogatum per constitutionem Urbani VIII. editam die 17. Septembris 1628. quæ incipit, *Cum sicut accepimus*, secundum opinionem Alphonsi de Leone *tract. de offic. & potest. confess. tom. 2. recollect. 10. num. 56.* non est certum, quia et si, ait ille, per dictam constitutionem reuocantur omnia indulta, vt ex eius titulo apparet, audiendi secularium confessiones, absque Ordinarij, &c. tamen, vt etiam in corpore illius constitutionis constat, ibi est sermo de facultate generali audiendi confessiones secularium absque approbatione, vel examine Ordinariorum. Sed in casu nostro indultum est speciale, quando Regulares sunt in itinere, & commodè non possunt se præsentare Ordinariis. Tamen quia in dicta constitutione interdicta est illis interpretatio, & reuocantur indulta ex quauis causa concessa, etiam de necessitate exprimenda, vt tutius procedatur in futurum in re tam magni momenti, esset petenda declaratio. Hæc omnia Leone; qui etiam obseruat, quod si dictum priuilegium non est reuocatum, possunt Regulares eo vti, quando reperiuntur in aliquo loco distanti ab eo, vbi residet Ordinarius etiam si ibi manerent recreationis causa, quia secluso omni dolo, & fraude, si non possent se præsentare Ordinario, militaret ratio priuilegij. Ergo, &c.

Notandum est hic obiter primò, quod stante dicta constitutione Urbani VIII. cessat hodie priuilegium, de quo Mollesius in *sum. tom. 1. tract. 7. c. 16. n. 25.* Campanili in *diuer. iur. canon. Rubr. 12. c. 13. num. 7.* & alij, concessum Congregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella, & per communicationem aliis Religiosis, nempe Regulares Confessarios præuio examine approbatos ad audiendas confessiones in vrbe Romæ, non egere approbatione extra Urbem ab aliis Ordinariis, sed sufficere tantum eorum illis se præsentare, & ostendere licentiam Romæ habitam, non, inquam, hoc priuilegium amplius valet, nam Urbanus VIII. in dicta constitutione annullat, & reuocat omnia priuilegia concessa quibusuis Religiosis, Societatibus, &c. audiendi secularium confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione. Et ita docet Leone *vbi supra, num. 86.* qui *num. 45.* ponit per extensum dictam Urbani constitutionem.

Nota secundò cum eodem Leone *num. 82.* quod etiam stante dicta constitutione Regulares hodie si in aliena diœcesi inuenirent subditum diœcesis, in qua fuerint approbati, possent eum audire, & absoluere, quod etiam potest quilibet Confessarius secularis. Ratio est, quia hoc non est priuilegium particulare Regularibus concessum, sed dispositio iuris communis generalis quoad omnes Confessarios. Ergo constitutio Urbani VIII. non militat, quia loquitur tantum de priuilegiis. Vide Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 3. disput. 34. num. 2.* Peregrinum in *compen. priuileg. part. 1. tit. absolutio, §. 8.* in *scholio.* Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 2. disput. 6. quest. 14. n. 4.* Rodriguez in *qq. Regul. tom. 1. quest. 60. art. 5.* & alios

An expediat Generales Religionum esse perpetuos?

RESOL. CXXIV.

Affirmatiuam sententiam mordicus tenet Nauarrus *omner. 3. de Regul. n. 3. & lib. 3. de stat. Monac. conf. 7. n. 8.* Miranda *in man. Pralat. tom. 2. q. 7. art. 6.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 7. n. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 12. c. 20. q. 21.* & alij. Ratio est, quia ex temporanea duratione fit, vt Generales certo modo à subditis dependant, cum ab eis deprimi, & erigi possint, & per consequens fit, vt eorum authoritas multum diminuatur; ceteras rationes videbis apud citatos DD.

Sed his non obstantibus supradictam sententiam non esse in certâ docet Layman Societatis IESV *in qq. canon. cap. 17. q. 235.* vbi sic ait. Non desunt qui expedire magis existimant, vt Ordinum Prælati in perpetuum instituantur, sed hanc rem difficile est definire, cum ex vtraque parte tam commoda, quam incommoda existant. Itaque, & ante illum Ioannes Baptista Antonucius *in catechesi Neapolit. lib. 1. de simon. priuat. c. 6. fol. mibi 184.* vbi ita asserit. Ergo licet Nauarrus opinionem de perpetuitate Generalium aliquando probauerim, hodie tamen in hac re anceps sum cum valde probabiles rationes sint pro vtraque parte, tum propter iustitiam distributiua, tum propter incautam electionem ab initio factam, & præsertim quoad capita Ordinum. Hæc Antonucius; vide etiam Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. disp. 23. quest. 3. n. 4.* vbi putat quod hæc res arbitraria sit, & quod alterutra pars eligi possit, dummodo incommoda, quæ in vnaquaque illarum contingere possint, quantum fieri possit, euidentur.

An Regulares conuenientes inter se, vt alter in vna electione suffragetur vni, & alter alteri in alia committant simoniam?

RESOL. CXXV.

Respondeo affirmatiuè, vt innuit *c. cum pridem, c. fin. e pactu.* Secus asserunt aliqui, si pactum non interuenit, sed tantum futuræ oblatio spei, vt si dicatur, De hoc suffragium, & prouidebitur tibi de alia re, vel quid simile; & ideo Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 27. diff. 24. n. 1.* sic ait. [Aduerte Emanuel Rodriguez cum Nauarro, que vna cosa es, ofrecet esperança, y otra cosa, el hazer pacto y concierto, porque si el Superior dixesse al subdito, por amor de mi que dexeis este oficio, que yo procura re dar os otra cosa, como se suele hazer muchas vezes, sin animo de obligarse, no sera simonia, aunque parece cierta manera de loborno, y por este camino se escusan muchos que dizen à sus amigos, ayudadme en esta ocasion con vuestro voto, que yo os ayudare en otra, que esto no es hazer pacto, si no ofrecer esperança; mas lo cierto es que esto se llega mucho à simonia.] Ita ille, & post illum Hieronymus Rodriguez *in compen. qq. Regul. resol. 129. n. 3.* Sed cum hæc oblationes subornationis speciem præferant, ideo debent à Religiosis esse maximè alienæ, vide etiam Suarez *de relig. tom. 1. lib. 4. c. 44. num. 3. & seq.*

An Confessarius si petat à Superiore Regulari potestatem absolendi aliquem à casibus referuatis, si neget, possit penitentem illum absolueri pro illa vice?

RESOL. CXXVI.

Respondent aliqui probabiliter, quod Superior requisitus à pio, & docto Confessario, nempe à Confessario approbato, & exposito ad confessiones, ab absolueri suum subditum ab aliquo referuato, vt ipse absolute iusta causa licentiam neget, posse dictum Confessarium

ab eo peccato referuato illum absolueri, quando intat necessitas communicandi, aut celebrandi, & scandalum adest, nisi communicet, vel celebret; & in hoc casu talis Confessarius absoluit ex licentia Prouincialis, Generalis, vel Papæ. Ceteras rationes videbis apud Fagundes *præcep. 3. lib. 3. c. 9. num. 171.* Henriquez *lib. 3. cap. 13. num. 6.* & alios, licet contrariam sententiam teneant Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 19. num. 30.* & alij. Sed quid sit de hac opinione, hodie extat decilio Pauli V. quam refert Naldus *in summa verb. Religiosus, n. 44.* vbi Sanctitas sua deinceps declarauit, vt si huiusmodi Regularium Confessarius casus alicuius referuati facultatem petentibus dare Superior noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice penitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolueri. At ex illis verbis, *huiusmodi Regularium Confessariis*, & c. putat Leone, *vbi infra, n. 40.* hoc efficere non posse, nisi Confessarius domus, & Monasterij deputatus à Superiore.

Verum extat difficultas circa prædictam decisionem Pauli V. an illa verba, *pro illa vice*, intelligenda sint pro vna vice tantum; Alphonsus Leone *tract. de offic. & potest. Confess. tom. 2. recollect. 6. num. 178.* docet hoc non esse certum, vt patet ex illa questione, an possit quis lucrari pluribus vicibus Iubilæum extraordinarium concedi solitum cum simili clausula *pro hac vice*; nam multi docent (& me ipsum citant *in tract. 3. miscellan. resol. 49.*) posse eum, qui in prima hebdomada lucratus fuit Iubilæum, etiam lucrari, & absolui in secunda; ergo a fortiori in casu nostro quia quando Pontifex indulget, vt pro illa vice Regularis possit absolui à referuatis, non ponit dictionem aliquam taxatiuam; sicuti in Bullis Iubilæi, vbi sunt verba illa, *pro hac vice*, vnde magis videtur restringere dictio illa *hac*, quam illa. Ita Leone *vbi supra.*

Tamen aliqui verba illa Pauli V. tantum pro vna vice intelligenda esse docent, & ideo Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 2. disp. 13. q. 8. n. 3.* sic ait. Si Confessarius non habens facultatem pro referuatis, illam ab Abbate pro aliquo casu peteret, & Abbas concedere negaret, posset nihilominus Confessarius, *pro illa vice tantum* penitentem Regularem, etiam facultate non obtenta, absolueri, vt concessit Paulus V. Decretis Generalibus pro Regularium reformatione editis. Hæc Tamburinus.

Notandum est etiam hic obiter primò, quod si Confessarius petat licentiam à Superiore Regularium absolueri à referuatis aliquam personam particularem, potest etiam illum absolueri à peccatis referuatis, commissis post licentiam obtentam pro prima vice, secus si talis licentia fuerit obtenta à penitente. Ita Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 12. n. 9.* Leone *vbi supra de potest. Confess. tom. 2. recollect. 11. n. 103.* qui etiam *recollect. 6. n. 131.* cum Florono *de cas. referu. c. 3. §. 1. n. 1.* notat, quod Confessarius si petat facultatem à Superiore pro vna persona, potest vti pro sua persona.

Nota etiam secundò, quod Regulares semel sine licentia suorum Prælatorum possunt absolui ab omnibus referuatis, & ita obseruat Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 19. num. 7.* ex quodam priuilegio Minorum, qui possunt eligere de eadem Obseruantia Confessorem, qui de omnibus peccatis referuatis, & censuris possit illos absolueri; imò, & dispensare in irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria; quod priuilegium cum generale sit, complectitur omnia peccata, etiam in ipsa Religione referuata; cumque ex parte personæ eligendæ nullam aliam conditionem requirat, nisi quod sit eiusdem Ordinis, non videtur amplius restringenda, nec postulanda specialis licentia Prælati. Sed nihilominus probabile est, Confessorem sic eligendum, debere esse ex approbatis, & expositis à Prælato Religionis ad audiendas confessiones suorum subditorum. Hæc omnia Suarez, quæ sunt valde notanda.

An Monialis possit transire de uno Monasterio ad aliud, causa foundationis, reformationis, &c. sine licentia Papæ?

RESOL. CXXVII.

Negatiuam sententiam docuit Emanuel Rodriguez *in summ. tom. 3. c. 3. n. 2.* & Thomas Zerola *in praxi Episc. part. 1. ver. Moniales, §. 16.* qui testantur ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem.

Sed his non obstantibus, hoc fieri posse ex sola licentia Superioris dictæ Monialis, & ita seruari in praxi, tenent Emanuel Rodriguez sibi contrarius, *vbi supra in summ. tom. 3. cap. 96. num. 4.* Hieronymus Rodriguez *in compen. qq. Regul. resol. 26 n. 38.* & Portel *in addit. ad dubia Regular. ver. Monialibus, num. 1.*

Verùm circa præsentem quæstionem, ita asserit Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 35. diffc. 45. n. 9.* [Rodriguez dicit, que para traher Abadessã de fuera, es necessario licencia del Papa, ô del Nuncio, quo tiene para ello autoridad, como lo declarò la Congregacion de los Cardinales; En lo que toca à esta declaracion pareceme dudosa, porque no la trahen Farinacio, ni Marzilla, y dize Portel que no esta en vfo en Portugal, y yo tambien he visto lo contrario en Castilla, mas si essa se hallasse authentica ha se de hazer ansi, mayormente en caso que vuisse de hauer discordia, por que podrian las Monjas recurrir al Nuncio, y si fuesse deste paracer tendriam pesadumbres los Prelados; mas no constando desta declaracion, tiene buen fundamento lo que queda dicho.] Sed his non obstantibus, ego puto non esse recedendum à prima sententia negatiua propter declarationem Cardinalium adductam à Castellino *vbi supra in hoc tract. resol. 99. in fine.*

Quidam expleto anno nouitiatus fuit à Capitulo Monasterij admissus ad professionem, quam ex leuissima causa distulit emittere ad sex menses, sed postea emissa quæsiuit à me an fuerit valida?

RESOL. CXXVIII.

Videbatur obstare Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 16. de Regular.* vbi præcipitur, quòd finito anno probationis Nouitius statim ad professionem admittatur, aut expellatur.

Sed de hoc casu, vt dixi, interrogatus dictam professionem fuisse validam respondi; primò, quia Concilium ibi præcipit tantùm, vt professio emittatur post annum probationis, sed illam non annullat, si efficiatur post dictum tempus; ergo, &c. Adde quòd, vt rectè docet nouissimè Castrus Paulus *in opere morali, tom. 1. tr. 3. disp. 2. pun. 9. n. 8.* Suarez *de legibus, lib. 5. c. 15. n. 10.* & alij, quando statutum mandat fieri aliquid certo tempore, vt est in casu nostro, actus contra factus non est nullus, quia tunc non intelligitur circumstantia temporis, vt forma apposita, & ideo circa validitatem supradictæ professionis etiam affirmatiuè responderunt aliqui Theologi Societatis IESU, & nostræ Religionis de hoc casu tunc interrogati.

Notandum est tamen hîc obiter, quòd post annum probationis expletum, licèt Superiori differre professionem Nouitij ob iustam causam, non obstante dicto decreto Concilij Trident. *vbi supra;* nam Congregatio Cardinalium autoritate Pij V. declarauit præfatum decretum Concilij tantùm procedere in Nouitiis, qui elapso anno Nouitiatus habiles inuenti fuerint, non verò in inhabilibus, quorum professio vsque ad sex menses potest prolongari, dummodo intra id temporis spes habeatur, quòd efficiantur habiles; sed in Monialibus diutiùs licèt professionem differre. Ita Hieronymus Rodriguez *in compen. qq. Regul. resol. 101. num. 62.* & nouissimè Aloyfius Riccius *in praxi, tom. 4. resol. 254.*

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

An licentia ingrediendi Monasteria Monialium debeat esse in scriptis, etiam quoad forum conscientie?

RESOL. CXXIX.

DE hoc casu nouissimè interrogatus fui à Gregorio Pollaccho, viro quidem docto, & amicissimo, qui Venetiis moratur. Prima opinio affirmat, & ita docet Suares *de Relig. tom. 4. lib. 1. c. 10. n. 15.* Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 30.* & alij; vnde asserunt esse peccatum mortale ingredi Monasteria Monialium cum licentia Superioris oretenus concessa, & hoc ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Regul. c. 5.* ibi, *sine Episcopo, aut Superioris licentia in scriptis obrenta.*

Verùm non desunt DD. negatiuar. sententiam tenentes, vt Homobonus de Bonis *tr. de casibus reserua. part. 2. cas. 5.* & Petrus Bellochius *in praxi Theol. mor. part. 2. q. 9. n. 162.* vbi sic ait. Licèt licentia ad ingrediendum septa Monasterij per decretum Concilij Trident. in scriptis obtenta requiratur, hoc quoad forum exterius intelligitur; nam in interiori animæ foro, in quo veritas attenditur, sufficit vt consensus iure naturali requisitus interueniat. Ita ille, qui citat Innocentium, Abbatem, & Felinum.

Notandum est tamen, quòd etiam stando in prima opinione licentia in scriptis non requiritur semper in casibus ordinariis, puta quoad Medicos, chirurgos, carpentarios, camentarios, & alios similes operarios, quorum opera passim indigent Moniales, sed pro his licèt Abbatissis dare licentiam, ex præscripta interpretatiua voluntate Superioris, vel ad maiorem cautelam Superior hanc generalem facultatem potest in scriptis committere Abbatissis, vel Monialium Confessariis pro similibus casibus. Et ita ex multis docet Hieronymus Rodriguez *in compen. qq. Regular. resol. 26. n. 8.* & Villalobos *in summ. tom. 2. tr. 35. diffc. 46. n. 4.* & nota etiam contra Grassium *in decis. part. 1. lib. 4. c. 23. n. 6.* & alios, quòd licentia data ad concedendam facultatem ingrediendi Monasteria non debet necessariò esse in scriptis, sed sufficit, vt sit oretenus concessa; nam Concilium loquitur de licentia ingrediendi tantùm, non autem de licentia ad concedendam facultatem ingrediendi.

An Episcopus possit dare licentiam, vt nupta intret in Monasterium ob periculum vitæ?

RESOL. CXXX.

Respondet affirmatiuè Azorius *tom. 1. lib. 13. c. 8. q. 4.* vbi docet posse recipi intra clausuram licèt viduam bonæ famæ, quæ cupit honestatis gratia in Monasterium manere. Item posse recipi sceminam de licentia Episcopi de adulterio suspectam apud virum suum, eaque de causa vitæ periculum certò timet.

Sed contrariam sententiam profus sustinendam esse puto, quam tuetur Portel *in addit. ad dubia Regular. ver. clausura Monialium, n. 2.* ex declaratione Cardinalium facta Episcopo Salmantino, quæ sic habet. Non licet Episcopis vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, vt ex causa litium matrimonialium, adulteriorum, ac dissensionum inter viros, & vxores apud Monasteria Monialium sequestrentur securitatis gratia, imò ingredientes incidere in excommunicationem Concilio impostam. Et hanc declarationem adducit etiam Hieronymus Rodriq. *in compen. qq. Regular. resol. 26. n. 15.*

An puella destinata ad Religionem possint recipi in Monasteriis Monialium ante annos discretionis?

RESOL. CXXXI.

Pvtat Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 17.* Superiores non posse has puellas recipere, nisi habeant duodecim

annos ætatis, & ita etiam docet Hieronymus Rodriquez in compen. qq. Regular. resol. 27. num. 16.

Sed contrarium tenet Portel in addit. ad dubia Regul. ver. clausula Monialium, §. cuius ætatis, &c. n. 1. vbi sic ait. Dicendum est posse puellas recipi à Superioribus intra claustram, vt suo tempore profiteantur, etiam si sint ætatis infantilis, nondum attingentes vsum rationis, in tertio, vel quarto ætatis anno; ita Portel, qui citat Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 18. n. 34.

An Episcopus viriute Concilij Tridentini sess. 25. c. 14. possit carcerare Regularem notoriè delinquentem, & contra illum processum formare, vt postea remittat Superiori, vt illum puniat?

RESOL. CXXXII.

Respondeo negatiuè, & ita docet Villalobos in sum. tom. 2. tr. 35. diff. 5. n. 5. vbi sic ait. [Estan sujetos los Religiosos à los Obispos quanto ala correccion del Religioso, que mora en Conuento, y comete delito escandaloso, fuera del qual dize el Concilio,] Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiore faciat, sin minus, à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniatur. [Y notese la palabra notoriè, que si no lo es, no podra el Obispo entremeterse en ello, y aunque lo sea, no le hà de poner el Obispo en su carcel, sino remittirle luego al Superior, aunque no haga instancia en ello, como declararon los Cardinales, mas si se temiese fuga del Religioso, puede el ordinario prenderle, y remittirle luego à su Prelado.] Hæc Villalobos.

Verùm Piascius in præxi Episc. part. 2. c. 3. n. 43. tenet posse Regularem in tali casu deduci ad carcerem Episcopi, & sumpta informatione super dicto, dummodo sine mora sumatur, remitti cum copia processus ad suum Superiorem puniendum, cum præfinitione termini ad puniendum. Et hanc opinionem tenet etiam Naldus in sum. ver. Episcopus. n. 28. Barbosa de potest. Episc. part. 3. alleg. 105. n. 19. & Portel in addit. ad dubia Reg. ver. puniio Relig. extra conuentum, num. 17.

Sed in tali casu non posse Episcopum formare processum contra dictum Religiosum, solide probat nouissimè Hieronymus Rodriq. in compen. q. Regular. resol. 62. n. 8. & respondet ad argumenta contraria, & ad declarationes Cardinalium, quas Barbosa adducit, vnde non est recedendum ab hac sententia; & satis in hoc casu contra Portel, & alios potest Episcopus instare, & bene instare, certiore faciendo per suas literas Prælaturam Regularis de notorietate delicti à Religioso ita commissi, vt nulla tergiversatione celari potuisset, ad quod non est necessarius processus iuridicus ab Episcopo formatus, quin ipso iure nullus est defectu iurisdictionis.

An priuilegia Mendicantium sint reuocata per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 12. de Regular. quo ad celebrandum tempore interdicti?

RESOL. CXXXIII.

Affirmatiuè respondet Nauarrus in manuali. cl. 27. n. 190. & Gasias de benef. tom. 1. part. 3. c. 2. n. 278. & ita respondisse sacram Cardinalium Congregationem testatur Armendariz in addit. ad recopil. legum Nauarra, lib. 2. tit. 18. lib. 7. n. 73.

Sed his non obstantibus Henriquez lib. 13. cap. 48. n. 1. Bayrus de cens. lib. 5. cap. 13. n. 24. & 25. Rodriquez in qq.

Regul. tom. 2. q. 112. art. 1. Ioan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 7. dub. 2. concl. 2. & alij asserunt specialia Regularium priuilegia, vt pro suis testis, & aliis certis diebus non seruent interdicta, non esse reuocata per dictum Concilium Tridentinum, & hæc opinio est tenenda; vide rationes apud citatos DD.

An Episcopus habeat iurisdictionem in Regularis exemptos, quando esset in possessione iudicandi illos?

RESOL. CXXXIV.

Videtur respondendum affirmatiuè, nam in tali casu vapparet eos renunciaisse priuilegio exemptionis, & ita tenet Triuisanus lib. 1. decis. 36. n. 2. Capra reg. 84. n. 21. Cucchus in instit. can. lib. 1. tit. 6. n. 6. & seq. cum aliis.

Sed ego contrariam sententiam teneo, quia exemptus sine licentia Summi Pontificis non potest exemptioni etiam expresse renunciare; ergo multo minustacitè, vt est in casu nostro. Et ita fuisse resolutum in vna Vlixiponenfis Monasterij die 19. nouembr. 1625. coram Illust. Cocchino testatur Barbosa de potest. Episc. par. 3. allegat. 105. n. 76. ita nostram sententiam tenet Hieronymus Rodriq. in compen. qq. Regular. resol. 63. n. 13. & alij penes ipsum.

An Regulares extra chorum possint uti Breuiario Romano, vel alterius Religionis?

RESOL. CXXXV.

Regularem qui vtitur proprio Religionis suæ Breuiario, non posse vti Romano extra chorum, docet Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 23. n. 9. Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 11. quest. 1. in fine, & alij.

Sed ego alibi contrariam sententiam docui, & nunc iterum doceo, cum DD. ibi citatis, quibus nunc addo Hieronymum Rodriquez in compen. qq. Regular. resol. 24. n. 34. qui etiam cum Miranda in manual. Prælat. tom. 1. q. 37. art. 13. resoluit posse Minores, & per consequens alios Regulares extra Conuentum recitare cum Monachis aliarum Religionum per sua Breuiaria virtute concessionis Innocentij IV. id indulgentis, & sic v.g. Benedictinus potest recitare Horas canonicas cum Dominicano, si extra Conuentum reperitur cum Breuiario Fratrum Prædicatorum, & dictum priuilegium Innocentij IV. non reuocari per Bullam Pij V. tenent DD. citati, vnde in praxi secura erit eorum sententia.

An Regulares possint mutare Conuentus de loco, v.g. non sano, vel incommodo ad locum saniores, vel commodiores sine licentia Episcopi?

RESOL. CXXXVI.

Quod ad istam mutationem requiratur noua licentia Episcopi, docet Emanuel Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. q. 23. art. 7. & Portel in dubiis Reg. verb. Monasterium, n. 5.

Verùm notandum est, quod Sixtus V. concessit Generali sancti Benedicti, quod in Capitulo Generali de consensu Capituli possit mutare Conuentus de locis incommodis ad loca commodiora, non petita licentia Episcopi, cum cæteris ibi contentis, & id ipsum concessit Sixtus IV. Minoribus. Nec priuilegiis derogatur per Concilium Tridentinum, nam loquitur tantum de noua erectione, & ædificatione domorum, non autem de mutatione. Et hæc omnia docent Miranda in manual. Prælat. tom. 1. q. 33. art. 2. Portel vbi supra n. 7. & in addit. eodem verb. num. 3. & nouissimè post illos Hieronymus Rodriq. in compen. qq. Regular. resol. 55. n. 4.



TRACTATUS TERTIVS.
DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI
LARGIENDA MORIBUNDO
sensibus destituto.



DIFFICILIS est in praxi sæpius occurrens ista quæstio; ideo pro eius explicatione exacta quinque casus considero. Primò, quando moribundus nequit loqui, sed præsentente Sacerdote nutibus absolutionem ab illo quærit. Secundò, quando præsentente eodem Sacerdote, signa tantùm exhibet contritionis, v. g. percutiendo pectus, leuando oculos ad cælum cum suspiriis, &c. Tertiò, quando absente Sacerdote quærit voce, vel nutibus confessionem, vel exhibet tantùm signa contritionis, & illo adueniente astantes testantur de hoc. Quartò, quando testis absens ab infirmo, vt v. g. ante domum in platea, supradicta signa, & petitionem confessionis Confessario manifestat; & tandem, Quintò, quando infirmus sensibus destitutus, nihil petiit, vel nutibus significauit, sed Sacerdos inuenit eum morti proximum: de his igitur casibus seorsim ad maiorem difficultatis elucidationem agemus; ideo quæro primò.

An sit danda absolutio ei, qui nutibus tantùm quærit à Confessario absolutionem?

RESOL. I.

Negatiuè respondent ferè omnes Thomistæ recentiores, viri quidem docti, vt Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. ad 1. Canus relect. de pæn. part. 1. §. at inbarendo. Lopez in instruct. p. 1. c. 18. Conradus in respons. cas. conf. par. 1. q. 10. Medina in sum. part. 2. c. 8. & c. 19 reg. 6. Nugnus, Alvarez, Coquetius, Auila. ubi infra in resol. 3. hanc sententiam docent etiam Grassius part. 1. lib. 1. c. 36. num. 25. Pedraza in sum. c. 7. Angles in 4. p. 1. de Confessione, ar. 2. diff. 10. Abulensis in Math. q. 79. Nauarrus in man. cap. 26. n. 27. cum aliis. Et ratio est primò, quia per talem confessionem non datur notitia Confessori, quam antea non haberet; & ideo colligit Tridentinum sess. 14. c. 5. confessionem in genere non sufficere. Secundò, quia per illam confessionem nihil proponitur absoluendum, cum actiones debeant esse circa particularia; & cum confessio sit actus iudicialis, debet ex consequenti versari circa aliquod particulare. Tertiò, quia vel remittuntur omnia peccata directè, & hoc non; quia cum non fiat confessio omnium, non possunt remitti directè; illa enim hoc modo remittuntur, quæ clauibus subiiciuntur; vel solùm directè peccatum in communi, & hoc non potest, quia peccatum in communi non est remissibile. Quartò, non sufficit voluntas confitendi absque actuali confessione, vt quis à peccatis absoluatur; sicut non sufficit voluntas habendi verum dolorem, sed requiritur, vt re vera detur ipsa confessio, & actualis dolor. Sed in casu proposito solùm datur voluntas confitendi, vt patet. Ergo non erit adhibenda absolutio.

At his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto; quam tuentur Regius in resol. cas. 39. n. 4. Alphonsus de Leone in tr. de officio & potest. confess. tom. 1. recollect. 6. n. 121. Pharaonius de sacram. Pæn. tr. 1. sess. 16. cas. 15. Thomas à Iesu in Tribun. conf. c. 11. §. 10. Ragucius in Lucerna Paroch. tit. de absolut. q. 97. Yribarne in 4. tom. 2. dist. 18. q. vnic. disp. 16. sect. 5. concl. vlt. Corduba lib. 5. de Indulg. q. 39. Suarez tom. 4. disp. 23. sect. 1. n. 5. Salas in p. 2. tr. 8. disp. vnic. sect. 5. n. 56. Turrianus de pæn. q. 9. art. 2. disp. 30. dub. 1. Megala in 1. part. lib. 1. c. 11. n. 8. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. dist. 27. q. vnic. art. 8. concl. 4. Ruardus tom. 1. Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

contra Lutherum, art. 5. post initium. Henriquez lib. 6. c. 10. n. 7. Coninch. de Sacram. disp. 7. dub. 10. n. 97. Reginaldus de prudent. confess. c. 21. part. 2. n. 16. Fernandez in instruct. docum. 4. n. 32. & à fortiori omnes Doctores citandi in tertia resolutione pro secunda opinione.

Et ratio est, quia ex Christi institutione confessio sacramentalis debet esse integra, & tamen necessitas facere potest, vt confessio mutilata sufficiens sit ad obtinendam sacramentalè absolutionem; igitur necessitatem similiter facere posse dicendū est, vt ad eandem obtinendam sufficiat confessio fieri in genere de propriis peccatis, quando ad speciem, & numerum descendere non potest. Ex confirmatur, quia si quis recordetur se peccasse mortaliter, & oblitus est, cuius speciei fuerit illud peccatum, potest, & debet confiteri se peccatum mortale admisisse, cuius nequit in particulari meminisse; igitur in casu proposito pœnitens dat veram materiam; scilicet, veram sui ipsius accusationem, cum ostensione doloris, quantum hic, & nunc dare potest, ex qua Sacerdos in hoc foro cognoscit pœnitentem peccasse, & eum de hoc dolere, & consequenter cognoscit statum pœnitentis, quantum hic, & nunc cognosci potest; quæ omnia absolutè sufficiunt, vt sacramentaliter absolui possit; nam Deus à nobis non requirit aliam confessionem, quam quæ nobis hic, & nunc possibilis est, & ideo hanc sententiam determinant Canones, & Rituale Romanum Pauli V. iussu editum, vt in sequenti resolutione videbimus.

Restat modò respondere ad argumenta superius adducta. Itaque ad primum dico in casu proposito dari notitiam sacramentalem imperfectam quidem, & quæ nulla æstimaretur, si voluntariè omitteretur, quomodo loquutum est Consilium Tridentinum, sed quia aliter fieri non potest, satis est. Ad secundum proponitur absoluenda confessio diuina, vt talis est, & materia proxima est confessio illa particularis, & effectus absolutionis versatur circa personam particularem. Ad tertium, remittitur directè offensio diuina, indirectè singula peccata secundum proprias species, quæ remanent subiicienda clauibus, quod etiam dicendum est in casu obliuionis speciei peccati. Et tandem ad quartum respondeo, hic non dari voluntatem confitendi solùm, sed, vt dictum est, datur materia certa peccatorum, saltem in communi, fundata in voluntate, quum pœnitens manifestauit Confessario confessionem, & absolutionem nutibus postulando. Sed pro coronide huius resolutionis, notandum est hic obiter, & curiosè, moribundum, qui non valet, nisi per signa contritionis, sua peccata confiteri, lucrari Iubilæum, quia hæc est vera confessio sacramentalis, & ita aduersus Grassium in ap. pen. lib. 2. c. 5. n. 11. docet nouissimè Bartholomæus à sancto Fausto in tract. de Iubilæo, lib. 4. q. 4. Verùm ad explicationem secundi casus deueniamus.

An moribundus, qui non audit, nec loqui potest, sed tantùm pugno pectus suum pulsat suspirans oculos in cælum tollit, vel respicit aliquam imaginem, hoc vidente Sacerdote, vel aliis testificantibus, sit absoluendus?

RESOL. II.

Respondent negatiuè Megala in 1. par. lib. 1. c. 11. n. 8. Thomas à Iesu in Tribunali conscient. c. 2. §. 10. in fine.

Ioannes Franciscus Suarez in *enchoridion casu conscientie*, lib. 5. verb. Confessor. fol. 356. §. petens Confessariu. Bonacina de Sacram. disp. 5. §. 5. sect. 2. pun. 2. §. 4. n. 6. & Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 23. sect. 1. num. 11. ubi docent, moribundo in tali casu non lat esse adhibere signa contritionis; sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad clauas, petendo confessionem, seu vocando Sacerdotem, saltem signo, vel nutibus; quod non accidit in casu proposito. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus, affirmatiuam sententiam tenent Zambranus de cas. tempore mortis, c. 4. dub. 2. sect. 4. Pharaonius de sac. Pœnit. tract. 1. sess. 16. cas. 15. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 8. n. 4. eo quod signa pœnitentiae, quæ præsentis mortis periculo ab infirmis eduntur, censeri debeant ad sacramentalem absolutionem directa, cum in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare soleant. Quapropter, licet infirmus in phrenesim lapsus absolui non possit, etiamsi cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundum morem pulsaret, aut sublatis oculis in cœlum dixerit, Misere mei Deus; tamen si talia signa edidit morti vicinus, cum plura verba proferre non possit, præsumptio plerumque fieri potest, quod sacramentalem absolutionem à Sacerdote petierit. Ita Layman.

Et ante illum, hanc sententiam docuerat etiam Ioan. Chapeauilla tract. de Sacramentis ministrandis tempore pœnit. c. 3. q. 11. & quia Codex rarus est, ponam eius verba. Quærit igitur, an Parochi teneantur absolueri infirmos signa contritionis ostendentes? & respondet, teneri absolueri sub conditione; quia (ait ille) in casu extremæ necessitatis, in quo veriamur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis. Et probatur primò, auctoritate D. Augustini serm. 44. Tunditur, inquit, pectus, ut arguatur quod latet in pectore, ut euidenti pultu occultum castigetur peccatum; reddit enim rationem, quare qui audiunt Confiteor, tundunt pectus, scilicet, ut manifestent peccatum, & sic illud castigent. At huiusmodi manifestatio peccati est confessio saltem tacita ad eius remissionem; ergo in illis signis reperitur confessio. Secundò, signa contritionis manifestant contritionem de peccato, quia aliter non essent eius signa. Ergo manifestant peccatum, ut remittatur, contritio enim est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso. Tertiò, quia in illo articulo signa illa fieri non solent, nisi ad manifestationem peccatorum, quæ pungunt conscientiam, & quorum remedium quæritur medicina pœnitentiæ, vult enim existens in illa necessitate declarare signis illis contritionis, quod non potest voce, qua libenter si posset confessionem peteret; nam videmus etiam maximos peccatores, si vel vnicum verbum proferre possint, ardentissime illo tempore efflagitare confessionem.

Nec valet dicere, quod in illis signis contritionis sit inclusa aliqua peccatorum confessio, sed non illa quæ fit Sacerdoti, quæ sola est sacramentalis. Respondeo, etiam Sacerdoti faciendam contineri. Qui enim petit absolutionem verbis expressis, vel signis contritionis, non petit illam à laico, sed ab Ecclesia, & eius ministro, qui habent potestatem absoluendi peccata, atque aded à Sacerdote, & ita idem est petere confessionem, vel absolutionem verbis, vel signis contritionis, ac dicere, Aliquis Sacerdos absoluat me à peccatis, quæ his verbis, vel signis contritionis manifesto in genere, meliori modo quo nunc possum. Hæc omnia Chapeauilla, quæ pij Confessarij mente teneant, & illa in praxim, me consulente, & impellente deducant, absoluendo suprascriptos infirmos sub conditione.

Notandum est tamen hæc obiter ex suprascriptis, Sacerdotem, qui sano corpore nihil de mortis periculo suspicans Missam inchoasset, & in fine introitus decidisset mortuus, non posse à peccatis absolui, licet generalem confessionem fecisset ad Deum coram ministro, & Ecclesia; quia illa confessio non fuit sacramentalis, neque directa ad accipiendam absolutionem in foro pœnitentiæ. Ita Layman ubi supra. Contrarium tamè dicendum est de

illo, qui significans se cupere confiteri, ideoque ad genua Sacerdotis accedens, lubitò apoplexia tãgitur, antequam aliud verbum proferat; talem enim instante mortis periculo absoluendum esse non dubito; quia in ordine ad confessionem sacramentalem dedit generalia signa, quibus ostendit se peccasse, & de eo dolere. Ita Coninch. in responsione pro absolute moribundi, n. 16. quidquid dicat Coquetius in dissertat. de absolute per literas, c. 7. n. 21.

An sit absoluendus moribundus, si exhibeat suprascripta signa. Sed dubitatur an sint orta ex contritione, vel ex angustia mortis?

RESOL. III.

Respondeo affirmatiuè cum Sancio in selectis, disp. 44. n. 35. in fine, ubi sic ait, Sub conditione impertienda est absolutio; quando ambiguitas intercedet, num signa sint ex dolore orta, vel ex angore, & angustia mortis, cum prodesset possit infirmo, & non obesse Sacramento; vitatur namque sacrilegij periculum conditione appositæ. sic ille: & ita etiam docet Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 8. n. 4. ubi hoc pacto allert. Si consideratis circumstantiis, & examinatis his, coram quibus talia signa edita sunt, res dubia esse videatur; absolutio tamen conferri poterit sub conditione, si talis materia confessionis sufficiens sit ad absolutionis ministrationem.

An Confessarius possit absolueri moribundum, qui in eius absentia confessionem petuit; vel signa pœnitentiæ fecit, aliquo hoc testante?

RESOL. IV.

Negatiuè respondent à fortiori Doctores citati in res. ol. 1. in principio, & nouissime docent hanc sententiam Petrus Fay de sacram. Pœnit. in addit. ad 3. part. D. Thomæ, q. 9. art. 3. disp. 3. ad 9. argum. Franciscus Coquetius dissertat. de confessione per literas, c. 7. n. 21. Didacus Alvarez in part. 2. D. Thomæ, q. 19. art. 6. disp. 80 per totam. Lauorius tract. de indulgen. part. 2. c. 10. num. 130. & hanc sententiam ex Theologis Societatis IESV, tenet nouissime Turrianus de pœnit. q. 9. art. 2. disp. 32. dub. 7. & ex nostra Religione Alphonsus de Leone tract. de officio, & potest. Confessarij. tom. 1. recollect. 6. n. 123.

Probatur primò, quia confessio facta Sacerdoti, & aculatio propria propriorum peccatorum, est materia essentialis, & proxima sacramenti Pœnitentiæ; sed in nostro casu moribundus cum vocauit Sacerdotem, vel signa contritionis effecit, nullam dedit materiam Confessario, (quia erat absens,) quamuis adstantibus dederit. Ergo absoluendus non est ex defectu materiæ, & Sacerdotis. Confirmatur, quia, ut infra videbitur, Clemens VIII. damnauit confessionem factam absente Sacerdote, sed talis est confessio, de qua loquimur. Ergo, &c.

Secundò, Canones qui contra hanc sententiam adducuntur, intelligendi sunt, ut vult glossa in c. 8. caus. 26. q. 6. de absolute à censuris, quæ dari potest etiam inuitis; non verò de absolute sacramentali confessionis, de qua loquimur.

Tertiò, Rituale, seu Manuale Romanum, quod adducitur, est à Doctore confectum, & illius auctoritatem non excedit, neque consensus Pontificis, aut iussio, quæ conscriptum fuit, & euulgatum, confert aliquod pondus rebus, quæ in eo præscribuntur, quia non præcessit serium, aut sufficiens Theologorum examen.

Quartò, ad literas Bellarmini, & Episcopi Armacani afferentium mentem Clemens VIII. dicendum est de illis authenticè non constare, & si constat authenticè, dicunt Pontificem respondisse ut priuatum Doctorem, & sic in casu alio ad quandam Pontificiam responsionem, respondet Henriquez lib. 14. cap. 3. n. 4. in glossa litera P. Suarez tom. 3. quest. 66. art. 6. disp. 21. sect. 3. Valentia tom. 4. disp. 4. quest. 1. pœnit. 3. Sotus in 4. sent. dist. 3. quest.

quæst. unica, art. 6. Canus *de locis theol. lib. 6. cap. 8.* Cathanus *contra Caietanum lib. 5. cap. 3.* Vega *in Concil. Trident. lib. 9. c. 4. & 5.* Bellarminus *tom. 1. de Romano Pontif. lib. 4. cap. 12. & alij.* Et hæc sunt præcipua argumenta, quæ pro eorum firmanda sententia, adducunt Coquetius, Fay, & alij *vbi supra.*

Sed ego prorsus aduersus illos affirmatiuam sententiam tenendam esse puto; quam nobiscum tenet Angelicus Doctor. D. Thomas *opuscul. 65. §. de extrema vñct. vbi sub fine* ita ait. Si autem infirmus, qui petit vñctionem, amisit noticiam, vel loquelam, antequam Sacerdos adueniat, quia in tali casu (quo scilicet aut Baptismum, aut absolutionem simili ratione petiisset, iuxta dicenda à nobis) debet etiam baptizari, & à peccatis absolui. Ita ille; & nescio quomodo clarius nostram sententiam docere potuisset; aut qua ratione eius verba in alium sensum, vel apparenter detorqueri possent. Idem etiam docet ex discipulis D. Thomæ doctus Pater Io. de la Cruz *in directorio conscientia, pa. 2. de sacrament. Pœnit. quæst. 3. dub. 8. conclus. 2.* & hæc opinio est communis in schola Patrum Societatis Iesu, & illam tenent Maldonatus *in summula casuum conscientia, quæst. 19 ar. 14.* Vasquez *in 3. part. tom. 4. quæst. 91. artic. 2. dub. 1. num. 4. & 5. & in part. 2. disp. 62 c. 7. n. 40.* Suarez *tom. 4. disput. 23. sect. 1. §. de eo qui confessionem petit.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1.* Coninch. *de Sacram. disp. 7. dub. 10. n. 99.* Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 8. & p. 3. num. 28.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. c. 5. num. 12.* Fagundez *præcept. 2. lib. 3. c. 1. n. 16.* Toletus *lib. 3. cap. 8. n. 2.* Becanus *de Sacram. cap. 36. quæst. 2. n. 2.* Fernandez *in instruct. Sacer. docum. 4. n. 32.* Emanuel Sà *ver. absolutio, n. 10.* Henriquez *lib. 5. c. 2. n. 7. & lib. 6. c. 30. num. 7.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4. & alij.* Idem docent ex nostra Religione Naldus *in summa, ver. infirmus, num. 8.* Megala *in 1. part. lib. 1. cap. 11. num. 8.* Molfesius *in summa. tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 4. & alij.* Et tandem, præter citatos Doctores, docent etiam hanc sententiam Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 25. num. 8.* Thomas Iesu *in Tribunali conscient. cap. 11. §. 10.* Chapeanila *tract. de Sacram. tempore pestis, cap. 3. quæst. 30.* Zambranus *de cas. tempor. mor. c. 4. dub. 2. per totum.* Pharaonius *de sacram. Pœn. tract. 1. sess. 16. cas. 16.* Corduba *in questionario lib. 3. quæst. 39.* Medina *tract. 2. de confessione, quæst. 39.* Pitigianus *in 4. sent. tom. 2. disput. 17. quæst. unica, art. 8. conclus. 4. & 5.* Syluius *in addit. ad 3. p. D. Thomæ, quæst. 9. art. 2. quæritur 4. cas. 2.* Montefinus *in p. 2. D. Thomæ, disp. 29. quæst. 5. n. 176.* Ludouicus de San Iuan *in summa, tom. 1. tract. de Pœnit. quæst. 5. art. 19. dub. 6.* Coriolanus *de casib. refer. p. 1. tract. 9. difficut. 37. num. 6.* Bellochius *in praxi Theol. mor. part. 1. q. 2. num. 112.* Antonius de Literatis *in summa. part. 1. c. 35. n. 7. & alij penes ipsos.*

Probat primò hæc opinio ex auctoritate Conciliorum, nam in Arausicano I. c. 12. sic habetur. Subitò obmutescens, prout statutum est, pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu, & hic canon citatur *in cap. qui recedunt 26. quæst. 6.* Idem habetur in Concilio Carthaginensi IV. c. 76. cit. *in c. 8. eadem causa, & q. & in Concilio Carthaginensi III. citato in c. agrotantes, de consecr. dist. 4. & Sanctus Leo Papa Epist. 89. hoc clarè determinat; quod postea in Rituali Romano constitutum fuit, vbi sic habetur. Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat; nutibus, & signis conetur (scilicet Sacerdos) quoad eius fieri potest peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est. Sic Romanum Rituale editum anno 1615. de quo paulò infra.*

Probat secundò rationibus; quia talis moribundus, eo quòd ostendit se dolere de peccatis cum signis contritionis, vel etiam petit Sacerdotem, à quo absoluat, fatetur se peccasse, petitque vt adstantes, tanquam suæ

voluntatis interpretes, id Sacerdoti præsentem denuntient, ab eoque absolutionem pro se petant; casu quo id per se facere non possit; ergo dum hi id faciunt, ipse per eos, tanquam per suos interpretes, præsentem Sacerdoti confitetur. Igitur in tali casu infirmus, qui ostendit, & habet, & indicat præsentem & absolutam voluntatem confitendi, confessionem de facto moraliter inchoare censetur; præsentia autem Sacerdotis, postea aduenientis, coram quo qui ante præsentem fuerant, moribundi voluntatem, ac desiderium testantur, ac tanquam horum interpretes Sacerdoti explicant, non solum vt aduersarij obiciunt, est merè materialis, & quasi per accidens, sed etiam verè humana, & formalis; quia ipse ex auditis, & visis humano modo, quantum potest in tali casu fieri, iudicat de statu pœnitentis; & ideo nostram sententiam tenuit Clemens VIII. qui interrogatus, an moribundus in casu, de quo loquimur, deberet sacramentaliter absolui; respondit debere absolui, & se eum absoluturum, eumque casum suo decreto nullo modo comprehendendi.

Restat modò respondere ad argumenta contraria. Et ad primò patet responsio ex dictis; quia in tali casu, vt supra diximus, cum talis ostendat exterius se dolere de peccatis, ac velle confiteri, petatque in hunc finem Sacerdotem accersiri, generatim iam incipit confiteri, simili ferè modo atque is, qui per interpretem confitetur, dum huic sua peccata dicit, vt Sacerdoti, deinde ea explicet; quare dum adstantes postea Sacerdoti præsentem pœnitentiam, & desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius confessionem Sacerdoti exponunt, atque ipse per hoc Sacerdoti iam præsentem confitetur, atque ita sufficientem materiam absolutionis præbet. Vnde patet responsio ad Decretum Clem. VIII. nam in nostro casu negamus confessionem omninò absenti fieri, vt notat Syluius *in 3. part. q. 9. art. 3. concl. 4.* Fagundez Coninch, & alij *vbi supra.*

Ad secundum argumentum, quòd Canones adducti, vt vult glossa *in cap. 8. caus. 26. quæst. 6.* loquantur solum de absolutione à censuris, gratis dicitur, quia primò ibi nulla fit mentio censurarum, sed loquantur generatim de omnibus, qui ex infirmitate subitò obmutescunt, qui non nisi temerè possunt generatim præsumi esse censuris ligati. Secundò Canones illi comparant hanc reconciliationem cum Baptismo; ergo loquantur de vero Sacramento. Tertio loquantur de reconciliatione, quæ requiritur ante sumptionem Eucharistiæ, quæ respectu eorum, de quibus dubitatur, an sint in peccato mortali, debet fieri per susceptionem sacramenti Pœnitentiæ. Quartò, quia si in hoc ita Cõcilia, & Patres interpretamur, nescio quo pacto ex illis sacramentum Pœnitentiæ probauimus.

Ad tertium argumentum de Romano Rituali respondet fusè Coninch *in responsione contra Coquetium, n. 38.* vbi probat ex Bulla Pauli V. illi Rituali præfixa, fuisse editum cum consultatione Cardinalium, & ex auctoritate Apostolica typis produisse.

Ad quartum argumentum de responsione Clem. VIII. facta 1608. die 16. Aprilis, adducit eius exemplar Coninch. *vbi supra post n. 61.* ex Epistola illi data ab Archiepiscopo Armacano sub die 6. Iunij anno 1624. Et quaniuis Pontifex, priuatim interrogatus, hoc responsum dederit, nec per id, vt Pontifex aliquid, cui omnes teneantur assentiri, definire intenderit; firmiter tamen probat id quod eo probare præcipuè intendimus, scilicet illum casum ipsius decreto nullo modo comprehendendi, ipse enim optimè mentem suam, quid in illo suo decreto damnare intenderit, scire potuit. Igitur remanet satis firmata nostra sententia ex auctoritate Conciliorum, Canonum, responsionum Pontificum, & ex validissimis rationibus, quas tot Doctores afferunt, & sequuntur; vnde valde miror Coquetium *vbi supra in dissertat. de confessione per litteras c. 11. n. 40.* docuisse illam in praxi non esse probabilem; sed pro explicatione huius sententiæ aliud dubium erit etiam explicandum. Quæritur igitur.

Quot testes in supradicto casu debeant testari Confessario de signis contritionis moribundi, vel quod confessionem petierit?

R E S O L . V.

Videtur prima facie respondendum, plures testes necessarios esse ex Concilio Carthaginensi IV. c. 76. & ex c. 15. quest. 26. q. 6. ibi. *dent testimonium, qui eum audierunt*, & ex consilio Arausicano l. c. 12 & ex cap. qui recedunt 26. q. 6. ibi, *testimonium aliorum verbis habet*; & ex Leone Papa Epist. 89. ibi, *testimonia ex fidelium circumstantium*, in quibus Concilia (vt patet) in numero plurali loquuntur. Ergo, &c.

Sed in tali casu sufficere vnum testem, docet Sancius in *selectis disp.* 44. n. 35. qui citat pro hac sententia Raymondum, & Grassium, & quidem Felinus in c. *veniens* el. 1. num. 8. de *testibus*, tenet standum fore dicto vnus testis, vbi non agitur de preiudicio alterius, modo iuret. Sed iurare in nostro casu necessarium non est, quia maximè impium esset mentiri. Nec oportebit testem esse Christianum, aut infidelem, aut hereticum, de his enim præsumi non potest affirmare quod falsum est, vt fiat Sacramentum; præsumendum tamen esset è contra, non testaturos signa pœnitentiæ esse tradita, ne ministretur Sacramentum verum; adhuc in hoc euentu, puto Sacramentum ministrandum sub conditione, scilicet, Si verum est, te signa pœnitentiæ ostendisse, absoluo te à peccatis. Et hæc omnia Sancius, & ante illum Zambranus de *Sacram. tempore mortis* c. 4. dub. 2. & Reginaldus in *praxi* tom. 1. lib. 8. cap. 3. num. 8. Sed ponam hæc aliud dubium.

An quem paulò ante in periculo mortis Confessarius audierat, & non absoluerat, si postea superueniens inuenit adhuc viuum, sed amisisse sensum, possit illum absolueret?

R E S O L . VI.

Affirmatiuè respondet Ioannes Chapeauilla tract. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, c. 3. q. 13. Zambranus de *cas. tempore mortis* cap. 4. dub. 2. sect. 7. num. 41. dummodò non constet talem voluntatem pœnitendi mutasse; quia ponitur dispositio sufficiens ad suscipiendam absolutionem, & reperitur confessio non tantum in genere, sed etiam in specie. Ergo, &c.

Nec valet dicere, quòd potest contingere infirmum pœnitentem interim mutasse voluntatem confitendi; nam respondeo cum Chapeauilla vbi supra quest. 12. quòd ferè impossibile est, vt quis existens in articulo mortis, & desiderans confiteri, mutet ita citò voluntatem. Secundò circumstantes, qui adfuerunt, possunt testificari, an viderint signa mutationis voluntatis illius. Et tertio quia idem inconueniens potest sæpius contingere in matrimonio contracto per procuratorem; quòd tamen est in vsu Ecclesiæ, & verum Sacramentum. Ergo, &c. Sed quartum dubium principale explicandum videtur; vnde quero.

Quis non coram infirmo, sed statim in eius absentia manifestauit Confessario illum petiisse confessionem, vel signa contritionis ostendisse; queritur, an si Sacerdos illum viuum adhuc inueniat, possit sacramentaliter absolueret?

R E S O L . VII.

Affirmatiua sententia potest hoc argumento suaderi, quia in hoc casu, licet illa confessio sit facta absente Sacerdote per nuntium, tamen postea absolutio non datur in absentia, sed in presentia pœnitentis, ergo

licita, & valida erit. Et ita hanc opinionem tenent Henriquez lib. 5. c. 2. num. 7. & Valentia tom. 4. disp. 7. quest. 11. punct. 1. vbi sic asserit, quòd ipsa confessio possit fieri per nuntium, aut litteras Sacerdoti, dummodo ipse Sacerdos non nisi presentem postea absoluat, omnino est probabile; vt v.g. si æger aliquis absentem Sacerdotem per litteras, aut per nuntium accersat, ac timens futurum, vt morbo postea oppressus, confiteri illi in presentia non possit per easdem litteras, vel nuntium ipsi confiteatur, vt adueniens demum Sacerdos se quantumuis morbo aggrauatum absoluat. Hæc Valentia, quæ omnia accidunt in casu nostro. Ergo, &c.

Nec aduersus hanc doctrinam fecit decretum Clementis VIII. editum die 20. Iunij 1602. in quo damnatur tamquam falsa, temeraria, & scandalosa ista propositio, scilicet, licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Nam respondent aliqui hanc propositionem non ita à Pontifice damnari, vt vtrumque eius membrum censura notetur; ac proinde supradictam declarationem volunt intelligendam esse in sensu copulatiuo, seu complexiui, non autem in sensu diuisiui; fundatur hæc interpretatio in tribus. Primò in particula &, quæ vtrumque membrum coniungit, & parit sensum complexiuum; nam si diuisiue loqui voluisset Pontifex, potius id explicasset per particulam *vel*. Secundò, quia pontifex vtitur signo demonstratiui singulari, dicens hanc propositionem, quòd propriè denotat hypotheticam, damnari per modum vnus. Tertio, quia inter Theologos tunc quando emanauit illud decretum, non erat quæstio de sensu diuisiui, sed de complexiui tantum; ergo solum censendum est Pontificem declarare id, de quo erat controuersia.

Et ita explicationem huius decreti modo quo supra, esse probabilem putat Beccanus de *Sacramentis*, cap. 37. quest. 8. nam contrariam vocat tantum tutiorem; vnde sic explanant hoc decretum Filliucius in tom. 1. tract. 7. cap. 1. num. 20. & Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 9. diff. 37. n. 6.* vbi sic asserit. [Ala declaracion de Clement. VIII. se puede responder que ali ambas cosas juntas incluye confession y absolution en ausencia; ya que no las ay juntas, que està presente el Sacerdote, quando absolue, y mas que alli, no determina el Papa que la confession echa en ausencia no es valida, sino solo dize que es illicita.] Ita ille. Et hoc vltimum, nempe Clementem VIII. in illo decreto non determinasse confessionem factam absente Sacerdote esse inuvalidam, sed illicitam, docet etiam Coninch. in responsione contra Coquetium impugnantem absolutionem moribundi, n. 27. & 28.

Igitur ex supradictis videtur dicendum, posse Sacerdotem absolueret moribundum sensibus destitutum, si testes de signis eius contritionis non coram infirmo testimonium ferant, dummodo Sacerdos postea, presente infirmo illi sacramentalem absolutionem tribuat. Et hanc sententiam tenent Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 5. n. 122. Bonacina de *Sacram. disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. num. 10.* Fernandez in *exam. resol. mor. part. 3. c. 7. §. 6. num. 50.* & Zambranus de *cas. tempore mortis*, cap. 4. dub. 2. sect. 5. num. 31. qui asserit confessionem absente Sacerdote esse validam tempore mortis, quando aliter fieri non potest, non obstante decreto Clem. VIII. vide etiam Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 7. cap. 3. num. 9. in fine.* Possesium de *officio curati* cap. 7. num. 88. Villalobos vbi supra, & alios.

Nec contra hanc sententiam abijt D. Leo Epist. 89. ibi, *testimonio ei fidelium circumstantium prodesse debent*. vbi videtur docere testes in hoc casu in presentia infirmi testimonium ferre debere; nam aliquis posset respondere, Pontificem dixisse, quia id frequentius solet euenire, nempe vt Confessarius superueniat, vbi est moribundus cum alijs, qui postea illi testimonium ferant vocatum à moribundo Confessarium, &c. Vnde in Concilio

eilio Arauficano VII. c. 12. & in Carthaginenfi IV. c. 76. dicitur absolute sufficere Confessario ad absoluendum sacramentaliter infirmum, si testes dent testimonium de voluntate ipsius; ergo, &c.

Hæc opinio videtur mihi probabilis, & nouissimè in terminis, vt asserunt, terminantibus iterum illam tenet Bonacina tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 33. num. 4. vbi asserit, posse absolui pœnitentem, qui accersit Confessarium per nuncium, & adueniente Confessario ita obmutuit, & ita sensibus destitutus est, vt nullum peccatum exprimere, aut doloris signum exhibere possit, nullusque tunc adsit, qui petitionis confessionis fidem faciat, & ita Romæ sensisse multos DD. testatur. Et ita sentiunt multi viri docti Societatis Iesu, & nostræ Religionis.

Sed negatiuam sententiam ego teneo; quia puto esse de necessitate Sacramentalis Confessionis, vt efficiatur in præsentia Sacerdotis; vt tenent ferè omnes Doctores ex Dominicanorum familia, & Societate Iesu *locis citatis*, & illi quos ad fatietatem adducit Franciscus Auila in *dissertatione de confessione per literas cap. 2. per totum*. Confessio enim est actus personalis, vt & absolutio; ergo sicut Confessarius non potest absoluerè in absentia, ita & pœnitens non potest confiteri nisi illo præsentem; vnde Clemens VIII. quidquid asserat Villalobos & Filiucius *vbi supra*, in illo decreto, non solum damnauit absolutionem absente pœnitente, sed confessionem absente Confessario: & ita verba illa Clementis accipienda esse in sensu diuisiuo, & non complexiuo, docet Seraphinus Freitas in *addit. ad tract. de confess. sollicit. quæst. 13. num. 31*. Alphonsus de Leone *tract. de offic. & potest. Confess. tom. 1. recollect. 6. num. 123*. Turrianus *de pœn. quæst. 9. art. 2. disp. 32. dub. 4*. Fagundez *præc. 2. lib. 2. cap. 10. num. 5*. Coquetius in *dissertatione de confessione per literas, cap. 5. n. 15*. Alvarez in *p. 2. D. Thomæ. q. 19. art. 6. disp. 80. in appendice num. 34. & sequent.* Petrus Fay *de pœn. in adit. ad 3. p. q. 9. art. 3. disp. 3*. Pitigianus in *4. sent. tom. 2. dist. 17. q. unica, art. 8. concl. 2*. Nugnus in *3. part. tom. 2. quæst. 9. a. 3. diffic. 2. constit. 2*. Franciscus Auila in *dissertat. de confess. per literas c. 9*. Ioannes Chapeauilla *tract. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, quæst. 30* Syluius in *3. p. q. 9. art. 3. post. concl. 4*. qui ex Cardinali Bellarmino testatur Clemem. VIII. intellexisse suum decretum in sensu diuisiuo, quod postea die 14. Iulij 1605. declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, cuius verba asserunt Coquetius, & Fay, *vbi supra*.

Igitur ex supradictis apparet, negatiuè respondendum esse ad calum propositum in præsentem resolutione, nam moribundus confiteretur per nuncium absente Sacerdote, quæ confessio est damnata per dictum decretum Clem. VIII. quod non accidit in casu resol. 3. Videlicet, quando Confessarius inuenit moribundum sensibus destitutum, & adstantes testificantur illum confessionem petiisse, vel signa contritionis exhibuisse; nam (*vt supra dictum est*) dum tales adstantes Sacerdoti præsentem pœnitentiam, & desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius confessionem Sacerdoti exponunt, atque ipse per hos Sacerdoti præsentem confitetur; quod non potest dici in casu, de quo loquimur. nam testes exponunt Sacerdoti pœnitentiam moribundi, ipso absente; ergo est confessio facta per nuncium in absentia, quæ à Pontifice iam damnata, & improbata est; ergo, &c.

Notandum est etiam hic contra Coninch, & Villalobos *vbi supra*, Clemem. VIII. in supradicto decreto non solum confessionem absenti factam, & absolutionem absenti datam declarasse illicitam, sed etiam inualidam, & nullam. Et ita præter Pitigianum, Nugnum, Auilam, Coquetium, Alvarez, Fagundez *vbi supra*, docent etiam Io. de la Cruz in *direct. p. 2. de sacram. Pœn. quæst. 3. dub. 7. concl. 3*. Fabrus *de Pœn. 4. sent. dist. 17. quæst. unica disp. 29. c. 1. n. 19*. & Franciscus Auila in *dissertat. de confessione per li-*

teras cap. 9. sed ad vltimum dubium principale, curiosum, & difficile deueniamus.

An Confessarius possit absoluerè sub conditione moribundum sensibus destitutum, qui neque petiit confessionem, nec vllum signum contritionis edidit?

R E S O L. VIII.

Affirmatiuam sententiam (attendas quæso amice lector) docet Homobonus in *examine Ecclesiæ p. 1. tract. 7. cap. 18. quæst. 84*. vbi sic asserit. Prudenter aget Parochus, si fauorabiliori illi opinioni adhæreat, quæ sentit absolutionis beneficium moribundo impendi posse, etiam si nullum confessus sit peccatum, nec Confessarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel attritionis argui possit; modò talis in mortis articulo constitutus, Christiano more viuere soleret, & bonus ac fidelis homo æstimaretur. Quod quidem placitum in praxi referunt amplexum fuisse Clement. VIII. Pontificem Maximum, ac prudentissimum virum; cum enim quidam ex fabrica D. Petri præcepit ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem ei dedit, dicens, Si es capax absoluo te à peccatis tuis. Quæ sententia illa sanè ratione confirmatur, quòd in necessariis ad salutem tutior pars est amplectenda, & certiori periculo occurrendum est; & irreuerentiam Sacramenti, vel Sacrilegij periculum, tum conditione apposita, tum auctoritate Doctorum, hanc opinionem tuentium, cessare dicitur. Ita ille.

Et ante illum Molfesius in *sum. tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 48. & 49*. qui notat hanc sententiam tenuisse ex nostra Religione Patrem D. Gabrielem Lottherium, virum doctissimum, Patrem Salmeronem Societatis IESV, & Patrem Lupum Capuccinum; & confirmat hanc opinionem his rationibus; quia in tali casu potest esse (prout in dubio præsumitur) vt quis sit memor salutis æternæ, & interiùs habeat aliquam efficacem attritionem, qua rectè dispositus sit recipere sacramentalem absolutionem, & de attrito fieri contritus. Nec vrget dicere, quòd multoties qui ex insperato loquelam amittunt, non solent habere peccatorum attritionem, quia præoccupati timore mortis, ad alia non aduertunt. Nam respondetur, in his viris frequentius accidere, vt cogitent de peccatis suis, vt experientia docet, & leges adaptantur ad ea, quæ frequentius, non autem quæ rarò accidunt. Sic Molfesius.

Hanc etiam sententiam docet Antonius de Litteratis in *summa edita Romæ cum approbatione Magistri Sacri Palatii anno 1611. parte 1. capite 35. numero 7*. & quod maius est, hanc opinionem non solum approbavit Gregorius XV. Pontifex Maximus quando erat Archiepiscopus Bononiensis in *memoriali Confess. cap. 1. de forma sacrament. Pœnit. num. 16. folio 215*. edito Bononiæ apud Ioannem Baptistam Bidellum anno 1623. sed etiam tenuit, debere Sacerdotes illam in praxim deducere; sic enim ibi asserit. Licet absoluerè moribundum, etiam si nullum pœnitentiæ signum det in præsentia Confessarij, si tamen aliquis testetur eum ostendisse confitendi desiderium; ita docet Rituale Pauli V. immo addit Sacerdotale Romanum pagina 624. ex doctrina Diui Antonini, posse etiam absolui moribundum assuetum frequentare confessionem, quamuis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit. Neque solum potest Confessarius in his duobus casibus absoluerè, sed etiam debet, quia contingere potest moribundum esse tantum attritum; vnde damnetur; nisi absoluat. Ita ille.

Vnde ego, saltem ex principio extrinseco puto, hanc sententiam probabilem esse, & ita illam tenent aliqui Patres Societatis IESV, & nostræ Religionis, & dici potest, quòd in hoc casu adest aliquo modo materia, quæ

quæ per testificationem, & famam probitatis dicti moribundi efficitur præfens; probus enim vir supponitur omni die actus contritionis, & signa doloris elicere. Ergo, &c.

Verùm his non obstantibus sententiam negatiuam ege teneo, quam tuetur Henriquez *lib. 3. de pœn. cap. 10. n. 9.* vbi sic ait. Si infirmus amisso rationis iudicio, nullum præbet, nec paulo antea dederat peccati, & pœnitentiæ signum, nullo modo est absoluentus à peccatis, in quo quidem rudiores Sacerdotes errant. Sic ille, & post illum Petrus Fay *de pœn. in addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 2. disp. 2.* ita asserens. Neutiquam absolui potest, qui subito in supremum vitæ incidit discrimen, neque coram Sacerdote exprimere peccatum vllum potest, aut signis aliquibus dolorem peccatorum, & volitionem confitendi patefacere; licet contrarium indifereitè, & ignoranter satis, ac sine vilo profus, vel apparente fundamento à variis Sacerdotibus practicetur. Sic Fay, & hanc sententiam nouissimè mordicus tenet Episcopus Ioannes Mallerus vir doctissimus *in tract. de sigillo confess. cap. 15.* Alphonsus de Leone *tract. de offic. & potest. confess. tom. 1. rec. col. 6. n. 13.* Naldus *in sum. ver. confess. num. 32.* cum aliis communi er. Et Ratio est, quia absolutio ex Concilio Trid. *sess. 14. c. 9.* est actus iudicialis, sed iudicium non exercetur, vbi accusatio nulla est; ergo.

Nec valet dicere cum Homobono, & Molfesio *vbi supra*, quòd moribundus in tali casu forsitan interiùs habebit attritionem; nam respondeo cum Zambrano *de cas. occurrentibus tempore mortis, cap. 4. dub. 2. sect. 8. n. 46.* & cum omnibus Theologis, attritionem, vel contritionem interiorem non esse confessionem, sed signa externa contritionis esse confessionem peccati in genere; nam materia Sacramentorum debet esse sensibilis, quæ non adest in casu nostro; ergo nullo pacto adhibenda erit absolutio.

Firmat etiam hanc sententiam Concil. Arausic. *l. c. 12.* vbi sic habetur Subito obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu; vide quomodo Concilium requirat materiam sensibilem, quam etiam postulat Concilium Carthaginense *II. c. 34. & IV. c. 76.* cum Decretali Leonis I. ad Theodorum Forioliensem, quæst. est epist. 91. vnde apparet, semper in Ecclesia cautum fuisse, ne moribundus absolueretur, qui aliqua signa non dedisset, per quæ aliqua confessio, & accusatio haberi censeatur; & ideo Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 12. num. 4.* sic ait Patres & Doctores non aliter permittunt Pœnitentiæ sacramentum moribundo obmutescenti ministrari, nisi antea sacramentalem absolutionem verbis, aut signis petiuerit. Ita ille cum Reginaldo *tom. 1. lib. 8. cap. 3. n. 25.* Turriano *de pœn. q. 9. art. 2. disp. 30. dub. 1. ad 3. argum.* Bellocchio *de cas. refer. p. 1. q. 2. num. 116.* Pirigiano *in 4. sent. tom. 2. dist. 17. q. unica, ar. 8. concl. 3.* Yribarne *in 4. sent. tom. 2. dist. 18. q. unica, disp. 16. sect. 5.* Valquez *in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. n. 1.* & aliis.

Nec vrget, quòd cum talis moribundus benè vixerit, præsumitur habere confitendi voluntatem; nam respondetur, quòd Concilium Tridentinum, & Florentinum asserunt materiam huius Sacramenti esse actus pœnitentis; ergo non sufficit voluntas confitendi, sed oportet confessionem esse actualem; saltem in nutu, aut vocatione Confessarij.

Et sic satis explicata sunt quinque dubia, quæ in principio Tractatus discutienda proposuimus; placitis DD. circa præsentè quæstionem innixa. Restat modò inquirere.

An Confessarius non solum possit, sed etiam teneatur adhibere absolutionem in casibus supradictis?

RESOL. IX.

Respondeo affirmatiuè, & ita docent Regius *in resol. cas. conf. cas. 39. n. 16.* Turrianus *de pœn. quæst. 9. art. 2.*

disp. 30. dub. 1. Suarez *tom. 4. disp. 23. sect. 1. n. 15.* Megala *in 1. p. lib. 1. c. 11. n. 8.* Io. de la Cruz *in direct. p. 2. de sacram. Pœn. q. 3. dub. 8. concl. 2.* Coninch *de Sacram. disp. 7. dub. 10. n. 106.* Memoriale Greg. XV. *de forma sacram. Pœn. c. 1. n. 17.* Fillucius *tom. 1. tract. 7. c. 15. n. 123.* Syluius *in 3. p. q. 9. art. 2. quæritur. 4.* Valquez *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. n. 38.* & alij, quia cum hoc licite possit facere, vel ex charitate, vel ex iustitia (si pius pastor est) ad hoc obligatur: quod etiam verum est respectu eorum, qui contrariam sententiam tenent; quia cum hanc sententiam possint in praxi turò sequi propter suam probabilitatem, idque sit saluti moribundi valde expediens, aut etiam necessarium si solum sit attritus, ad hoc, vt diximus, vel ex charitate, vel ex iustitia tenentur. Igitur Sacerdotes nolentes moribundum in tali casu absoluerè, rectè Valquez *vbi supra* vocat reos, & necatores animarum.

Non delinam tamen etiam hic apponere sententiam Montefini *in part. 2. disp. 26. quæst. 5. num. 245.* & Ioannis Sancij *in selectis, disp. 44. num. 35.* vbi sic ait. Aduertendum quòd licet opinio negans, posse per nutus, & signa pœnitentem in extremis constitutum absolui, ne videlicet irritum fiat Sacramentum, sit in fauorem Sacramenti, & opinio affirmans, absolui posse, sit in fauorem suscipientis; ex dictis duabus opinionibus semper eligenda est illa, quæ fauet pœnitenti, cum Sacramenta instituta sint vt medicinæ suscipientium, vnde Sacramentum iuri suo cedit, vt ita dicam, & periculo irritationis exponi non ægrè fert, eò quòd salus spiritualis proximi magis tuta relinquitur suscepto Sacramento, quam si illud non ministraretur, & vbi violatio charitatis imminet, aut Religionis, charitas amplectenda est, & hæc violaretur non administrando Sacramentum infirmo indigenti, ex administratione verò solum violaretur Religio. Ita Sancius.

Igitur cum aliquis perplexus est inter duo præcepta simul occurrentia, strictius erit adimplendum; sed cum magis obliget charitas, quam Religio; ergo in casu nostro tenetur Confessarius potius adhibere absolutionem in fauorem pœnitentis, quam illam denegare in reuerentiam Sacramenti; sed melius dicendum est, quòd in tali casu Confessarius administrando Sacramentum cum opinione probabili, nullam illi iniuriam infert; ergo tenetur ratione charitatis erga proximum ei illud administrare.

An quando Confessarius ex opinione probabili absoluit moribundum, possit absolutionem præbere ei sine conditione?

RESOL. X:

Communitè Doctores asserunt absolutionem in tali casu dandam esse sub conditione; verùm Valquez *in 3. par. tom. 4. quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 39.* in casuposito *suprà in resol. 1.* putat conditionem illam esse superuacaneam, & hanc sententiam docet etiam Sancius *in selectis, disp. 44. num. 32.* vbi ita ait. Sequens opinionem, posse videlicet per signa absolui pœnitentem, non tenebitur sub conditione absoluerè; nam ille, qui agens aliquam actionem, iudicat se non delinquere, absolute potest illam exercere; nec opus erit conditionem addere. Vnde quando communitè dicunt Theologi, ministrandum esse Sacramentum sub conditione, quando dubitatur de valore Sacramenti, id intelligendum est in dubio proprio, non in opinionibus. Quod optimè confirmat caput *de quibus, de Baptismo*; vbi decernitur rebaptizandum esse illum sub conditione, de quo dubitatur, an sit baptizatus. Ita Sancius. Et hæc dicta sufficiant circa explanationem dubiorum, quæ in principio Tractatus exponenda proposui; omnia tamen subdendo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni, & doctorum virorum iudicio.

TRACTATUS QUARTUS.
DE SACRAMENTIS

DE SACRAMENTO
BAPTISMI.

*An in casibus, in quibus licitum est baptizare
pueros filios infidelium, teneantur
domini hoc facere?*

RESOL. I.



ARTIS probatum est in *resol. 45. tract. 1. miscellanei*, posse dominos inuitis parentibus baptizare filios infidelium, quæritur modò, an domini in tali casu teneantur, sub onere peccati mortalis, illos baptizare. Affirmatiuè respondent *Vasq. in 3. part. tom. 3. disp. 155. c. 7. Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 54. dub. 2.* & ego *vbi supra*; & hoc ratione charitatis.

Non reticeam tamen contrarium docere doctissimum *Lorcam in 2. 2. quest. 10. art. 12. disput. 37. num. 22.* vbi sic asserit. Est dubium, vtrum in omnibus casibus in quibus concessimus filios infidelium inuitis parentibus baptizari posse, non solum liceat, sed etiam subfit obligatio baptizandi; videtur enim subesse obligationem: quia in his, in quibus prodesse possumus saluti spiritali proximi, tenemur prodesse lege charitatis præsertim in re tanti momenti, qualis est susceptio Baptismi, & iis qui ad eò indigent, vt sunt infidelium filij. Respondeo, in tribus casibus concessimus posse pueros infidelium baptizari. Primus est in articulo mortis. Secundus, si inueniantur separati à parentibus. Tertius, si filius serui separatur hac intentione. In primo casu videri potest subesse obligationem baptizandi propter extremam pueri necessitatem, probabilius tamen censo non esse, neque aliquis hanc obligationem adluit, quia totum negotium salutis pueri ante usum rationis commissum est Parentibus, & idè nullus alius tenetur de eius salute sollicitus esse, neque puer extremè indiget, quamdiu per parentes illi prouideri potest; & baptizare puerum infidelis occultè, aut cum dissensu patris, extraordinarium medium est, & extraordinaria diligentia: ea verò, quæ extraordinaria sunt, potius sunt supererogationis, quàm debiti. In secundo casu solum potest esse dubium, an puerum semel abstractum à parentibus liceat iterum parentibus reddere sine Baptismo; nam si perpetuò permanens est apud Christianos, neque est copia reducendi illum ad proprios, non dubito, debitum esse eum baptizare. Et quidem si puer à parentibus iniuste abstractus fuit, & potest illis restitui, debitum est restituere, quia iniuria illa semper (dum potest) resarcienda est, & idè tantum abest, vt necessarium sit puerum baptizare, vt potius existimem non licere: si autem iuste à parentibus abstractus est, putata quia fuit in bello captus, aut emptus, probabilius censo posse iterum parentibus restitui sine Baptismo, quia ea, quæ ad salutem spiritali pueri pertinent, semper remitti possunt parentibus, quibus ex natura rei incumbit, quamuis præuideatur eorum negligentia, aut malitia, neque obligat alium hæc cura ipsis valentibus, neque magis tenetur dominus retinere puerum, vt baptizetur, quàm adultum. In tertio casu dicendum est, non teneri dominos ad illam extraordinariam diligentiam alienandi seruos, vt baptizentur, satis est si conseruando eos in propria potestate, inducant parentes benigna persuasione ad suam, & filiorum conuersionem. Hæc omnia *Lorca, vbi supra*, sed an probabiliter, iudicent viri

docti; nam aliqui, doctrinam eius in primo casu ab ipso posito, falsam esse existimant.

An qui tenet infantem in Baptismo nomine alienius, contrahat ipse cognationem spirituales, vel ille qui eum misit?

RESOL. II.

IPsum procuratorem cognationem contrahere putant *Sotus in 4. sent. dist. 42. quest. 1. ar. 2. prope finem. Toletus lib. 7. c. 8. n. 5. & alij.*

Sed ego contrariam sententiam teneo, quia talis in tali casu non suo, sed alieno nomine tenet. Ergo patrini non est, sed loco patrini fungens, & ita docent *Syluester ver. Matrimon. 8. q. 7. dicto 15. Emanuel Sà de impedimentis matrimonij, num. 5. verb. cum quis per procuratorem. Couarruias, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 59. num. 2.* quibus ego addo *Syluium in addit. ad 3. p. q. 56. art. 5. ad 4.*

Imò ego puto probabiliter contra *Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 4. n. 5. Coninch. de Sacram. disp. 32. dub. 2. n. 40. Rebellium part. 2. lib. 3. q. 6. n. 11. Philarchum de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 11. Emanuelem Sà citatum Abbatem in c. veniens, n. 4. de cognat. spir. & alios, neque ipsum principalem, qui legatum mittit, cognationem vllam contrahere. Et ita docet *Couarruias vbi supra, n. 5. Suarez num. 4. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 3. c. 20. sent. 3. n. 156. & Villalobos in sum. to. 1. tr. 14. diff. 9. num. 18.* vbi sic asserit. [El Principe, que se hizo padrino de vn infante pro procurador, embiando quien lo sea en su nombre, al tiempo que le baptizan, no contrae cognacion espiritual, porque no es verdaderamente padrino, porque no faca al niño de pila, ni le tiene quando le baptizan que es atto personal, ni basta hazerle por tercera persona, ni tampoco contra este parentesco espiritual el procurador, porque en nombre del principe faca el niño de pila, porque esse no tiene intento de ser padrino, lo quales necessario, como queda dicho.] Sed in tali casu principalem, qui procuratorem constituit, cognationem contrahere, magis probabiliter tenet nouissimè *Basilius Pontius de matrim. lib. 7. c. 39. n. 10.**

Notandum est tamen hic obiter, me consuluisse rectè his diebus contra *Sotum in 4. dist. 42. q. 1. art. 2.* & alios, quemdam non contraxisse cognationem spirituales, quia non tetigerat in confirmatione infantem, quod etiam in baptismo est dicendum; nam ad illam contrahendam requiritur contactus physicus. Ita *Sanchez, & Villalobos vbi supra, n. 9.* qui etiam, n. 7. cum aliis docet contra *Angelum verb. Matrimonium, n. 7. Lopez in instruct. part. 2. c. 51.* & alios tenentes pueros in Baptismo in casu necessitatis extra Ecclesiam, cognationem supradictam non contrahere.

Non reticeam tamen. *Siluium in addit. ad 3. part. q. 56. art. 3. ad 1.* putare, quòd contrahitur propinquitatis hæc ex Baptismo, siue domi, siue in Ecclesia, siue cū cæremoniis, siue sine illis ministrato, & qui tunc assumuntur in patrinos, eandem contrahunt, si prolem offerant ad Baptismum tanquam patrini, & vt tales eius curam suscipiant: si autem offerat, non vt patrini, sed solum vt subseruientes necessitati, probabile est, quòd nullam contrahant Et similiter si post Baptismum domi propter necessitatem collatum, adhibeatur vt patrini, tunc quando solennes cæremonie suppletur, nullam etiam contrahit propinquitatem, sicut nec ille, qui adhiberetur, dum quis, vel scienter, vel ignoranter rebaptizaretur. Ita *Syluius.*

Quis post partum uxoris statim ob periculum mortis baptizauit infantem, adstantibus tamen multis, qui hoc facere poterant, dubitatum fuit, an priuatus manserit iure petendi debitum?

RESOL. III.

Affirmatiue tunc respondit quidam Theologus, & probabiliter quidem; nam hanc sententiam tenent multi DD. quos citant, & sequuntur Sanchez *de matrim.* tom. 3. lib. 9. disp. 36. n. 7. & Villalobos *in sum.* tom. 1. tr. 13. diff. 51. num. 1.

Sed mihi contraria sententia placuit, & illam consului, quam tuentur glossa *cap. 2. de cognat. spir. ver. debitum.* Fernandez de Heredia *disp. de sacr. Baptismi*, p. 6. dub. 2. n. 6. Suarez *in 3. part. qu. 67. art. 8. pen. in fine.* Derandus *in 4. dist. 42. quest. 1. art. 3.* & nouissimè Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 8. num. 69.* vbi sic asserit. Probabilius est eum, qui etiam sua culpa hanc cognationem cum sua uxore contraxit (eadem est ratio uxoris erga virum) etsi grauius peccarit, posse nihilominus petere debitum, quia tam grauis pena sine textu non est inducenda, ex nullo autem textu probari potest. Ergo, &c. Ita hanc sententiam probabilem esse putat Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. part. 4. cap. 8. num. 8.*

Nota etiam, quod stando in prima opinione aduertit Villalobos *vbi supra*, quod in tali casu, [pueden dispensar para pedir el debito el Comisario de la Cruzada el Obispo, y los Confesores Regulares, como tengan para esto comision de sus Prouinciales, como dize Rodriguez per vna vna vocis oraculo de Pio V. por ser la cognacion espiritual impropriamente incesto, y el priuilegio dicho, que solo habla de la afinidad que nace de copula fornicaria, dize, que se ha de estender a esto por ser fauorable.] Ita ille.

An peccet mortaliter laicus, si presente Diacono in casu necessitatis baptizat infantem?

RESOL. IV.

Affirmatiue respondent Ioan. de la Cruz *in direct. conscient. part. 2. de sacr. Baptismi*, q. 2. dub. 1. concl. 3. Nugnus *in 3. part. qu. 67. art. 5. diff. 2.* & Coninch *de Sacram. qu. 67. dub. 1. concl. 3.* qui pro hac sententia citat Suarez, licet malè; nam ipse contrarium, & meritò docet *in 3. part. tom. 3. disp. 31. sect. 4.* & ita etiam hanc negatiuam sententiam tuentur Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 2. c. 7. n. 4.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 5. diff. 8. n. 10.* Chamerota *de Sacram. tract. 2. c. 4. dub. 5.* Pitigianus *in 4. sent. to. 1. dist. 6. q. 1. art. 1. post. concl. 5.* & Syluius *in 3. p. qu. 67. art. 3.* & alij, vbi asserunt esse mortale, si absque legitima causa prætermittatur in tali casu Sacerdos præsens; si autem Diaconus, vel vnus ex inferioribus prætermittatur, esse solum veniale, aut nullum, si mulier peritior sit laico prætermisso, vt communiter solent esse obstetrices. Ex his apparet, me olim rectè consuluisse obstetricem quãdam non peccasse mortaliter, dum in casu necessitatis baptizauit infantem, dum aderant alij Religiosi in sacris constituti, non tamen Sacerdotes qui hoc facere potuissent.

Non desinam etiam hic adnotare Valentiam *tom. 4. disp. 4. quest. 2. punct. 1.* & Ioannem Suarez *in enobiridio casuum conscientia lib. 5. ver. baptisimus*, §. *in necessitate*, docuisse laicum baptizantem præsentem Sacerdote, secluso contemptu, & minimè renuente Sacerdote, peccare tantum venialiter.

Nota tamen hic obiter contra Paludanum *in 4. sent. dist. 5. qu. 2.* Syluestrum *ver. Baptisimus 3.* & alios, laicum baptizantem extra casum necessitatis, peccare quidem mortaliter, sed non incurrere in irregularitatem; & ita docent Nugnus *in 3. part. quest. 6. art. 5. diff. 3.* Pitigianus *in 4. sent. tom. 1. dist. 6. quest. 1. art. 1.* & alij. Nec valet dicere, quod qui baptizat sine necessitate, baptizat ex offi-

cio, sed propter hoc ponitur laico irregularitas. Ergo. Secundo laicus si conficit aliud Sacramentum, est irregularis; ergo etiam si administret Baptismum. Nam responderetur ad primum negando maiorem, quoniam cum in hoc Sacramento distinguatur minister solennitatis, & necessitatis, cum non baptizat ex solennitate, tantum baptizat tanquam minister necessitatis, atque adeo non tanquam ex officio. Et per hoc patet responsio ad secundum negando consequentiam, quoniam in aliis Sacramentis non distinguantur minister solennitatis, & necessitatis, atque adeo quomodocumque conficiat, conficit quasi ex officio, & ideo est irregularis, quod non accidit in calu nostro. Ergo.

Notabilia quedam circa materiam Baptismi.

RESOL. V.

Queritur primò, an minima quantitas aquæ, vt gutta vna, vel duæ sufficiant ad conficiendum Baptismum. Negatiue respondet Zambranus *in decis. cas. occurr. temp. mor. c. 1. dub. 4.* qui citat Valentiam, Suarez, & alios, idem docent Reginaldus *to. 2. lib. 27. c. 3. n. 15.* Bonac. *de Sacram. disp. 2. q. 2. punct. 3. n. 18.* & alij, sed affirmatiuam sententiam docet Henriquez *lib. 1. c. 21. n. 4.* & post illum Vasquez *in 3. p. tom. 2. disp. 2. 5. c. 4. n. 32.*

Dicendum est igitur illam quantitatem aquæ esse ad Baptismum sufficientem, quæ potest contingere corpus, & successiue fluere per partem corporis, quod facere potest exigua quantitas aquæ: vnde rectè Paulus Comitulus *in respons. mor. lib. 1. q. 12.* & post illum Filiucius *to. 1. tr. 2. c. 2. n. 34.* asserunt verum fuisse Baptismum, quem contulit quãdam mulier moribundo infanti, baptizando illum signo crucis impresso in fronte, digito aqua madefacto.

Queritur secundò, an aqua ex tale resoluta sit sufficiens materia ad conferendum Baptismum. Negatiue respondet Coninch *de Sacram. qu. 66. art. 4. dub. 1. n. 2.* quia non videtur probabile eiusmodi aquam esse eiusdem speciei cum aqua naturali, & elementari, & consequenter non videtur probabile, quod possit esse materia Baptismi. Ita ille, quod antea docuerat Angelus *ver. Baptisimus 4. n. 3.* & Syluester *eodem verbo 2. in fine.*

Sed affirmatiuam sententiam, & meritò docet Henriquez *lib. 2. cap. 6. num. 1.* qui *in glossa littera F.* testatur de communi, quia sal efficitur ex aqua falsa; vt experimento constat, & docet Aristoteles *2. meteor. 3.* Eandem sententiam docet etiam ex neotericis Antonius Fernandez *exam. Theol. moral. part. 3. cap. 2. §. 4. num. 5.* vbi ita asserit. Idem de sale, atque niue, geluque dicendam arbitror; est enim essentialiter aqua maris gelata æstiuo sole; ac proinde si liquefiat, apta erit materia ad ablucendum, & baptizandum. Sic ille. Vide Tabienam *ver. baptisimus 4. n. 8.* & Armillam *eodem verb. n. 23.*

Queritur tertio, an aqua, quæ distillat ex vite, vel aliqua arbore, sit materia apta pro conficiendo Baptismo. Affirmatiue respondet ex neotericis Io. de la Cruz *direct. conf. part. 2. de sacr. Baptismi*, q. 1. dub. 1. concl. 2. vbi sic asserit. Aqua ista debet esse simplex & elementaris, etsi ex arbore aut alio corpore, vt glacie resoluta. Ita ille, & alij, quos tacito nomine citat Coninch *de Sacram. qu. 66. a. 4. dub. 1. n. 2.* in casu tamen extremæ necessitatis, quia non omnino constat, an suprascripta aqua expressa ab arboribus, seu plantis, aut herbis differat specie ab aqua naturali. Sed hanc opinionem ipse Coninch refellit, & communiter cum ipso multi DD. & ita docet Antonius Fernandez *vbi infra*. Filiucius *tom. 1. tract. 1. c. 2. n. 6.* Henriquez *lib. 2. c. 6. num. 2.* Zanardus *in direct. conf. p. 1. de Sacram. Baptismi, c. 3.* Et ratio est, quia ille humor non est aqua, quamuis propter perspicuitatem, & similitudinem appelletur aqua, sed substantialiter succus est.

Notandum est tamen cum Antonio Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 11. §. 2. n. 3.* esse aquam sufficientem & elementarem pro efficiendo Baptismo illam, quæ colligitur ex vaporibus defatis, cum ex ollæ ore euaporatur, &

& in testaceo tegmento reperiuntur. Item quæ hyemali tempore ex parietibus lapidibusque fluit, nam vapores essentialiter aqua sunt; aqua verò è parietibus manans, aqua est, aëre humido in aquam verso. Ita ille.

Quidam Parochus post abluionem statim pronunciauit formam Baptismi; queritur an valide baptizauerit?

RESOL. VI.

Negatiuè respondent Scotus in 4. dist. 6. q. 2. art. 2. Richard. dist. 4. q. 2. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 26. de collat. ordinis. Nauarr. c. 22. nu. 7. Zambranus de casibus occur. temp. mor. c. 1. dub. 2. dist. 2. & alij. Et ratio est, quia verba quæ Sacramentum efficiunt, idem etiam significant, nisi autem cum verbis eodem tempore concurrat ablutio, falsa est enunciatio verborum, *Ego te baptizo*. Ergo nihil efficitur, atque adeò inualidum erit Sacramentum.

Sed mihi contraria sententia probabilior videtur, quam docet Henric. lib. 1. de Sacram. in genere, c. 9. n. 10. vbi sic asserit. In conficiendis Sacramentis generaliter requiritur quædam coniunctio, quia forma non actuat materiam, nisi aequaliter coniunctam, & præsentem, idque maximè curandum est in Sacramento Baptismi, sine quo nihil prodest aliorum Sacramentorum receptio, & in sacramento Ordinis sacerdotalis, sine quo confert ablutio, vel consecratio Eucharistiæ, vt dum quis aqua tingitur, vel dum tangit, aut acceptat vasa sacra, qui sacerdotio initiatur, debet minister proferre saltem partem aliquam verborum formæ, si tamen finita ablutio, proferat statim formam vel finita forma ablueret, censetur simul moraliter, neque est repetendus Baptismus. Ita Henriquez; & post illum docent etiam hanc sententiam Villalobos in summ. tom. 1. tr. 4. diff. 2. n. 6. Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 2. c. 7. n. 5. vbi ait, satis esse ad valorem Sacramenti, si moraliter, id est, secundum humanum agendi, & loquendi morem concurrant actio ministri, & proxima materia, videlicet ablutio, vnctio, &c. sicuti in simili verè dicere censetur, *Ego bibo*, qui poculum in manu capit, statim illud ori applicaturus bibendi causa, neque enim credibile est, quòd Christus Sacramenta ad moralem hominum vsum accommodata, metaphysico rigori adstringere voluerit.

Quamobrem quanta debeat esse coniunctio inter materiam, & formam Sacramenti moraliter æstimari debet, & obseruari, ne fiat magna interruptio, vt ex modo agendi, & verba proferendi intelligatur vnum alteri accommodatum esse: ita optimè Layman, qui pro hac opinione citat etiam Victoriam, & Suarez, duo lumina Religionis Dominicanæ, & Societatis Iesu: sed pro curiosis ponam hic verba Vincentij Fernandez de Heredia in disp. de Sacram. in genere, p. 6. dub. 2. n. 8. vbi ita ait. Qui baptizatur, potest ablui in totum ante inchoatam formam, quia imò interposita breui morula, exempli gratia, in qua possit (vt ita dicam) oratio Dominica recitari, adici potest forma Baptismi, & vice versa, quæ doctrina communis est sacramentis Confirmationis, Ordinis, & extremæ Vnctionis. Ita ille. Sed hæc sententia videtur nimis laxa, ac proinde non admittenda.

An licitè baptizentur filij Hæreticorum, si sub cura parentum probabiliter timeatur periculum peruersionis eorum?

RESOL. VII.

Negatiuam sententiam docent Fernandez de Heredia in disp. de Sacram. Baptismi, p. 7. dub. 3. n. 8. & Coninch de Sacram. q. 68. a. 10. dub. vnico, n. 81. vbi sic asserit. Quando aliqui hæretici, vel apostatæ habitant in iis locis, in quibus liberè exercent suam religionem extra periculum mortis, eorum filij non sunt baptizandi, nisi per separa-

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

tionem, vel aliam rationem possit caueri, ne parentes eos impiis sacris, & doctrinis imbuant, quia alias fieret contra dignitatem Sacramenti, quod probabilius magis obesset, quam prodesset. Ita Coninch. & Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 42. sect. 5.

Sed ait Layman in Theol. mor. lib. 5. tractat. 5. cap. 6. num. 12. contraria praxis apud nos à viris doctis, ac pijs sæpe obseruata fuit, & rectè quidem, quia periculum peruersionis non est adeò propinquum, aut certum, cum fieri possit, vt infantes ante vltimam rationis moriantur, & per Baptismum saluentur, tum quia plerunque spes non parua est, vt hæreticorum liberi aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcirco libentius recipiunt, si sciant à Catholico sacerdote se baptizatos fuisse. Addi etiam potest, tamen si parentibus, & ministris suis hæreticis falsa dogmata edoceantur, interdum ignorantia difficulter vincibili laborare, & pertinaces hæreticos non esse: vt proinde tales dogmata fidei baptismalis retineant, & saluari possint, si de peccatis post Baptismum commissis vera conuersione doleant, per ea, quæ dixi lib. 2. tract. 1. cap. 12. n. 3. Hæc omnia Layman, & satis quidem probabiliter.

Vtrum parentes, quamprimum teneantur baptizare infantes?

RESOL. VIII.

Communitè affirmatiuè respondent DD. sed quomodo intelligendum sit illud *quamprimum*, arbitrio prudentis viri committunt Henric. lib. 2. c. 4. n. 3. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 25. sect. 2. & alij, attentis circumstantiis, & cuiusque Ecclesiæ consuetudine.

Sed Sotus in 4. sem. dist. 5. q. vnica. art. 3. in particulari descendens sic asserit. Cum puer statim baptizari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis die aut tertia, aut quarta, sed quando commodè potest in Ecclesiam portari, & mergi, quod est octauo die, vt moris est, vel decimo, aut duodecimo die. Ita Sotus, qui loquitur absolutè de omnibus baptizandis, & vbi patrinus expectaretur.

Non reticebo tamen in nostra Synodo Panormitana celebrata anno 1615. ab Eminentissimo Cardinali ab Auria circa præsentem casum ita determinatum esse part. 2. cap. 1. n. 2. Natum infantem ij, quorum ea est cura, ante nonum diem ad suscipiendum in Ecclesia Baptismum deferant, quod si neglexerint, excommunicationis pœnæ subiaceant. Ita Synodus.

An rebaptizantes scienter sub conditione incurrant in irregularitatem?

RESOL. IX.

Hic casus olim ad me delatus fuit, & quidam Theologus affirmatiuam sententiam tunc consuluit, cum Sayro de cens. lib. 7. c. 8. n. 23 Fernandez de Heredia in disp. de Sacram. Baptismi, par. 4. dub. 2. n. 5. & alij apud ipsum.

Sed ego consulentem ab irregularitate liberaui, sequens sententiam Nugni in 3. part. q. 66. art. 9. concl. 6. Ioan. Valeri in differentiis vtriusque fori, ver. irregularitas, differ. 2. n. 1. Ytibarnæ in 4. sem. tom. 1. dist. 6. q. 8. dist. 24. sect. 2. Fernandez in examine Theol. mor. p. 2. c. 10. §. 11. n. 1. Cabrera de Sacram. q. 66. art. 9. n. 18. & 19. Syluij in 3. p. q. 66. art. 9. queritur 1. Possuini de offic. cur. cap. 16. n. 18. Bartholomæi Ab Angelis in exam. confess. dial. 2. §. 129. Toleti lib. 1. c. 65. n. 5. Auilæ de cens. part. 7. disp. 7. dub. 3. Suarez in 3. part. 10. 3. disp. 31. sect. 6. dub. 5. & aliorum penes ipsos. Et ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa, vt habetur in cap. is, qui de sent. excomm. in 6. sed ista irregularitas non habetur expressè in iure. Ergo. Probo minorem; nam in iure tantum ponitur irregularitas propter rebaptizationem, sed hæc non est rebaptizatio simpliciter, quia datur sub conditione. Ergo.

Quidam Sacerdos in peccato mortali existens baptizavit infantem in casu necessitatis, quaritur an peccauerit mortaliter?

RESOL. X.

Affirmatiuam sententiam docent Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 8.* Valquez in *3. part. tom. 3. disp. 13. c. 3.* Coninch. de *Sacram. q. 64. art. 6. dub. 4. num. 36.* & alij. Et ratio est, quia tunc ille exercet hanc sacramenti ministracionem ex officio ratione suæ ordinationis. Hæc opinio est probabilis.

Sed mihi contraria sententia etiam probabilis videtur, quam tuentur Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. par. 2. de Sacram. in genere. q. 4. dub. 3. concl. 1.* Fernandez de Heredia *disp. de Sacram. in genere. part. 1. c. dub. 3. n. 4.* Nugnus in *3. t. q. 64. art. 6.* Ledelma in *sum. cap. 6. de Sacram. in genere. concl. 8.* Syluester *ver. Baptismus 3. n. 5.* Caietan. in *3. p. q. 64. art. 6.* Suarez in *3. p. tom. 3. disp. 16. sect. 4.* & Henric. lib. 1. c. 9. n. 4. vbi sic asserit. Sacerdos peccator in necessitate baptizans sine solemnitate non peccat, quia non agit, vt minister ex officio, sed perinde ac laicus: etiam si aduertat suum peccati statum, aut aduerrere debuisset. Ita ille, & nouissime docet hanc sententiam Syluius in *3. p. q. 64. art. 6. queritur 1. concl. 2.* vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ; nam Sacerdos in tali casu baptizans, id non agit vt minister ex officio, sed vt necessitati patientis subueniens, neque exercet vllum actum, aut Ordinis spiritualis alicuius sacræ potestatis, sed eum, qui omnibus omnino nominibus diuina institutione est permittus. Simile aliquid est in humanis, vbi nullus, aut certe paruus ornatus requiritur in eo, qui Regi subseruit in casu necessitatis vrgentis; quamuis magnus in eo requiri soleat numerus, qui ad ministerium specialiter est commissus. Ex his apparet, non esse amplectendam sententiam Valq. in *3. p. to. 3. disp. 136. c. 3. n. 30.* vbi asserit, etiam laicos baptizantes in casu necessitatis cum peccato mortali, peccare mortaliter. Sed si hoc esset verum, væ væ obstrictibus, & aliis laicis in tali casu adstantibus.

An vbi mutus, & orbatus manibus occurrunt, & infans est in articulo mortis, debeat ille abluere, & hic verba proferre, & sic dictum infantem baptizare?

RESOL. XI.

Negatiuè videtur respondendum, quia sicut vnus potest multos vnica simul aspersione in casu necessitatis baptizare, ita duo, vel plures possunt simul baptizare, vt docent communiter DD. sed hoc accidit in casu nostro. Ergo.

Sed, ait Fernandez de Heredia *disp. de Sacram. Baptismi. par. 1. dub. 9.* quia nonnulli graues DD. contrarium in hoc necessitatis conflictu sentiunt, non dedecet in casu proposito sub hac cõditione interiùs concepta (si ita conferri Baptismus potest,) applicare Baptismũ, melius enim est (vt ne solus in hoc casu iudicem) dubium Baptismũ, quam omnino nullum accipere. Cæterum, si infans ille mortis euaderet periculum, esset iterum sub conditione baptizandus. Ita Fernandez. Hæc sententia non videtur probabilis, cum DD. communiter oppositum sentiant.

An sit validus Baptismus collatus dormienti, qui illud petierat ante somnum?

RESOL. XII.

Respondeo affirmatiuè, & ita determinat Innocent. III. in *cap. maiores, de Baptismo*, & sumitur ex Concil. Carthaginensi III. can. 34. & Arausic. I. can. 12. quia voluntas, & propositum præcedens sufficit, vt illa suscipio Baptismi censeatur voluntaria, & vt censeatur non

ponere obicem: & idem, vt ex pluribus notauit Barbosa in *collect. tom. 1. lib. 3. tit. 4. cap. 3. n. 16.* Syluius in *3. part. q. 68. art. 7.* dicendum est de amente, qui ante dementiam, & de furioso, qui dum haberet dilucida interualla, petierunt Baptismum, etiam si postea dum baptizantur, resistere videantur, nã illa resistentia non repugnat intentioni antecelicitæ, cum illa resistentia, quæ tunc temporis contingit, non sit actus humanus. Sed dicet minister, qui ante somnum habuit voluntatem illum baptizandi, si illum dormiens baptizet, non conficeret Sacramentum; ergo neque similis voluntas sufficit ex parte baptizati.

Respondet Cabrera de *Sacram. in 3. part. quest. 68. art. 7.* quod aliqui Theologi probabiliter dicunt in tali casu verum confici Sacramentum, sufficeretque virtualemente voluntatem ministri, præsertim si illa actio, quam dormiens exequitur, ortum habeat ex efficaci voluntate conferendi Baptismum, quam in vigilia habuit. Hæc solutio procul dubio est probabilis, nec poterit facile falsitatis conuinci, quoniam illa actio quæ fit à dormiente, videtur voluntaria virtualiter in sua causa, nempe in voluntate habita in vigilia. Quare in tali casu puto Baptismum exercendum esse sub conditione. Ita Cabrera; sed ego puto maiorem voluntatem, & intentionem requiri in ministro ad Baptismum, quam in suscipiente; & ita est dispar ratio inter vtrumque casum.

An ad suscipiendum sacramentum Baptismi sufficiat attritio cognita?

RESOL. XIII.

Negatiuè respondet Adrianus in *4. de pœnit. q. 1. concl. 5. art. 3.* Alexander de Ales *4. par. q. 18. membr. 2. art. 1.* Medina *cod. de confess. quest. de confess. sicut iteranda. Corduba in questionario lib. 1. qu. 2.* & Vega indicat *lib. 13. in Conc. Trid. c. 14.* Ledelma *3. p. q. 20. a. 1.* Victoria in *sum. Sacram. n. 258.* & alij, & septem rationes adducit Cabrera pro hac firmanda opinione.

Sed ipse meritò illam impugnat de *Sacram. q. 69. art. 8. disp. 2. §. 5. & 10.* & Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 5. diff. 19. num. 3.* sic ait. [Suficiente disposicion para este Sacramento es la atricion, y vno se requiere contricion, assi lo tienen S. Thomas, Scoto, y es comun. El fundamento es, porque para el Sacramento de la penitencia no es necesario mas que esto, luego lo mismo se ha de dezir à qui donde se concede mas facilmente el perdon, y no es menester que esta atricion sea tenida por contricion, como tambien diremos en el Sacramento de la Penitencia. Esta atricion es necesario, que sea sobrenatural, porque de otra manera no seria verdadera disposicion para la gracia.] Ita ille, & ante illum docet etiam hanc sententiam Nugnus in *3. p. tom. 1. q. 69. art. 9. dub. 2.* vbi contrariam improbabilem esse affirmat.

Dicendum est igitur attritionem cognitam esse sufficientem dispositionem ad sacramentum Baptismi, vnde si quis videat se non habere contritionem, licite potest accedere ad hoc Sacramentum, & iustificatur in illo, & idem dicendum est quoad sacramentum Pœnitentiæ.

Sed plus addit Pitigianus in *4. to. 1. dist. 4. q. 4. a. 3. concl. 3.* vbi sic ait. Attritio sufficiens ad effectum Baptismi non est necesse, quod sit supernaturalis obiectiuè, sed sufficit qualiscumque pœnitentia imperfecta, quæ tamen absolute remoueat affectum ad peccatum, id est, faciat vt amplius non vigeat, qualis est illa pœnitentia, quæ est de ipsis peccatis in se, sub quacumq; ratione quis illa detestetur, siue ea ratio sit quatenus sunt offensa Dei, siue vt habent reatum pœnæ aeternæ, siue vt habent ignominiam, siue ob quemcumque alium eiusmodi respectum, quæ pœnitentia solet nominari attritio imperfecta. Sic Pitigianus, & ante illum Sotus & Cano, quos refert, & meritò impugnant Io. de la Cruz in *direct. consc. p. 1. de Baptismo. qu. 4. dub. 3. concl. 2.* Nugnus vbi supra *dub. 4.* & Cabrera cū alijs, quia

quia attritio naturalis non est proportionata dispositio ad gratiam, quæ est forma spiritualis.

Quæ peccata sint, quæ remittuntur per Baptismum recedente fictione?

RESOL. XIV.

HÆc quæstio ad mores maximè utilis est, ideo declarabo magis titulum, an per Baptismum recedente fictione remittantur omnia peccata, non solum quæ antecedunt Baptismum, sed etiam ipsum peccatum fictionis, & alia quoque peccata, quæ in ipsa reali Baptismi susceptione perpetrantur, & denique ea, quæ Baptismum subsequuntur; an potius omnia ista peccata remittantur per pœnitentiam, per quam tollitur fictio in ordine ad clauas Ecclesiæ, ita ut fictio, id est, sine attritione baptizatus, postea in confessione sacramentali huiusmodi peccata confiteri teneatur.

Prima opinio est Scoti in 4. dist. 4. q. 5. vbi asserit, omnia peccata, quorum homo attritionem non habuit, saltem cum ad Baptismum accessit, postea recedente fictione per pœnitentiam deleri, tenerique ipsum hominem fictè baptizatum de illis peccatis pœnitere, & ratione sui, & quatenus fuerunt fictionis causa in Baptismo, & consequenter in confessione sacramentali erunt explicanda.

Secunda sententia est Soti in 4. dist. 6. q. 1. art. ult. asserentis, quod per Baptismum remittuntur recedente fictione, omnia peccata antecedentia ipsum Baptismum, non tamen illa, quæ sunt simul cum ipso Baptismo, vel perpetrata post illum, quæ omnia sunt necessariò in confessione aperienda.

Sed ego per conclusiones veram sententiam explicabo. Prima conclusio. Fictio non remittitur per Baptismum, sed per pœnitentiam in ordine ad clauas, atque adeò necessariò est explicanda in confessione sacramentali. Secunda conclusio. Omnia peccata ante Baptismum commissa, & omnia etiam, quæ in ipsa Baptismi susceptione perpetrantur, siue sint sacrilegia contra Baptismum, siue non, delentur recedente fictione per Baptismum, etiam si fictè baptizatus nullam prorsus attritionem habuisset in ipso Baptismo, & idè omnia supradicta peccata, non sunt recedente fictione in confessione explicanda. Tertia conclusio; peccata post susceptionem Baptismi commissa recedente fictione, remittuntur per pœnitentiam in ordine ad clauas Ecclesiæ, atque adeò quamdiu in confessione non aperiuntur, vt per sacramentum Pœnitentiæ re ipsa applicatum deleantur, requiritur contritio ad tollendam fictionem, & consequendum effectum Baptismi. Et hæc omnia mutuatus sum à Cabrera de Sacram. q. 69. art. 10. disput. 2. §. 2. 3. 4. & 5. Syluio in 3. part. quest. 69. art. 10. Io. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de baptismo, qu. 4. dub. 4. conclus. 2. Villalobos in summa. tom. 1. tract. 5. diffic. 20. per totam, & Nugno etiam in 3. part. tom. 1. q. 69. artic. 10. dub. 2. qui etiam præxi quaerunt.

An sola attritio sine sacramento Pœnitentiæ sit sufficiens ad remouendam fictionem? Affirmatiuè respondent Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. & Syluester verb. Baptismus 4. circa finem, quia fictio est obex Baptismi, sed obex Baptismi tollitur per attritionem, vt omnes concedunt; ergo illa sufficit. Si enim attritio est sufficiens dispositio, vt Baptismus in actuali susceptione habeat suum effectum, cur non erit sufficiens ad remouendam fictionem, vt postea Baptismus suum effectum consequatur?

Respondeo; duobus modis quis cum fictione ad Baptismum potest accedere. Primò, quia videns, & sciens se accedere in peccato mortali, vel cum ignorantia crassa vincibili suscipit Baptismum, & iste dicitur fictus propriè loquendo, & nouum sacrilegij peccatum committit. Secundò potest accedere cum peccati mortalis complacentia, sed excusatur à nouo peccato sacrilegij, ratione ignorantie inuincibilis; vel quia putat non esse necessariam aliam dispositionem præter fidem, & voluntatem

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars III.

Baptismi; vel quia putat se esse attritum, cum re vera non sit. Hoc supposito, dico quod fictio primi generis tolli non potest per solam attritionem sine Sacramento; secus verò si fictio sit secundi generis, nam ista tollitur per attritionem sine sacramento Pœnitentiæ, quia in homine sic accedente ad Baptismum non est necessarium sacramentum Pœnitentiæ, nam suppono omnia illius peccata antecessisse Baptismum. Ergo omnia tollenda sunt virtute solius Baptismi, atque adeò tollentur cum dispositione sufficienti per se cum solo Baptismo. Ita Cabrera vbi supra, disp. 3. §. 1. 2 & 3. Sed incidenter hinc quaerendum est.

An omnia Sacramenta, vel solus Baptismus habeat effectum recedente fictione?

RESOL. XV.

Magister Sotus in 4. dist. 6. q. 1. art. 8. hoc priuilegium ad solum sacramentum Baptismi restringit, alij verò extendunt etiam ad sacramentum Ordinis, & Confirmationis. Ita Syluius in 3. part. q. 69. art. 10. vbi citat Canum, Syluestrum, Paludanum, Gabrielem, & alios. Sed Caietanus tom. 1. opus. tr. 5. q. 5. de confessione informi, & alij absolute docent omnia Sacramenta, si cum fictione suscipiantur, illa postea recedente conferre suum effectum gratiæ sanctificantis; & ego hanc sententiam cum Cabrera vbi supra de Sacram. q. 69. art. 10. disp. 4. n. 9. libenter amplector, quia multum extollit, & amplificat dignitatè Sacramentorum, licet Villalobos in sum. to. 1. tr. 7. diffic. 23. n. 1. & Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 63. sect. 8. negatiuam sententiam doceant quo ad sacramentum Eucharistiæ; sed vnusquisque (ait Cabrera) eligat quam maluerit.

An qui per errorem leuat filium Petri, existimans se Pauli filium leuare, contrahat cognationem?

RESOL. XVI.

Negatiuè respondet Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 58. num. 7. ex cap. 2. de cognat. spirit. vbi deciditur coniugem, quæ per ignorantiam leuauit filium mariti, non arceri à debiti petitione, ex quo textu Abbas ibi n. 4. & Alexander de Nouo n. 6. colligunt requiri scientiam, & animum ad contrahendam cognationem.

At his non obstantibus contrariam sententiam docent Basil. Pontius de matr. lib. 7. c. 19. n. 9. vbi sic asserit. Siquis per errorem leuet filium Petri, existimans esse filium Ioannis, reuera contraxit cognationem, error enim ille non impedit fidei iussoris, & patris spiritualis officium, quidquid alij dicant: est enim error personæ in hoc casu circa accidentalia. Neque eadem ratio est de vxore, quæ per ignorantiam leuat mariti filium; tum quia de eo est expressa iuris decisio, ex quo totum impedimentum pendet, tum etiam, quia superuenit matrimonio contracto, & ita non mirum si ignorantia excuset à cognitione. Ita Pontius Vnde patet responsio ad argumentum quod Sanchez adducit, cuius sententia hoc non obstante probabilis etiam mihi videtur, & illam nouissimè cum Sanchez tenet Villalobos in sum. tom. 1. tr. 14. diffic. 19. n. 17.

An peruersa intentio ministri in conferendo Baptismo, & aliis Sacramentis suppleatur à Deo quoad gratiam?

RESOL. XVII.

Negatiuè respondeo cum Homobono de Bonis in exam. Eccles. par. 1. tract. 4. cap. 2. q. 10. Naldo in sum. ver. Sacramentum n. 10. Henriquez lib. 1. cap. 10. n. 3. Filliucio tom. 1. tract. 1. cap. 5. num. 80. Syluio in 3. part. quest. 68. art. 2. ad 4. argum. Fernandez de Heredia in disput. mixtis de Sacramentis in genere, par. 9. dub. unico num. 17. Suarez, & aliis cõmuniter. Et ratio est, quia quod Deus suppleat defectum ministri, in tali casu non fundatur vlla lege, promissione

promissione, aut necessaria ratione, & intentionem minime necessario requiri est de fide. Ergo, &c.

Et ita hanc sententiam veram existimat Cabrera de Sacram. q. 64. art. 8. disp. 1. §. 6. num. 65. & 66. vt contrariam tanquam erroneam, & temerariam refellat.

Non reticeam tamen affirmatiuam sententiam quam plures docere, & ideo Bartholomæus ab Angelis Dominicanus in exam. confess. de Sacram. in communi, dial. 1. §. 31. sic asserit. Vbi minister ex malitia in Baptismo, vel penitentia, vel alio Sacramento falleret, non habendo intentionem faciendi, quod Ecclesia facit, sed tantum irrideret hominem, & hæc sua malitia non esset nota? Deus (qui facienti quod in se est, non deficit in necessariis, nec alligauit virtutem suam Sacramentis) sua infinita bonitate suppleret, non quo ad characterem, sed quo ad gratiam. Ita ille, qui citat D. Thomam in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. quæstiuicula 3. & Viguerium, & ex eadem Dominicanorum familia, hoc etiam docet Syluester ver. baptisimus 6. n. 3. & nouissime Zanardus in direct. confess. par. 1. de sacram. Baptis. c. 4. in fine. Idem à fortiori docent Angelus ver. Baptisimus 7. n. 12. & Alensis, Durandus, & Gabriel apud Filiucium *vbi supra*.

Et tandem hanc opinionem tenet etiam ex Societatis IESV Theologis Pater Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3. vbi ita ait. Probabiliter arbitrantur Theologi, Deum in infantibus supplere defectum ministri; quando hic malitiosè subtrahit intentionem, & in adultis eundem defectum ministri suppleri per deuotionem, & fidem ipsius suscipientis, Deo etiam peculiariter ad id cooperante, si quid fortè in deuotione desit. Quamquam illud de infantibus non secundum legem ordinariam, sed secundum priuilegium quoddam accipi debet. Sic Valentia, sed tu ne recedas à nostra sententia.

An in priuato Baptismo tempore necessitatis sit adhibendus patrinus, & an contrahat spirituales cognationem?

RESOL. XVIII.

Quoad primum affirmatiuè respondent Melchior Zambranus de cas. occur. tempore mortis, c. 1. de sacram. Bap. §. dub. 18. n. 17. quia esse patrinum non pertinet tantum ad solennitatem, sed requiritur, vt sit, qui instruat baptizatum, & qui adiuuet ad eius spiritualem regenerationem, deinde vix fieri potest Baptismus priuatus, saltem in pueris, nisi sit qui illum teneat, quando abluitur, in Baptismo. Ergo credendum est, Ecclesiam vniuersaliter sensisse, in omni Baptismo etiam priuato requiri patrinum.

Sed ego puto nullum esse Ecclesie præceptum, vt in tali Baptismo patrinus adhibeatur. Et ita docent Sotus in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. Henriquez lib. 2. cap. 18. in fine. Suarez, Sanchez, Rodriquez, & alij. Et ratio est, quia cum in isto casu necessitatis, parentes ferè non possint idoneos eligere ad munus patrini, incredibile non est, Ecclesiam talem eis obligationem imponere voluisse: & ideo licet aliquis in hoc casu materialiter teneat infantem, non ideo patrinus eius efficitur.

Difficultas verò est, an si aliquis talem infantem teneat ex proposito, vt patrini munus obeat, an contrahat cognationem spiritualem. Affirmant Zambranus *vbi supra* n. 4. Nauarrus in manual. c. 22. n. 40. Coninch de Sacram. disp. 32. dub. 2. concl. 2. Armilla ver. Matrimonium, n. 14. Suarez, Viualdus, Sà, & alij.

Sed mihi contraria sententia videtur etiam probabilis, quam docet Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 62. n. 15. Rodriquez, & alij. Notandum est tamen hic obiter, non esse improbandam consuetudinem, secundum quam quibusdam in locis Catholici, patrini existunt filii Hæreticorum, baptizante illos ministro hæretico in forma SS. Trinitatis; & ita docet Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 2. c. 89. n. 6. contra Azorium p. 1. lib. 8. c. 11. q. 9.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Vtrum pueri ante septennium possint aliquando sacramentum Confirmationis accipere?

RESOL. XIX.

ROSSE interdum ante dictam ætatem Sacramentum hoc licitè suscipi, docet Paulus Layman in Theol. moral. lib. 5. tr. 3. c. 5. num. 2. Primum, si manifestum sit puerum ante ætatis septennium vsu rationis præditum esse. Secundò, si non confirmatus, diu non habiturus sit occasionem Sacramenti accipiendi. Tertio, si puer in periculo mortis existens opportunè istud Sacramentum consequi possit. Quarto, si diocesana consuetudo vigeat, vt pueri ante dictam ætatem confirmentur. Ita Layman, vide etiam Villalobos in sum. tom. 1. tr. 6. diff. 6. n. 1. Filiucium tom. 1. tr. 3. c. 2. n. 36. Syluium in 3. p. q. 7. 1. a. 8. & alios.

Sed quæres, an sit peccatum mortale confirmare infantem ante septennium sine aliqua iusta ex causa supradictis. Respondeo negatiue cum Didaco Nugno in 3. p. q. 72. art. 8. concl. 4. vbi sic asserit. Non est peccatum mortale confirmare infantes ante vsu rationis. Probat, quia etiam DD. tenentes non esse infantes confirmandos ante septennium, solum dicunt hoc non conuenire. Deinde probatur, quia cum dispositio non sit ita necessaria ad hoc Sacramentum, non videtur res grauis, quod conferatur infantibus, quando neque habent dispositionem, neque etiam impedimentum.

An perpetuò amentes sint confirmandi?

RESOL. XX.

NEGATIUE respondent Valentia tom. 4. disp. 5. q. 2. punct. 1. Sà ver. Confirmatio, n. 5. Chamerota de Sacram. tr. 3. cap. 6. dub. 3. Sotus in 4. dist. 7. q. unica, art. 8. Ledesma in sum. tom. 1. de sacram. Confirm. cap. 7. in fine, & alij; quia hoc Sacramentum datur ad militandum in vita spirituali, sed amentes non sunt capaces talis militiæ. Ergo neque Sacramenti.

Sed contrariam sententiam omninò sustinendam esse puto cum Zambrano de cas. tempore mortis, cap. 2. dub. 5. n. 3. Nugno in 3. p. q. 72. art. 8. concl. 7. Pitigiano in 4. sent. tom. 1. dist. 7. q. 1. art. 8. Villalobos in sum. tom. 1. tr. 6. diff. 6. n. 2. Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 3. cap. 5. n. 3. Filiucio tom. 1. tract. 3. cap. 2. n. 38. Syluium in 3. part. q. 72. a. 8. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 35. sent. 2. Coninch de Sacram. q. 72. art. 8. n. 83. & alij. Et ratio est, quia non debent priuari gratia huius Sacramenti, & per accidens est nunquam esse spiritualiter pugnatos. Datur etiam hoc Sacramentum, vt augeatur gratia, cuius effectus amentes sunt capaces, expeditque vt conferatur illis, vt habeant maiorem gloriam. Ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

Et hæc omnia à fortiori procedunt, si quis vsu rationis habuerit, & postea in amentiam incidit, quia adest in tali casu interpretatiua hominis voluntas suscipiendi tempore opportuno Sacramenta, nisi constet alioquin cum peccato mortali in amentiam incidisse. Ita Layman, Nugno, & alij *vbi supra*. Igitur tales sunt confirmandi, quia semper præsumitur bonus, qui non probatur malus, neque requiritur, vt diximus, quod aliquando tales petierint hoc Sacramentum, sufficit enim virtualis voluntas, quam quilibet homo habet circa beneficia suæ salutis.

Nota verò, vt nos alibi diximus, secluso scandalo, & contemptu non peccare mortaliter, si quis sacramentum Confirmationis non recipiat, etiam si ad recipiendum adfit notabilis negligentia, quam, sed malè, contemptum censent

consent Richardus in 4. dist. 17. art. 5. q. 1. Gabriel q. unica, art. 3. dub. 3. Syluester ver. Confirmat. n. 3. & Toletus lib. 2. c. 24. in sine; vide Layman ubi supra n. 4. sententiam horum Doctorum refellentem; vide Zanard. in direct. confessur. p. 1. de sacram. confirmat. c. 5.

Notabilia quadam circa patrinum in Sacramento Confirmationis.

RESOL. XXI.

Primo nota, dictum patrinum non contrahere obligationem instruendi confirmatum, quia id iure statutum non reperitur, sicuti de patrinis Baptismi. Ita Coninch de Sacram. q. 72. art. 10. Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 3. c. 6. num. 1. qui citat Henriquez, quidquid dicat Syluius in 3. part. q. 72. art. 10.

Secundo est valde probabile, quod si non confirmatus teneat alterum in hoc Sacramento, non contrahat cognationem spiritualem, quia ille non est legitimus susceptor, ut patet in c. in Baptismate, de consecratione. dist. 4. sed in Baptismo illegitimus susceptor nullam contrahit cognationem spiritualem, ut patet. Ergo idem est dicendum in Sacramento Confirmationis. Ita Coninch de Sacram. q. 72. art. 10. n. 94 qui citat Suarez, Nugnus in 3. p. q. 72. art. 10. qui citat Victoriam, quidquid in contrarium allerant Syluius in 3. p. q. 72. a. 10. Sotus in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. Syluester verb. de armonium 8. q. 7. & alij. Sed an in tali casu susceptor non confirmatus, licet non contrahat affinitatem, peccet mortaliter? Affirmatiue respondent Nugnus, Suarez, & Syluius in 3. p. q. 72. art. 10. sed contrariam sententiam probabilem esse ex ipsis etiam deditur, ut legenti patebit.

Tertio nota, quod susceptor Confirmationis debet esse alius ab illo qui suscepit in Baptismo, nisi necessitas aliter cogat, ut docent Doctores citati, quibus adde Richardum in 4. dist. 7. art. 7. q. 2. Sed an secus qui fecerit, peccet mortaliter, negatiue respondet Bartholomaeus ab Angel. in exam. confess. dial. 3. §. 45.

Quarto Religiosi mendicantes secundum Coninch de Sacram. q. 67. art. 7. n. 56. possunt esse patrinus in Sacramento Confirmationis, & Baptismi, quia in c. monachi, de consecr. dist. 4. sub nomine monachorum ij tantum intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem Religiosi mendicantes, & hanc sententiam etiam docet Chamberota de Sacram. tr. 2. c. 4. dub. 8.

Sed contrariam docet Layman in Theol. moral. tract. 2. c. 9. n. 3. & in Synodo Panormitana Eminentissimi Cardin. ab Auria edita 1615. part. 2. n. 3. interdicitur hoc officij genus monachis, & Regularibus. Non est tamen dubitandum, quod Episcopus Religiosus compater fieri possit, ut notant Sanchez in sum. 10. 2. lib. 6. c. 6. n. 24. & alij.

An Episcopus qui in Confirmatione vngeret alio digito, quam dextero pollice, peccaret mortaliter?

RESOL. XXII.

Affirmatiuam sententiam videtur docere Melchior Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis c. 2. dub. 1. n. 1. ubi sic asserit. Certum est obligari Episcopum sub precepto vngere immediate dextero pollice, quia ita precepit Pontificale. Sic ille; & hoc etiam docere videtur Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 3. cap. 2. n. 5. qui citat Suarez.

Verum, ut recte obseruat Didacus Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 62. art. 4. diffic. 3. concl. 4. hoc non est ita certum, quia non constat, vtrum materia grauis, vel leuis sit talis variatio, videtur enim parum referre, quod vnctio fiat indice. vel pollice: quod fiat manu dextera, vel sinistra. Ita Nugnus, & ego (ut verum fatear) difficulter de peccato mortali damnarem Episcopum, qui indice v.g. vngerit aliquem in infirmitate.

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars III.

Notandum est vero hic obiter, non solum necessarium esse necessitate precepti, quod vnctio confirmationis fiat manu immediate confirmantis in fronte sub signo crucis, sed etiam necessarium esse necessitate Sacramenti; vnde nunquam erit efficienda medio aliquo instrumento, ut tempore pestis potest dari sacramentum Extremæ vnctionis.

An balsamum requiratur in confirmatione de necessitate Sacramenti?

RESOL. XXIII.

Negatiuam sententiam docent Zanard. in direct. Theol. part. 1. de sacram. confirm. c. 2. Philarchus de officio sacer. to. 1. p. 2. lib. 1. c. 11. Etlus in 4. sent. dist. 7. §. 8. Valentia tom. 4. disp. 5. q. 1. punct. 2. Angles in floribus in 4. sent. de confirm. art. 2. concl. 2. Victoria in summ. n. 40. Viualdus in candelabro c. de mater. confirmationis, n. 2. Fernandez in exam. Theol. mor. par. 3. cap. 3. §. 2. Petrus de Reyna in summa sacram. de confirmat. n. 3. Carrillo in itinerar. ord. sect. 3. c. 3. n. 6. Barbosa in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 16. c. 1. n. 2. Caiet. in 3. part. q. 72. art. 2. Sotus in 4. dist. part. 1. art. 2. Rubeus de Sacram. in 4. sent. distinct. 7. §. balsamum 7. P. Ledesma in sum. tit. de confirm. dub. 3. Nauarrus cap. 22. n. 8. Couarruias lib. 1. variar. c. 10. n. 4. & alij. Et ratio est, quia Innocent III. cap. pastoralis, de Sacram. non iterandis, rogatus si Sacramentum Confirmationis in eo deberet iterari, qui per errorem non fuerat chrismate, sed oleo delinitus, respondit, non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat pretermisum, ubi supponit illud, quod omissum fuerat, non esse essentiale; alioquin Sacramentum fuisset nullum, ideoque denuo conferendum. Confirmatur: quia iisdem verbis respondet ad alteram questionem, an permitti deberet ministrare, qui sine impositione manuum fuerat ad ordinem Subdiaconatus assumptus, sed in Subdiaconatu defectus ille solum erat accidentaliter; ergo, & alter in Confirmatione. Et hanc sententiam probabilem esse putat Filliucius tom. 1. tr. 3. c. 1. n. 11. & alij.

Sed alij contrariam sententiam, nempe chrisma ex oleo, & balsamo compositum, esse materiam, & de essentia confirmationis docent, ut Fernandez de Heredia in disputationib. mixtis de sac. Confirm. dist. 5. p. 3. dub. 1. concl. 1. Coninch de Sacram. q. 72. a. 3. dub. 1. n. 30. Syluius in 3. part. q. 72. art. 2. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 7. q. 1. a. 3. Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 72. art. 3. Emanuel de la Cerda in qq. pro laurea Salmantina q. 9. scholastica, a. 3. n. 6. Zambranus de casibus temp. mor. c. 2. n. 2. Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 1. & Villalobos in summa, tom. 1. tr. 6. difficult. 2. n. 2. Ledesma in sum. to. 1. de confirm. c. 2. concl. 7. Et ratio est, quia Concil. Florent. affirmat huius Sacramenti materiam esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo. Ergo si alterutrum desit, deerit materia. Nec obstat, quod materia calicis etiam sit vinum aqua mixtum, quia Concil. non ita loquitur, sed dicit materiam esse vinum, cui aqua modicissima debet adhiberi, vnde patet manifesta differentia.

Sed quia prima opinio est probabilis (ut dictum est) ideo optime asserit Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 12. de sacram. Confir. qu. 72. dub. 2. concl. 1. quod si hoc Sacramentum ministratur cum oleo simplici, non est iterandum absolute, sed sub conditione, adhibita materia indubitata.

Notandum est hic, quod est etiam de necessitate Sacramenti, ut chrisma sit per Episcopum consecratum, sic DD. citati; an vero Summus Pontifex possit simplici Sacerdoti talem consecrationem committere, affirmat Valentia tom. 4. disp. 5. q. 1. punct. 2. & alij, sed negant Coninch de Sacram. disp. 72. art. 3. dub. 1. concl. 4. & Doctores ubi supra, quibus adde Barbosam de potest. Episcopi p. 2. allegat. 30. n. 6. & alios penes ipsum: & an simplex sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare, negant aliqui,

& aliqui affirmant, quos videre potes apud Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 2. §. 3. n. 3.* sed quia ad praxim parum deseruiunt, ad alia magis practicabilia deueniamus.

An Episcopus possit confirmare aliquem offerentem literas dimissorias sui Episcopi ut ordinetur?

RESOL. XXIV.

DE hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Marco la Caua Episcopo Mazzariensi, & affirmatiue respondi cum Zambrano *de casibus occurrentibus in art. mortis cap. 2. dub. 2. n. 3.* vbi sic asserit. Quando Episcopus vult ordinare aliquem offerentem dimissorias literas sui Episcopi, potest licite eum confirmare, si non est confirmatus, quia qui concedit finem, concedit necessaria ad finem talem: at Confirmatio præmittenda est Ordinibus; ergo. Ita Zambranus, qui citat Henriquez *lib. 3. c. 6. num. 6.* & nouissime inueni hanc sententiam docere etiam Layman *lib. 5. tract. 3. c. 6. n. 2.* & Fagundez *præcept. 5. lib. 3. cap. ... n. 8.*

Adde etiam, vt *suprà* notauimus Episcopum confirmantem in sua diocesi subditum alterius, in nullam censuram, aut culpam incurrere, cum præsumendum sit, hoc gratum fore proprio Episcopo. Ita Genuensis *in manuali prælatorum c. 54. n. 7.* & alij; quos citat, & sequitur doctus Barbosa *de potest. Episc. p. 2. allegat. 30. n. 12.* quidquid in contrarium asserant Bartholomæus ab Angelis *in exam. confess. & alij*, quos citat, & sequitur Bonacina *de Sacram. disp. 3. q. vnicuique punct. 2. n. 11.*

Notauit etiam tunc interrogatus circa supradictum casum, quòd si Episcopus ordinet aliquem non confirmatum, non peccat mortaliter. Ita Zambranus *vbi supr. dub. 3. n. 3.* cum multis alijs. Sicuti etiam dicendum puto, cum eodem Zambrano, de illo, qui vult suscipere Ordines, etiam si non sit confirmatus, non enim peccat mortaliter. Et ratio horum omnium erit, quia nullibi reperitur de hoc præceptum obligans sub mortali: nec vsus, nec Concilium Trid. *sess. 23. de confir. c. 4.* vtitur verbis talem obligationem significantibus: erit igitur hoc peccatum veniale tantum. Vide etiam Molfesium *in sum. 10. 1. tr. 4. c. 2. n. 21.* & Reginaldum *10. 2. lib. 28. c. 3. n. 24.* quidquid in contrarium videatur docere Nugnus *in 3. p. tom 1. q. 72. a. 8. concl. 7.* vbi ait, Grauius peccatum veniale, & fortè mortale peccatum est suscipere Ordines minores ante Confirmationem, sed tu tene nostram sententiam.

An quis peccet mortaliter non suscipiens sacramentum Confirmationis?

RESOL. XXV.

EGO alibi negatiuam sententiam docui cum multis Doctores, quibus nunc addo Valentiam *tom. 4. disp. 5. q. 2. punct. 3.* Molfesium *in sum. tom. 1. tract. 4. c. 2. n. 21.* Fernandez de Heredia *in disputationibus mixtis, de confir. dist. 5. part. 2. dub. 1. n. 6.* Estium *in 4. sent. dist. 7. §. 18.* Zambrano *de casibus occurrentibus in art. mortis, cap. 2. dub. 4. n. 1.* qui citat Henriquez, Adrianum, Sotum, Ledesmam, Nauarrum, Rodriguez, Couarruiam, & Suarez, dummodò non adsit contemptus.

Sed difficultas est, an notabilis negligentia contemptus censeatur, vt si quis data opportunitate suscipiendi istud Sacramentum, qualem postea non facile habiturus sit, illud suscipere intermittat. Affirmatiue respondent Richardus, Bonauentura, Durandus, Marsilius, Paludanus, Maior, Syluester, Toletus, & alij apud Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. §. 5. n. 1.* & Layman *in Theol. mor. lib. 1. tr. 3. c. 5. n. 4.*

Sed ipsi meritò negatiuam sententiam docent cum Caietano, Soto, Nauarro, Victoria, & alijs. Et ratio est, quia, ait Layman, multa animæ salubria facere intermitimus, quia cogitamus absolutè ad salutem nobis neces-

saria non esse, quæ tamen non contemnimus; sed hoc accidit in casu nostro; ergo. Notandum est tamen, per accidens, vt ratione scandali, posse omissionem huius Sacramenti esse peccatum mortale, igitur secluso scandalo, & contemptu illud omittere non erit crimen lethale.

An non confirmatus suscipiens in Confirmatione puerum, contrahat cum illo, eiusque parentibus cognationem spirituales?

RESOL. XXVI.

AFFirmatiuam sententiam docent noster Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 5. c. 2. n. 43.* Syluius *in 3. p. q. 72. art. 10.* cum Paludano, Rosellâ, Tabiena, Soto, Sâ, Rodriguez, Lopez, Salliego, & alijs apud Sanchez *vbi infra.*

Sed ego alibi meritò negatiuam sententiam docui, & præter DD. quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 60. n. 19.* tenent etiam hanc opinionem, Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 31. cap. 20. nu. 157.* Fernandez *in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 2. §. 9. num. 4. & §. 10. n. 4.* Vgolinus *de potest. Episcop. cap. 25. §. 1. n. 2.* Rebellius *de oblig. part. 2. lib. 3. q. 6. n. 6. & 7.* Basilius Pontius *de impedim. matrim. c. 24. §. 1. ver. Illud.* & alij, *ex cap. in baptis. mate, de consecrat. dist. 4.* vbi sic habetur. In baptis. mate, vel in chrisinate non potest alium suscipere in filiū ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus. Et idè hanc sententiam præter citatos Doctores tenet etiam Coninch *de Sacram. q. 72. art. 10. n. 94.* vbi sic ait. Non confirmatum non posse tenere confirmandum, habetur *in cap. in baptis. mate;* vnde patet eum inualidè hoc facturum, qui id tentaret, quia secundum communem sententiam Inuistarum, inualidè quis id tentat facere, quod dicitur in iure non posse facere, & confirmatur, quia similiter talis dicitur non posse tenere confirmandum, atque non baptizatus baptizandum, at hic hoc inualidè faceret: ergo & ille. Vnde sequitur, eum grauius peccaturum, quia redderet eam ceremoniam irritam, nec contracturum cognationem spirituales. Ita Coninch. Non sunt igitur audiendi Molfesius, & alij.

De forma sacramenti Confirmationis.

RESOL. XXVII.

VERBA formæ huius Sacramenti sunt ista, Signo te signo Crucis, & confirmo te chrisinate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vt autem intelligatur, quæ verba sint essentialia dicendum est sicut in Baptismo, sic & in Confirmatione, expressam Sanctæ Trinitatis inuocationem esse essentialem, vt indicat Concil. Florent. quia Confirmatio ordinatur ad perficiendam fidem in Baptismo acceptam, eamque fortiter profitendam. Cætera verò Sacramenta cum non ordinentur ad fidem profitendam, non requirunt necessariò istam trium personarum inuocationem.

Actio ministri necessariò etiam exprimenda est, & quidem sic, vt vtrumque verbum non improbabiler putetur esse essentialia signo, & confirmo, quia non sunt æquipollentia, non enim omnes, qui signant, continud confirmant, neque qui confirmant, hoc facere intelliguntur per signationem, nisi addatur verbum signo.

Et quamuis apud Christianos signatio intelligatur de signatione Crucis, quia tamen generalior est illius verbi significatio, idè probabilius est necessariam esse illam particulam, signo Crucis.

Et similiter quia in verbo confirmo, non satis exprimitur materia, & effectus, sicut in Baptismo significatur per verbum baptizo, idè probabiliter dicitur, necessarium esse addere chrisinate salutis, vel sanctificationis.

Et rursum, quia debet exprimi subiectum, idè pronomen, te, non potest omitti.

Formatio etiam signi Crucis est essentialis, quia alioquin

quin falsificarentur verba formæ; hoc autem signum Crucis necessariò debet fieri de chrismate in fronte, & hæc omnia asserunt Coninch *de Sacram. q. 72. a. 4. nu. 65. & seq.* Filliucius *tom. 1. tract. 3. c. 1. n. 20. & seq. & alij.*

Notandum est etiam hic obiter cum Nugno *in 3. p. tom. 1. q. 72. art. 4. diffic. 1.* quòd licet non sit necessarium exprimere personam ministri formaliter, exprimenda est tamen virtualiter; itaque peccatum mortale esset, confirmare sub hac forma, *Consignetur seruus Christi, &c.* Patet hoc ex vsu vniuersali totius Ecclesiæ, tam Latinæ, quàm Græcæ; licet enim concessa fuerit facultas Græcis baptizandi sub hac forma *Baptizetur seruus Christi;* non tamen est concessa illis similis facultas in sacramento Confirmationis.

An hoc sacramentum Confirmationis sit conferendum immediatè manu Episcopi, ita vt sit nullum, si conferatur medio alio instrumento?

R E S O L. XXVIII.

Sacramentum in tali casu esse nullum docent Suárez, & Coninch quos citat, & sequitur Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 5.* quibus ego addo Reginaldum *tom. 2. lib. 28. c. 2. n. 10.* Filliucium *tom. 1. tr. 3. c. 1. n. 17.* Nugnum *in 3. part. tom. 1. q. 72. art. 4. concl. 2.* quia manus impositio est de ratione huius Sacramenti, atque aded debet fieri, quando fit Sacramentum ipsum, sed si fiat vnctio medio instrumento, non est vera manus impositio. Ergo neque erit verum Sacramentum.

Non desunt tamen DD. contrarium sentientes, & sic ait Fernandez de Heredia *in disputationibus de sacrament. Confirmat. diff. 5. p. 5. dub. vnico, n. 2.* Non æstimamus pertinere ad necessitatem Sacramenti, quòd vnctio fiat pollice dextero, vel sinistro, vel alio digito, vel quouis alio instrumento, siue coniuncto, siue separato, quippe nihil videtur deesse, neque ex parte materiæ, neque ex parte significationis formæ, quocumque ex his modis fiat chrismatio. Neque ideo minus Sacramentum hoc dicitur manus impositio, si fiat vnctio penna, vel alio instrumento, quo quidem mediante manus propriæ imponi dicuntur, sicut & manus violentæ in clericum iniici dicuntur, si baculo, lapidè, & similibus percutiatur. Pertinebit igitur ad necessitatem præcepti, quod sine graui peccato omitti nequit. Ita Fernandez. Sed prima opinio & probabilis, & tutior est.

DE SACRAMENTO
EUCHARISTIÆ.

Num dubitans an aliquid cibi, vel potus sumpserit, possit communicare, vel Missam celebrare?

R E S O L. XXIX:

NEGATIVAM sententiam docent Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. diffic. 41. num. 40.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 1. diff. 21. n. 6.* Fagundez *p. 3. lib. 3. c. 5. num. 18.* vbi asserunt, quòd dubitans an sit audita hora noctis duodecima, & comedat, aut bibat, non potest die crastino sumere Eucharistiam, quia possessio est pro præcepto communicandi, seruato ieiunio naturali; tum quia nulla est possessio ex parte communicantis, vt in dubio eius conditio potior sit.

Sed his non obstantibus, aduersus Sanchez, insurgit nouissimè Sancius *in selectis, disp. 42. per totam,* vbi acriter illum impugnat, & probat, quòd quoties quis dubitans, an hora duodecima noctis sonuerit, comedit, bibit, ve, aut os abluendo, dubitat an aliquam guttam deglutiuerit, potest sacram Eucharistiam suscipere, si deponat

dubium practicum, iudicans quòd hic & nunc sibi liceat suscipere, quantumcunque perseueret in dubio speculatio. Et ad argumēta contraria respondet, & rationes pro sua sententia adducit, quæ sunt aded probabiles, vt existimem hanc sententiam in praxi tutam & securam esse.

Et post hæc scripta inuenio etiam Layman *in Theol. moral. lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36.* contra Sanchez hanc sententiam tamquam probabilem etiam admittere, sic enim asserit. Nunquid Sacerdos dubitans an noctis medium cœnando exceßerit, altera die sacrificare poterit? Negat Sanchez, quia in tali dubio tutior pars eligenda videtur propter reuerentiam Sacramenti. Sed exillino non improbabilitate, permitti posse Sacerdoti, vt in tali casu sacrificet, etiam propter deuotionem, ac nulla cogente necessitate; quia lex ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando non videtur tam acutè constringere conscientias in casu dubio. Simili modo respondetur, si dentibus quidpiam masticans dubitet an deglutiuerit, vt in vtram partem inclinare possit, quòd ab sacra communionē abstinere non teneatur, quia in eiusmodi casibus fauorabilia præsumere licet, ne conscientia nimis adstringantur. Ita Layman, & ego, quæ valde notanda sunt, quia quotidiana, & multos scrupulos sedabunt, nec in aliis auctoribus passim obuia.

An si quis post pollutionem voluntariam, vel fornicationem, postea confiteatur, peccet tamen venialiter, sumendo Eucharistiam intra vnum diem sine aliqua iusta causa?

R E S O L. XXX.

Affirmatiuam sententiam docet Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 7. diffic. 37. n. 11.* Didacus Nugnus *in 3. part. tom. 1. quest. 80. art. 8. concl. 10. & 11.* cum Ioanne de la Cruz *in directorio conscientia, part. 2. de sacram. Euch. q. 5. dub. 3. concl. 2.* vbi sic asserit. Pollutio procedens ex peccato mortali, cuius non præcessit confessio, impedit communionem, secus si præcessit, cum nullum peccatū mortale per confessionem dimissum communionem impediat sub mortali. Erit tamen peccatum veniale illam lumere ratione cuiusdam corporalis immunditiæ, nisi aliàs instet præceptum, aut necessitas defendendi honorem, aut specialis deuotio tunc communicandi. Ita ille.

Sed hæc sententia (vt alibi notauimus) displicet Sancio *in selectis, disput. 23. num. 30.* vbi ita ait. Qui in pollutionem, seu coitum incidit post talis factis confessionem, non est à communionē excludendus, licet peccatum veniale esse concedant Nugnus, & Ochaguaia ratione corporalis immunditiæ, quibus tamen non credo; imò quanam ratione Concilio Tridentino aduersari non videatur, percipietur haud difficile; ait enim *sess. 13. c. 7.* illum dignè, & sanctè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut si sit conscius, dignè accedet se per confessionem probando. Igitur asserere deletò iam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ suscipiendæ, quia si suscipiat, peccatum veniale sit commissurus, aduersari Concilio videtur manifestè, cum sequatur eum non accedere tunc sanctè, ac dignè, cum actionem exerceat ex mente horum auctorum intrinsecè malam, & culpabilem. Nec obstabit distractio, licet habeatur, cum per pœnitentiam sit causa; à qua ortum habuit, interrupta, & distractio peccatum non erit, dum faciat quis quantum in se est ad expellendam illam. Hæc omnia Sancius.

Vnde à fortiori apparet refellendum esse Nauarr. *de pœnitentia, dist. 6. c. 1.* cui adhæret Marsilius *in 4. q. 6. art. 6.* asserentem esse peccatum mortale, accedere ad recipiendum sacramentum Eucharistiæ ante diem integrum post quodcumque peccatum mortale, etiam si homo sit de illo contritus & confessus.

An qui accedit ad communionem cum distractione voluntaria, aut cum affectu alicuius peccati venialis, communicando peccet venialiter?

RESOL. XXXI.

Affirmatiue respondit Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 7. n. 206.* vbi sic ait: Potest euenire, vt peccatum veniale sit circumstantia actus communicandi, vt si fiat ob vanam gloriam, vel quia cum distractione voluntaria, & sic procul dubio erit peccatum veniale, quia ille actus non habet circumstantias debitas, quarum vna est, vt fiat ob bonum finem, & sine actuali euagatione, saltem voluntaria. Ita ille, & Reginaldus *tom. 2. libr. 29. cap. 6. qu. 2. n. 100.* cum aliis.

Contrariam tamen sententiam docet Sancius *in selectis disputatiombus, disp. 23. n. 32.* vbi asserit. Secundò respondetur in nostra opinione nullum peccatum committi ob communionem cum distractione. Nec obstat, quòd qui erat distractus, peccet venialiter præter peccatum in quo est, quia attentio est de substantia orationis, cum enim sit loquutio ad Deum, attentè loqui debemus, aliàs irreuerentia fieret ei, cum quo loquimur. At suscipere Eucharistiam, cum non sit loquutio, sed manducatio, non requirit sub præcepto attentionem, bene tamen sub consilio, nec iniuria fit cibo si distractè sumatur, quapropter qui consulit, vt quis distracta mente non accedat ad Eucharistiam, non consulit id ob reuerentiam; cum nulla irreuerentia fiat, sed vt à peccato celsit, qui est in illo. At supposito, quòd consilium attentionis sequi nolit; non ob id retrahendus est à communionem, cum melius bonum sit adhuc sine attentione communicare, quàm à sacra mensa recedere ob defectum attentionis. Sic Sancius.

Pro qua sententia faciunt *Sa. ver. Eucharist. n. 22.* & Petrus de Ledesma *in summ. tom. 1. de sacr. Eucharist. cap. 11. concl. 5.* vbi ita ait. [No peccat venialmente, el que llega à este sacramento con conciencia y affecto de pecado venial, porque llegar con pecado venial à este sacramento no es contra precepto alguno, ni importa irreuerentia ninguna, luego, no es pecado venial. Verdad es que puede acontecer que la misma obra de comulgar sea pecado venial particular, por hazerle con pecado venial. Lo primero, si la tal obra de comulgar se ordena al fin del pecado venial, como si vno comulgasse por vana gloria, de fuerte que la vanidad fuesse el motiuo para comulgar. Lo segundo, si el pecado venial consistiessse en alguna irreuerentia exterior en el recibir del sacramento, como si al tiempo del comulgar estuuiessse vno hablando palabras ociosas, ò de burla, ò hiziesse otra cosa semejante.] Sic Ledesma. Sed aliqui absolutè asserunt, qui cum affectu, vel actuali peccato veniali sacramentum Eucharistiae sumit, committere aliud veniale cuiusdam irreuerentiae, ac sacrilegij, ita Doctores, quos citat, & sequitur Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 3.*

An guttae vini, quae sunt in calice, separate à vino quod est in fundo calicis, remaneant consecratae?

RESOL. XXXII.

Hic casus frequenter accedit, & affirmatiuam sententiam docet Bonacina, quem ego adduxi *in tr. 3. miscellan. resol. 16.* sed contrarium tenendum est, nam hæc videtur esse communis, & optima Ecclesiae intentio consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum vini continui in calice continetur. Et ita præter Reginaldum, & Suarez docet nouissimè Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 2. n. 14.*

Quod autem tenet Coninch *de Sacram. qu. 74. art. 1. dyb. n. 43.* eas quoque vini guttas consecrari, quæ intra calicem reliquo liquori proximè adhærent, vt leui

calicis commotione admisceantur, difficultatem etiam habet secundum Layman *loco cit.* nam determinari non potest, quanta omnino esse debeat talium guttarum propinquitas; faretur enim ipsemet Coninch remotiores non consecrari. Neque verò potest consecratio (sicuti neque alterius Sacramenti consecratio) pendere à futuro euentu contingente, vt nimirum ex solum guttae consecrentur, quas postea contingeret calicis agitatione reliquo liquori commisceri. Dicendum est igitur illud vinum consecrari, quod per modum vini continui potabile exiit in fundo calicis.

An Sacerdos possit celebrare non ieiunus pro communicando infirmo tempore mortis?

RESOL. XXXIII.

DE hac difficillima questione egi *in tract. de celebrat. Missarum, resol. 66.* & pro parte negatiua adduxi multos Doctores, quibus nunc addo Homotonomum de Bonis *in exam. Eccles. part. 1. tract. 5. c. 11. q. 99.* Fagundez *præc. 3. lib. 3. cap. 5. n. 22.* Paludanum *in 4. dist. 8. q. 2. artic. 1. concl. 2.* Coninch *de Sacram. q. 80. art. 8.* & Suarez *in 3. p. tom. 3. dyb. 68. sect. 5.*

Non reticebo tamen, quòd pro parte affirmatiua præter Maiorem, Zanardum, & Zambranum, quos *loco citato* adduxi, tenet etiam hanc sententiam Philarchus *de officio sacerdotis tom. 1. par. 1. lib. 2. cap. 2. per totum.* Fernandez de Heredia *in disp. mixtis de Sacrament. tit. de Eucharistia, dist. 2. punct. 8. dub. 2. num. 8.* vbi vocat hanc opinionem probabiliorem, & illam probabilem etiam tenet Layman in casu necessitatis, si infirmus videlicet moriturus aliud sacramentum sœnitentiæ, aut extrinsecæ Vnctionis suscipere non possit, & scandalum cesset. Ita ille *in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 21.* sed absolutè hanc sententiam tanquam probabilem admittit Petrus Matthæus *in adnot. ad rubricas Missalis part. 1. c. 9. n. 1.*

An ad communicandum fidelem ob solam deuotionem Sacerdos possit frangere hostiam?

RESOL. XXXIV.

Negatiuè respondent Zenardus *in direct. Confess. par. 1. de sacram. Eucharist. cap. 9. q. 15.* & Grassius *par. lib. 2. cap. 38. n. 31.* vbi asserit non modica pœna dignum esse Sacerdotem frangentem hostiam, vt laicum communicet, cum ipse debeat recipere totam hostiam, *ex cap. relatum, de consecrat. dist. 2.* vnde ex incuria impressorum non bene supradicti auctores fuerunt adducti pro affirmatiua sententia *in mea resolut. 37. tractat. de celebrat. Missarum.*

Histamen non obstantibus contrarium docui in dicta resolutione, nempe posse Sacerdotem frangere hostiam pro communicando fidelem, ob solam deuotionem, & multos DD adduxi, quibus nunc addo Antonium de Literatis *in summ. part. 2. cap. 22. n. 20.* & alios, quos citat, & sequitur Ioannes Sancius *in selectis, disp. 22. n. 21.* vbi sic asserit. Aliquoties accidere potest, non fuisse consecratas paruas hostias, Hispanè *formas*, quas suscipiant communicaturi, sciat Sacerdos ei non esse vetitum partem hostiæ diuidere ad communicandum fidelem quolibet die velit ob solam deuotionem; nec in hoc efficitur iniuria, vel irreuerentia sacrificio, quia sicut participes fiunt adstantes fructuum spiritualium illius, sic meritò & fiunt fructus reales realiter hostiæ suscipiendo partem. Ita Sancius, qui etiam respondet ad canonem, quem adducit Grassius, nam ibi solum decernitur detestabilem esse consuetudinem quorundam Sacerdotum plurimas eodem die celebrantium Missas, non tamen in omnibus sacram hostiam sumentium, sed tantum in postrema sacificatione; sed hoc diuersum est ab assertionone nostra, Ergo, &c.

An suscipiens Eucharistiam in peccato mortali, & qui facit in Quadragesima confessionem inuvalidam, committat duplex peccatum in confessione explicandum?

RESOL. XXXV.

AD hanc questionem respondet Petrus Fay *de pœnit. in addit. ad 3. part. D. Thomæ quest. 4. art. 3. disp. unica, conc. 2.* sic dubitabit aliquis, an sumens Eucharistiam in peccato mortali sine præuia confessione committat duplex peccatum, mortale vnum impœnitentiæ contra præceptum confitendi ante communionem, aliud sacrilegij contra dignam susceptionem Eucharistiæ. Affirmant aliqui, & satis probabiliter propter violationem duplicis specialis præcepti, quæ contingit in casu posito: probabilius tamen opinor vnicum tantum esse sacrilegij contra dignam Sacramenti susceptionem. Et ratio est, quia ubi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum: sed qui non præmittit confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, ideo tantum peccat, quia per illius omissionem indigne Sacramentum sumit, quod si sumere non deberet, neutiquam confiteri teneretur, vt supponimus. Ita Fay, & ego hanc sententiam alibi etiam docui, & nouissime illam docet Turr. *de pœnitentiâ q. 6. art. 5. disp. 2. 1. dub. 1.* Igitur cum duo præcepta simul occurrunt, & vnum obligat tantum ratione alterius; vt est in casu nostro, violatio vtriusque est vnicum solum peccatum; ideo dicendum quod si quis omittat confessionem, quando necessaria est solum ratione Eucharistiæ suscipiendæ, non peccat contra præceptum affirmatiuum confessionis, sed contra præceptum suscipiendi dignè Eucharistiam.

Ex his etiam sequitur, vt bene obseruat Fagundez *præc. 2. lib. 3. cap. 5. num. 8.* quod qui tempore præcepti Ecclesiastici in Quadragesima fecit confessionem inuvalidam, peccat contra præceptum diuinum de integritate confessionis, & contra præceptum Ecclesiæ annualis confessionis, & tamen vnum tantum peccatum committit; quia præceptum Ecclesiæ subordinatur præcepto diuino; sic etiam qui occidit clericum, peccat contra ius diuinum contentum in 5. præcepto Decalogi, & contra ius canonicum, & ius ciuile; & tamen vnum tantum peccatum homicidij, & sacrilegij committit; quia ius ciuile, & ius canonicum, in hac prohibitionem subordinantur iuri naturali. Vide Henriquez *lib. 2. de pœnit. c. 5. n. 5.* Medinam *in p. 2. q. 109. a. 4. §. tandem, concl. 3.* Sotum *in 1. dist. 18. q. 1. art. 4.* Caietanum *p. 2. q. 72. art. 6. ad 2.* & alios.

An si sonuerit vnum horologium, posset quis comedere in media nocte, donec aliud sonuerit, & de sequenti communicare?

RESOL. XXXVI.

Affirmatiuam sententiam docuit Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. num. 4.* aduersus quem nouissime insurrexit Emanuel Rodriguez *in noua editione summa, tom. 1. cap. 105. n. 6.* vbi asserit. [Y que oyendo l. media noche esta comiendo y beuendo, no puede comulgar el dia siguiente pues el præcepto de no comulgar, auiendo comido obliga, aunque este en duda si e. media noche, porque otros relojes sonaron despues. Esta conclusion es contra Thomas Sanchez, el qual dize q. despues sonare otro reloj puede comulgar, attendo que son como vna; probables opiniones, y cada vna se puede seguir, aloqual respondo que en este precepto de celebrar en ayunas no nos auemos de atar à probabilidades.] Ita Rodriguez, & ante illum docuit etiam hanc sententiam Ioannes Salas *in p. 2. D. Thomæ tract. 8. disput. unica, sect. 26. n. 264.*

Sed mihi his non obstantibus placet magis opinio Sanchez, quidquid asserant Rodriguez, & Salas. Dico quod si diuersa sint horologia, & aliquorum sonuerit

hora duodecima, aliquorum non sonuerit, potest qui tunc soluit ieiunium naturale, communicare die sequenti, & siue illa dies, siue sequens sola sit ieiunij, poterit dubitans cœnare, & edere carnes, perinde ac si essent duæ opiniones probabiles, quarum vtramque licet sequi, & amplecti. Neque enim teneor ego sequi vnum horologium, nisi fortè antecederet illud assumpserim ad ieiunium ordinandum, iuxta illius horas, neque etiam in hoc casu, si vnum aliquantulum post aliud subsequenter sonuerit, illius horas sequi teneor; & ita hanc opinionem præter Sanchez tenet etiam Fagundez *de præceptis Ecclesiæ præc. 4. lib. 1. cap. 10. n. 3.* Sancius *in selectis, disp. 42. n. 18.* & Villalobos *in summa tom. 1. tract. 1. diff. 21. n. 7.* vbi sic asserit [Si ay diuersos relojes, se he de iuzgar, como si huuiese dos opiniones probabiles, quæ puede eligir la que quisiere, taluo si vno dellos fuesse tal que de ordinario no auduiesse bien concertado.] Sic ille. Ad argumentum vero Rodriguez respondeo, quod quando quis operatur cum opinione probabili, vt est in casu nostro, non operatur irreuerenter circa Sacramentum.

Notandum est verò hîc cum supradictis Doctoribus, quod si tantum sit vnum horologium, & vbi cœpit sonare duodecima, aliquis biberet, licet quando sonaret vltimus pulsus desisset bibere, non poterit die sequenti communicare, quia quando primus pulsus horæ auditur, iam est hora expleta, & horologium est tantum testis id indicans; & licet diuersi sint pulsus, id euenit, quia nequit vno pulsu, hora duodecima indicari; sicut vno pulsu hora prima indicatur. Ex quibus infert Sapeius *vbi supra in selectis, disp. 42. num. 20.* quod qui buccellam habet masticans, & audit primum pulsus horæ duodecimæ noctis, tenetur incontinenti de ore eiicere buccellam, si die sequenti sacramentum Eucharistiæ velit sumere, vel Missam celebrare; postquam verò buccellam eiecerit, non tenebitur esse nimis anxius ad abluendum os. Si tamen masticat buccellam de materia carnis, & dies sequens sit ieiunij, non tenetur illam eiicere, etiam sub veniali, non enim cum tanto rigore illud præceptum posituum obligat semoto contemptu. Ita Sancius.

An si reliquæ cibi præcedentis diei, quæ hærent inter dentes, sponte, & voluntarie deglutiantur, impediunt communionem?

RESOL. XXXVII.

Affirmatiuè respondet Gabriel Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 11. c. 4. n. 30.* vbi ita. Si reliquæ cibi non deglutirentur casu, sed ex industria, impedirent sumptionem Eucharistiæ quia cum de industria deglutirentur, non sumerentur per modum saluæ, sed per modum cibi. Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 8. n. 236.* sic asserit. Qui reliquias cibi ex cœna remanentes casu traicit, nec etiam frangit, si tamen aduertantur, antequam deglutiantur, debent expui, quia tunc viderentur de nouo comedi; idem docet Nugnus *in 3. part. tom. 1. q. 80. artic. 8.* ita loquens; Colligitur, quod si reliquæ cibi remanentes in ore ex intentione transglutiantur, sunt impedimentum ad communionem pro illo die; imò videtur mihi, quod si remaneat aliqua notabilis, & magna reliquia, etiam si casualiter transglutiat, si postea cognoscatur, est homo impeditus ad communicandum pro illo die. Sic Nugnus, & ante illum Plaudanus *in 4. dist. 8. quest. 2. art. 2. concl. 2.* & videtur apertè sententia D. Thomæ *in 3. part. q. 80. art. 8. ad 4.* & in illam inclinât Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 4. cap. 6. num. 18.* Et ratio (vt dictum est) erit. Primò, quia talis actio videtur noua comestio, cum ex vi prioris non sequatur, sed noua actio voluntaria fiat. Secundo, quia iam non videtur id sumi per modum saluæ: vide etiam Fagundez, Suarez, & alios *vbi infra*, Barthol. ab Angelis *in exam. confess. dial. 4. §. 214.* Reginaldum *tom. 2. lib. 29. cap. 6. num. 119.* & Muttingum *in Theol. mor. de sacr. Eucharist. q. 10.*

Sed si aliquis voluntarie tales reliquias deglutiret, & postea communicaret, non damnarem de peccato mortali, nam contraria sententia videtur probabilis, ut visa est Suarez in 3. part. 10. 3. disp. 68. sect. 4. qui citat doctissimum Tabienam; & illam tenet Henriquez in summ. lib. 8. cap. 50. n. 4. in glossa littera V. & tanquam probabilem admittit etiam Io. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. q. 5. dub. 4. concl. 2. vbi sic ait. Item, quæ manent in ore ex extrema cæna, si casualiter, imò licet aduertenter, secundum aliquos, non impediunt sumptionem Eucharistiæ. Ita ille. Vide etiam Molfesum in summa tom. 1. tract. 3. cap. 10. n. 13. Pitigianum in 4. to. 1. dist. 18. q. 3. art. 3. Chamerotam. de Sacram. tract. 4. cap. 10. dub. 9. & Rodriguez in sum. to. 1. cap. 10. num. 3. vbi ita asserit. [Por tragar vno vna reliquia de manjar que se queda entre los dientes, no queda impedido para comulgar, porque esto no se traga por modo de manjar, sino por modo de saliuæ, pero si la reliquia fuere tal que se pata entre los dientes tragandose no podra comulgar.] Et Coninch de Sacramentis qu. 80. art. 8. n. 47. pro hac sententia duas adducit rationes. Prima, quia deglutitio talium reliquiarum pertinet potius ad manducationem præcedentis diei, quam præsentis; deinde cum dictæ reliquie hodie nullo modo ab extrinseco ori imponantur, non sumuntur iam per modum cibi, sed per modum saliuæ. Ergo non impediunt communionem, etiam si voluntarie deglutiantur. Sed his non obstantibus consulendum est dictas reliquias, quantum commode fieri potest, expuere.

Notandum est tamen hic obiter, quod si quis aliquantulum aquæ per nares attrahat, quæ in stomachum transmittatur, non manet impeditus ad sumptionem Eucharistiæ, quia non fuit per modum cibi, aut per modum potus transmissa. Idem dicendum est, si quid per modum respirationis attrahatur, etiam si possit nutrire, vel alterare, ut muscam, vel quid simile. Et ita docent Fagundez de præceptis Ecclesiæ, præc. 3. c. 5. n. 14. & alij.

An si quis manè degluciat chartam, cetræ, frustum ligni, aut quid simile non comestibile, possit sacram Eucharistiæ sumere?

RESOL. XXXVIII.

Hanc questionem ego discussi in tractat. de celebrat. Missarum, resol. 52. & pro parte negatiua adduxi Henricum & Nugnum, quibus nunc addo Villalobos in summa, tom. 1. tract. 7. diff. 39. n. 1. Reginaldum tom. 2. lib. 29. cap. 6. n. 18. Naldum in summa, verb. Eucharistiæ, n. 10. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 6. n. 18. & Scortiam de sacrif. Missæ lib. 2. c. 7. n. 1. vbi sic asserit. Ieiunium ad sumendam Eucharistiæ non tantum Ecclesiasticum esse debet, sed etiam naturale; ita ut excludat & cibum, & potum, & medicinam, resque cæteras, etiam si non nutriant, ut papyrum, &c.

Sed his non obstantibus, in dicta resolutione, sententiam affirmatiuam tenui, & adduxi Summam Coronam, & Ioan. de la Cruz, quibus nunc addo Ludouicum de S. Iuan in summ. part. 1. tract. de Eucharist. q. 7. art. 10. & Sancium in selectis disp. 42. num. 23. vbi sic ait. Infertur etiam quod qui parum papyri, aut alterius rei non comestibilis deglutisset, possit communicare: solus enim cibus, aut potus impedit communionem. Ita ille, & hanc sententiam probabilem putat Ledesma in summa, to. 1. de sacram. Eucharistiæ c. 2. conclus. 4. ita asserens. [Ay vna duda, si vno inaduertidamente traga vn poco de papel, ò de otra cosa, que no tiene razon de comer, ni de beber, si el tar podra comulgar. En esta dificultad algunos dicen, que si, por no ser manjar, y otros dicen que no, porque parece que en este caso tienen lugar derechos traydos. A esta dificultad se responde, que ambas sentencias son probables, y se pueden seguir.] Sic ille, & ego.

An sacrificium Missæ remittat peccata venialia ex opere operato?

RESOL. XXXIX.

Affirmatiuam sententiam docet Didacus Nugnus in 3. part. to. 1. q. 83. art. 1. conclus. 6. & hanc sententiam probabilem putat, licet contrariam tanquam probabiliorem teneat Ioan. de la Cruz in direct. conscient. par. 2. de sacrif. Missæ, q. 1. dub. 4. concl. 6. vbi sic asserit. Probabile est hoc sacrificium remittere peccata venialia ex opere operato infallibiliter, & ita docuit Frater Gasias de Mondrago in nostro insigni collegio Sancti Gregorij Vallisoleitani; sed oppositum est probabilius, nam idem videtur esse de peccatis venialibus, ac de mortalibus. Nam etsi sacrificium Crucis habeat dictos effectus ex opere operato, tamen ex voluntate diuina varie per varia media applicatur; per Sacramenta enim applicatur ex opere operato, & infallibiliter, non sic verò per sacrificia. Ita la Cruz.

Sed ego Nugno libenter adhæreo, nam sacrificium Missæ ordinatur ad remittenda peccata, sed non potest remittere mortalia ex opere operato. Ergo saltem venialia; deinde satis probabile est sacramentalia remittere venialia. Ergo à fortiori sacrificium Missæ; quia excellentius est.

Quidam infirmus antequam in mortis periculum incidit, sacram Eucharistiæ ex deuotione sumsit, queritur an teneatur iterum communicare?

RESOL. XL.

Respondeo negatiuè cum Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 4. vbi sic asserit. Si infirmus vno, duobus, tribus, vel etiam octo diebus antequam in mortis periculum incidit, communicauerit, consulendum quidem ei est, ut iterum Eucharistiæ per modum viatici accipiat, tamen ad id non obligatur, cum præceptum de Eucharistiæ ante mortem instantem sumenda secundum substantiam impleuerit. Ita Layman, & alij.

Sed plus addunt Caietanus verb. Communio, Armilla eodem verbo, n. 4. & Emanuel Sà correctus à magistro Sacri Palatii verbo Eucharistiæ, n. 1. vbi sic asserit. Qui in Paschate communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam sine contemptu; non peccat mortaliter. Ita ille, licet contrarium asserant Zambranus de cas. tempore mor. cap. 3. dub. 1. Syluius in 3. part. q. 80. art. 11. queritur 1. concl. 1. Layman vbi supra, & Fagundez præc. 3. lib. 1. c. 3. n. 8. qui male pro sua sententia citat Emanuelem Sà, ut supra vilius est.

Notandum est tamen hic obiter, D. Bonauenturam in 4. dist. 10. art. 3. q. 1. Paludanum dist. 9. q. 1. Caietanum in summa verb. communio, Armillam eodem verbo, n. 4. Victoriam in summa, n. 83. Ledesmam, & alios docere non esse mortale omittere Eucharistiæ in mortis articulo, nisi adsit contemptus; licet contrarium doceat Richardus, Turandus, Gabriel, Sotus, & alij, quos citat, & sequitur Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 19. q. 3. art. 7. & alij recentiores, quos ego sequor.

In si quis in Paschate Eucharistiæ non sumsit, teneatur postea quàm primum communicare?

RESOL. XLI.

Affirmatiuam sententiam docet Nugnus in 3. part. to. 1. q. 80. art. 11. diff. 2. concl. 3. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 9. q. 3. a. 9. Fagundez præc. 3. lib. 1. cap. 6. numer. 2. Lzorius tom. 1. lib. 7. cap. 40. q. 1. Coninch de Sacram. q. 80. art. 11. dub. 4. Suarez in 3. part. to. 3. di. p. 70. sect. 2. Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 5. n. 8. Graffius part. 1. lib. 2. cap. 38. n. 25. Syluius in 3. part. q. 80. art. 11. queritur 4. & alij asserentes, quod qui in Paschate seu iusta, seu iniusta causa

causa Eucharistiam non sumperit, postea cum primùm commode potest, communicare debeat, vt quantò diutius differat, tantò magis peccatum augeat. Et ratio est, quia non conceditur terminus annuus, vt tunc cesset obligatio, sed vt adimpletio non possit vltèrius differri, sicut in contractibus quando statuitur tempus vltra quod non potest differri solutio, si tunc non fiat, obligatio non extinguitur, sed perleuerat.

Sed contrariam opinionem puto etiam probabilem esse, quam docent Sotus in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. Syluester ver. Eucharist. 3. quæst. 15. Tabiena ver. communicare, quæst. 7. D. Antoninus part. 2. tit. 9. cap. 9. §. 3. Valentia 10. 3. disp. 6. q. 8. punct. 4. Armilla verb. communicatio, nu. 6. Medina in instruct. confess. lib. 1. cap. 14. n. 42. Victoria in summ. qu. 148. Ledesma 2. 4. q. 2. art. 5. dub. 2. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de sacr. Eucharist. q. 5. dub. 7. concl. 4. Tolemus lib. 6. cap. 18. & Emanuel Sa verb. Eucharistia, n. 7. vbi sic ait. Qui in Paschate transgressus præceptum non communicauit, non peccat iterum mortaliter, si postea non communicet: semel enim tantùm id præceptum obligat, scilicet in Paschate, vt præceptum de confessione, semel solùm quolibet anno. Ita ille.

An qui prauidit impedimentum futurum, vt in tempore Paschatis Eucharistiam accipere non possit, teneatur præuenire tempus, & illam sumere?

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondent Syluius in 3. part. q. 80. art. 11. *quæritur* 3. Nugnus etiam 3. part. q. 80. art. 11. diff. 2. Fagund. præc. 3. lib. 1. cap. 6. num. 3. & alij. Ratio est, quia præceptum communionis non limitatur ad tempus Paschæ ad tollendam obligationem ante illud, præuiso impedimento impediente illam.

Non reticebo tamen contrariam sententiam docere Pitigianum in 4. sentent. tom. 1. dist. 9. q. 3. art. 9. Azorium tom. 1. lib. 17. cap. 4. q. 13. & alios; quia nec vltus Ecclesiæ id habet, nec ille qui ieiunare tenetur & audire sacrum, tenetur anticipare tempus, si præuideat futurum impedimentum, quò die proprio non possit. Ergo, &c.

Sed si quis stare vellet in prima opinione, quæritur an ita præueniens, non sequuto impedimento tempore ab Ecclesia constituto, teneatur iterum communicare. Negatiuè respondeo cum Fernandez de Heredia in disp. de Sacram. tract. de Eucharistia, p. 8. dub. 1. n. 10. Ratio est, quia ex cap. omnis vtriusque sexus, de penit. & remiss. licitum est de consilio proprii Sacerdotis extra Ecclesiæ tempus communionem differre; quo casu communione extra tempus facta simpliciter satisfat Ecclesiæ. Ergo ex præsumpta voluntate eiusdem Ecclesiæ, etiam anticipatio propter præuisum futurum impedimentum admitenda est. Quo casu satisfactum simpliciter esse præcepto Ecclesiæ dicendum erit. Probatur consequentia: fieret enim anticipatio in hoc casu de consilio cuiuslibet viri docti, & pij; at hoc præceptum Ecclesiæ substantialiter terminatur ad communionem intra annum faciendam, accidentaliter verò ratione congruentiarum ad tales, seu intra tales dies, quod ex textu conuincitur in dicto c. omnis, ibi, *Hi saltem in anno*, & ibi, *ad minus in Pascha*. quis enim illa verba ad substantiam præcepti, hoc verò ad præcepti circumstantiam non retulerit? Ergo hac anticipata communione, facta quidem ex voluntate adimplendi præceptum Ecclesiæ, quidquid sit postmodum de secuto accidentaliter impedimento, præcepto Ecclesiæ satisfat, cessante dierum Ecclesiæ congruentia, propter congruentem etiam eorundem dierum anticipationem, quæ sanè facilius debet, quàm dilatio admitti. Ita Fernandez, & ante illum Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 70. sect. 2. circa finem.

Sed plus addit Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 5. nu. 9. vbi asserit, quòd qui præuidit se in Paschate à sacra

communione impeditum iri, non tenetur tempus præscriptum præuenire, dummodo intra eum annum semel communicauerit. Ita ille, quod est valde notandum; vide etiam Coninch de Sacram. q. 80. art. 11. dub. 4. concl. 2.

An qui in Paschate communicauit indignè, satisfecerit præcepto Ecclesiæ?

RESOL. XLIII.

Negatiuè respondent Syluius in 3. part. qu. 80. art. 11. *quæritur* 2. & alij; quia cum præceptum Ecclesiæ sit quædam explicatio, & determinatio præcepti diuini, non est dubitandum, quòd intendat præcipere communionem talem, qualem Christus præcipit, id est, piam, & religiosam. Et ita hanc sententiam docet Nugnus etiam in 3. p. q. 80. art. 11. diff. 2. dub. vlt.

Sed ego affirmatiuam sententiam probabiliorem esse iudico, quia Ecclesia nihil aliud præcipit, quàm vt in Paschate corpus Domini sumatur. Ergo licet communicans indignè sacrilegium faciat, tamen quoad substantiam, implet præceptum Ecclesiæ. Et ita docent Fagundez præc. 3. lib. 1. cap. 6. n. 4. Pitigianus in 4. tom. 1. dist. 9. q. 3. art. 10. Azorium tom. 1. lib. 7. cap. 41. q. 12. Lopez in instruct. part. 1. cap. 11. §. reuocari. Sotus de iustitia lib. 2. q. 3. art. 10. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 70. sect. 2. & alij, quos citat, & sequitur Villalobos in summ. tom. 1. tract. 7. diff. 42. nu. 6. vbi sic asserit. [Aunque vno comulgue estando en pecado mortal y peque en ello, cumple con este preceto. La razon es, porque la ley que manda hazer alguna cosa, manda la substancia, y no el modo, y assi el preceto del Baptismo se cumple, aunque sea en pecado mortal y fauorece esto el estilo de la Yglesia, que no obliga à boluer à comulgar al que desta manera comulgo.] Igitur qui indignè in Paschate Eucharistiam sumpsit, satisfecit præcepto Ecclesiæ, nec tenetur statim agere penitentiam, & iterum communicare, vt Doctores contrarij sentiunt.

Quenam temporis intercapedo habenda sit inter vnã, & alteram communionem, vt infirmus possit communicare non ieiunus?

RESOL. XLIV.

In resol. 77. tract. de celebrat. Missarum, dixi sufficere sex dies, sed plus addit Paulus Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 20. vbi sic asserit. Eucharistia ob mortis periculum si sumpta sit à non ieiunus, posse iterum ita accipi saltem post sex dierum interuallum. docent aliqui quiniuò existimo ob iustam causam, puta, si aliquis afflictus frequenter communicate, aut sacrificare propter deuotionem, ac desiderium, difficile abstineat, permitti ipsi posse, vt altero statim die iterum sacram Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus, dummodo mortis periculum instare videatur. Ita Layman. Sed post hæc scripta inueni Ludouicum de S. Iuan in summ. tom. 1. q. 7. art. 10. diff. 4. de sacram. Euchar. sic asserere. [Siendo yo Prælado daua à los enfermos el viatico, si lo pedian cada tercera dia, y en la Vniuersidad de Alcalá se sabia, y la aprobauan, sino el Padre Vasquez.] Ita ille, vbi etiam notat dictum Gabrielem Vasquez tandem in hanc descendisse sententiam, quod est valde notandum contra illos, qui nixi auctoritate Vasquez negant viaticum sæpius dandum infirmis.

Notandum est etiam cum Henriq. lib. 8. c. 4. in glossa littera V. quòd si quis proximè ante medium noctis cœnauit in Dominica, incidente in vigilia Natiuitatis Domini, posse statim post medium noctis sacrificare, & communicare. Deinde licet deceat aliquo tempore post sacram communionem à cibo, & potu abstinere, tamen ad id nemo tenetur sub mortali, & ideo potest quis statim sine graui culpa, de sacrificia ad prandium accedere, vt docent Villalobos in summ. to. 1. tr. 7. diff. 39. n. 5. Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 8. Valent. 10. 4. disp. 6. q. 8. punct. 3. ver. postremo, & alij.

An Sacerdos finita Missa si in Sacristia inueniat aliquod fragmentum in pascena, vel calice, possit illud sumere?

RESOL. XLV.

Hic casus frequenter potest accidere, & ideo negatiuum sententiam sustinendam esse puto; nam hoc licitum erit dum Sacerdos in altari persistit; quia tunc etiam modi reliquiarum assumptio refertur ad vnum idemque conuiuium, & sacrificium, quod plane absolutum non censetur, dum Sacerdos in altari manet: secus autem si ab illo decesserit, ut est in casu proposito. Et ita docent Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 4. c. 6. n. 22.* Coninch de *Sacram. q. 80. art. 8. n. 64.* Suarez in *3. p. 10. 3. disp. 68. sect. 6.* Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 7. diff. 39. n. 16. 10.* de la Cruz in *direct. conf. tom. 2. de sac. Eucharist. qu. 5. dub. 4. concl. 3.* Fagundez *pr. 3. lib. 3. cap. 5. nu. 3.* vbi sic ait Existimo non posse Sacerdotem per se loquendo predictas reliquias sumere, postquam ab altari recessit, quia iam expleuit, perfecitque ministerium suum; secus tamen esset ex accidenti, quando illæ non possunt conseruari sine maiori irreuerentia, in ea enim circumstantia non solum reliquæ præsentis sacrificij, sed etiam præteritorum absumi possunt ab ipso Sacerdote non ieiunato, etiam postquam à multo tempore ab altari recessit. Ita ille, & ego. Igitur pro praxi dicendum est, quod si in Ecclesiis, vbi plures successiue celebrantur Missæ, aliquis Sacerdos in sacristia inueniat in calice, verbi gratia, aliquod fragmentum, tunc alius Sacerdos ieiunus exiens ad dicendam Missam celebret in illo calice, ut fragmentum illud ieiunus accipiat; sin verò id accidat in aliqua Ecclesia, vbi vna Missa tantum celebretur, & ibi non reseruatur Sacramentum, tunc Sacerdos non ieiunus potest tale fragmentum accipere, quia illud reseruari sine maiori irreuerentia non potest. Notentur hæc pro praxi, quia forsitan apud neminem inuenies.

An si Sacerdos sciat ex confessione aliquod delictum alicuius non emendatum, si occultè petat Eucharistiam, sit illi deneganda?

RESOL. XLVI.

Si absit periculum infamiae, esse in tali casu denegatiuum Eucharistiam docent Pitigianus in *4. sent. tom. 1. dist. 9. q. 1. art. 15.* Fernandez de Heredia de *Euchar. par. 8. dub. 1. n. 3.* Valquez in *2. v. tom. 3. disp. 209. cap. 5. n. 51.* qui citat Alexandrum, D. Thomam, Durandum, & Ledemann. Idem docent Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 33. sect. 6. n. 2.* Victoria in *summa. n. 80.* Tabiena *verb. communio, §. 3.* Angelus *verb. Eucharistia 3. §. 20.* Ratio est, quia sic confutitur & sigillo, & sacramento; sigillo, quia non reuelatur, cum occultè negetur; sacramento verò, quia non datur indigno.

Sed tu omnino contrariam sententiam tene, quam tuentur Valentia *tom. 4. disp. 6. q. 8. punct. 3.* Nauarrus *cap. 21. n. 55.* Paludanus in *4. dist. 9. art. 1. concl. 3.* Coninch in *3. p. 9. 80. art. 6.* Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 4. c. 6. n. 9.* Sanchez de *matrim. to. 1. lib. 3. disp. 36. n. 14.* D. Antoninus *par. 3. tit. 14. cap. 12. §. 2.* Adrianus *col. 2. q. 3.* Nugnus in *3. part. tom. 1. quest. 80. art. 6. diff. 2.* Syluester *verb. Eucharistia 3. n. 7.* Armilla *verb. confessor. n. 7.* Henriquez *lib. 8. cap. 39. n. 3.* & Fagundez *pr. 3. lib. 3. c. 10. n. 23.* vbi has adducit rationes, quia illa negatio quæ fit occultè, per accidens est quod sit occulta, cum de se sit publica, sit enim in occulto foro penitentiae, ad dirigendum actum humanum extremæ administrationis ipsius Sacramenti. Notitia autem confessionis uti non potest homo ad dirigendos actus externos aliorum. Secundò finita confessione finitur Sacramentum, cuius sigillum ita obligat, ea finita, ut neque cum ipso penitente possimus ampliùs de illa lo-

qui, nisi de speciali licentia illius; nec solum loqui, sed nec etiam vultu, aut factis exprobrare peccata illius possumus, quantumuis occultissimè id faciamus, nihil enim minus scimus, quam quod per confessionem scimus. Ergo nec etiam negare Eucharistiam, quantumuis occultissimè petat, cum ea negatio sit quedam exprobratio Et tandem notitia confessionis nullum commercium habet cum actionibus publicis; quæ enim Confessarius via confessionis scit, scit ut Deus: & quando Eucharistiam negat, negat ut homo quare vna notitia iuuare alteram non potest. Hæc omnia Fagundez. Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ; negandum est enim quod in tali casu non frangatur sigillum confessionis, si non potest ostendi alia rationabilis causa.

An in casu extremae necessitatis si minister idoneus non adsit, possit laicus se ipsum communicare?

RESOL. XLVII.

Negatiuum sententiam docet Bonacina de *Sacram. disp. 4. quest. 5. punct. 1. num. 6.* Zambranus de *cas. tempore mortis, cap. 3. dub. 6. numer. 6.* & alij penes ipsos; quia non est ita necessarium sumere Eucharistiam tempore mortis, ut laicus possit propria auctoritate sibi illam ministrare.

At ego contrariam sententiam teneo cum Filliucio *tom. 3. tract. 4. cap. 9. n. 285.* Suarez in *3. part. tom. 3. disp. 72. sect. 3.* Coninch de *Sacramen. q. 82. art. 3. n. 23.* Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 7. n. 4.* vbi sic ait. Si aliquis clericus, seu laicus in mortis art. constitutus, ministrum idoneum non habeat, à quo Eucharistiamumat, nihil obitare videtur, quo minus se ipsum communicare possit (scandalo cessante) exemplo Reginae Scotiae, quæ in Anglia martyrium subitura, sacramentum Eucharistiae, quod secum habebat, propriis manibus sumpsit.

Imò contra Fagundez *præcept. 3. lib. 3. c. 1. n. 10.* Syluestrum *verb. Eucharistia 3. q. 4.* & alios putant aliqui non solum laicum posse in periculo mortis, si non adsit Sacerdos idoneus, se ipsum, sed etiam alios, communicare. Et licet hæc opinio intolerabilis vocetur à Soto in *4. sent. dist. 23. q. 1. art. 3.* tamen mihi probabilis videtur cum Valentia *tom. 4. disput. 6. quest. 10. punct. 1. in fine,* & illam docet nouissimè Layman *vbi supra,* & Coninch; nam id nec naturali, nec diuino Christi præcepto repugnat, neque vllus canon Ecclesiasticus reperitur, quid id prohibeat; quia *cap. peruenit, dist. 2. de consecrat.* loquitur extra casum necessitatis. Nec valet Ecclesiae consuetudo in contrarium. Nam respondeo, quod fieri potest longissimo tempore, licet hoc factum numquam fuerit, saltem, ut aliis innotesceret: non quod hoc facere illicitum sit, sed quia casus ex se ipso rarissimus sit.

Notandum est tamen hic obiter, quod si magnum festum adsit, & Sacerdos sacrificare non possit, posse quidem eum tali casu, scandalo cessante, ex sacrario Eucharistiam accipere, & se ipsum communicare, si alius sacerdos non adsit, & hoc etiam præsentente diacono. Ita Suarez, Layman, Coninch, & nos alibi.

An Sacerdos, si post introitum recordetur alicuius peccati mortalis, teneatur confiteri, si sine scandalo potest?

RESOL. XLVIII.

Affirmatiuè respondet Syluester *verb. Eucharist. q. 7.* Nauarrus *cap. 25. n. 76.* Suarez in *3. p. tom. 3. disp. 66. sect. 4.* Coninch de *Sacram. q. 80. art. 4. dub. 1.* & alij afferentes, quod si Sacerdos post consecrationem recordetur peccati mortalis, debet elicere contritionem, & Missam profequi; sin autem ante consecrationem, seclusa infamia confiteatur.

Non reticebo tamen contrarium docere Sotum in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. Victoriam in sum. Sacram. n. 78. & Henriquez lib. 8. cap. 46. vbi asserit Sacerdotem Missam celebrantem, etiam si memor sit alicuius peccati ante consecrationem, non esse adstrictum confiteri, quamuis hoc commodè, & sine scandalo efficere possit. Igitur in tali casu Sacerdos eliciat actum contritionis, & ob reuerentiam sacrificij pergat, & cœptam Missam perficiat; sed mihi affirmatiua sententia probabilior videtur.

Notandum est tamen cum Syluestro loco citato, & aliis, quòd in Missa solenni, vulgò dicitur cantata, si inter concionem, vel cantionem Sacerdos possit confiteri, omninò obligatus erit ad hoc faciendum, si ei aliquod peccatum in mentem venerit.

Quidam Sacerdos in calice multas guttulas aquae infundebat, quasiuit an ita faciendo toties peccauerit?

RESOL. XLIX.

Respondi minime, & adduxi Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 9. vbi sic asserit. Non ita sollicitè, ac scrupulosè curandum est Sacerdoti, vt aquam valdè modicam, vel vniam guttulam effundat (quod nescio an satis conueniens sit, præsertim si fiat cum sollicitudine, ob quam fieri possit, vt phantasia, & sensu deluso nihil omnino effundatur:) sed plures guttas effundere potest, imò etiam octauam, vel decimam partem proportionalem. Ita Layman, vbi docet opinionem, quam noster P. D. Paulus Aresius Episcopus Dortononensis, vir doctissimus, & amicissimus, olim ante omnes neotericos publicè in nostris scholis tenuit, & postea typis mandauit, in disput. de aqua transmutatione in sacrificio Missæ; nempe immediatè in Christi sanguinem conuerti. Quam sententiam docet etiam Coninch de Sacra. q. 74. art. 3. dub. unico, qui testatur Romæ publicè defensam anno 1606. & iterum anno 1608. Pef. in 3. part. q. 74. art. 8. disp. 2. Scott. de sacrificio Missæ, lib. 4. c. 1. n. 3. Toletus lib. 2. c. 25. n. 4. Iansenius in concordia, c. 13. Pettus Sotus lect. 14. de Eucharist. Alanus de Sacram. lib. 1. cap. 13. & aliquos asserit Layman, vbi supr. & noster Aresius sect. 7. Et hanc sententiam probabilem putant ipsi met aduersarij, vt patet apud Ledesnam vbi infra; in illis verbis. [Esto es lo mas probable, y que tiene mas aparencia] quicquid in contrarium asserat Fernandez de Heredia disp. de Sacram. Baptis. part. 3. dub. 1. n. 9. Homobonus de examine Eccles. part. 1. tract. 4. c. 10. quest. 86. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de Sacram. Eucharist. quest. 1. dub. 3. concl. 2. Syluius in 3. part. quest. 74. art. 8. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 7. d. ffic. 7. num. 5. Sotus in 4. dist. 9. quest. 1. art. 6. Nugnus in 3. part. q. 74. art. 8. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 45. sect. 4. Valentia tom. 4. q. 2. disp. 6. punct. 1. Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 30. q. 3. Henriquez lib. 8. cap. 14. in glossa littera D. Ledesma in summa, tract. de Eucharist. cap. 8. concl. 8. & alij, quos citat, & sequitur Fagundez præc. 3. lib. 2. cap. 4. num. 8. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 11. quest. 7. dub. 5. Grassius tom. 1. lib. 3. concl. 3. n. 29. de celebrat. Missarum, & Hyacinthus Petron. in opusc. de necessitate præconuersionis aqua in vinum, cap. 12. per totum. Vide etiam Reginaldum tom. 3. lib. 29. c. 2. n. 27.

Sed hic obiter in gratiam curiosorum ponam pulchrum dubium stando in hac opinione, an si fiat conuersio aquæ in vinum in illo medio tempore, in quo profertur forma, prolatis tamen illis verbis, *Hic est calix*, si tunc illa pars vini, quæ sit ex aqua, conuertitur in sanguinem Christi. Pater Suarez vbi supra in 3. part. tom. 3. disp. 45. sect. 4. negatiuam sententiam docet, quia illud pronomen *Hic*, ostendit materiam præsentem: sed illa pars non est præsens, nec vinum, in illo instanti, in quo profertur illud pronomen. Ergo deinde si alia materia adduceretur de nouo, & fieret præsens in illo medio tem-

Anton. Diana Ref. Mor. Pars. III.

pore, non consecraretur. Ergo neque ista, quoniam minus est præsens res quæ non est.

Sed aduersus illam affirmatiuam sententiam tuetur Nugnus in 3. part. q. 74. art. 8. in fine, & docet, quòd talis materia maneret consecrata, quoniam intentio ministri, cum sit religiosa, refertur ad instans, in quo fit consecratio, sed tunc est illa materia præsens, & sufficiens. Ergo. Et ad argumentum Suarez respondet, quòd etiam in illo instanti, in quo profertur illud pronomen, est illa materia moraliter præsens; quoniam suppositis dispositionibus erit præsens in minima distinctione temporis, & vt ait Aristoteles, quòd parùm distat vt fiat, nihil distare videtur. Ad confirmationem quidquid sit de antecedenti, negat consequentiam, quia ibi est omninò per accidens, quòd fiat præsens materia in breuissimo illo tempore: in nostro autem casu suppositis dispositionibus, quæ ex natura rei ordinant conuersionem ad illud instans, est per se. Et hæc omnia Nugnus. Sed quia Confessariis speculatiua non ita placebunt, idè ad alia practicabilia deueniamus.

Quam intentionem habere debeat Sacerdos nouiter ordinatus, quando cum Episcopo in Missarum solenniis concelebrat?

RESOL. L.

Hic casus frequenter accidit, relinquendo placita aliorum DD. ponam hic ea, quæ circa præsentem questionem docet doctus Layman in exam. Theol. mor. lib. 5. tr. 1. c. 7. n. 5. vbi sic asserit. Curandum est illi supradicto, scilicet Sacerdoti, vt non post alios verba consecrationis finiat, nam si alius quisquam absolutam consecrandi intentionem habens, ante alios ipsamque principalem sacrificantem Episcopum verba consecrationis finiat, solus is consecrabit. Quod incommodum vt euitetur, monent DD. concelebrantes oportere habere intentionem conditionatam, videlicet consecrandi, si simul cum Episcopo verba consecrationis absoluant, non item si præueniant. Mihi verò magis placet cautio Doctorum monentium, vt noui Sacerdotes seruent generalem intentionem proferendi verba secundum voluntatem Ecclesiæ, quia non defunt, qui existimant, illos verba consecrationis non dicere formaliter, & cum intentione consecrandi, sed tantum recitatiuè, & materialiter in signum potestatis sibi concessæ; in quam sententiam valde probabilem propendunt Richardus, & Suarez. Hæc omnia Layman, vide etiam Caieranum in 3. part. q. 82. Henriquez lib. 8. cap. 18. num. 2. & Suarez tom. 3. disp. 61. sect. 4. & alios. Notentur hæc, quia multos scrupulos sedabunt.

DE SACRAMENTO
PŒNITENTIÆ.

An pœnitens, qui non vult acceptare pœnitentiam, sit absolueudus?

RESOL. LI.



NEGATIVE respondeo cum Doctoribus, quos citavi in tract. 1. miscellan. resol. 52. quibus nunc addo Comitolum in resp. mor. lib. 1. q. 35. per totam, vbi mordicus nostram sententiam probat.

Sed ibi etiam notavi aliquos DD. affirmatiuam sententiam probabilem existimare, quibus nunc addo Fabrum lectorem primarium Sacræ Theologiæ in Academia Patavina de pœnit. in 4. sentent. dist. 19. quest. unic. disput. 35. cap. 10. num. 26. & seq. & Pharaonium tract. 1. de pœnit. sess. 21. cas. 10. vbi probant, quòd si pœnitentia sit satisfactoria, & non medicinalis, seu præseruatiua,

H posse

posse pœnitentem illam non acceptare, modò habuit animum satisfaciendi, vel viuens in hoc sæculo per indulgentiam, & bona opera, vel mortuus per pœnas Purgatorij; quia non adest præceptum de acceptanda tali pœnitentia. Addit tamen Faber *vbi supra*, num. 229 quòd licet hæc opinio sit vera, tamen in praxi non esset de facili ponenda in vfu, quia difficile est inuenire aliquem verè pœnitentem, qui bona fide confiteatur, aded laxum, vt nolit vel tantillum pœnitentiæ acceptare. Proinde si quis accederet, qui nollet vel exiguam pœnitentiam acceptare, esset multum considerandum, an haberet verum dolorem, & esset benè dispositus; qui enim nec ter I E S V S dicere vellet, non videtur bene dispositus, & proinde ex hoc capite esset reiiciendus, non autem quia teneretur ad acceptandam pœnitentiam. Quòd si constaret probabiliter verè pœnitentem, & saltem attritum, neque enim ex hoc præcisè, quòd non vult acceptare pœnitentiam, est in peccato mortali, quia conteritur de peccato, & vult puniri ab eo, cuius est pœnam iuste infligere; certè non esset dimittendus sine absolutione. Ita Faber, vide supradictam resol. 52. & Vegam *in summ. tom. 2. c. 64. cas. 1. cum Estio in 4. sent. dist. 15. §. 20.* qui hanc sententiam probabilem putat, nam contrariam vocat tantum probabiliorem.

An inspirationibus diuinis non correspondere, sit peccatum, & bene faciant qui de hoc se in confessione accusant?

R E S O L. LII.

Hæc resolutio sedabit multos scrupulos, præsertim personis spiritualibus. Toletus *lib. 3. c. 2. n. 6.* asserit esse peccatum veniale non respondere diuinis inspirationibus, nec operari aliquod bonum, cum possit quis operari, licet non obligetur ex præcepto.

Sed Sancius *in selectis, disp. 7. n. 4.* inquit ab isto Doctore, si ex præcepto non obligatur ad operandum, quare omittendo operationem peccabit venialiter, cum etiam peccatum veniale contra præceptum sit, & non præter præceptum, vt ipsemet Toletus testatur.

Ideo tanquam certum tenendum est, ait idem Sancius, nullum esse peccatum vocationibus diuinis ad consilia exhortantibus non respondere. Cum enim consilia sequi non sit sub præcepto, sed sub consilio, & non operari iuxta consilium, nullum peccatum sit, vt admittunt omnes, nec etiam non respondere vocationi ducenti ad consilium peccatum veniale erit. Et hanc sententiam docet etiam Tannerus *in part. 2. disp. 4. quæst. 10. dub. 4. n. 70.* vbi in repugnantia diuinis inspirationibus nullam culpam inuenit.

Hinc colligitur, quòd quoties obsistitur ab hominibus inspirationibus ad sequendum consilia, vt quòd efficiantur Religiosi, quòd abstineant à curis secularibus, quòd sint contenti quibus tegantur, ne sedulo quærant alimenta superflua, ne nimium solliciti sint de salute corporis, vt orent mentaliter, quòd dignitates non appetant, &c. colligitur (inquam) non esse necessarium huiusmodi defectus non responsonis confiteri, cum peccatum minime sit deferere consilia Euangelij. Aduertantque Confessarij, fideles monere nullum interuenire peccatum in huiusmodi non responsonibus circa inspirationes diuinas, ne ex conscientia erronea peccent. Et hæc omnia Sancius *vbi supra*, quòd etiam procedere in Religiosis obseruat.

Notandum est etiam hinc obiter cum eodem Sancio num. 11. quòd transgressio inspirationis oblata, quando offertur occasio frangendi præceptum, non est distinctum peccatum à crimine transgressi præcepti. Sed an, vt solent facere communiter pœnitentes, sit consilium manifestare Confessario in actu sacramentalis confessionis supradictas resistentias circa diuinas inspiratio-

nes; negatiue respondet *loco citato* Sancius, & *disp. 1. n. 4. & seq.* Nam licet secundum se narrare aliquas imperfectiones causa humilitatis, & capiendi consilij sit vtilius, quam ab illarum relatione abstinere; illas tamen sacramentaliter confiteri, & animo quo communiter à fidelibus in confessione recensentur, minus vtile est, quia sacramentalis confessionis iurisdicctio ad sola peccata se extendit. Narrare igitur vt absoluantur, quæ peccata non sunt, minus vtile est; fideles enim illiterati eo animo recensere decreuerunt, vt ab eis absolutione liberentur. Cum verò error hic sit, æquum erit Confessariis pœnitentes monere, ne sacramentaliter, vel vt absoluantur, ea quæ peccata non sunt, narrent. Hinc idem Sancius tenet, quòd pœnitentes de multis rebus se accusare solent, vt absoluantur, quæ peccata non sunt, Et ideo.

Primò, pœnitens si examinationem sufficientem egisse bona fide arbitratur, & dolorem adducere (quamuis non egerit maxima examinatione,) quam possit, aut non adducat magis intensum dolorem, non opus est huius defectus se accuare, quia ad moralem diligentiam solum obligatur.

Secundò pœnitentibus opus non est in fine confessionis dicere, Me accuso & de omnibus commissionibus, opere, verbo, & cogitatione, quia huiusmodi generalis accusatio imbibita est in specialium confessione.

Tertiò, pœnitentibus opus non est in fine confessionis dicere, Me accuso de omnibus, quorum obliuiscor, quæ si in memoriam renocarentur propalarem, quia huiusmodi propositum inclusum est in peccatorum accusatione.

Quartò, pœnitentibus opus non est se accusare non amasse Deum tota intentione actus, qua possent; quia in minima intentione impletur præceptum.

Quintò, pœnitentibus opus non est dicere, Me accuso eo modo, quo scit Deus me deliquisse, quia confessio facienda est iuxta conscientiam pœnitentis. Et hæc omnia Sancius *in selectis, disp. 1. n. 8. 17. 19. 21. & 25.*

Sextò, plures pœnitentes vxorati se accusant, quòd tempore habitæ copulæ, vel extra, verba amatoria, & impudica cum vxoribus propriis fuerint colloquuti; quòd tamen peccatum non est, quia illa honestantur matrimonio, sicut honestatur copula; idem Sancius *disp. 6. n. 4.*

Septimò, plures vxorati se accusant, quòd in actu coniugij nimiam carnis delectationem fuerint experti, quòd nequaquam peccatum est, quia id est naturale copulæ carnali. Idem *ibidem* num. 5. Sed hoc vltimum aliquibus displicet, sicut etiam, & multa alia ex supradictis, quia verò amicissimus vir illa constanter affirmat, ideo de illis alij iudicent.

An pœnitens propria auctoritate possit commutare pœnitentiam impositam à Confessario in euidenter meliorem?

R E S O L. LIII.

Negatiuam sententiam docent Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. n. 36.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 7. cap. 8. n. 85.* Henriquez *in sum. lib. 5. c. 20. n. 5.* Coninch *de Sacram. disp. 10. dub. 12. n. 13.* & Sancius *in selectis, disp. 14. num. 22.* sic ait. Ad secundum negamus posse pœnitentem mutare suam pœnitentiam in euidenter meliorem, cum non possit in seipsum actum iudicij sacramenti Pœnitentiæ exercere.

Sed contrariam sententiam probabilem esse existimo, & pro illa *in tract. 1. in miscellan. resol. 53.* adduxi Portel *in addit. ad dubia regular. ver. Pœnitentia sacramentalis, num. 6.* nunc verò eandem sententiam sustinere inuenio Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 79. n. 1.* vbi sic asserit. [El mismo pœnitente puede comutar la penitencia en otra mayor, bien que sea conocidamente mayor, en razon de satisfacion, y en razon de medicina. Y no obsta dezir, que el confessor le mando hazer aquella penitencia, porque se le manda hazer porque ordena su prouecho espiritual, si el le dixera que la queria comutar en otra obra

obra que fuera conocidamente mayor bien en razon de satisfacion, y medicina, es cosa muy llana, que lo deua tener por bien el confessor, y anſi la puede comutar el penitente por la epicheya.] Ita ille. Potest igitur pœnitens propria auctoritate mutare pœnitentiam in euidenter meliorem, sicut potest votum.

Nec obstat dicere cum Reginaldo, & Henriquez *vbi supra*, quod est dispar ratio de commutatione voti, & pœnitentiæ; quia lex implendi pœnitentiam non à se, sicut voti, sed à Confessario emanauit, quam legem ipse non potest tollere, non, inquam, obstat: nam quoties quis abundantior solutionem offert pro debito, quam esset ex lege adstrictus, legem non soluit, sed abundantius implet. Nec censendum erit, nouam legem pœnitentem sibi auctoritate propria imponere, mutando pœnitentiam, nec actum iudicij exercere, & iurisdictionis, sed vberius implere legem à Confessario impositam. Ergo, &c. Hæc opinio est probabilis (vt dixi) licet contraria sit probabilior.

Notandum est etiam hîc contra Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 38. sect. 10 n. 16.* posse simpliciter Sacerdotem ex iusta causa mutare pœnitentiam peccatorum mortalium, quæ iam fuerunt legitimo Confessario confessa. Et ita docet Sancius *in select. disp. 14. num. 13. vbi num. 17.* notat etiam, quod Confessarius non tenetur commutare pœnitentiam à se, vel ab alio iniunctam, si nolit; nisi adsit periculum fractionis in pœnitente, vel magna afflictio, & cordis angustia; quod etiam dicendum est de commutatione voti, si illud nolit Confessarius commutare; quidquid in contrarium asserat Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 12.*

Sed circa præsentem materiam de commutatione pœnitentiæ iniunctæ, vide nostram *resol. 53. tract. 1. miscell.* vbi probauimus posse Confessarium ex iusta causa commutare pœnitentiam, etiam si fuerit data super peccata reseruata, & etiam non iterata priori confessione, dummodo hoc efficiat in sacramentali confessione, & non extra. Quod si commutauerit idem Confessarius, poterit quidem extra confessionem, si ad plurimum intra hebdomadam pœnitens redeat. Hæc omnia in dicta resol. satis aduersus aliquos probata sunt, lege illam, & non pigebit.

Nota tamen, quod licet (vt diximus) Confessarius non possit commutare pœnitentiam extra confessionem, tamen docet Sancius *in selectis, disp. 15. num. 13.* quod Confessarij non reminiscetes pœnitentiæ impositæ, ob vitandam molestiam sceminarum obliatarum pœnitentiæ, & postulantium aliam iniungi, possunt designare aliquod opus ab illis agendum, non animo intimandi pœnitentiam, cum id extra confessionem nequeant, sed vitandi preces importunas earum, quæ si contentæ essent, quod illis diceretur, age quod volueris; satius esset, eo quod sic operando materia scrupuli eis non offeratur infringendo id, quod sub pœnitentia esse iniunctum arbitrantur. Hæc Sancius.

An Confessarius licitè imponat sub pœnitentia officium, v. g. mortuorum, vel alias orationes recitandas pro animabus Purgatorij?

R E S O L. LIV.

CVriosa est hæc quæstio, & in praxi sæpius à multis exercetur. Sed negatiuè respondent Vega *in sum. tom. 2. c. 64. cas. 4.* & Sancius *in select. disp. 16. num. 1.* vbi sic asserit. Mos est plurimis Confessariis iniungere sub pœnitentia nocturnum defunctorum, Psalmos, vel responsoria recitanda à pœnitentibus pro animabus in Purgatorio existentibus. Rectè tamen non procedunt: nam sacramentum Pœnitentiæ ad remissionem culpæ, & pœnæ pœnitentis est institutum, & vt satisfaciatur pro pœnis debitis, pars illa integralis (satisfactio videlicet) est ordinata contra naturam. Igitur huius institutionis

Anton. Diana Ref. Mor. Pars. III.

erit partem satisfactoriam iniungere, quæ pro pœnis debitis pœnitenti non proliſ, sed aliis, & idem est partem satisfactoriam pro alienis pœnis iniungere, atque nullam satisfactionem imponere. Ita Sancius, qui soluit omnia argumenta, quæ in contrarium adduci possunt. Nec te fallat (ait) cum legis in Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 34. num. 41.* dispensantem in foro conscientiæ in voto religionis, vel castitatis, posse iniungere sub pœnitentia recitare orationem Dominicam, & Angelicam pro animabus Purgatorij; nam ibi loquitur de pœnitentia in foro secreto iniuncta, non autem de pœnitentia sacramentali; & est dispar ratio inter forum interius, & forum sacramentale. Nec valet dicere, quod Confessarij iniungentes aliquas orationes pro pœnitentia offerendas pro animabus Purgatorij, tantum intendunt valorem interpretationis illis applicare. Nam respondeo, quod directè non prodest animabus talis pœnitentia, vt probat Sancius *num. 12.* adde quod Confessarij tales pœnitentias iniungentes, nunquam id cogitant. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus, post hæc scripta inueni Turrianum virum doctissimum *de pœnitent. disput. 37. dub. 4.* contra Sancium docere affirmatiuam sententiam, nempe posse imponi pœnitenti pro satisfactione sacramentali, opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, lege illum, & non pigebit.

Quis habuit pœnitentiam recitandi septem Psalmos per aliquas sextas Ferias flexis genibus coram Crucifixo; queritur, an impleuerit pœnitentiam recitando dictos Psalmos aliquo tempore sine illis circumstantiis?

R E S O L. LV.

AD hunc casum respondet Vega *in sum. tom. 2. c. 64. cas. 6.* vbi sic asserit. [Vn Confessor dio à vn penitente en penitencia, que tantos viernes delante de vn Crucifixo rezasse de rodillas los Psalmos penitenciales, el no los rezo de rodillas, ni el viernes, ni delante de vn Crucifixo, sino en otro tiempo, y lugar;] queritur an pœnitentiæ satisfecerit. Respondeo [que aunque le fuera de mayor merecimiento el cumplirla, como le fue impuesta, que con todo esso satisfizo. La razon es, porque en la penitencia lo principal es cumplirla, y no la circunstancia del lugar, ò tiempo en que se hà de cumplir, con lo qual se puede consolar à muchos.] Ita Vega.

Sed quis potest dicere, quod recitare septem Psalmos flexis genibus à pœnitentibus, non est quid accidentale, sed substantiale, facilius enim aliqui recitabunt bis septem Psalmos, quam semel flexis genibus. Et Confessarij, qui talem iniungunt pœnitentiam, semper intendunt, vt pœnitentes sentiant illam corporis afflictionem recitando flexis genibus, quæ quidem videtur res grauis. Ergo, &c.

An qui ministrat sacramenta Pœnitentiæ, Baptismi, &c. cum excommunicatione minori, peccet?

R E S O L. LVI.

Peccare mortaliter docet Vasq. *in 3. part. tom. 4. tract. de excom. dub. 4. num. 4.* tum ex cap. si celebret, de cler. excomm. tum ex iure diuino; supposita enim excommunicatione in aliquo, irreuerentia grauis erit ita Sacramenta ministrare.

Secunda opinio putat esse in tali administratione tantum peccatum veniale, & ita docent Couarruias *in cap. alma mater, part. 1. §. 8. n. 2.* Sotus *in 4. sent. dist. 12 q. 2. art. 3.* Auila *de cens. part. 2. c. 6. disp. 12. dub. 3.* Medina *in sum. lib. 1. c. 11. §. 6.* Sayrus *de cens. lib. 2. c. 2. n. 17.* Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 17. n. 264.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 32. c. 14. num. 242.* & alij.

Sed his non obstantibus aliqui docent, ministrantem Sacramenta cum excommunicatione minori nullam culpam venialem committere. Et ita tenet Fillucius nouissime *tom. 2. tract. 13. c. 2. n. 24.* qui respondet *ad cap. si celebret*, idem docent Henriquez *lib. 13. cap. 3. n. 5.* & alij; non videtur tamen à priori sententia recedendum, cum in textu expresse dicatur quod peccet.

An in mortis articulo, seu periculo possit quilibet Sacerdos absoluere à censuris, & reseruatis?

R E S O L. LVII.

Respondeo affirmatiuè ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* cum communi Doctorum sententia, & sub nomine Sacerdotum in hoc casu comprehenduntur non approbati, & expositi, item suspensi, irregulares, degradati, excommunicati, ac non tolerati, & contra Nauarrum *c. 26 n. 26.* etiam hæretici cessante periculo peruersionis, & ego, vt alibi dixi, puto probabiliter simplicem Sacerdotem posse in tali casu etiam præsentem Parocho, à reseruatis infirmum absoluere. Sed difficultas est pro praxi, quo tempore in periculosa infirmitate possit Confessarius à reseruatis absoluere? Respondent DD. non esse intelligendum vltimum vitæ spatium, sed quoduis etiam probabile mortis periculum. Sed hæc responsio adhuc manet in generalitate, itaque Sancius *in select. disp. 12 n. 5.* docet absolutionem à reseruatis posse, impendi à prima die infirmitatis periculosa, vt doloris lateris, tabardilli, &c. Ita ille.

Notandum est tamen hic, quod ex Corduba Sanchez *in tom. 1. lib. 2. c. 12. n. 13.* putat quoad periculum mortis hanc sententiam præcedere, quando videlicet quis non propria sponte, sed ex causa urgente, seu morali necessitate coactus, tale periculum adeat. Sed hæc limitatio displicet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 12. n. 13.* & mihi, quia alij DD. de illa non faciunt mentionem: absolute enim docent posse Sacerdotes non solum in articulo, sed etiam in probabili periculo mortis à reseruatis absoluere. Deinde ratio cur Ecclesia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus absoluendi potestatem tribuat, est, quia peccator in tali casu, tum iure diuino, tum positiuo, tum etiam naturali charitate erga seipsum ad confitendum obligatur, quæ ratio obligationis æquè locum habet, & si aliquis sine necessitate, sed propria sponte periculum mortis adeat, v.g. in bello iusto, maris longa navigatione, &c. Non est ergo admittenda limitatio Sanchez.

An quis licitè possit absoluere penitentem, qui peccata reseruata habet cum onere, vt ea sola postea Superiori confiteatur?

R E S O L. LVIII.

Negatiuè (seclusa aliqua necessitate) respondet Co- ninch *de Sacram. disp. 8. dub. 13. concl. 3. num. 103.* & communiter Neoterici, quia quod in hoc Sacramento requiratur necessariò integra peccatorum mortalium confessio, non tam est propter integritatem confessionis, quam propter integritatem absolutionis, quam nullo modo decet dimidiari sine graui necessitate, sicut peccatorum dimidiata remissio nunquam fieri potest; in tali autem casu dimidiatur directæ absolutio. Ergo, &c. Deinde in tali casu non sola absolutio, sed etiam confessio dimidiatur. Nam cum talis Confessor non sit legitimus iudex peccatorum reseruatorum, eo casu non fit integra confessio iudici competenti; quod tamen ad integritatem confessionis est necessarium.

Secunda sententia affirmat, & ita docent Syluester, Nauarrus, Toletus, & alij, quos nouissime citat, & sequitur Hieronymus Pharaonius *de Sacram. Pœn. sect. 18. cas. 4.*

Sed Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 7. cap. 12. num. 11.* media via incedit, sic enim asserit. Si penitens bona fide

ad confessionem venerit, vel quia nesciuit tale peccatum superiori reseruatum esse, vel tamen si sciuerit existimauit tamen legitime se ab inferiori Sacerdote absolui posse, cum obligatione postea tempore opportuno se præsentandi Prælato: in hoc casu, arbitror plerunque absolutionem dari posse, modò penitens præter reseruatum aliud peccatum absolutioni subiiciat. Ratio est, partim quia aequalis necessitas urget, siquidem penitens ægro animo discedet absque absolutione, cum ex sua parte bene dispositus sit, partim quia graues Doctores absolute docent, quod Sacerdos penitentem, qui peccata reseruata habet, absoluere possit cum onere, vt ea sola Superiori postea confiteatur, & ab alijs directè absoluat; excipe, nisi excommunicatio annexa sit. Ita Layman. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, sed prima mihi magis placet.

An licitum sit recipere sacramentum Penitentia, vel alia à ministro malo, sed parato ministrare?

R E S O L. LIX.

Affirmatiuam sententiam docet Ledesma *in summa, tom. 1. c. 6. de Sacram. in genere, dub. 11. concl. 10.* vbi sic ait. [Lícito es recibir los Sacramentos del ministro, aunque sea muy malo, y delcomulgado, si es tolerado de la Iglesia, y el por otra parte esta aparejado para administrar los Sacramentos, porque es lícito usar del pecado ageno para proprio comodo y utilidad, quando el peccador esta aparejado, como se vee claramente en el usurero aparejado à dar à usuras, que es lícito perderle dineros à usuras. Esto se confirma, porque en este caso cessa la razon del escandalo, y no es induzrle à pecar, porque el se esta aparejado para esso: y aunque el tal quando actualmente administra, peca mortalmente, el tal pecado ya lo tenia cometido como en virtud, pues esta aparejado para administrar los Sacramentos.] Ita ille.

Sed hanc opinionem ita absolute prolatam non admittit alius Hispanus, & ideò sic asserit Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 4. diff. 15. n. 4.* [Lícito es recibir el Sacramento del ministro, que esta en pecado mortal, y no es porque se esta aparejado para administrarle, aunque el ministro peque en la administracion, mas ha se de limitar esta conclusion, que sea en caso de gran necesidad, porque si estuyesle otro Confessor, no seria lícito, porque se le da materia de pecar, y aunque dize Ledesma, que en este caso no seria pecado mortal, es falso, pues la materia es graue.] Sic Villalobos.

His tamen non obstantibus, non reticebo circa præsentem quæstionem hic apponere doctrinam præstantissimi Theologi Gregorij de Valentia *tom. 4. disput. 3. q. 5. punct. 3.* vbi ponit tres casus. Primus, si minister sit per se paratus, & habeat alioqui potestatem. Secundus, si tibi tenetur Sacramentum conferre ex officio, quia est tuus Parochus. Tertius, si constitutus sis in necessitate. Et in quolibet istorum casuum docet, licitum esse percipere Sacramentum ab improbo ministro, seruatis tamen duabus conditionibus. Prima est, vt minister non sit impeditus per censuram. Secunda, vt nunquam quis à improbo ministro sic accipiat Sacramentum, vt etiam illum directè inducat ad Sacramentum ministrandum malè. Concurrentibus igitur his duabus conditionibus, & aliquo ex prædictis tribus casibus, semper licebit Sacramentum recipere ab improbo ministro, atque etiam petere; dummodo animus tantum sit petere, & accipere ab altero id officium, & ministerium; quatenus ab illo exerceri possit sine peccato. Hæc omnia Valentia, qui cum Ledesma concordare videtur.

Notandum est etiam Cabreram *in 3. part. de Sacram. quest. 64. art. 6. disp. 2. §. 4. num. 20.* docere, quod quando quis ex iusta, & rationabili causa petit Sacramentum, potest illud petere à quocumque ministro malo, dummodo sit

fit paratus, & hoc extra casum necessitatis: vnde *num. 24.* sic ait. Quando virtute alicuius Iubilæi, aut privilegij conceditur facultas eligendi Confessarium, & plures sedent ad audiendas confessiones, quorum vnus, v.g. Petrus est concubinarius, tunc quamuis eligi possit alius Confessarius, vir probus, potest sine peccato eligi Petrus, qui si cæteris sit doctior, melius erit eum eligere, tametsi cæteris paribus sit peccatum veniale Petrum eligere, sed nunquam erit mortale, nisi esset tam publicus peccator, vt confessio illi facta esset scandalum allatura. Ita Cabrera, & post illum Carthagenæ *de Sacram. disp. 7. cap. 3. ver. 3.* Sed circa præsentem dubitationem præter DD. citatos vide Coninch *de Sacram. q. 64. art. 8. dub. 5.* Suarez in *3. part. tom. 3. disp. 18. sect. 2.* & alios penes ipsos.

An qui dubius manet se perpetrasse aliquod peccatum, teneatur illud sub tali dubio confiteri?

RESOL. LX.

Affirmatiuè respondent communiter Doctores, quos citant, & sequuntur Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 66. & 67.* Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 9. n. 7.* & alij asserentes, quòd si quis post diligentem animi discussionem dubius maneat, an mortaliter peccauerit, ita vt in neutram partem assentiendo inclinare possit, teneatur peccatum illud sub dubio confiteri; & hanc opinionem ego teneo.

Non reticebo tamen contrariam sententiam docere secundum Layman *ubi infra*, Ægidium de Coninch *tr. 2. de Sacram. disp. 7. dub. 8. concl. 7.* vbi sic asserit. Ad hoc vt peccatum teneatur confiteri, requiritur vt saltem probabiliter possim iudicare me peccasse. Ita ille. Et ratio est, quia delictum præsumi non debet, & in nullo foro aliquis accusari debet de delicto, quod commisisse, ita ostendi non potest, vt data indicia, & coniecturæ assensum generent. Deinde per Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 5.* tantum exigitur à pœnitentibus omnia peccata mortalia post diligentem examinis discussionem recenseri. Ergo, &c. Et in hanc sententiam videtur inclinare Layman in *Theol. moral. lib. 1. tract. 1. c. 4. §. 4. n. 37.* saltem in confessionibus ordinariis extra articulum mortis; sic enim ait. Si in decursu vitæ alia peccata sua, quorum conscientiam habet, confiteatur, tacito illo, de quo post diligentem excussionem dubitat, an commiserit, vel an fuerit mortale, tunc probabile apparet non incumbere eius confitendi obligationem. Non enim ex lege positua Christi, & Ecclesiæ, habetur, quia esset nimis leuera obligatio accusandi se de iis, quæ commisisse se ignorat. Neque ex lege naturali charitatis propter periculum animæ, quando quidem confitendo bona fide peccata reliqua, per accidens remittantur ea, quæ ignorantur. Verum in hac re nihil determino, sed aliorum iudicio committo. Ita Layman *ubi supra*, qui optimè hanc sententiam tenet in ordine ad scrupulosos. Nota tamen, quòd Coninch *loco citato*, loquitur de dubio negatiuo, & non ita absolutè, vt putat Layman, ideo tu cogita; nam ego, vt dixi, absolutè affirmatiuam sententiam teneo.

An aqua benedicta deleat peccata ex opere operato?

RESOL. LXI.

Negatiuam sententiam docent Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 12. sect. 5. n. 5.* Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 4. diff. 11. n. 4.* Coninch *de Sacram. q. 71. art. 3. dub. vnico, n. 24.* & alij penes ipsos.

Sed affirmatiuam sententiam tenendam esse puto, quam probabilem putat Filliucius *tom. 1. tract. 6. c. 5. n. 129.* Anton. Diana *Ref. Mor. Pars. III.*

& fortè probabiliorem Fagundez *præf. 2. lib. 2. c. 1. n. 11.* & illam absolutè docent Henriquez *lib. 1. de pœnit. c. 15. num. 8.* Bellarminus *tom. 3. de Sacram. lib. 2. cap. 31. §. tertia propositio.* Toletus *lib. 3. c. 3. in fine,* & ex schola D. Thom. Sotus in *4. dist. 15. q. 2. art. 3.* Canus *de locis theol. lib. 2. c. 13. ad arg. 9.* Victoria *num. 99. & 110.* nouissimè Didacus Nugnus in *3. part. tom. 2. q. 87. art. 3. diff. 2.* vbi sic asserit. Sicut Sacramenta nouæ legis eleuantur à Deo ad causandam gratiam physicè, & realiter per verum contactum physicum realem ad modum rerum naturalium, quia scilicet materia sensibilis verè tangit animam tactu reali, non quidem contactu quantitatiuo, propter quod appellatur contactus virtualis, est nihilominus contactus realis, & entitatiuus, sicut Angelus verè, & realiter tangit cælum, quando illud mouet. Ita similiter aqua benedicta eleuatur à Deo, vt verè, & realiter tangat animam tactu illo, qui appellatur virtualis, propterea quòd non est quantitatiuus, & nihilominus ille contactus est realis & entitatiuus, quo medio aqua mouet ipsam animam, remittendo & realiter corrumpendo veniale peccatum. Et sicut in adultis semper requiritur aliquis actus, vt Sacramenta causent gratiam; qui tamen actus vel non est secundum se sufficiens ad gratiam, vel saltem non est sufficiens ad tantam gratiam, quanta est illa, quæ causatur de facto in Sacramento. Et sic verum est, quòd Sacramenta causant gratiam ex opere operato. Ita similiter licet ad hoc, quòd aqua benedicta remittat peccata venialia, semper requiritur aliquis actus, tamen vel actus non est sufficiens ad peccata venialia remittenda, vel saltem non est sufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquam benedictam. Et sic verificatur propriè & rigorosè, quòd ipsa aqua benedicta ex opere operato remittit peccata venialia; ad quod tamen non est necessarium, quòd maneat in illa aliqua qualitas permanens, sed sufficit ipsa eleuatio diuina, quæ est motus transiens. Ita Nugnus *ubi supra*, quæ omnia debent in nobis excitare magnum desiderium attingendi die, ac nocte aquam benedictam. Sed an idem dicendum sit de aliis sacramentalibus, vide Nugnum *loco cit. diff. 3.* & Doctores citatos.

Quis incidit in peccatum, & non vult Confessario manifestare tunc illud commisisse, sed cum ipso facit confessionem generalem, & inter alia peccata prius confessã confitetur etiam illud vltimum peccatum post vltimam confessionem perpetratum: queritur an hoc facere possit?

RESOL. LXII.

DE hoc casu olim interrogatus fui, & magna dissensio inter multos extitit, & negatiuè respondendum videtur, quia in tali casu notabiliter variatur iudicium Confessarij, nam putat illud peccatum iam fuisse olim clauibus subiectum, & absolutum.

Sed affirmatiua sententia videtur tenenda ex casu simili, quem docet Bonacina *de Sacram. disput. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 4. n. 5.* vbi ex Sanchez, & Coninch probat pœnitentem in confessione non teneri dicere se tale peccatum commisisse post vltimam confessionem, nisi ob aliquam peculiarem circumstantiam mutantem speciem, necesse sit hoc exprimere. Sicut enim sciens, vel dubitans se tale peccatum confessum fuisse, non tenetur sub mortali dicere se aliàs confessum fuisse, vel dubitare an tale peccatum confessus sit. Ita qui commisit aliquod peccatum, non tenetur dicere, se tale peccatum post vltimam confessionem commisisse, nisi adsit aliqua peculiaris circumstantia. Ita Bonacina; ex quibus affirmatiuè resoluitur casus propositus. Ad argumentum contrarium respondetur, in tali casu non variari notabiliter, sed parum iudicium Confessarij, & pœnitens faciet maiorem pœnitentiam, quàm Confessarius imposuit.

An Confessores regulares possint extra sacramentum Pœnitentiæ absoluerè à censuris ratione suorum priuilegiorum?

R E S O L. LXIII.

Negare videntur Suarez in 3. part. tom. 5. disp. 7. sect. 5. n. 6. & Nauarrus in man. c. 26. n. 31. sed vterque mutauit sententiam, hic in consil. 11. n. 2. de priuileg. ille in tract. de legibus lib. 8. c. 6. n. 15. & 16. Ideo affirmatiuam sententiam omninò tenendam esse puto, quam docent Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 1. num. 253. Auila de cens. part. 2. c. 7. dub. 13. & alij, quod etiam procedere debet in Confessariis secularibus, quando absoluunt excommunicatum virtute Bullæ Cruciatæ, vt aduersus Valquez, Filliucium, Sanctarellum, & alios satis probaui in tract. Bull. Cruc. resol. 25.

Notandum est etiam hic cum Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 21. & alijs, hanc doctrinam multò magis locum habere in dispensationibus super irregularitate, voto, iuramento, petitione debiti, quarum facultates si Confessariis alicuius Ordinis delegatæ sunt, non rectè inde inferitur, quòd eas extra sacramentum Pœnitentiæ exercere non possint; nam à sacramentali absolutione nullo pacto dependent. Sed de hac questione iterum redibit sermo.

An peccatum sit explicandum in confessione, non obstante quòd Confessarius agnoscat complicem?

R E S O L. LXIV.

Quando alius confessarius adiri non potest, esse tale peccatum explicandum, etiam si Confessarius agnoscat complicem, docent Honophrius opus. de sigillo confess. sect. 4. q. 7. dub. 3. Sancius in selectis, disp. 8. n. 9. Pontius de matrim. lib. 5. c. 18. n. 9. Coriolanus de cas. reseru. part. 1. sect. 1. art. 8. n. 7. Regius in resol. cas. 36. num. 1. Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 6. c. 8. n. 12. Malderus tract. de sigillo confess. c. 17. Ledesma in summ. tom. 1. c. 20. concl. 6. Lessius lib. 2. c. 11. dub. 11. & alij, quos citauit in resol. 49. tract. de circumstantiis aggravantibus.

Sed ibi pro negatiua sententia plures Doctores magni nominis etiam adduxi, quibus nunc addo Pitigianum in 4. sent. tom. 2. dist. 21. q. 2. art. 8. concl. 1. & Fabrum de pœnit. in 4. sent. dist. 17. quest. vnica, disp. 24. c. 5. n. 97. vbi insurgit contra Suarez, & ad omnia argumenta, quæ ipse pro affirmatiua sententia adducit, respondet. Mihi hæc secunda opinio probabilior videtur. Vide supradictam resol. vbi rationes pro vtraque opinione inuenies; ideo elige, quam velis.

An detur confessio valida, sed informis, non solum respectu examinis, sed etiam respectu doloris?

R E S O L. LXV.

Negatiuam sententiam docet nouissimè doctus Turrianus de sacram. Pœnit. disput. 28. dub. 1. Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 6. c. 9. n. 2. & alij, quos adduxi in resol. 31. tract. miscellan.

Sed affirmatiuam sententiam (vt ibi adnotauit) docet communiter schola D. Thomæ, & præter 10. Doctores ibi citatos, tenet etiam hanc opinionem ex Theologis Societatis IESV Pater Henriq. in summ. lib. 5. c. 11. n. 1. sic asserit. Integra per se & ex intentione dicitur etiam illa confessio, (& coniuncta absolutioni non est iteranda) quando resultat verum Sacramentum informe (nempe quod ob aliquod impedimentum frustratur fructu gratiæ) vt si ex ignorantia accessit bona fides. Quidam tamen falsò negant dari sacramentum Pœnitentiæ informe. Est ergo verum Sacramentum, primò quando pœnitens integrè confitetur cum aliquo formali dolore, &

proposito excludente voluntatem peccandi, & tamen non habent dispositionem primæ gratiæ à Christo institutam. Nec impeditur veritas Sacramenti, si insufficientis sit dolor, ex mortali negligentia, aut ignorantia quadam culpabili; nam concurrunt omnia ad veritatem Sacramenti requisita. Secundò, si quis ex negligentia, & ignorantia culpabili oblitus est quorundam mortalium, vt si multis peccatis, & varijs negotijs irretitus conscientiæ suæ latebras accuratè non perquisiuit, & tamen in animo habuit facere integram confessionem. Hæc omnia Henriquez. Vnde minimè dubitandum est hanc sententiam probabilissimam esse in praxi, & ideo possunt Confessarij exculare pœnitentes a reiteratione confessionis, quando fuerit informis ex defectu doloris, vel examinis. O quam suauis, & leue est iugum Domini!

An qui solum meminit se peccasse mortaliter, nescit tamen speciem peccati, possit tantum illud in genere confiteri, non se accusando de aliquo peccato in particulari?

R E S O L. LXVI.

Negatiuam sententiam docent Abulensis, Cano, Medina, Sotus, & Ledesma apud Villalobos vbi infra, quia confessio est actus iudicialis, vt patet ex Trident. sess. 14. c. 5. Ergo debet versari circa aliquod peccatum particulare.

Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam docent Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 10. n. 97. & Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 7. vbi sic asserit. Si pœnitens non recorderet speciem peccati, sed tantum in genere, se mortaliter peccasse, v.g. in prauæ cogitationi consentiendo, debet hoc ipsum Confessario explicare, cum hæc sit sufficiens, imò necessaria materia sacramentalis confessionis, & absolutionis. Ita ille, qui citat D. Thomam, Nauarrum, & Suarez, & hanc sententiam fuscè docet Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diffic. 34. n. 3. verum est, quod addit, [que como no ay hombre que no tenga pecados veniales haga prudentemente que en este calo confessare tambien algun pecado venial, por andar à lo cierto negocio de tanta importancia, mas quando no lo hiziesse, la confession general que queda dicha es materia bastante en el articulo de la muerte y fuera del.] Sic Villalobos, qui respondet ad argumentum supra positum.

Notandum est etiam hic obiter, quòd aliqui Doctores, quos tacito nomine referunt Homobonus de exam. Eccles. part. 1. tract. 5. c. 13. q. 83. & Bonacina de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 2. n. 15. tenent, quòd, qui non habet peccata mortalia, sed tantum venialia, satisfaciatur in genere, dicendo se venialiter peccasse, non explicata specie, vel numero peccatorum. Et hanc sententiam, tanquam probabilem, admittere videtur Homobonus, nam contrariam, quam ipse tenet, vocat tantum veriore, sed illam ex Suarez, & Coninch refellit Bonacina vbi supra.

Additiones ad tract. de circumstantiis in confessione non necessario explicandis?

R E S O L. LXVII.

In part. 1. meorum resol. moralium in dicto tractatu, probabiliter asserui circumstantias notabiliter aggravantes non esse necessariò in confessione explicandas, & ita docet Becanus de Sacram. c. 36. q. 1. n. 4. Granada in part. 2. D. Thom. contr. 6. tr. disp. 5. n. 11. Naldus in sum. ver. circumstantia, n. 1. Philarchus de officio Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 22. Molfesius in sum. tom. 1. tr. 7. c. 12. n. 58. & 68. vide etiam Tannerum in part. 2. disp. 4. q. 2. dub. 3. n. 48. Caraffam etiam in part. 2. q. 7. art. 3. num. 11. quidquid in contrarium asserant Lauorius tract. de Indulgent. part. 1. cap. 14. num. 53.

Estius in 4. sent. dist. 17. §. 9. idè adde, Rebellius p. 2. lib. 4. q. 8. sect. 2. n. 9. Gutierrez de matrim. c. 1. n. 19. Maldonatus in summa, q. 19. art. 9.

In resol. 3. mulieri peccanti carnaliter cum Sacerdote religioso, sufficit vt dicat in confessione, Peccavi cum Sacerdote, vel cum sacris Ordinibus initiato, & idem dicendum est de ipso Religioso; sufficit enim, vt dicat, Sum Sacerdos, vel sacris Ordinibus initiatus. Ita Molfesius in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 12. n. 66. & 68. & hanc sententiam probabilem putat Caraffa in p. 2. q. 7. art. 3. n. 27. & 28. cum Syluius in 2. 2. quæst. 158. art. 10. quidquid in contrarium asserat Nugnus in addit. ad 3. part. quæst. 9. artic. 2. dub. 3. concl. 5.

In resol. 4. sufficit etiam in casu supradicto, vt Sacerdos, vel Religiosus dicat tantum se violasse votum castitatis, quod habet, non manifestando votum solenne professionis, vel Ordinis, & idem dicendum est de femina. Hanc sententiam probabilem putat Caraffa in part. 2. quæst. 7. art. 3. num. 29. licet contrariam doceant Syluius in 2. 2. quæst. 154. art. 10. & Nugnus in addit. ad 3. part. 9. art. 2. dub. 3. concl. 5.

In resol. 5. sponsus, vel sponsa de futuro, & cum eis carnaliter se commiscentes, non tenentur istam circumstantiam explicare.

Hanc sententiam nouissimè tenet Basilius Pontius de matrim. lib. 11. cap. 6. num. 8. & illam probabilem vocat Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 1. num. 6. licet contrariam teneant Coninch de Sac. disp. 22. dub. 1. num. 6. Molina de inst. tom. 3. disp. 73. n. 8. Rebellius part. 2. lib. 4. q. 8. sect. 2. num. 9. Gutierrez de matrim. c. 1. num. 20. & Ioan. de la Cruz in direct. p. 2. de matrim. quæst. 4. art. 5. dub. 8. concl. 5.

In resol. 11. stuprum, puella consentiente, non differt à simplici fornicatione, ideo in confessione sufficit, vt quis dicat, Toties fornicatus sum. Ita Suar. tom. 4. disp. 22. sect. 4. n. 6. Nauarra de restit. lib. 2. c. 3. n. 419. Molfesius in summa. tom. 1. tr. 7. c. 12. n. 72. Et hanc sententiam probabilem putant Tannerus in 2. 2. disp. 3. q. 3. dub. 6. n. 147. quidquid in contrarium asserant Coiradus in resp. tom. 2. q. 17. Faber de pœnit. in 4. sent. dist. 17. q. unica, disp. 24. c. 2. n. 32. & Syluius in 2. 2. q. 154. art. 6.

In resol. 16. quando Religiosus non obedit Prælati præcipienti sub obedientia, non peccat duplici peccato, nempe contra religionem, & contra obedientiam, neque tenetur hanc circumstantiam aperire in confessione. Ita Antonius Perez in regulam D. Benedicti, cap. 5. n. 23. licet contrarium asserant Layman in Theol. mor. lib. 4. tr. 5. c. 9. n. 6. Valquez in p. 2. disp. 98. c. 3. n. 7. & Tannerus in part. 2. disp. 4. q. 2. dub. ... n. 46. Zumel in part. 2. q. 72. art. 6. dub. 3. Salas tract. 13. disp. 3. sect. 2. n. 16. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 10. c. 7. n. 6. & alij.

In resol. 17. in fine, adde, & docet nouissimè Granado in p. 2. D. Thoma, contr. 6. tr. 2. disp. 5. n. 10. & Malderus etiam in p. 2. q. 20. art. 4. disp. 99.

In resol. 18. si quis in actu venereo gestauit reliquias, non opus est in confessione aperire hanc circumstantiam. Ita Sanchez in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 40. n. 28. Fagundez præc. 1. lib. 1. cap. 4. n. 13. & Syluius in 2. 2. D. Thoma, q. 154. art. 10. quidquid in contrarium videatur asserere Cosmus Philiarthus de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 9. ad finem.

In resol. 25. vers. 1. post illa verba, & præsertim ex neotericis, adde Syluium in 2. 2. q. 154. art. 10. in fine.

In resol. 26. in fine, adde, quem contra Valquez docet Tannerus in p. 2. D. Thoma, disp. 4. q. 2. dub. 3. n. 42.

In resol. 28. in confessione non est explicanda diuersitas contumeliarum, v. g. si quis vocauit aliquem furem, hæreticum, sodomitam, &c. Ita Fagundez præc. 2. lib. ... c. 5. n. 3. Azorius tom. 1. lib. 4. c. 4. q. 5. Filliucius tom. 2. tract. 21. c. 9. n. 322. & Rebellius part. 1. lib. 2. q. 17. sect. 2. n. 3. quidquid in contrarium asserat Layman. in Theol. mor. lib. 1. tract. 3. c. 3. n. 5. Lauorius tract. de indul. part. 1. cap. 4. n. 43.

Grassius in appen. ad decis. lib. 1. cap. 9. n. 6. Naldus in summa. ver. Hæresis, n. 22. Salas in p. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. n. 90. & facit Baiardus in addit. ad Iulium Clarum, lib. 5. §. iniuria, n. 10. sed tu tene primam sententiam, quam nouissimè docet Sancius in selectis, disp. 5. n. 10. extendens hoc & optimè, etiam ad iudicia temeraria; vbi sic asserit. Non opus est pœnitentibus, quale iudicium fuerit, contra quam personam fuerit, Ecclesiasticæ, vel sæcularis, seu circa quam rem, explicare, dicendo scilicet, Iudicavi Ioannem esse furem, vel fornicarium, aut hæreticum. In esse solum physico, iudicia hæc diuersitatem habent, vt pote circa diuersa crimina, non verò in morali, cum contra iustitiam commutatiua sint, prohibentem sub vna specifica ratione, & atoma famam non lædi, tam internè per iudicium, quàm externè per detractionem, aut contumeliam. Ita Sancius: sufficit igitur in confessione dicere, Toties iudicavi sinistra de meo proximo, vel illum contumelia affeci.

In resol. 30. in confessione non sunt explicanda mala volita, v. g. si fuerunt circa facultates, vel circa personam, seu circa honorem, sed sufficit dicere: Toties odio habui proximum meum. Ita Homobonus de Bonis in exam. Eccles. p. 1. tract. 6. c. 25. q. 112.

In resol. 31. diuersitatem graduum non facere diuersitatem specificam in incestu, docet Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 1. præc. 6. art. 4. dub. 6. concl. 3. & idè aliqui probabiliter asserunt circumstantiam gradus incestus, nunquam esse necessariò in confessione explicandam; qui igitur habuit rem cum matre, vel sorore, sufficit, vt dicat, Habui copulam carnalem cum consanguinea in primo gradu, & ita docet Pharaonius tract. de Sac. Pœnit. sess. 10. cas. 6. & alij penes ipsum; licet aliqui etiam probabiliter asserant contrarium, nempe talem circumstantiam esse in confessione explicandam, quia incestus cum matre variat speciem, est enim peculiari modo contra pietatem, & Doctores contrarium asserentes, exponi possunt dicendo, incestum esse eiudem speciei subalternæ. Ita Henriquez lib. 5. c. 8. n. 1. in glossa, litt. E. & F. vide etiam Fay in addit. 3. p. 9. art. 2. disp. 7. ad 2. Lauorium tract. de indulg. p. 1. c. 14. n. 53. & Fabrum de pœnit. in 4. sent. dist. 7. quæst. unica, disp. 24. c. 2. n. 33.

In resol. 37. Raptus non est circumstantia in confessione aperienda, si virgo sponte consentit. Hanc opinionem probabilem putat Fagundez præc. 2. lib. 4. c. 3. n. 17. iuncto cum num. 15. & 16. nam asserit in calu raptus, secundum probabilem sententiam aliquorum philosophantium, esse sicut in casu stupri, quod si puella sponte consentit, non differt, vt dictum est, à simplici fornicatione.

In resol. 39. in fine, adde hæc verba. Notandum est etiam quod Zanardus Dominicanus in direct. confessar. p. 1. de Sacram. Pœnit. c. 18. fol. 204. docet, quod qui per noctem cum amasia dormiuit, non est opus, vt dicat, Ego eam, cognoui per tot vices, sed feci quod potui, dummodo non habuerit interruptionem mentis, vel operis. Ita ille. Sed fallitur, nam opera illa consummata, sunt distincta peccata in confessione aperienda, nec vnum respicit, & ordinatur ad alterum. Ergo, &c.

In resol. 42. tactus, & oscula quantumuis libidinosa, quæ subsequuntur copulam non sunt in confessione explicanda. Ita Granado in p. 2. D. Thoma, contr. 6. tract. 2. disp. 5. n. 11. Grassius in appendice ad decis. lib. 1. cap. 9. n. 12. Fagundez præc. 2. lib. 3. c. 4. num. 14. & Salas in part. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. n. 91.

In resol. 43. qui in peccato mortali excipit confessiones multorum successiuè, vnum tantum peccatum committit: vt docet Fagundez præc. 2. lib. 3. c. 5. num. 9. vnde cum hæc circumstantia tantum notabiliter aggrauet, ego puto non esse necessariò in confessione explicandam, & ideo hanc sententiam docet, vt prius notaueram, Rodriguez in summa nouissima, tom. 2. c. 44. n. 23. Sed nunc verba illius proferam, quia textus rarus est: sic igitur ait. [Ni obstaque en estas comuniones ay me adlos distinctos

en numero, y assi parace auer distinctos peccados, porque aunque sean distinctos hablando moralmente antes in genere moris, se tienen por vn mismo acto, como tambien hablando desta materia se tiene por vn mismo acto confessar veynte sin leuantar e del confessorio, ò leuandando se con intention de luego boluer.] Ita ille, quidquid in contrarium asserat Homobonus in exam. Ecclesiast. p. 1. tr. 5. c. 13. q. 8. 2. & Bonacina de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 2. n. 7.

In resol. 48. delectationes morosa non differunt specie, quando non consistunt in efficaci voluntate, sed in simplici complacentia, vnde sufficit, vt poenitens dicat, Toties morosè delectatus sum, sine explicatione, an illa delectatio fuerit circa coniugatam, Monialem, &c. hanc sententiam probabilem putat Tannerus in p. 2. D. Thomae, disp. 4. q. 8. dub. 8. n. 149. Salas in pr. 2. tom. 2. disp. 6. sect. 6. n. 56. Azorius tom. 1. lib. 2. c. 6. quest. 3. & Sa ver. luxuria, n. 13.

In resol. 64. non est necessarium in confessione ipsam omissionem explicare, quando non est sub libera omitteris potestate, sed sufficit tantum se accusare de causa omissionis. Ita Granada in p. 2. D. Thomae, contr. 6. tr. 4. disp. 3. n. 12. licet contrariam sententiam docuerit nouissime P. Bonici Societatis I E S V, vir quidem doctus, & Lector S. Theologiae in Collegio Panormitano; sed nostra sententia est etiam probabilis.

*An ad excipiendam confessionem sufficiat
ratihabitio de praesenti?*

R E S O L. LXVIII.

Negatiuam sententiam ita mordicus docet Didacus Nugnus in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 2. vt contrariam parum probabilitatis habere existimet.

Sed fallitur quidem, nam ego probabilissimam puto, & illam praeter Syluestrum ver. confessor. 1. q. 6. & Sotum in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. sequitur etiam Becanus de Sacram. 38. q. 8. n. 2. Homobonus in exam. Ecclesiast. p. 1. tr. 4. c. 11. q. 105. Fagundez pr. 1. lib. 7. c. 2. n. 71. Toletus lib. 3. c. 13. n. 3. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 35. n. 22. Henricus lib. 6. de poenit. c. 13. n. 13. Villalobos in summa, tom. 1. tr. 9. diff. 51. n. 2. vbi sic asserit. [Si la ratihabicion fuessse de presente porque el Obispo lo ve y consiente en el tal caso valdria, porque esta no es propriamente ratihabicion sino consentimiento tacito, ò interpretatiuo, el qual basta.] Ita ille; an verò Sacerdos grauer peccaret, si ita confessionem audire incipiat, affirmatiue respondet Coninch de Sacram. disp. 8. dub. n. 36. quia à principio inualidè confessionem audit.

Sciendum tamen est, quod est valde notandum, Fillucium tom. 1. tr. 7. c. 9. n. 242. docere esse probabilem illam opinionem, quæ tenet ex praesumpta voluntate Superioris, posse vnum aliquem absolueri, etiam si talis praesumptio funderetur in aliquibus signis, quæ indicent praesentem voluntatem Superioris concedendi facultatem, quod coincidit cum ratihabitione de futuro, quam non esse sufficientem probauimus. At his non obstantibus, vt dixi, Fillucius docet hanc sententiam esse probabilem, & citat Medinam, Richardum, Syluestrum, D. Bonanenturam, & alios. Sed an ita sit, videant viri docti; mihi enim non placet, & alibi contra Peregrinum illam reprobo.

*An teneatur praenire confessionem qui timet, quòd
quando obligabit confessio, non erit copia
Confessarij?*

R E S O L. LXIX.

Affirmatiue respondeo cum communi DD. quos citant, & sequuntur Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 36. sect. 5. n. 5. & nouissime Fagundez pr. 3. lib. 1. c. 6. n. 5. & Laym. in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 5. num. 9. nam si quis in die festo

prauidet, se non posse audire sacrum hora 9. tenetur anticipare tempus, & audire hora tertia, si in ea potest, & in nona non potest, & idem dicendum de praeepto communionis, vt supra dictum est.

Atta men Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. de sacram. Poenit. q. 3. di. b. 3. concl. 2. licet hanc sententiam teneat, contrariam verò putat etiam esse probabilem, sic enim asserit. Si times probabiliter, quòd quando obligabit confessio, non erit tibi Confessor etiam pro non reternatis, teneris praenire confessionem; ita D. Antoninus, Durandus, Cano, Nauarrus, & Ledelma contra alios oppositum probabiliter sentientes. Ita ille, & hoc etiam de praeepto communionis asserunt Azorius vt supra visum est; nempe qui prauidet impedimentum futurum, vt Paschate Eucharistiam accipere non possit, non tenetur praenire tempus, vt praeeptum impleat.

An satisfactio sacramenti Poenitentia causet gratiam ex opere operato, & an illam adimplere in peccato mortali, sit peccatum mortale?

R E S O L. LXX.

Ad hanc quaestionem respondet Ioannes de la Cruz in direct. co. sp. 2. de sacram. Poenit. q. 1. dub. 4. concl. 2. vbi sic asserit: Probabilis est, quòd satisfactio quando exercetur, (si non addit impedimentum peccati mortalis) causat gratiam ex opere operato, vt dicit ordinem ad clauas Ecclesiae. Et si arguas, quòd gratia poenitentiae causatur in instanti terminatio prolacionis verborum Sacerdotis, Ego te absoluo, sed satisfactio fit postea. Ego ad hoc dico, quòd in illo instanti causatur gratia essentialis Sacramenti: at quando postea fit satisfactio, causatur quaedam perfectio, & augmentum gratiae; sicut enim satisfactio est pars integralis istius Sacramenti, sic gratia ab ea causata efficit perfectionem, & integritatem eiusdem gratiae. Ex quo patet non peccare mortaliter, eum, qui implet satisfactionem in peccato mortali, cum non ponat obicem effectui essentiali, sed soli perfectioni, & integritati eiusdem effectus. Ita ille, & ante illum Ledelma in sum. tom. 1. de sacram. Poenit. c. 1. dub. 2. & alij.

*An non solum in articulo, sed etiam in periculo
mortis possit quis eligere Confessarium non ap-
probatum pro omnibus peccatis, & censuris re-
seruatis?*

R E S O L. LXXI.

Negatiuam sententiam docent Sotus, Couarruias, Grassius apud Finellium, vbi infra, cum Cano, & Ledelma, quos citat & sequitur Ioan. de la Cruz: putat enim distinguere articulum mortis à periculo, ita vt priuilegium eligendi Sacerdotem non expositum pro confessione, sit solius articuli, non autem periculi.

Sed falluntur equidem, & ita affirmatiuam sententiam docet Finellius tract. de cas. reservatione, cap. 8. num. 8. qui citat Henriquez, Abbatem, Angelum, Syluestrum, Medinam, Victoriam, Nauarrum, Philarchum, Sayrum, & alios; vnde ipsinet aduersarij hanc opinionem probabilem putant, & ideo Ioan. de la Cruz in direct. conscient. p. 2. de sacram. Poenit. q. 5. dub. 10. concl. 2. sic asserit. Probabile est, quòd qui existit in periculo mortis, potest eligere in Confessorem, etiam non expositum pro omnibus peccatis, & censuris etiam reseruatis. Ita ille. Et ratio praeter alias ista erit, quia si periculum mortis ab articulo distinguamus, saepius continget infirmum in absolutum decedere, dum Confessarius morborum inexpertus uelciat articulum à periculo distinguere, ac propterea verum articulum non cognoscens, differat absoluteionem, aut quia à reseruatis credat adhuc absolute non posse, aut expectare velit Parochum, vel alium a probatum Sacerdotem. Dicendum est igitur, quòd mortis periculo

periculo idem priuilegium tribuitur, quod vel in mortis articulo conceditur, vnde ex his sequitur hæc dubitatio.

An simplex Sacerdos possit absoluere à censuris & casibus referuatis omnes parturientes, tanquam constitutas in periculo mortis?

RESOL. LXXII.

AD hanc quæstionem affirmatiuè videtur respondere Bellochius *tract. de cas. refer. p. 1. q. 2. num. 128.* vbi sic ait. Quoad mulieres prægnantes proximas, aut vicinas partui, vel partus dolores iam iam sentientes, an dicantur positæ in periculo mortis, ita vt possint à referuatis absolui, multi multa dicunt. Nauarrus *in man. cap. 2. n. 9. in fine*, dicit, quòd periculum mortis limitandum in muliere, quæ nunquam peperit, vel experta est partus difficiles. Idem fatentur Sotus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 5. & Grafius part. 1. lib. 1. c. 1. n. 7.* & Fulgosi in *l. 2. §. sed etsi quis cautioni*, dicit hoc non habere locum in mulieribus rusticis, quæ pariunt sine dolore, vt plurimum, & pro nihilo ducunt parere etiam binos. Abbas tamen *in cap. pastoralis, §. 1. n. 3. de offic. ordin.* tenet, quòd indistinctè habeat locum in omnibus mulieribus parturientibus. Et hæc sententia indistinctè admittenda est hoc modo, si scimus, iam ita partui propinquas, quæ dolores sentiant, & eo casu nulla est expectanda facultas à superiori; si verò non sunt ita partui propinquæ, tunc est expectanda Superioris licentia, quia non subest mortis periculum. Hæc omnia Bellochius.

Sed contrarium præter Nauarrum, & alios, quos ipse citat, docet etiam Finellius *tr. de cas. reservatione, cap. 8. n. 8.* vbi asserit, Non quælibet prægnans paritura in eodem periculo mortis constituitur, sed ea quæ primum partum sit editura, vel quæ alias difficiles, & periculosos partus solita sit habere. Ita ille, & ego.

An Confessarius absoluens à casibus Episcopo referuatis sine pretextu alicuius priuilegij, incidat in excommunicationem, & alias pœnas Decreti Clem. VIII.

RESOL. LXXIII.

Affirmatiuè respondent Homobonus *in exam. Eccl. part. 1. tract. 5. c. 4. q. 22.* & Floronus *tract. de cas. referu. part. 1. c. 5. n. 27.* alias pauci quidem in has pœnas inciderent, & receptus vltus declarat, ita fuisse mentem Summi pontificis.

Non reticebo tamen, negatiuam sententiam docere Horatium Gambaruptam *de cas. referu. c. 3. n. 12.* per verba in dicto decreto posita, vbi sub pretextu priuilegiorum, & c. sumpto argumento ab iis, quæ in simili docuerat Nauar. *in man. c. 25. n. 94* & Cou. *in c. Alma mater p. 1. §. 6. n. 9.* At posset aliquis dicere cum Florono *vbi supra*, verba illa, *sub pretextu priuilegiorum*, intelligenda esse, ne Regulares possint sub pretextu priuilegiorum absoluere, & sic ne haberent causam vllam excommunicationis: vnde clausulam illam putat appositam esse ampliatiuè. Sed negatiua sententia tenenda est per ea, quæ adducit Suar. *de censur. disp. 21. sect. 6. n. 11.* Philarchus *de officio Sacer. tom. 1. p. 1. lib. 3. c. 30.* Sayrus *de cens. lib. 3. c. 31. n. 10.* Rodriq. *99. Regul. tom. 2. q. 47. art. 2.* Sanch. *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 68.*

Notandum est tamen cum ipso Florono §. 4. & Homobono *locis citatis*, non incurrere in pœnas dicti decreti Religiosum, qui absque facultate absolueret ab aliquo casu in Religione referuato; iuxta aliud decretum Clem. VIII. Nam hoc decretum, de quo loquimur, loquitur tantum de casibus, tum Summo Pontifici, tum Episcopis, vel aliis secularibus Prælati Episcopali auctoritate fungentibus referuatis. Ergo, & c.

Notandum est etiam cum Finello *tract. de cas. referu. c. 6. n. 6. & 8.* & aliis quòd ad incurrendas pœnas dicti de-

creti non satis est absoluere à referuatis, absque facultate, sed necessaria est præsumptio in absolvente, vt patet ex ipsis verbis decreti Vnde si quis abluat à referuatis sub spe rati habitationis, vel ex consideratione, aut ignorantia, non tamen crassa, aut affectata, non incideret in excommunicationem.

Sed hic obiter potest aliquis quærere, an Sacerdos, qui in dictam excommunicationem incidit, absoluendo absque facultate à casibus referuatis, possit absolui ab Episcopo vigore Concil. Trid. *sess. 24. de reform.* Negatiuè respondet Floronus *tr. de cas. referu. p. 1. c. 5. §. 2. n. 4.* & alij, quia Episcopus non potest absoluere à casibus referuatis ex noua lege post dictum Concilium Tridentinum, & asserunt ita declarasse Cardinalium Congregationem.

Non desunt tamen Doctores affirmatiuam sententiam docentes, vt Beia *p. 4. cas. 37.* Finellius *de cas. referu. cap. 7. n. 12.* & Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 4. q. 23.* qui citat Suarez, Peregrinum, & alios, tum quia verba Concilij non arctantur, vel limitantur, & cum decretum sit fauorabile animabus fidelium, & nullum inferat nocentum, debet ampliari, tum quia vbi loquitur antecederet de suspensionibus, & irregularitatibus, absolute loquitur de omnibus ex delicto occulto prouenientibus. Et ita per casus occultos referuatos intelligit, quocumque tempore sint referuati, quousque de illis fiat absolutio: tum denique quia tam in referuatis, quam in referuandis est eadem ratio absolutionis, si sunt occulti: ac proinde debet in vtrisque esse eadem legis dispositio. Cur enim minor erit Episcoporum auctoritas in nouis referuationibus, quam in antiquis.

An penitens qui à superiore fuit absolutus à peccatis referuatis tantum teneatur postea ista cum aliis Sacerdoti inferiori confiteri?

RESOL. LXXIV.

Affirmatiuè respondet Homobonus *in exam. Eccl. part. 1. tract. 5. cap. 4. q. 25.* qui citat Henriquez, Suarez, & Coninch: vni enim Confessario pandenda sunt omnia peccata.

Verum non reticebo contrariam sententiam docere Ioan. de la Cruz Dominicanum *in direct. conscient. part. 2. de sacram. Pœnit. q. 3. dub. 5. concl. 3.* vbi sic asserit Etsi Superior possit audire integram confessionem, & ad id teneatur, si non est occupatus, si tamen nolit, & solum absoluat à referuatis, valet sacramentum. Et licet penitens tunc maneat absolutus ab omnibus peccatis, à referuatis directe, & indirectè à non referuatis, cum gratia data in illo Sacramento æquè excludat omnia peccata, tamen si vult sumere Eucharistiam, tenetur confiteri alia peccata non referuata alteri Confessori, non tamen sunt isti confitenda peccata referuata Superiori confessa, cum iam sint subiecta clauibus Ecclesiæ, & directe absoluta. Ita ille, qui citat Maiorem, & Gersonem; sed tu primam sententiam tene, licet vtramque probabilem esse doceat Ledesma *in summa, tom. 1. de sacram. Pœnit. cap. 20. concl. 3. dub. 4. fol. mibi 334.*

An quis in Paschate teneatur confiteri peccata venialia, vt adimpleat præceptum, si mortalia, quæ habet, ratione alicuius periculi, vel alterius infamie, minimè confiteri possit.

RESOL. LXXV.

Affirmatiuè respondet Didacus Nagnus *in addit. ad 3. p. D. Thomæ, q. 6. a. 6. diff. 1.* quia præceptum annualis confessionis obligat, quando tantum sunt peccata venialia. Secundò talis homo, simpliciter loquendo, habet præceptum confessionis, sed potest illud adimplere confitendo venialia: ergo tenetur.

Sed contrariam sententiam docet Suarez *in 3. parte tom. 4.*

tom 4. disp. 36. sect. 6. n. 1. in fine. nam, vt supra dictum est contra Alentem p. 4. q. 18. n. 4. art. 2. Richardum in 4. dist. 17. art. 2. q. 4. ad primum. Bonauenturam ibid. art. 2. q. 1. & alios, quis non tenetur confiteri venialia ex præcepto ecclesiastico de annua confessione, quia Ecclesia, vt rectè notat Becanus de Sacram. c. 6. q. 6. n. 3. & alij, non fecit nouum præceptum de confessione; sed solum determinauit diuinum præceptum ad certum tempus. Ergo si non tenemur præcepto diuino confiteri venialia, non tenemur etiam determinatione huius præcepti.

Dicendum est igitur in casu proposito, quòd si aliquis non potest confiteri mortalia propter aliquod periculum vel infamiam, non tenetur ad implendum præceptum annuæ confessionis, alia peccata venialia, quæ habet, confitendo.

An Superior, vel quiuis alius possit negare suffragium illi, cuius defectum scit solum per confessionem, quando suffragatur secretò, vbi multa de sigillo confessionis?

R E S O L. LXXVI.

Affirmatiuè respondent Portel in dubijs Regularium, verb. Electio, n. 9. Castellin. de elect. c. 5. n. 103. Valq. in 3. p. om. 4. q. 93. art. 4. dub. 8. n. 7. Nugn. in addit. ad 3. p. q. 11. art. 1. diffic. ad 6. & ad 7. arg. Guttierr. de marim. c. 60. n. 10. Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 23. n. 6. Nauar. in c. sacerdos, de pœnit. dist. 6. n. 147. & alij quos citat Sanchez, & Fagundez vbi infi. Et ita mordicus aliqui sustinent hanc sententiam, vt doceant teneri id efficere in conscientia; & rationem omnium horum adducunt, quia sacerdotes ex vi sigilli tenentur accepta in confessione secreta seruare, sed Superior, vel alius quando denegat suffragium in Capitulo, nemini reu. lat peccata in confessione accepta; ergo. Deinde, Sacerdos per confessionem alterius non priuatur iure suo sed si ipse talem confessionem non audiuisset, posset huiusmodi suffragium denegare. Ergo, &c. Et hanc sententiam veram esse quando suffragium ita cautè denegatur, vt pœnitens nullam de hoc tacto possit habere suspicionem, docent multi, & nouissimè Villa obos in sum. tom. 1. tr. 9. diffic. 75. n. 4. vbi sic allerit. [Tambien digo que seria licito no dar el voto al que sabe por la confession que es indigno, con que fuessè con tanta cautela, que no pudiesse el ni nadie caer en ello, y en cosas, que el penitente no tiene aquirido derecho.]

Sed hæc opinio opus est, vt non doceatur, nec in praticam adducatur, vt pote periculosa, & nociua honori, ac religioni Sacramenti, & ideo contrariam sustinendam esse puto, quam Claudius Aquauia præcepit a Superioribus obseruari, à Professoribus Societatis I E S V publicè, & priuatim doceri; & ita etiam docent nouissime Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 15. n. 22. Fagundez præc. 2. lib. 6. c. 3. n. & seq. Beia part. 3. af. 10. Coninch de Sacram. dist. 9. dub. 4. num. 64. Delrius in disquis. lib. ... sect. 2. Bâñez in 2. q. 33. art. 8. Malderus tract. de sigillo, c. 14. vbi docet nullo vnquam casu, etiam quando id nemo resciuisset Confessarium fecisse, licere vti scientia confessionis in electione, & omnino in omnibus, quæ pœnitentem grauant. Quia etiam si in particulari hîc, & nunc ignoretur ex qua scientia agat Confessarius, retrahit tamen infirmos à confessione, si nouerint fieri posse, vt occasione confessionis non eligantur, sed puniantur inuiti. Dico infirmos, quia puto in fauorem confessionis non tantùm consideranda esse incommoda respectu illorum, qui iusta causa à confessione, alienarentur, sed etiam respectu illorum infirmorum, qui reformidarent eandem confessionem, si contra se eius liceret vti scientia tanquam odiosa; ideoque ab ea auerterentur, non quidem omnino immeritò, sed ex fragilitate quadam humana; homines enim infirmi magis alliciendi sunt ad confessionem, eaque magis indigent, quam perfectiores. Hæc

quidem procedunt, quando non possunt aliæ causæ prætexti prætereundi indignum, quia si allegari possit defectus ætatis, scientiæ, aut aliquid eiusmodi, non dubium est, quin Confessarius possit, illis allegatis, prætereire eum, quem ex confessione secretò nouit indignum. Ita Malderus.

Igitur etiam si ponamus confitentem nullo omnino iudicio assequi posse suffragium, v.g. in electione occulta sibi à Confessario propter confessionis notitiam denegatum fuisse; tamen si hæc scient pœnitentes, nimirum, se ob peccatorum suorum confessionem impediri posse à consequendis officiis, ac honoribus, abhorrescent à confessione, iis præsertim facienda, quos vel leuiter suspicantur aliquando sibi prodesse, vel obesse posse, vt cum vocalibus, cum Magistro Nouitiorum, cum Præposito, &c. Et ideo non possum hîc non apponere verba Fagundez vbi supra num. 2. ita asserentis. Potissima ratio, ob quam sacramentale sigillum tam inuolubiliter obligat, vt nullo modo eius notitia ad notitiam fori externi, & externorum actuum deducatur, est, ne hoc diuinum Sacramentum, quòd à Christo Domino in salutem animarum institutum est, reddatur hominibus formidabile, & ideo fugiendum est omnino, quidquid illud onerosum, ac odiosum potest reddere. At nihil magis odiosum illud potest reddere hominibus, quàm si illi intelligant posse priuari à superioribus, seu aliis Confessariis officiis, Ordinibus, aut mutari in alia loca, & sibi negari suffragia ad communes honores ob notitiam confessionis. Nam, vt optimè docet Sanchez, vt homines auertantur à confessione, & sic iniuria fiat Sacramento, satis est, quòd antecedenter scient Superiores, & alij Confessarij posse iuuare notitiam confessionis ad actus externos dirigendos. Ita Fagundez.

Ex quibus omnibus patet resolutio multorum casuum. Primò, non licere ob notitiam confessionis priuare subditos officiis amouibilibus. Etiam si ipse amotus in suspicionem non esset deuenturus, sed expectet commoditatem oc. urrentis liquide alterius causæ. Ita Malderus, Layman, Fagundez, & Bonacina de Sacram. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. n. 14. Io. de la Cruz in direct. p. 2. de sacram. Pœnit. c. 6. dub. 1. concl. 1. quidquid in contrarium asserat Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 3. c. 2. n. 16. & Valquez in 3. p. om. 4. q. 93. art. 14. dub. 9. num. 5. Secundò, non posse Confessarium dicere Prætoribus Urbis, aut Inquisitoribus, vt diligentius inuigilent, cum notitia & foris confessionis nullum commercium habeat cum his admonitionibus externis; & quia ipsi statim coniciant id ex confessione Confessarium scire, quod redundat in detrimentum sigilli. Ita Fagundez num. 9. Vnde etiam stando in opinione contraria, nunquam Confessarij possunt supra dictos monere, & eis dicere periculum imminens se scire in confessione, cum eiusmodi forma odiosam reddat confessionem, vt notauit Malderus vbi supra cap. 14. fol. mibi 122. & in hoc plurimi decipiuntur miserimè. Tertio, non potest licitè Prælati, seu quiuis alius vti notitia confessionis complicitis alicuius delicti, vt fiant vigilantiores circa alios complices, nec potest dicere, vt solito diligentius inuigilent, vt eos in delicto comprehendant, quia ex hac cautela necessariò redditur odiosa confessio. Fagundez n. 10. & sic in similibus casibus. Et hæc omnia voluit prohibere Clem VIII. in decreto, quod adducunt omnes citati DD.

Responsiones verò ad argumenta pro contraria sententia superius posita inuenies reiecta, & soluta apud Fagundez, & Layman vbi supra. Et circa præsentem questionem præter Doctores citatos, vide Filliucium tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 337. Sanchez de marim. tom. 1. lib. 3. disput. 6. per totam. Sancium in selectis, disput. 8. num. 10. & 11. Onuphrium opus. de sigillo sect. 2. quæst. 2. dub. 2. & alios penes ipsos, qui plures Doctores pro vtraque sententia adducunt; sed tu nostram tene, & aduerte, quòd licet contraria sententia esset probabilis, tamen

vt aduertunt etiam aduersarij, ad illam amplectendam opus esse tanta prudentia, & cautione, totque circumstantias requiri, vt difficillimum sit in praxim ipsam deducere, & ita notat Reginald. *tom. 1. lib. 3. c. 2. n. 33. in fine*, & alij.

Notandum est hic etiam obiter, quod multi, qui contrariam sententiam aduersus nos tenent, illam tamen limitant, & asserunt, non esse veram, & in praxim reducendam, quando subditus poenitens in suspicionem veniret, se priuari eo munere, vel officio ex scientia habita à Superiori in confessione; nam in tali casu nihil ex illa efficere Superior, seu Confessarius poterit. Et ita docet Pitigianus *in 4. sent. tom. 2. dist. 21. q. 2. art. 12. concl. 1. Faber de poenit. in 4. dist. 19. q. vnic. disp. 34. c. 14. n. 86. Nugnus in addit. ad 3. p. q. 11. art. 1. ad 6. arg.* & alij. Vnde apparet quàm sit difficile deducere in praxim supradictam sententiam.

An Sacerdos ante consecrationem teneatur confiteri, si sine nota possit, & quid de laico ad linteum altaris parato communicare?

RESOL. LXXVII.

Affirmatiuè respondent Coninch *de Sacram. quest. 80. art. 4. dub. 2. n. 16.* vbi sic ait. Si Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali ante consecrationem, tenetur confiteri, si sine nota possit. Ita ille cum Suarez, Nauarro, & alijs.

Contrarium tamen docent nouissimè Petr. Matthæus *in annot. ad rubricas. Missalis, p. 1. cap. 8. n. 5.* & Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 5.* cum Soto & Victoria etiam Sacerdos statim post introitum recordetur peccati mortalis, non enim est opus accersere Confessarium, quamuis id fieri sine nota possit; sed satis est, imò etiam consilius, elicitæ contritione, & postea confitendi proposito ob honorem sacrificij pergere, & cœptum perficere. Et hanc etiam sententiam docent Henriq. *lib. 8. c. 46. n. 3.* qui etiam ibidem *in glossa lit. A.* tenet, quòd laicus, qui ad linteum altaris adstat paratus communicare, & confessionem præmisit, excusatur propter reuerentiam Sacramenti, ne statim redeat ad Confessarium, vt directè absoluat à peccatis, quorum fuerat oblitus, & hoc etiam seclusa nota, & scandalo. Ita ille, licèt contrarium asserant Medina, Ledesma, Cano, Syluester, & alij, *vbi infra in hoc tract. citati* Sed Reginald. *in praxi, tom. 2. lib. 29. c. 4. sect. 1. n. 105.* tenet opinionem Henriquez, etiam quoad laicum ad linteum altaris paratum communicare.

An absolutio obtenta bona fide à peccatis tantum, & non à censuris, sit valida, si poenitens sit innodatus aliqua excommunicatione etiam reseruata?

RESOL. LXXVIII.

Negatiuè respondet Finellius *tr. de cas. reseru. c. 10. n. 8.* vbi sic ait. Licèt quodlibet Sacramentum de facto collatum excommunicato teneat, nec per excommunicationem irritetur vis Sacramenti; hoc tamen non est verum in sacramento Poenitentiae; etenim reliqua Sacramenta solùm requirunt Ordinis potestatem in conferente, quæ adimi non potest, at Sacramentum Poenitentiae vterius requirit iurisdictionem, per excommunicationem verò subtrahitur excommunicatus à iurisdictione Confessarij, & propterea absolutio eidem impertita, est nulla, quia absque iurisdictione, non item alia Sacramenta, quæ absque iurisdictione, quæ sit eorum validitatis necessaria, conferuntur. Ita Finellius, Hanc etiam sententiam docent Ledesma *in summa, tom. 1. de sacram. Poenit. cap. 20. dub. 2.* Vasquez *in 3. part. tom. 4. tract. de excommunicat. dub. 4. n. 8.* & Sancius *in selectis, disp. 32. n. 11.* qui citat Paludanum, Adrianum, & Syluestrum, Maiorem, Gabrielem, Antoninum, Ledesmam, Chapeauillam, &

alios, quibus ego addo nostrum Megalam *in 1. p. lib. 5. cap. 19. quest. 4. in fine.*

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Nauarro *in manuali, c. 9. n. 4.* Toletto *lib. 3. c. 10.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 12.* & Coninch *de Sacram. disp. 8. dub. 3. concl. 4. n. 104.* vbi sic asserit. Qui est excommunicatus excommunicatione reseruata, si bona fide confiteatur aliqua peccata non reseruata simul cum reseruatis, validè absoluitur; nam nullo modo est de essentia huius Sacramenti, vt poenitens prius absoluat ab excommunicatione, quàm à peccatis. Sic ille. Dicendum est igitur, quòd excommunicatio non irritat absolutionem, dum se tenet ex parte recipientis, vnde nisi ipse sciens vellet Sacramento communicare, Sacramentum, & fructum Sacramenti reciperet, nullo enim iure fit irrita talis confessio, nedum cætera Sacramenta. Et ideo hanc sententiam præter DD. citatos, tenet etiam Suarez *de censuris, disput. 10. sect. 3. num. 6.* qui citat Caietanum Couarruuiam, & alios. Igitur in tali casu poenitens absolutus à peccatis, & non à censura, non tenetur reiterare talem confessionem, sed tantum petere absolutionem ab excommunicatione, quod est valde notandum.

Et omnia supradicta procedunt, non solùm quando poenitens absoluitur, quia ipse ignorat excommunicationem, vel recipit Sacramentum ex necessitate, sed etiam si Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, illum tamen, hoc non obstante, ex malicia absoluat, licèt non habeat potestatem absoluendi à tali censura.

Ad argumentum verò Finellij, & aliorum respondeo in hoc casu adesse iurisdictionem, nam per excommunicationem priuatur quis iurisdictione actiua in alios, non tamen subiectione passiuæ ad alios sibi superiores, seu (quod idem est) alij non priuantur iurisdictione in ipsum; alioquin non tam ipsorum excommunicatorum, quàm ipsius Confessoris esset talis poena. Vide Suarez *vbi supra n. 11. & seq.* Et hæc omnia vera esse etiam, vt diximus, si censura sit reseruata, optimè notat Suarez *loc. cit. n. 15.* adi illum, & non pigebit.

An si proprius Sacerdos iniuste neget licentiam alteri confitendi peccata, confessio facta alteri sit valida?

RESOL. LXXIX.

Ponamus exemplum. Subditus cum proprio Parocho sine periculo salutis, & famæ confiteri non potest, vt, v. g. concubina, &c. an si ipse deneget licentiam alteri confitendi, possit hoc non obstante cum alio Sacerdote confiteri? Negatiuè respondet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. 13. n. 3.* adducens sex argumenta, & citans pro hac sententia Alensium, Sotum, Medinam, Philarchum, Llamas, Suarez, Nauarrum, & alios, & hanc sententiam nouissimè docet Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 9. diff. 49. n. 14.* vbi sic ait. [Si se dieffe caso en que fuessè peligroso confessarse con el proprio Sacerdote, ò porque descubra las confesiones, ò porque sollicita à mal, respondo le pida licentia para confessarse con otro, ò recurra al superior, y si no puede hazer lo vno, ni lo otro, hase de juzgar, como si no tuuissè copia de Confessor, porque la malicia del Confessor no da iurisdicion al otro parrocho le absolua. Lo mismo es quando el Prælado niega injustamente la licencia par ser absuelto.] Ita ille, & *in c. omnis vtriusque sexus*, sic habetur, Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat, cum aliter ipse illum non possit absolueri.

Sed his non obstantibus, affirmatiuam sententiam tueretur Paludanus *in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. cas. 1. Maior q. 2. col. 6.* Richardus *art. 3. q. 7.* Adrianus *in 4. de confess. q. 5. dub. 3.* Syluester *ver. confessor, 1. q. 6.* Toletus *lib. 3. c. 13.* & Henriquez *lib. 6. cap. 13. n. 4.* vbi sic asserit: Quidam non sine ratione

ratione addunt, esse licitum in quibusdam casibus confiteri alieno sacerdoti, quando proprius pastor praesens petitam ad id licentiam iniuste negat; quia sic iure petita, videtur ipso iure concessa, & defectum Parochi negantis supplet ipso iure Episcopus, defectum vero Praelati regularis supplet Generalis Regularium, aut certe vtrumque ipso iure, aut ex praesumpta voluntate supplet Summus Pontifex. Sic ipso iure censetur concessa licentia, quando professus impunè transit in strictiorem religionem petita à Praelato licentia, quam ille iniuste negat, & quando Episcopus Regularibus legitime, & dignè praesentatis negat iniuste licentiam audiendi confessiones, supplet Papa, & iurisdictionem confert praedictis Confessariis. Ita Henriquez.

Cum igitur utraque opinio ex supradictis sit probabilis, poenitens in tali casu, vel secundum primam sententiam potest se gerere, tanquam copiam non habens Confessarij, & sic in Paschate non frangeret praecipuum, si non confiteretur, & eliciendo actum contritionis, poterit sacram Eucharistiam sumere: vel secundum alteram sententiam potest confiteri alieno Sacerdoti, quae omnia valde notanda sunt.

An si poenitens, laboret ignorantia, debeat Confessarius illum admonere, si fructus non speratur?

R E S O L. LXXX.

Hæc sunt exempla. Si matrimonium, v.g. ob latens impedimentum inualidum sit, si maritus ob castitatis votum ante nuptias editum, vel ob incestum post nuptias cum coniugis consanguinea commissum facultate petendi debitum priuatus sit, si poenitens per ignorantiam aliena bona possideat, &c. Dico igitur, quod si Confessarius intelligat poenitentem laborare ignorantia inuincibili, vel saltem moraliter non culpabili, & arbitretur admonitione non securum esse fructum, sed potius animi inquietudinem, rixas vel scandala, dissimulare debet, iuxta illud S. Augustini *hom. 41. inter. 50. si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Et hæc docent ex Adriano, Medina, & Nauarro Paulus Layman in *Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 13. n. 5.* Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 32. sect. 5. n. 3.* Sanch. de *matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 38. n. 6.* Villalobos in *sum. tom. 1. ar. 9. diff. 70. n. 4.* & alij communiter, quæ sunt valde notanda, quia facilius possunt accidere, & tunc discretus animarum Pastor omnia perpendens iuxta supradicta se gerat. Nam scio quendam imprudentem Confessarium dedisse occasionem multorum peccatorum, è quadam manifestatione vnius ex supradictis casibus. Vnde Villalobos *vbi supra n. 13.* sic optime asseruit. [En estos casos ha de estar muy cauto el Confessor; porque algunos ay tan imprudentes, que sin reparar mas luego dicen al poenitente, no estays casado, de lo qual se figuen despues grandes inconuenientes; y en este caso raras vezes acontece que el Confessor tenga esta obligacion, porque se ha de alcançar dispensacion del Papa, y estar lexos de Roma, y por los menos ay gran peligro de la incontinençia mientras se saca la dispensacion.] Ita Villalobos.

Notandum est etiam hic, quod cauere Confessarius debet, si fructus non speretur, ne plus respondeat, quam à poenitente interrogatur, v.g. vtrum matrimonium contractum ab eo, qui ante nuptias simplici castitatis voto obstrictus erat, validum existat, & an vxori debitum reddere teneatur, affirmet vtrumque Confessarius, interim tacens de obligatione non petendi debitum. Et ita contra Sotum in *4. disp. 18. quæst. 2. art. 4. ad 2.* docent Sanchez *loco citato n. 8.* & Layman *num. 6.* vbi etiam rectè obseruat, quod vt intelligat Confessarius, vtrum in supradictis casibus poenitens inculcata ignorantia laboret, necne, caueat eum sollicitare interrogationibus specialibus, videlicet existimène matrimonium validum esse, nam

subitò poenitenti suspicionem commouebit. Sed solùm in tali casu contentus sit interrogare poenitentem, nihilne sit, quod animum eius grauet, & conscientiam scrupulosam reddat? Et hæc omnia adnotare volui in gratiam Confessariorum, quia in praxi sæpe sæpius aduenire solent.

An si quis, v.g. in Natiuitate Confessus est, teneatur postea confiteri, si sequente Paschate à communionem accipienda impediatur?

R E S O L. LXXXI.

Pro affirmatiua sententia Layman *vbi infra citat Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 36. sect. 3.* sed immeritò, & Petrum Sotum *sect. 5. de necessitate confessionis,* & idem tenet Pater Megala in *p. 1. lib. 5. c. 3. n. 3.*

Sed contrariam sententiam profus sustinendam esse puto, quam ego ipse docui aduersus Megalam in *resol. 54. tract. 3. miscell. n.* vbi plures DD. adduxi hanc sententiam tenentes, quibus nunc addo Emmanuelem Sà *ver. Confessio, n. 4.* & Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 5. n. 10.* quia Concilium Lateranense in *c. omnis vtriusque sexus,* non ita statuit de confessione, ac de communionem. Nam dicit, vt fideles omnia sua peccata saltem semel in anno confiteantur, & communionem saltem in Paschate accipiant. Ergo non ita pro confessione, sicuti pro communionem tempus Paschale assignauit.

Ex his optime infert Layman, quod infirmi in lecto defixi, qui communionem in Paschate pro tali impedimento suscipere non possunt, non sunt compellendi ad confitendum, si intra anni decursum legitime confessi sunt. Imò addit, & si aliquis toto anno nunquam confessus fuisset, & communionem ad breue tēpus ex causa iusta vsque ad Pentecosten differre statueret, probabile est, grauius non peccaturum, etsi etiam confessionem differret, si putaret postea eam commodius peracturum esse.

Dicendum est igitur absolute, vt ego ex pluribus Doctoribus in *dicta resol.* firmaui, si quis confessionem fecit intra annum, non teneri postea in Paschate confiteri, quia iam adimpleuit præceptum annuæ confessionis, nisi de nouo peccauerit mortaliter, & sacram communionem accipere velit.

An Confessarius possit imponere poenitentiam omnino liberam faciendam arbitrio poenitentis?

R E S O L. LXXXII.

Negatiuè ex Vasquez respondet Turrianus *de poenit. disp. 35. dub. 2.* quia si poenitentia est libera, non prouenit à potestate ligandi, hæc enim ligat poenitentem; vnde non erit pars Sacramenti. Deinde praedictus modus ligandi non quadrat in sententiam: sententia enim iudicis iusta ligat, & alias non est sententia, sed consilium iudicis; ergo, &c. Vide etiam Petrum Fay *de poenit. in addit. ad 3. p. 9. 5. art. 1. disp. 4.*

Sed his non obstantibus affirmatiuam opinionem docet Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 9. diff. 77. num. 2.* vbi sic asserit. [Ha se de advertir, que no esta obligado el Confessor a dar siempre la poenitencia por via de precepto, que algunas vezes basta dezir, si hissieredes tales, y tales buenas obras, yo os la doy en poenitencia, que con esto por virtud de las llaues se lauanta de punto aquella satisfacion, y esta muy en vso entre Confessores.] Ita ille, & ante illum Filliucius *tom. 1. tract. 8. c. 2. n. 37.* & Fagundez *pr. 2. lib. 9. cap. 3. n. 11.* Henriquez *lib. 5. de poenit. c. 21. n. 5.* & Suarez *tom. 4. disp. 38. sentent. 3. n. 2.* qui citat Paludanum, Sotum, Victoriam, Ledesnam, & alios. Et ratio est, quia Sacerdos imponendo in tali pacto poenitentiam ligat, & soluit; ligat quidem, quatenus necessitatem huius poenitentiae imponit, non simpliciter, sed ad hunc finem consequendi ex opere operato remissionem poenitentiae

per hoc Sacramentum: soluit autem, quatenus facienti talem pœnitentiam, commutat pœnam purgatorij in faciliorem pœnam, quæ per se, & sine virtute clauium necessaria esset. Vnde ex his colligitur pro praxi, vt optimè obseruat Villalobos *vbi supra*, quòd optimi Confessarij semper in absolutione deberent addere illa verba, *quidquid boni egeris, aut mali sustinueris, &c.* Ex his etiam inferitur cum Fagundez *vbi supra, cap. 5. num. 11.* quòd non requiritur semper, vt Confessarius iniungat aliquod opus in particulari, sed sufficit si dicat, præserum personis spiritalibus, Impono tibi pro pœnitentia quidquid hodie, vel hac hebdomada, vel mense boni feceris.

Notandum est etiam hic obiter contra eundem Turrianum *dub. 3.* Valquez, & Martinum Ledesnam, posse pœnitentiam ex voluntate tamen Confessarij, & ex iusta causa per alium impleri, & suum effectum ex opere operato in eo, pro quo impletur, fortiri, quia hoc modo impletus semper intelligitur actus personalis pœnitentis, quatenus ad illius petitionem, & preces fit, & vt sic potest esse suo modo pars Sacramenti suscepti, & hoc debet fieri à Confessario à principio, quando imposuit pœnitentiam, & in actu confessionis. Et ita hanc sententiam docent Fagund. *pr. 2. lib. 9. c. 4. n. 12. & 13.* Filliuc. *vbi supra num. 58.*

An sit conueniens aliquando imponere pœnitentiam implendam per opus aliud præceptum?

RESOL. LXXXIV.

Didacus Nugnus in *addit. ad 3. part. 9. 15. art. 1. diffic. 2. concl. 2.* docet id non esse conueniens & Confessorum imponentem talem pœnitentiam peccare venialiter, si confessio sit de venialibus; & mortaliter, si confessio sit de mortalibus, & probat hanc opinionem tribus argumentis.

Sed contrariam sententiam prorsus tenendam esse existimo, quam aduersus Nugnum tenet nouissimè Turrianus *de pœnit. disp. 37. dub. 1.* Suarez, Valquez, Henriquez, quibus ego addo Layman in *Theol. mor. lib. 5. dub. 6. cap. 15. n. 10.* Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 8. c. 2. num. 46.* Fagundez *pr. 2. li. 9. c. 5. n. 8.* Thomam à Iesu in *el Tribunal de la Consciencia, tr. 2. c. 2.* asserentes, posse hoc expedire vt saltem ex parte aliquid pœnitentiæ imponatur per opus præceptum implendum, considerata pœnitentis dispositione, & infirmitate. Et certè cum opus præcepti sit satisfactorium, atque adedò possit per illud perfici Sacramentum, & opus eleuans vt sit satisfactio sacramentalis, non apparet quare non possit aliquando à Confessore iniungi iustè virtute clauium.

Notandum est tamen hinc non debere imponi regulariter pro satisfactione sacramentali opera debita præcepto aliquo. Vnde inferitur, quòd si Sacerdos imponat ieiunium absolutè, non satisfaciens pœnitens per ieiunium ad quod aliunde teneretur, mens enim, & intentio Sacerdotis in hoc casu est præscribere ieiunium plenè liberum, nisi ex verbis Confessarij, vel rei circumstantiis contrarium colligi possit. Puta si Confessarius præcipiat, vt diebus festis duæ Missæ audiantur, intelligendum est, Missam, quæ in præcepto est, etiam comprehendere velle. Item si cui certa elemosyna iniuncta fuit, is satisfaciens etiam, dando extremè indigenti. Cum enim casus iste extraordinarius sit, & rarè contingens, non videtur Confessarius eum excludere voluisse, ne alioquin pœnitens nimis fortasse grauetur duplicem elemosynam dando. Et sic docet Petrus Fay *de pœnit. in addit. ad 3. part. 9. 15. art. 1. disp. 2. concl. 1.* Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 15. n. 10.* Coninch *de Sacram. disp. 10. dub. 8. n. 69.* & alij, *vbi supra*, quidquid in contrarium asserat Sotus in *4. distinct. 10. quest. 2. art. 1. in fine*, vbi sic distinguit. Si obligatio faciendi elemosynam superuenit post confessionem, sufficiet illa elemosyna ad implendam obligationem

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars III.

pœnitentis; sed si antecessit. Sed hanc distinctionem meritiò impugnant Suarez, Turrianus, & Fagundez. Nam quid quæro refert, quòd obligatio antecedit, vel subsequatur?

An satisfactio sacramentalis facta in peccato, reuiviscat cum homo resurgit per contritionem subsequentem?

RESOL. LXXXV.

Negatiuam sententiam docet Turrianus *de pœnit. disp. 38. dub. 3.* qui citat Valquez, Sotum, Ledesnam, & Adrianum. Ratio est, quia nullibi in Scriptura sacra inuenitur talis promissio. Ergo sine fundamento asseritur.

His tamen non obstantibus, affirmatiuè respondendum esse puto cum Suarez *tom. 4. disp. 38. sect. 8. n. 5.* Fagundez *pr. 2. lib. 19. c. 4. n. 9.* Petro Fay *de pœnit. in addit. ad 3. part. 9. 14. art. 3. disp. unica.* Caietano, Petro Soto, Victoria, Nauarro. Ratio est, quia sacramentum pœnitentiæ consequitur suum effectum recedente fictione, sicut reliqua Sacramenta; ergo etiam satisfactio, vt est pars integralis sacramenti Pœnitentiæ. Consequentia patet, nam vt talis, etiam est opus Dei. Quæ omnia intelligenda sunt, non tantum quoad effectum gratiæ, sed etiam quoad effectum remissionis pœnæ, & ideo Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 15. n. 15.* sic asserit. Probabile valde est, quòd remoto postea obice peccati mortalis per nouam pœnitentiam, mox ex virtute Sacramenti (per Christi merita) sequatur remissio pœnæ temporalis.

An qui dixit Confessario, se velle apud eum confessionem generalem facere, teneatur postea ei aperire omnia peccata mortalia?

RESOL. LXXXVI.

Affirmatiuè respondent Victoria in *summa Sacram. n. 253.* Ledesma in *2. par. 4. 9. 8. art. 2. dub. 15.* Ratio est, quia aliter faciendo, decipit Confessarium, qui Christi vicem gerit in re graui.

Sed quia hic casus frequenter solet accidere, ideo negatiuam sententiam teneo cum Henriquez *lib. 2. c. 12. n. 2. in glossa littera D,* & aliis communiter, quia quamuis ita dicendo mentiatur, id parum refert quoad hanc obligationem. Absolutè enim non tenetur in ea confessione omnia dicere, nec dari præceptum potest etiam Papale, iustè obligans in hoc casu ad omnia dicenda, nec fallit in re, quæ per se pertineat ad forum huius iudicis, ac proinde falsum est, dicere illum fallere Confessarium in re graui, pertinente ad suum iudicem. Si verò cum id Confessario dixit, habebat reuera intentionem confitendi omnia peccata; hoc non obstante non tenetur omnia dicere, quia potest postea mutare voluntatem suam, vnde non sunt audiendi Victoria, & Ledesma *vbi supra.*

An si pœnitens non vult dare licentiam Confessario, vt ei aperiat defectum commissum in confessione, possit illum aperire?

RESOL. LXXXVII.

Affirmatiuè respondent aliqui, vt nos alibi notauimus, & nouissimè ita etiam tenet Turrianus *de pœnit. 9. 11. art. 1. disp. 33. dub. 6.* vbi sic asserit. Deinde Suarez, & alij docent, quòd si Confessor commisit aliquem defectum in confessione, & iudicat esse necessarium admonere pœnitentem, potest facultatem petere ab ipso pœnitente, vt de ea re cum ipso tractet. Quòd si nolit eam concedere, poterit nihilominus Confessarius manifestare pœnitenti id, quod iudicat necessarium ad rectè exercendum munus Confessoris. Ita ille.

Sed mihi summopere displicet, viros doctos hæc docuisse, & ideo hanc sententiam rectè Fagundez *pr. 2. lib. 6. cap. 4. n. 33.* improbabilem putat, quia ex illa daretur

casus, in quo absque licentia pœnitentis expressa loqui possit Confessarius cum ipso pœnitente de rebus sibi confessis, quod est absurdum, & omnes Doctores negant; & aliter facere, erit exprobare pœnitenti peccata confessa, & exosam reddere confessionem, & iniuriam facere Sacramento. Vnde in casu proposito, quando Confessor commisit aliquem errorem in confessione, quia, v.g. absoluit non subditum, vel excommunicatum, vel a casu resecuato, vel non iniunxit obligationem restitutionis, non potest loqui cum pœnitente de supradicto errore, sed petat licentiam ab illo, & si negat, culpa quæ fuerat Confessarij, eo ipso in pœnitentem transfertur, & Confessarius liber ab omni obligatione manet. Vide Syluium in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. quaritur 8. concl. 2. & alios communiter.

Notandum est etiam ex supradictis contra Henriquez lib. 3. de pœnit. cap. 2. num. 2. in fine, si statim post finitam confessionem, & datam absolutionem occurrat error emendandus, non posse Confessarium loqui cum ipso pœnitente de confessione, & errore corrigendo, absque prædicta licentia, tum quia scandalum foret pœnitenti, tum quia est contra doctrinam communem Doctorum, dicentium absolue post finitam confessionem, non licere Confessario loqui cum pœnitente de rebus confessis, nisi de licentia expressa pœnitentis: & ita contra Henriquez docet Fagundez ubi supra; quæ omnia sunt valde à Confessariis notanda, quia hic casus passim in praxi solet accidere.

An si quis commisit fornicationem, sufficiat si dicat in confessione, Commisi graue peccatum in materia castitatis cum soluta?

RESOL. LXXXVIII.

HÆc quæstio ponitur pro illis, qui tenent circumstantias aggrauantes non esse in confessione aperiendas, & illam apud neminem inueni, nisi nouissimè apud Turrianum de pœnit. q. 9. art. 2. disp. 29. dub. 2. ad arg. 5. ubi obseruat, quod recentiores aliqui censent probabile, talem modum consistendi sufficere, per se loquendo, licet pœnitens commiserit fornicationem. Et ipse hanc sententiam probabilem etiam putat, nam & contrariani, quam tenet, probabiliorum tantum vocat. Sed an sit verè talis, aliis iudicandum relinquo, communis enim vsus fidelium est in contrarium,

An sufficiat, vt meretrix inueterata in confessione tantum manifestet tempus eius officij?

RESOL. LXXXIX.

Affirmatiuè respondent nouissimè Pharaonius de sacram. pœnit. tract. 1. sess. 16. cas. 5. Canus de Pœnit. p. 5. colligo. Attamen Caietanus tom. 1. opusc. tract. 5. q. 3. Petrus Soto lect. 9. de confessione, & Nauarrus in summa, c. 6. n. 15. asserunt talem fœminam non obligari ad explicandum speciatim numerum peccatorum, sed sufficere, si manifestet tempus.

Et hanc sententiam tanquam probabilem videtur etiam admittere Fagundez pr. 2. lib. 3. c. 4. n. 11. in fine, licet ipse, & optimè doceat, quod supradictæ meretrices, oportet, vt saltem præter tempus principales species peccatorum, quas possunt numerare, dicant, vt si cum clericis, religiosi, propinquis, coniugatis peccarunt, vel si crimen nefandum cum ipsis commiserunt, &c. Et ita etiam docent Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. diff. 33. n. 5. Henriquez lib. 2. de pœnit. c. 5. n. 9. Turrianus de pœnit. q. 9. art. 2. disp. 19. dub. 4. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. Suarez tom. 4. disp. 2. sect. 6. n. 89. & alij.

Ex his apparet, vt bene obseruat Fay de pœnit in addit. ad 3. part. q. 9. art. 1. disp. 2. concl. 2. cum aliis communiter, quod quando pœnitens per longum tempus fuit in malo statu, aut consuetudine iterationis alicuius peccati,

ita vt non possit designare numerum, quantum humanitus fieri potest, satisfaciet declarando tempus, quo fuit in tali statu, & consuetudine.

Hinc etiam inferitur, quod rustici homines, qui agrestis, & inculto modo confitentur, sine numero, & diligentia, cogendi non sunt repetere confessiones factas cum indoctis Parochis. Cum enim bona fide confiteantur, & vniuersam vitæ modum, & viuendi rationem habeant, statim ex confessione vnius anni coniciet prudens Confessarius, quantum in reliquis annis peccauerint, & quot numero peccata commiserint. Ita Fagundez supra n. 10. c. 2. n. 5. Henriquez lib. 2. de pœnit. cap. 3. n. 10.

An qui pluries vouit, vel pluries iurauit facere aliquam rem, frangatque votum, seu iuramentum, teneatur hoc in confessione aperire?

RESOL. XC.

Respondeo negatiuè cum Fagundez præc. 2. lib. 3. ca. 5. n. 7. vbi sic asserit. Quoties plura præcepta, vel plura vota, aut plura iuramenta de eadem re dantur, v.g. de ieiunio, de audiendo sacro in eodem die, vnum tantum peccatum committit, qui eadem vota frangit, vel præcepta, vel iuramenta, grauius quidem, quam si vnum tantum præceptum, vel votum, vel iuramentum frangeret. Ratio est, quia omnia vota, vel præcepta, vel iuramenta sunt vincula eiusdem speciei, & relinquunt peccatum in eadem specie. Ita Fagundez, qui citat Caietanum, & D. Antoninum. An verò dicta circumstantia sit in confessione aperienda? Respondeo negatiuè, quia, vt alibi satis probatum est, ego puto circumstantias notabiliter aggrauantes, non esse necessariò in confessione explicandas; igitur in dictis casibus sufficit, vt pœnitens dicat, Toties non ieiunavi, vel non audiui sacrum.

Ex his etiam inferitur, quod qui per diuersos Sanctos, & formas iurandi iuret, aut voueat, vnum tantum iuramentum, aut votum efficere. Et ita docet Henriquez lib. 2. de pœnit. cap. 5. n. 6. cum aliis. Et ego puto hanc circumstantiam tanquam aggrauantem non esse in confessione aperiendam, sicut etiam testis, qui simul rogatur de multis articulis sub vno iuramento, & in omnibus mentitur; puto vnum tantum peccatum committere, nec teneri hoc in confessione aperire.

An pœnitens, qui confessus est de peccato dubio, si postea sciat certò, vel probabiliter illud peccatum commississe, vel fuisse mortiferum, teneatur iterum illud confiteri?

RESOL. XCI.

Hic casus frequenter accidit, & affirmatiuam sententiam tenet Turrianus de pœnit. quest. 9. art. 2. disp. 29. dub. 6. vbi sic asserit. Hoc loco occurrit notandum, quod olim docui non semel de hac re rogatus, nempe, si post confessionem peccati in dubio pœnitens habeat notitiam certam, vel probabile iudicium, quod tale peccatum fuerit mortiferum, obligari pœnitentem ad manifestandum illud vt certum. Ratio est, quia peccatum explicandum est in confessione, prout est in conscientia pœnitentis, prædictum autem peccatum iam est in conscientia pœnitentis, vt certum, qua ratione non erat subiectum clauibus, sed solum vt dubium est. Ergo adest obligatio manifestandi illud in confessione. Ita Turrianus, & ante illum Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 69. qui tamen optimè addit, hoc non procedere, quando pœnitens integrè falsus est peccatum, quod fecit, dubitabat tamen an esset mortale. Quamuis enim Confessor simili dubio teneretur, non est iterum illius peccati repetenda confessio, si postea alteruter doctior factus, aut aliis consultis, norit id peccatum esse mortale. Ratio est, quia plenè in confessione suum peccatum manifestauit, nec noua circumstantia explicanda occurrit, nec

nec ad confessionis valorem est necessarium, vt pœnitens, aut Confessor sciat determinatè peccatum confessum esse mortale. Ergo.

An qui non adimplet pœnitentiam in tempore à Confessario præfixo, peccet mortaliter?

RESOL. XCII.

Negatiuè respondet Thomas à Iesu *en el tribunal de la consciencia tract. 3. cap. 2. dub. 9.* vbi sic asserit. [Dira alguno que pecado es no hazer la penitencia en el tiempo señalado del confessor.] Respondeo [de ordinario es pecado venial de negligencia, quando sin causa se difiere, mas quando con justa causa se difiere, no es pecado ninguno] Sed de hac quæstione alibi dictum est.

Notandum est tamen hic obiter pro praxi, quòd si in honorem festi alicuius peculiaris imponat, v. g. Confessarius ieiunium, si per impotentiam à ieiunio illius diei pœnitens excusetur, non tenetur postea alio die ieiunare. Secus autem si Confessarius præciperet pœnitentibus ieiunium diebus Veneris, vel Sabbati vnus mensis, vel anni; tunc enim qui aliquo dierum illius temporis non ieiunaret, teneretur in alio postea die ieiunare. Et ita ex Nauarr. & Syluest. docet Fagundez p. 2. lib. 9. cap. 4. n. 5.

An Medicus teneatur derelinquere infirmum nolentem confiteri?

RESOL. XCIII.

Pius V. anno Domini 1566. in quadam Bulla incipiente, *Super gregem*, &c. præcipit, ne Medici ultra tertium diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet per fidem Confessoris in scriptis datam, & addit, vt ante gradum Doctoratus petatur ab illis iuramentum seruandi istam constitutionem. Quæ quidem constitutio renouatur *cap. cum infirmitas, de pœnit. & remis.* vbi præcipitur Medicis, vt quando vocantur ad curandos ægrotos, priusquam curationem corporis incipiant, eos moneant ad confessionem faciendam, quæ omnia essent valde Medicis onerosa, si benignè viri docti illa non explicarent.

Dico igitur primò contrà Cherubinum *in compendio Bullarum, tom. 2. const. 3. Pij V. schol. 2.* Rodriquez *in qq. Regul. tom. 1. quæst. 47. art. 3.* D. Antoninum *3. part. tit. 7. c. 2. §. 4.* Syluestrum *ver. Medicus, q. 3. dicto 3.* & alios, dictas constitutiones Pontificias non obligare in quibuscunque morbis, sed in morbo graui, vel qui in principio prudenter iudicatur à Medico periculosus, vt grauis efficiatur. Ita Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. quæst. 6. art. 5. diffie. 2.* Scortia *in Bull. Pontific. epitome. 89. theorem. 215.* Suarez *tom. 4. disp. 35. sect. 3. num. 4.* Tabiena *vor. medicina, q. 12. n. 13.* Rosella *ver. medicus, n. 3.* Angelus *eodem verb. n. 9.* Armilla *n. 1.* Graffius *part. 1. decis. lib. 3. cap. 14. num. 7.* Vega *in sum. tom. 2. cap. 35. cas. 3.* Homobonus *vbi infra, & alij.*

Dico secundò supradictam monitionem satis esse, vt Medicus faciat per alios, nam si constitutiones illas interpretata est consuetudo. Ita Vega, Graffius, Suarez *locis cit.* & Homobonus *de statibus, part. 2. cap. 5.* & alij penes ipsum.

Dico tertio, quòd si æger in probabili mortis periculo constituatur, non est deferendus à Medico, etiam si pertinax sit in renuenda confessione. Immo idem dicendum est, quoties Medici absentia esset grauitè ægro nocitura. Plus etiam addo, quòd quando creditur certò monitionem nil profuturam ob ægri obstinationem, ante Medicus tenetur eum admonere, nec eum deferere; nam Pontificis mens fuit spiritali ægri saluti consulere, & nil frustraneum præcipit. Sed in hoc casu frustranea esset admonitio, nec ad eum finem conducens. Ergo, &c. Et

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

ita docent Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 16. n. 10. 11. & 16.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 9. diffie. 27. n. 5.* Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 38. cap. 13. n. 4.* & Syluius *in addit. ad 3. part. D. Thomæ, q. 6. art. 5. quæritur 1. concl. 1.*

Dico quartò, non esse necessarium, quòd Medicus exigat fidem Sacerdotis in Scriptis, sed sufficit testimonium illorum, qui eius curam gerunt, si sint fide digni. Immo talis potest esse infirmus, vt eius testimonium sufficiat; nam ita constitutionem Pij V. vsu receptam fuisse, testantur Didacus Nugnus *in 3. part. tom. 2. q. 6. art. 5. d. diffie. 2.* Filiucius *tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 33.* Scortia, Barbosa, & alij, *vbi supra.*

Dico quintò, cum supradictis Doctoribus, iuramentum à Medicis præstitum exequendi decreti, solùm intelligi in quantum præsens constitutio Pij V. vsu recepta est: ita Scortia, Sanchez, & alij *locis citatis.* Immo Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 9. diffie. 27. n. 5. in fine,* sic ait. [En esta vniuersidad de Salamanca no esta en vso, que ni toman iuramento à los Doctores, ni ellos lo guardan, sino que mandan confessar al enfermo, quando esta en peligro, y creo deue serlo mismo en otras partes.] Sed an ita sit, nescio, in nostra tamen Synodo Panormitana p. 2. n. 11. sic habetur. Quòd summus Pontifex Pius V. propositis pœnis iussit, ne Medici post triduum ægrotos inuisant, nisi peccata confessi sint: curent Parochi, vt executioni debita mandetur, quæ verba intelligenda sunt iuxta limitationes, & interpretationes Doctorum, de quibus supra dictum est.

Quomodo intelligenda sint verba, plus vel minus, quando pœnitentes se accusant de numero peccatorum?

RESOL. XCIV.

Quando non potest explicari certus numerus peccatorum, solent pœnitentes se accusare hoc modo, v. g. fornicatus sum vigesies, plus, vel minus; quæritur dicta verba ad quem numerum peccatorum extendantur, ita vt postea non teneantur illa confiteri, si commissorum amplius aliquot vicibus recordentur. Ioannes Sancius *in select. disp. 2. nu. 13.* videtur docere ista verba *plus, vel minus,* vsque ad duo, vel tria extendi. Et ideo ait Filiucius *tom. 1. tract. 7. c. 4. n. 82.* si non constat certus numerus peccatorum, dicatur probabilis, dicendo, v. g. decies peccavi plus, vel minus, quod si postea aduertat fuisse 12. non est necesse illa duo amplius confiteri, secus si recordetur fuisse 15. vel 20. nam tunc teneretur confiteri illum excessum. Ita etiam docent Reginaldus *tom. 1. lib. 6. cap. 3. num. 206.* Vega *in summa, tom. 1. cap. 63. cas. 22.* Ledesma *in summa, tom. 1. cap. 17. concl. 7.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* Syluest. *vers. confess. 1. n. 12.* Sà *ver. confessus, n. 32.* Toletus *lib. 3. cap. 7. n. 2.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 9. dub. 35. num. 5.* Syluius *in 3. addit. ad 3. par. q. 9. art. 2. quæritur 1. & alij.*

Sed supradicta opinio esset nimis rigida, & scrupulosa, & ideo non admittenda. Vnde mihi placet opinio Fagundez *præc. lib. 3. cap. 5. num. 9.* vbi docet, quòd maior, vel minor excessus illorum verborum, *plus minusve,* sumendus sit per ordinem ad maiorem, vel minorem numerum peccatorum, & ideo quando huiusmodi excessus, vel defectus sit nimis magnus, arbitrio prudentis committitur. Quod vltimum etiam docuerat ante Vasquez *in 3. part. tom. 4. quæst. 91. art. 1. dub. 2. num. 2.* Dicendum est igitur, illa verba *plus minusve,* esse extendenda ultra binarium, vel ternarium, secundum maiorem, vel minorem numerum peccatorum, de quibus pœnitens se accusauit. Et ideo Nauarrus *in cap. consideret, de pœnit. dist. 5. num. 42.* sic asserit. Non oportet contentem nimium esse obnoxium in exactè confitendo numero, sed sufficit bona fide exprimere certum, puta centum plus minus decem. Ita ille. Neque Doctores supra citati faciunt

contra me. Nam loquuntur communiter, quando pœnitens se accusat decies plus, minùsve peccasse. Nam concedimus posito dicto numero, illa verba non esse extendenda nisi ad duo, vel tria peccata, non autem si pœnitens se accusaret, v.g. centies plus minùsve peccasse, quod est valde notandum à Confessariis, & pœnitentibus scrupulosis.

Non grauabor tamen hic apponere singularē opinionem Martini Viualdi in *Candelabro aureo de confess. tit. 7. §. sed dixi. n. 3. fol. mibi 100.* vbi sic ait. Si aliquis recordaretur multorum peccatorum, vt si confessus fuit peccasse decies, & postea recordatur peccasse vigesies, quia error magnus fuit in primo numero, tenetur illa peccata secundum communem confiteri; sed verè, salua pace, mihi videtur, quòd si quis dixit, Peccaui decies in hoc peccato, & de omnibus aliis, quæ Deus scit me commisisse; in hoc casu, quorum, non recordor, dico meam culpam, non teneri amplius confiteri, si postea aliqua venerint in memoriam; dummodo sufficiens examen, ac debitum prius fuerit. Ita Viualdus. Sed an hæc opinio sit probabilis, iudicent alij, mihi enim non placet.

An circumstantia interruptionis actus interni sit in confessione toties, quoties exprimenda?

RESOL. XCV.

Plausibilis erit hæc quæstio Confessariis. Igitur supponendum Melchiorem Canum in *relect. de pœn. p. 5.* docuisse dupliciter interrumpi posse aliquam voluntatem, primò contraria voluntate, & tunc necesse est confiteri, quoties prauam voluntatem quis renouarit. Si verò interruptio fiat naturali obliuione, aut inconsideratione, non oportebit numerum exprimere, sed dicere. Toto mense, v.g. amari Mariam, etiam si possit numerus exprimi. Hæc in sententia Cani, quam falsam putant Nugnus in *addit. ad 3. p. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 1.* & Valquez in *3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 5. n. 10.* vbi ait. Existimo falsissimam opinionem Cani, quia reuera sunt plura numero peccata, quando repetitur sapissimè eadem voluntas, etiam si nunquam fuisset retractata actu contrario. Nullam enim continuitatem video in iis voluntatibus, cum vna ex alia non dependeat, tam quando interruptæ sunt naturali obliuione, quam quando interruptæ sunt contraria voluntate. Ita Valquez, & communiter DD. & ego.

His tamen non obstantibus opinionem Cani, quam falsam vocauerunt Valquez, & Nugnus, nouissimè viri doctissimi amplexi sunt, quorum verba accipe; Ioan. de la Cruz Dominicanus in *direct. conscient. part. 2. de sacram. Pœnit. q. 3. dub. 6.* Si intra aliquod tempus renouasti pluries cogitationes interceisas per cessationem, somnum, aut aliam occupationem, non teneris explicare singulas renouationes; cum omnes illæ censeantur vnum peccatum in genere moris, etsi materialiter multiplicentur, sat est enim explicare tunc tempus illarum cogitationum; secus si illæ cogitationes interrumpantur per actum contrarium. Ita ille, & ex eademmet Dominicanorum familia Petrus Fay *disp. de sacram. Pœnit. in addit. ad 3. part. D. Thoma, quæst. 9. art. 2. disp. 5. ad 4. arg.* sic asserit. Oportet aperire tempus, quo actum peccati quis continuauit, si notabile fuerit. v.g. permansit aliquis in turpi cogitatione per integram diem, aut hebdomadam, debet hoc pœnitens confiteri. Non est tamen necessarium dicere vices, quibus cogitationem illam repetiit, quando non fuit interrupta per actum contrarium, sed solum per cessationem, aut occupationem in aliis. Ratio est, quia repetitio illa non efficit distinctum numero peccatum mortale in genere moris; sed tantum vnum æquiualens pluribus. Idem dicendum proportionabiliter, quando quis per mensem, aut annum continuauit odio prosequi aliquem, neque toto illo tempore interrupit actu contrario. Ita Fay, licet contrarium asserat Bonacina de *Sacram. disp. 5. sect. 2. pœnit. 2. §. 3. diffic. 2. n. 5.* Sed Audiamus

Pitigianum in *4. sent. tom. 2. dist. 17. quæst. vnica, art. 5. circa quintum*, vbi sic asserit. Si interruptio actus mali facta est per actum contrarium, necesse est confiteri eam in confessione, pandendo vices, quibus eandem malam voluntatem renouauit. Sed si interruptio fuit naturaliter, non oportet explicare huiusmodi renouationes, sed tantum eius continuationem, si notabilis est; veluti dicendo, per totum mensem desideravi hoc facere malum.

Et tandem hanc sententiam docet Homobonus de *exam. Eccles. part. 1. tract. 5. cap. 13. q. 83.* ita asserens. Quando interruptio fieret alicuius negotij, aut alterius cogitationis occurrentis, vt cum quis, v.g. statuit fœminam, vt ea potiatur, alloqui, sed naturaliter ab aliis rebus distractus, & peregrina cogitatione absorptus illius propositi obliuiscitur, tunc cum se negotijs vacuum videns, pristinam illam iniquam voluntatem repetit, pandere vices, quibus illam renouauit, non tenetur pœnitens, cum vnicum tantum peccatum admittatur. Sic Homobonus, & ex parte hanc sententiam docet Salas Societ. Iesu in *part. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. n. 85.* vbi sic ait. Voluntas efficiendi aliquod peccatum externum, quando opere non completur, nec interrumpitur per contrarium actum, licet physicè interrumpatur, & postea renouetur, vnicum tantum peccatum est. Intellige nisi inter ipsos actus voluntatis multum tempus intercedat, quia tunc censeatur moralis interruptio. Ita Salas. Vnde ego, licet primam sententiam sequar, non condemnarem hanc secundam sequi volentem, vt confessio reddatur hominibus facilior, & amabilis, ac iugum Domini suaue. Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Filiucium *tom. 2. tract. 21. ca. 8. n. 317.* Philarchum de *off. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 22.* Coninch. de *Sacram. disp. 7. dub. 7. n. 52.* Reginaldum *tom. 1. lib. 6. cap. 4. part. 2. dub. 5. nu. 118.* Conradum in *resp. part. 2. q. 173.* Lopez in *instruct. part. 1. cap. 13. quæst. 4.*

An mendacium de veniali peccato, quod est totalis materia confessionis, sit peccatum mortale.

RESOL. XCVI.

Affirmatiuè respondent communiter DD. Nauarrus in *cap. fratres, de pœnit. dist. 5. n. 18.* Layman in *Theol. mor. lib. 4. tract. 6. cap. 8. nu. 15.* Coninch. de *Sacram. disp. 6. dub. 3. n. 8.* Fagundez *præcept. 2. lib. 3. c. 2. n. 10.* Angelus *ver. confessio, num. 57.* Armilla *codem verb. §. 6.* Filiucius *tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 112.* Megala in *1. part. lib. 5. c. 8. n. 7.* Villalobos in *summa, tom. 1. tra. 9. dub. 41. n. 4.* Sotus in *4. dist. 18. q. 2. art. 4.* Suarez *tom. 4. disp. 22. sect. 10. n. 6.* & alij communiter. Et ratio est, ait Suarez; quia pœnitens in tali casu mentiendo efficit Sacramentum nullum, quia nulla materia apponitur formæ.

Sed Philippus Faber publicus Theologiæ Professor in Academia Patavina nouissimè in *suo tract. de pœnit. in 4. sent. dist. 17. quæst. vnica, disp. 14. c. 3. n. 51.* docet mendacium veniale, etiam quando est tota materia confessionis, esse tantum peccatum veniale. Ad rationem verò, quod forma redditur falsa, & nullum Sacramentum, respondet idem euenire cum materia est partialis; nam etiam quis partialiter mentiens, facit vt ex illa parte forma sit falsa, & sit sacrilegium: sicut qui proferret formam consecrationis simul super panem triticeum, & hordaceum, non minus peccaret, quam si supra hordeaceum tantum. Nec valet responsio Suarez, quòd non est par ratio de Eucharistia, & de forma confessionis, quia illa est vniuersalis, & respicit totam materiam, hæc non ita, sicut qui baptizaret aqua, in qua mixta esset gutta aquæ rosæ, non propter hoc non baptizaret. Hæc, inquam, responsio non valet. Differentia enim illa inter formam Eucharistiæ, & istam confessionis est voluntaria, quia vtraque cum sit forma Sacramenti, & habeat suam materiam, illam totam respicit, absolutio enim respicit omnia, & singula peccata

Vnde

Vnde si in parte fraudetur, in parte læditur, & fit sacrilegium. Exemplum autem illud de Baptismo non est ad propositum. Ratio enim propter quam aliquis aqua admixta guttæ aquæ rosacæ baptizaret, non est, quia illa gutta ut partialis materia Baptismi, ut est veniale, sed quia ista gutta non mutat essentiam, & substantiam aquæ naturalis, sed in illam conuertitur, idè non lædit materiam illam, ne possit esse materia Sacramenti, idè non est simile hic, & ibi. Hæc omnia Faber *vbi supra*, qui putat omne mendacium veniale, siue sit partialis, siue sit totalis materia Sacramenti, esse semper peccatum veniale, est enim semper res lenis, & parum lædit iudicium Confessarij, idè nunquam censendum peccatum mortale. Ita ille. An verò probabiliter, iudicio aliorum me remitto, mihi enim non placet.

Quàm sit necessarium ad tollendos Confessariorum scrupulos, in imponendis paruis pœnitentiis adiungere post absolutionem illam clausulam, quidquid boni feceris, aut mali sustinueris?

RESOL. XC VII.

Licet pœnitentiæ pro peccatis à Confessariis in confessione iniungendæ non sint determinatæ, sed relinquuntur arbitrio Confessarij moderandæ, attentis criminum, & delictorum circumstantiis; attamen si Confessarius pro magnis peccatis imponeret paruas pœnitentias, peccaret ex communi DD. consensu: idè multi Confessarij magnis scrupulis in imponendis pœnitentiis excruciantur. Dicendum est igitur ad eorum solatium, quod si post peccatorum absolutionem, apponant clausulam illam, *quidquid boni feceris, &c.* excusantur à peccato, si fortè paruas pœnitentias imposuissent. Et ita docet Beia in *resp. par. 3. cas. 1. in fine*, vbi sic asserit. Hinc fortè possunt excusari à peccatis Confessores imponendo paruas pœnitentias, quia omnes hac clausula iam vtantur, *quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, &c.* Homines autem ut plurimum bona multa faciunt, & mala plurima sustinent, quæ sic applicata, rationem habent satisfactionis sacramentalis. Ita ille. Et Homobonus in *exam. Eccles. part. 1. tract. 5. c. 15. q. 94.* sic ait. Admonent DD. Confessarium debere pœnitenti iniungere, *ut quidquid boni fecerit, & mali sustinuerit, in suam satisfactionem cedat.* Qua clausula excusari videntur Confessarij, si vel pro magnis peccatis paruas pœnitentias iniungant; sic Homobonus. Vide etiam Reginaldum in *praxi, tom. 1. lib. 7. c. 3. sect. 1. n. 26.* Filliucium *tom. 1. tract. 8. c. 2. n. 47.* & Bonacinam de *pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 3. num. 13.* Sed supradiçta opinio non est intelligenda, si pœnitens egeat pœnitentiâ aliqua præseruatiua, quia illa opera bona ab ipso postea faciendâ, non erunt forsitan proportionata ad necessariam peccatorum medelam, & verba dictæ clausulæ erunt pœnitenti declaranda, ut sciat leuem pœnitentiâ sibi idè imponi, quia omnia bona opera totius suæ vitæ, in satisfactionem pœnæ peccatis suis debita iniunguntur & acceptantur.

An in articulo mortis etiam post confessionem factam, tamen cum attritione cognita, teneamur elicere, & habere actum contritionis omnium mortalium, quæ in vita commisimus?

RESOL. XCVIII.

Hic casus omnibus deseruiet. Nam quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? Affirmatiuam sententiam docent Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 15. sect. 4. n. 17.* Nugnus in *3. part. tom. 2. q. 2. art. 4. dub. 4.* Zambranus de *cas. occurr. temp. mor. c. 4. dub. 1. n. 4.* & alij. Probatur hæc opinio; nam vnusquisque tenetur ex charitate propria certam facere salutem suam omnibus medijs possibili-

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars III.

bus. Sed quamuis practicè verum sit attritionem cognitam sufficere cum sacramento Pœnitentiæ, tamen hoc non est de fide certum, & idem falsum esse potest. Ergo saltem vir doctus, qui totum hoc scit, & aduertit, tenetur in morte elicere actum contritionis, vel amoris Dei super omnia, & hoc non faciendo mortaliter peccabit. Ita Suarez, primus auctor huius opinionis.

Sed contrariam sententiam, & meritò, docent nouissimè doctus Fagund. de *præcep. 2. lib. 2. c. 4. n. 13.* Becanus de *Sacram. c. 35. n. 3.* Layman in *Theol. mor. lib. 4. tra. 6. c. 2. n. 6.* Coninh de *Sacram. disp. 3. dub. 1. n. 5.* & Faber de *pan. in 4. sent. dist. 14. q. 2. disp. 18. c. 3. n. 71.* cum aliis. Primò; quia nec in Scripturis, neque in Conciliis habetur tale præceptum charitatis. Secundò, nemo tenetur neque ex propria charitate, neque ex alio præcepto amplius facere, quàm id, quod Ecclesia docet ad salutem esse necessarium. Sed Ecclesia per Concilium Tridentinum docet ad salutem, & ad gratiam impetrandam à Deo, sufficere attritionem cognitam simul cum Pœnitentiæ sacramento. Ergo non tenetur quis ad amplius. Tertiò, quia ex ista opinione sequeretur incertum esse, non sufficere attritionem cum Sacramento ad obtinendam salutem. Sed hoc dicere est falsum. Ergo frustra requiritur alia certitudo extrinseca. Quartò, ex hac opinione sequeretur nunquam licere homini confiteri cum sola attritione, quia semper se committeret periculo peccandi mortaliter, vel saltem non excipiendi gratiam, quod est omnino falsum. Ergo, &c. Quintò, quia ex ista sententia, non omnes homines tenerentur in tali casu elicere actum contritionis, & amoris Dei, sed solùm viri docti, qui scirent non sufficere attritionem cum Sacramento, vnde tale præceptum naturale esset tantùm doctis impositum, & non indoctis, & ideo esset in hoc peioris conditionis Theologus, quàm artista. Sed hoc minimè dicendum videtur. Ergo, &c.

Cæteras rationes videbis apud Fabrum, & Fagundez, qui rectè notant sententiam Suarez, laqueos iniicere conscientis in re graui, & ad salutem necessaria homines in dubium de propria salute adducere. Igitur infirmus in articulo mortis non tenetur in rigore, & ex præcepto elicere actum contritionis, sed sufficere si confiteatur etiam cum attritione cognita, licet melius faceret si in se excitaret perfectum dolorem de peccatis ob amorem Dei, ut notant ipse Faber, & Layman *vbi supra*.

Sed dices, præceptum contritionis per se, & ex extrinseca eius obligatione, obligat saltem in tempore mortis. Ita DD. communiter. Ergo tunc quilibet infirmus tenebitur elicere actum contritionis. Respondeo cum Fagundez *vbi sup. præcep. 2. lib. 2. c. 6. n. 5.* quòd si tempore mortis existat Confessarius, non tenetur quis elicere actum contritionis, sed solùm tenetur attritionem præmittere, & confessionis Sacramentum suscipere, quia per Sacramentum confessionis cum attritione, ex attrito fit homo contritus, & tunc satis suppleretur obligatio præcepti, per attritionem videlicet, & susceptionem Sacramenti confessionis. Vide etiam Io. de la Cruz in *direct. part. 2. de sacram. Pœnit. q. 2. dub. 5. concl. 2.*

Quàm parcè, & cautè se gerere debeant Confessarij in interrogationibus aliquorum peccatorum cum mulieribus.

RESOL. XCIX.

Ponam hic pulchra verba Angeli *verb. interrogationes, n. 1.* sic asserentis. Confiteatur mulier, quòd fuit cognita extra vas debitum, non quærat postea Confessarius in quo loco, vel quomodo, & huiusmodi, sicut faciunt quidam, qui potius sunt contaminatores, quàm Confessores. Ita ille, quem postea sequutus est Fagundez *præcep. 2. lib. 4. cap. 2. n. 8.* vbi sic asserit. Si mulier, aut vir confiteatur habuisse copulam extra vas naturale, non est inquirendum in qua parte corporis, quia sufficit habere cognitionem huius peccati contra naturâ, & non oportet scire

illas circumstantias, quia maior cognitio potest afferre nocumentum magnum Confessori. Hinc Homobonus *in exam. Eccles. par. 1. tract. 4. c. 12. q. 11.* dixit præstare aliquando Sacerdotem minus perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quàm vel illi, vel sibi aliquod scandalum creare, quæ verba ille desumpsit ab Ægidio Coninch *de Sacram. disp. 7. a. 56.*

An confessio Sacramentalis iniuncta singulis mensibus possit ultra differri?

RESOL. C.

PONAM hinc verba Ioannis Sancij *in selectis, disp. 13. n. 9.* ubi sic asserit. Animadvertito tamen non transgressurum pœnitentiam illum, cui esset iustum intra vnum mensē confitendum fore, si per tres, vel quatuor dies ultra mensē confessionem differret, præsertim ex causa iusta, & idem iudico si votum esset emissum de confessione agenda. Non enim ita mathematicè præfigendus est terminus, nec Deus ad eò rigorosus exactor erit iudicandus. Imò si intra octo dies à mense elapso solennis aliquis dies sequeretur, vel iubilæum, &c. posse differri confessionem vsque ad illum diem mihi persuadeo, si ægrè pœnitens ferret bis intra octo illos dies confiteri, vel iubilæum non lucrari. Et posse anticipari per octo dies minimè dubito, ex causa illa iubilæi, vel solennis diei. Quod si per tres hebdomadas confessionem præueniret, fortè non implebit præceptum, cum mens iubentis eò tendat, vt per mensē curet pœnitens mundam habere conscientiam; certior namque experientia sumitur emendationis pœnitentis per spatium vnus mensis, quàm per hebdomadam. Hæc Sancius, multum pro praxi conducentia, licet aliquibus non admodum certa videantur.

An coitus sodomiticus inter masculos in primo, & secundo gradu habeat etiam malitiam incestus, & sit in confessione aperiendus.

RESOL. CI.

AFFIRMATIUM sententiam docent Azorius *part. 3. lib. 3. cap. 18. quæst. 5.* Graffius *de arbitr. confessor. lib. 2. c. 34. n. 3.* ubi sic ait. Est etiam incestus, quando coitus sodomitici fiunt inter masculos in primo, & secundo gradu, vel coit masculus cum masculo, sodomiam perpetrans, & masculus est cognatus, licet non sit incestus quantum ad matrimonium contrahendum, impediendum, aut dirimendum, & ita intelligitur Caietanus 2. 2. *quæst. 154. art. 11.* Tamen sodomix incestuosæ rectè dicuntur; quoniam sunt perpetrata contra pietatem debitam cognatis, & quoniam sunt abusus luxuriosi inter cognatos; quare cum habeant specialem deformitatem, & malitiam præter malitiam sodomiticam, est exprimendum in confessione non solum, quod fuerit perpetratum peccatum sodomiticum, sed quod fuerit etiam cum fratre in primo, & secundo gradu, vel cum cognato, vel cum cognata. Imò coitus sodomitici inter masculos, qui sunt cognati inter tertium, & quartum gradum consanguinitatis, etiam habent specialem deformitatem, & malitiam præter sodomiticam. Ita Graffius, & Azor, & nouissimè Syluius *in 2. 2. D. Thomæ, q. 154. art. 12.*

Verùm hæc sententia, quoad tertium, & quartum gradum, in praxi non recipitur, vt testantur Bellochius *in praxi Theol. mor. part. 9. l. 1. n. 110.* & Homobonus *in act. de cas. res. part. 2. cas. 4. fol. mibi 314. in 2. editione.* Et idè existimo cum Florono *de cas. res. part. 2. cas. 6. n. 31.* & Finellio *de cas. res. cas. 10. n. 10.* contra Zechium *de cas. res. cas. 15. n. 1.* per copulam sodomiticam nullam contrahi affinitatem, & ex consequenti, neque incestum committi; & idè ratione incestus non erit referuatus abusus fratris, aut sororis per actum sodomiticum inter gradus prohibitos, quamuis, vt asserit Finellius, personæ coniunctæ

circumstantia grauius reddat ipsam scelus. Sed ego, qui teneo circumstantias aggrauantes intra eandem speciem non esse in confessione aperiendas, puto contra Azorium, Graffium I. C. & Bonacinam *de matrimon. quæst. 4. punct. 11. nu. 7.* posse aliquem probabiliter in tali casu se accusare de actu sodomitico tantum cum consanguineo, vel affine sine explicatione gradus primi, & secundi, cum quibus habita fuit copula, vt probabiliter docuit de copula non sodomitica cum muliere affine, & consanguinea, Giplius *de cas. res. cap. 8. n. 5.* & Megala *in 1. part. lib. 5. c. 12. n. 9.* & nos diximus *in tract. de circumstantiis*: quia incestus non differunt specie, licet contrarium etiam probabiliter asserant aliqui.

Notandum est tamen hinc obiter, Iacobum de Graffius docere *in praxi de cas. res. lib. 1. cap. 13. num. 9.* impuberes committentes se cum consanguineis, vel affinis, non esse inclusos in casu referuato incestus, licet contrarium sentiat Floronus *de cas. res. par. 2. cas. 6. nu. 28.* sed mihi opinio Graffij videtur probabilis, ex his quæ adduximus *in tract. 1. miscellan. resol. 1.*

An si quis culpabiliter omittat modicam iniunctam pœnitentiam, peccet mortaliter, etiamsi sit imposita propter peccata?

RESOL. CII.

PECCEARE mortaliter docuit nouissimè Ioannes Sancius *in selectis, disp. 15. n. 14.* sic asserens. Infero ex dictis implentem maiorem partem pœnitentiæ, & omittentem modicam in se, solum delinquere venialiter. At si modica esset tantum iniuncta, & illam culpabiliter non impleteret, lethaliter peccare iudico, cum truncum, & defectibile reddat Sacramentum, quod graue quid est. Sicut enim ille, cui impositum esset sub pœnitentiam vnã tantum salutationem Angelicam recitare, & nollet acceptare absque causa, absolendus non esset, vt indispositus, renuens integrare Sacramentum. Eodem modo non volens implere iniunctam salutationem Angelicam mortaliter peccabit, cum nollet implere illam obligationem, quam sub mortali acceptauit; & quamuis oratio Angelica secundum naturam orationis modica sit materia, si tamen vt materia, & vt pars constituitur sacramenti Pœnitentiæ, grauis est reputanda; sicut deglutire guttam aquæ secundum se quid modicum est, at post illius sumptionem Eucharistiam sumere, quid graue est. Et quod præceptum pronuncietur de non sumendo Eucharistiam post sumptionem cibi, aut potus, quantumuis, exigui, & graue semper præceptum violatur, & in re graui, videlicet irreligiositas Sacramenti, sicut simoniæ crimen mortale erit rem spiritualement vendere, etiam exiguo pretio. Ita Sancius, probabiliter quidem.

Sed contrariam sententiam in praxi probabilem, & tutam esse existimo, quam tuentur Henriquez *lib. 5. cap. 20. num. 3. in glossa, littera I.* Fagundez *præcept. 2. lib. 9. cap. 3. num. 14.* Coninch *de Sacram. disp. 10. dub. 9. num. 80.* Reginaldus *tom. 1. lib. 7. cap. 7. num. 77.* Vega *in summa, part. 2. c. 64. cas. 3.* Rodriguez *in summa, tom. 1. cap. 56. num. 9.* & alij penes ipsos; quia leue reputatur ex hac parte Sacramentum non integrare. Adde, quod Suarez *tom. 4. disp. 38. sect. 7. num. 5.* putat obligationem acceptandi pœnitentiam leuem, esse solum sub veniali.

Notandum est etiam hinc obiter contra Henriquez *lib. 5. cap. 20. num. 81.* quod etsi pœnitentia grauis sit, sed ob venialia tantum peccata imposita, vt iuste aliquando fieri potest eius transgressio, non transcendit culpam venialem. Et ita docet Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 15. num. 7.* nisi pœnitens versetur in probabili periculo mortaliter peccandi, si pœnitentiam sibi impositam non exequatur.

*An Confessarius secularis vnius Episcopatus possit
absolvere poenitentem alterius Episcopatus à ca-
sibus reseruatis?*

R E S O L. CIII.

DE hac quaestione alibi actum est, & ideo nunc bre-
uiter dico quòd negatiuam sententiam docent Bel-
locius in *praxi Theol. nor. p. 1. q. 2. n. 24.* Floronus de *cas.
res. p. 1. c. 4. §. 11. n. 4.* & Sotus in *4. dist. 18. q. 1. art. 4.* vide
etiam Chapeauilla tract. de *cas. res. p. 1. c. 4. diff. 9.* Vgolin-
um de *potest. Episc. c. 36. n. 3.* & alios.

Sed contrarium ego sentio; & ita tenent Henriquez
lib. 3. de poenit. cap. 14. num. 8. & Villalobos in *sum. tom. 1.
tract. 9. a. ffic. 5. n. 4.* vbi sic asserit. [Los peregrinos y cam-
minantes se han de iuzgar como si fueren subditos del
Obispo del lugar donde le hallan, que en este sentido se
ha de entender la costumbre, y la extrauagante de Euge-
nio IV. y si el caso esta reseruado en ambos Obispados,
ha le de absoluer el Obispo, ò el que tuuiere su autori-
dad para absoluer de los casos reseruados, y lo mismo es
si el caso esta reseruado solamente en el Obispado donde
esta, mas si el caso esta reseruado solamente en su pro-
prio Obispado, en tel caso puede absoluer el Confes-
sor del Obispado adonde esta, aunque no tenga autori-
dad para absoluer de casos reseruados como tienen
Cayetano, Paludano, y Suarez.] Ita Villalobos; & hac
omnia à fortiori procedunt in Confessariis Regularibus,
modò poenitentes id non faciant in fraudem proprij Or-
dinarij.

*Quidam habebat casum reseruatum cum excom-
municatione annexa, & urgente necessitate cele-
brauit, quaesierunt an tenebatur in dicto casu
confiteri sacerdoti inferiori?*

R E S O L. CIV.

ALiqui affirmatiuè responderunt, nam in tali casu
consulens tenebatur saltem confiteri peccata non
reseruata, vt docent Alexander *p. 4. q. 18. membr. 4. art. 5.
§. 2.* Soto *lect. 10. de confessione,* & probabilem putat Fil-
liucius *tom. 1. tract. 4. §. 7. n. 213.* & licet necessariò in tali
casu confitenda esse omnia peccata, velit Vega in *speculo
curatorum tom. 1. cap. 11. n. 173.* Chapeauilla tract. de *cas.
reseruatis. cap. 8.* & alij.

Nec obitabat, quòd peccatum reseruatum habebat
annexam excommunicationem, nam in tali casu etiam
potest poenitens confiteri peccata ex mente Nauarri *c.
9. n. 3.* Couarruuiæ in *cap. alma mater. p. 1. §. 2. n. 5.* Caiet-
ani in *summa ver. absolutionis impedimenta,* quia, vt ait
Suarez *tom. 4. disp. 31. sect. 3. n. 6. & tom. 5. disp. 10. sect. 3. n. 9.*
excommunicatio non irritat absolutionem, dum se te-
net ex parte recipientis.

At ego tunc probabiliter etiam putauì, non solum ra-
tione excommunicationis, sed etiam propter solum pec-
catum reseruatum potuisse consulentem celebrare sine
præuia confessione. Et ita liberat poenitentes habentes
causam reseruatum à confessione peccatorum, etiam non
reseruatorum, Richardus in *4. dist. 17. art. 2. quest. 8. ad 2.*
Adrianus *qu. 4. de confess.* Durandus in *4. dist. 17. qu. 19.* &
nouissimè Syluius in *addit. ad 3. p. D. Thomæ, qu. 20. art. 2.
queritur 3.* potest igitur in tali casu sacerdos, siue laicus,
sumere Eucharistiam, vel celebrare Missam sine præuia
confessione cum Sacerdote inferiori, sed tantum cum
contritione, tanquam non habens copiam Confessarij.

Dixi non solum ratione excommunicationis; quia si
peccatum reseruatum habebat annexam excommunica-
tionem, tunc licet poenitens habebat alia peccata non re-
seruata, non tenebitur illa confiteri sacerdoti inferiori,
sed poterit urgente necessitate sumere Eucharistiam eli-
ciendo actum contritionis. Et ita docent Vasquez, *to. 4.*

tract. de excomm. dub. 4. n. 8. §. tertia ergo opinio. Syluius
vbi supra. Megala in 1. p. lib. 5. .19. num. 7. in fine. Ledelma
in summa, tom. 1. cap. 20. diff. 2. Paludanus *n. 4. dist. 7.
q. 6. art. 1. concl. 2. & 4.* Syluect. *ver. Excommunicatio 4. n. 1.
& verb. onfes. 1. q. 3. cas. 8. & verb. confessor 3. n. 12.* Gabriel
in 4. q. 1. art. 3. dub. 2. D. Antoninus *part. 3. tit. 14. c. 19. §. 4.
& alij.* Ex quibus omnibus apparet poenitentem habentem
causam reseruatum, etiam cum excommunicatione,
vigente necessitate ad celebrandum, vel communican-
dum, posse vt sibi magis libuerit, vel expedierit, aut con-
fiteri peccata non reseruata, seu simul reseruata, & non
reseruata, vel elicere actum contritionis, sine præuia
confessione celebrare, aut communicare.

*An si Confessarius habeat euidenciam, quòd poeni-
tens fecerit tale peccatum, & non sit confessus,
debeat illum absoluerè?*

R E S O L. CV.

Respondendum est negatiuè, quia licet Confessarius,
qui non habet auidenciam facti, sed solum nouit ex
aliorum relatu, vel vidit quidem peccatum, sed non ei
constat, quòd non fuerit interea confessus alteri, non
potest negare absolutionem, quia poenitenti creditur pro
se, & contra se; secus autem, vt præsupponimus in casu
nostro, quando Confessarius scit poenitentem peccasse,
& non confessum fuisse. Et ita docent Henriquez *lib. 6.
cap. 20. n. 6.* Syluius in *addit. ad 3. par. 9. art. 2. queritur 3.
concl. 3.* quia non est pronuncianda forma Sacramenti,
vbi certò constat subiectum esse indilpositum, & Con-
fessor non solum est iudex, sed etiam medicus. Et hoc
etiam tenent Suarez in *3. p. tom. 4. disp. 32. §. 3.* Fagun-
dez *pr. 2. lib. 6. cap. 4. n. 38.* & nouissimè Sancius in *sele-
ctis, disp. 8. n. 6 & seq.*

At his non obstantibus, noster Megala in *1. p. lib. 1.
cap. 2. num. 12.* contrariam sententiam tuetur, vbi asserit
in multis casibus excusari poenitentem à materiali integri-
tate confessionis, & in eisdem casibus etiam secun-
dum doctrinam Suarez, si interrogetur à Confessario
poenitens, an peccatum commiserit, confiteri non te-
neri, posseque poenitentem absque mortali negare. Er-
go quando Confessarius ex propria scientia euidenter
scit poenitentem aliquod peccatum mortale commisisse,
ac euidenter etiam scit non esse confessum, & poeni-
tens neget illud commisisse, potest aliquando Confessa-
rius credere poenitentem illud negare; non quia non
commiserit, sed quia credit non teneri tunc illud con-
fiteri; ergo tenetur tunc hoc sibi persuadere, & poeni-
tentem absoluerè, si in aliis est poenitens rite dispositus,
alioquin grauem illi iniuriam faceret. Ita Megala, qui
alias rationes pro hac firmanda sententia adducit. Sed
circa præsentem quaestionem præter DD. citatos, vide
etiam Toletum *lib. 3. cap. 16. n. 4.* Nauarrum *cap. 8. num. 17,
verb. 21.* Fumum *verb. Confessio §. 17. & 20.* D. Antoninum
part. 1. tit. 14. cap. 18. §. 15. Syluectrum *ver. confessio 3. n. 8.
& alios.*

*Quis ex deuotione recitabat singulis diebus Offi-
cium Beatæ Virginis, qui postea habuit poeniten-
tiam recitandi per annum singulis diebus tertiam
partem corona eiusdem Beatæ Virginis, quaesuit à
me an satisfaceret dictæ poenitentia cum recita-
tione suprascripti Officij?*

R E S O L. CVI.

Negatiuam sententiam docent Lauorius, *tract. de in-
dulgent. p. 2. cap. 5. n. 49.* Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 20.
punct. 3.* Reginaldus *tom. 1. lib. 7. cap. 11. n. 125.* Nauarrus
de indulgent. not. 31. n. 20. & Paludanus in *4. dist. 20. quest.
4. art. 2.*

Sed his non obstantibus, tunc supradicto consulenti ostendi Bonacinam de *Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 4. n. 8.* vbi docet, obligationem pœnitentiæ cessare, non solum per indulgentias, verum etiam per remissionem pœnæ alia via obtentam, vt per alia pia opera satisfactoria propria sibi applicata; nam eadem rationes militant in indulgentiis, ac in aliis operibus piis satisfactoriis. Ita Bonacina, quæ quidem opinio limitanda est, dammodo pœnitentia non sit medicinalis, & præseruatiua, sed tantum satisfactoria, vt erat pœnitentia consulenti. Et ideo supradicta sententia probabilis tunc mihi, & aliis per consulentem consultis, visa est, sed non videtur à priori recedendum, cum non potest pœnitenti constare an per illam recitationem satisfaciatur pœnæ, quia opus in pœnitentiam iniunctum habet virtutem satisfaciendi ex opere operato, qua caret illa Officij recitatio.

An si quis probabiliter iudicat se non peccasse mortaliter, vel iam esse confessum tale peccatum, si probabiliter etiam iudicet contrarium, teneatur confiteri?

RESOL. CVII.

Affirmatiue respondet Nugnus in *addit. ad. 3. p. 9. art. 1. dub. 4. in fine*, quia putat, quod tunc homo potest sequi opinionem probabilem, quando in ipsis rebus non imminet aliquod periculum, & citat pro hac sententia D. Thomam, Paludanum, Richardum, Sotum, Victoriam, Nauarrum. Idem docet Salas in *part. 2. tract. 8. quest. unica, sect. 5. num. 60. in solut. ad 4.* & ex parte hanc sententiam docet Coninch de *Sacram. disp. 7. dub. 68. num. 68.* vbi putat, quod qui probabiliter iudicat se non esse confessum aliquod peccatum, teneatur illud confiteri.

Mihi verò contraria sententia videtur etiam probabilis, quam docent Pitigianus in *4. sent. tom. 2. dist. 27. quest. unica, art. 11.* Suarez in *3. p. tom. 4. disp. 22. sent. 9. n. 6.* & alij, nam potest vnusquisque sequi opinionem probabilem, quæ tollit periculum, quod timet Nugnus *vbi supra.*

Sed difficultas est quando pœnitens probabiliter iudicat se peccasse mortaliter, vel non esse confessum tale peccatum. In hoc casu Coninch *vbi supra*, & Fagund. *pr. 2. lib. 3. c. 4. n. 7.* docent illud peccatum debere confiteri, quia pœnitens non est iudex, sed est accusator sui ipsius, & testis, & nisi tale peccatum tunc sub eo dubio confiteatur, potest se exponere periculo mortaliter peccandi, & ideo tenetur euitare huiusmodi periculum, confitendo illud peccatum sub eo dubio, ne forte peccato mortali se exponat. Ita ille.

At hæc sententia mihi non placet. Non enim possum intelligere, quomodo pœnitens sequendo opinionem probabilem exponat se periculo peccandi mortaliter, vt timet Fagundez; nam opinio probabilis hoc efficit, vt quis eam sequendo sine periculo operetur, etiam probabiliori, & tutiori relicta; & ita nostram sententiam docent Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 1. cap. 11. n. 76.* Syluius in *addit. ad. 3. part. 9. q. 6. art. 4. queritur 3.* & alij.

Notanda est etiam hic obiter solennis doctrina Ioannis Sancij in *selectis, disp. 41. n. 8.* vbi asserit, quod nullus etiam si scrupulis non sit vexatus, post mediocrem adhibitam in discussione conscientie suæ perquisitionem in ordine ad confessionem peccatorum efficiendam, teneatur vterius de antea acta vita cogitare; quod si aliquid occurrat non explicatum fuisse in confessione, poterit sibi persuadere illud iam fuisse memoratum. Ita Sancius, quod est valde notandum ad tollendum multos scrupulos.

Quidam puer vsque ad 13. annum non se accusauit de ordinariis pollutionibus quas faciebat, sciens postea hoc esse peccatum mortale: dubitatum fuit à multis Confessariis, an teneatur repetere omnes confessiones?

RESOL. CVIII.

Respondi tunc de hoc casu interrogatus negatiue, nam potest dari ignorantia inuincibilis de pollutione, quæ non sit peccatum, vt in specie notant Layman in *Theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 8. n. 3.* Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 1. cap. 16. n. 33.* & addidi etiam celebrem doctrinam à Confessariis nunquam obliuioni tradendam, quam tradit Nauarrus in *cap. fratres, de pœnit. dist. 5. n. 82.* Syluester v. *confessio 1. quest. 3.* Beia *part. 1. cas. 9.* Valquez in *3. part. tom. 4. q. 92. art. 3. dub. 1. n. 7.* & Reginaldus in *praxi, tom. 1. lib. 6. cap. 5. sect. 3. n. 153.* vbi sic ait. Cum quis per ignorantiam aliquod peccatum mortale omisit in confessione, eo quod erroneè putaret ipsum non esse tale, etiam si error inuincibilis fuerit, nec à mortali perpetranti excusaret, tamen ab iteratione totius confessionis ita vt sufficiat pœnitentem ipsum in sequenti confessione peccatum omittum declarare. Sic ergo pueri & puellæ, quæ grandiores factæ nouè agnoscunt peccatum mortale esse, quod alias omiserunt confiteri, eo quod ignorarent illud tale esse, non tenentur iterare confessiones eorum quæ confessi fuerunt legitime, sed tantum eorum quæ omiserunt. Et idem dicendum est de circumstantia peccati omittæ, & de numero peccatorum non expresso in confessione. Ita Reginaldus, ex quibus tunc, vt dictum est, consului supradictum iuuenem non fuisse astrictum præteritas confessiones reiterare, sed sufficere se in prima confessione de pollutionibus factis accusare.

Notandum est etiam hic obiter, quod quando confessio nulliter facta fuit, & postea aliæ intermediæ factæ sunt cum vero dolore, & proposito ex obliuione naturali, pœnitens non est confessus defectus inualidæ confessionis; tunc non erit opus omnes præteritas confessiones reiterare, sed solum defectum nullitatis & peccata in ea confessæ, vel confitenda; quia confessiones intermediæ validæ fuerunt, & semper validæ manent. Et ita docent Ioannes Sancius in *selectis, disp. 41. n. 10.* Valquez in *3. p. tom. 4. q. 92. art. 3. dub. 1. n. 9.* cum aliis. Et hæc sententia læpius me in praxi à multis laboribus liberauit.

In quodam monasterio Monialium quidam Confessarius inter audiendas confessiones aliquando dormiebat, vnde non intelligebat aliqua peccata. quæsierunt à me postea, an dictæ confessiones essent repetendæ?

RESOL. CIX.

Responderunt aliqui affirmatiue, quia confessio est accusatio sui ipsius. Ergo erit nulla, si non à iudice intelligatur & adducebant Syluestrum *verb. confessio. 1. q. 3.* & alios.

Sed ego consului supradictas confessiones non esse reiterandas cum Henriquez *lib. 5. cap. 14. n. 5.* & nouissime inuenio hanc sententiam docere etiam Layman in *Theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 9. n. 5.* vbi sic asserit. Si pœnitens bona fide sua peccata aperuit, & culpa in solo Confessario reledit, ob furditatem, vel animi distractionem, arbitror datam absolutionem validam, & fructuosam esse, propterea quod essentia, & effectus sacramenti Pœnitentiæ consistere possit absque integra, & specifica peccatorum explicatione, si ea sine vlla culpa pœnitentis, suumque dolorem Sacerdoti explicantis intermittatur. Nihilominus si pœnitens postea cognoscat vnum, vel plura peccata mortalia Confessarium nullo modo intellexisse, debet ea sola cum aliis postea commissis in sequenti

sequenti confessione iterum explicare, quia semper manet explicatio peccata omnia mortalia secundum speciem, & numerum Sacerdoti indicandi, ut omnibus absolutio directe, & in specie conferatur.

An Parochus possit exponere ad confessiones audiendas approbatus à quocunque Episcopo?

RESOL. CX.

Posse Parochum concedere facultatem simplici Sacerdoti ad excipiendas suorum parochianorum confessiones, putant Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Pœnit. 12. mediè ad 5. conclus.* & Ludou. de San Iuan *in summa, q. 7. art. 2. de pœnit. diffic. 11.* cum aliis.

Sed hanc opinionem reiciunt Fagundez *precept. 2. lib. 7. c. 2. n. 43.* Zanardus *in direct. p. 1. de sacram. Pœnit. c. 26.* Nugnus *infra* cum aliis communiter, & patet ex Concilio Tridentino. Difficultas est, an hoc possint efficere cum Sacerdotibus tantem approbatis ab aliquo Episcopo. Negatiue respondent Nugnus *in addit. ad 3. p. 9. 8. art. 5. dub. 7. ad 4. argum.* Sed sententiam affirmatiuam sustinet Io. de la Cruz Dominicanus *in direct. p. 2. de sacram. Pœnit. q. 5. dub. 6. concl. 3.* vbi sic asserit. Ex dictis patet, potestatem concessam Parochis *in c. omnis vtriusque sexus*, delegandi suam iurisdictionem aliis Sacerdotibus aliis idoneis, non esse ablatam in Concilio Tridentino, sed solum, quod Parochi non possint iudicare de idoneitate requisita pro confessionibus audiendis. Vnde patet posse Parochum delegare suam iurisdictionem Sacerdoti semel approbato à tuo, aut extraneo ordinario, vel etiam extraneo Parocho pro suis ouibus, & pro se in eisdem casibus. Ita ille, & ante illum Henriquez *lib. 7. c. 12. n. 4.* & nouissime Ægidius Coninch Societatis Iesu *de Sacram. disp. 8. dub. 7. n. 57.* docet etiam hanc sententiam, seculà tamen prohibitione Episcopi, itaque sic ait: Quamdiu Episcopus non prohibet suis Parochis, aut Superioribus Religiosorum, ne Sacerdotes alibi approbatus ad audiendas confessiones in sua diœcesi exponant, hi validè assumuntur, & exponuntur, quia habent conditionem à Concilio Tridentino requisitam, quod scilicet à suis Ordinariis sint approbati. Ita Coninch.

Ex quibus patet, maximè non extante prohibitione Episcopi, quod approbatus, v. g. in diœcesi Messanenſi, si transferat se in diœcesim Panormitanam, possit ibi à Parocho, vel Superiori Regularium assumi, ut eum adiuet in audiendis confessionibus sine noua approbatione Archiepiscopi Panormitani. Neque aduersus hanc sententiam faciunt aliquæ declarationes Cardinalium; nam ad illas, & argumenta contraria optimè respondet Coninch, *vbi supra.*

Notandum est etiam hic obiter, supradictos Confessarios ex consensu Parochorum audientes confessiones, non esse puniendos ab Episcopis, eo quod in aliena diœcesi confessiones auscultent, quidquid in contrarium asserant Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Pœnit. c. 12. immediatè ad 5. concl.* & Ludou. de San. Iuan *in sum q. 7. art. de pœnit. disp. 12.* Et ita docet contra illos Ioan. Sancius *in selectis, disp. 48. n. 52.* qui etiam notat *disp. 44. n. 27.* quod Episcopus iustè non poterit punire Confessarios alibi approbatus, audientes confessiones in sua diœcesi virtute Bullæ Cruciatæ, absque noua approbatione. Nam secundum opinionem Doctorum probabilem, si non committunt culpam, digni nequaquam erunt pœna. Sed in casu, de quo loquimur, Confessarij sequuntur opinionem probabilem. Ergo digni non erunt, ut ab Episcopis puniantur. Et ideo idem Sancius *disp. 33. num. 43.* asserit, non posse iustè Superiorem punire subditum non obedientem, ductum ad id probabili opinione, quia cum tunc non obediendo, minimè delinquat, & nullus dignus sit pœna, nisi ob culpam, sit tunc non habere ius Superiorem punitionis dandæ subdito. Sed totum hoc accidit in casu nostro. Ergo. Sed his non obstantibus omnia supradicta, disputationis causa dicta esse vo-

lo, nam negatiuam sententiam in praxi obseruandam esse puto.

An si pœnitens absque necessitate manifestauit complicem in confessione, teneatur Confessarius occultare tale peccatum sub sigillo Confessionis?

RESOL. CXI.

Affirmatiuam sententiam docet Malderus *tract. de sigillo. c. 18.* qui citat Suarez, Vasq. Ledesma, Bannez, Nugnum. Idem etiam docet Syluius *in 3. p. q. 11. art. 11. concl. 2.* qui citat Sorum, Richardum, Syluestrum, Angelum, & est communis opinio, quam nouissime etiam docet Faber *de pœn. in 4. sem. dist. 19. q. unica, disp. 34. cap. 2. n. 31. & c. 4. n. 84.* Pitigian *in 4. tom. 2. 2. dist. 21. q. 2. art. 8. concl. 3.* Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 9. diffic. 73. n. 1.* sic asserens. [El sigillo se estiende a todos los pecados confessados, y sus circunstancias, y a las cosas, que son necessarias para declarar los pecados, y assi si el penitente declarò el complice, ora porque era necessario para declarar el peccado, ò por ignorancia (que es muy ordinario) todo esto cae debaxo de sigillo.] Ita ille.

His tamen non obstantibus negatiuam sententiam docet Io. de la Cruz *in direct. conscient. p. 2. de sacram. Pœnit. q. 6. dub. 2. concl. 2.* vbi sic ait. Si pœnitens absque necessitate manifestauit in confessione complicem sui peccati, non tenetur Confessor complicitis peccatum occultare sub sigillo confessionis, sed ex solo secreto naturali. Nam tunc peccatum complicitis materialiter solum pertinet ad istam confessionem, & sicut est dictum in confessione, posset dici extra eam, & sic pro bono communi est manifestandum, sicut alia secreta naturalia, dum tamen non explicetur pœnitens. Ita ille. Sed tu tene primam sententiam, quia quæ necessaria sunt ad integritatem confessionis; vel quæ dicuntur quasi coniunctim ad declarationem proprii peccati, sunt materia sigilli. Secundò, quia ex reuelatione peccati, complicitis, sæpe numero potest agnosci peccatum pœnitentis, vnum enim est alterius manifestatiuum. Tertio, alioquin confessio redderetur onerosa, & odiosa.

Dices hoc verum esse, quando complex ex necessitate integritatis confessionis secundum opinionem multorum DD. manifestatur, non autem quando absque necessitate manifestatur, ut est in casu nostro. Respondeo, & dico hoc etiam procedere, non modò cum ad peccatum declarandum necessarium fuerit complicem in confessione exprimi, sed etiam cum fuerit vtile. Imò quoties ad eum finem pœnitens (etiamsi in eo fortè agat minus prudenter) id dixerit, quod est in confessione tolerandum, habita ratione communis modi confitendi hominum multa sæpe dicentium animo declarandi sua peccata, quæ non sunt ad id necessaria, imò interdum neque vtilia. Cum ergo simplices, & imprudentes animaduertendi non sint à Confessore, sicut nec alij, tacenda non sunt quæcumque ab eis dicuntur ad explicationem peccatorum suorum, ut possint securè, & sine timore reuelationis confiteri. Et hæc responsio desumpta est ex celebri doctrina, quam adducunt in terminis Reginaldus *tom. 1. lib. 3. cap. 4. n. 39.* Suarez *tom. 4. disp. 33. sect. 3. n. 5.* & Malderus *tract. de sigillo, cap. 18. fol. mibi 170.* vbi probant, omnia, quæ occasione sui peccati explicandi, pœnitens in confessione dicit, cadere sub sigillo, etiam si superflue addita sint.

An qui inuenit chartam, in qua scripta erant aliquius peccata, teneatur illa abscondere sub sigillo confessionis?

RESOL. CXII.

Teneri dicta peccata abscondere sub secreto naturali, non autem sub sigillo confessionis, docent Suarez *tom. 4. disp. 33. sect. 4. n. 5.* Coninch. *de Sacram. disp. 9. dub. 4.*

*dub. 4. n. 50. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 15. n. 19. Henriquez lib. 3. de penit. c. 20. n. 2. & in glossa littera M. Megala in 1. par. lib. 1. c. 16. n. 7. Onuphrius opusc. de sigillo confessionis. sect. 3. qu. unica, dub. 6. fol. mibi 228. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia etsi peccata illa descripta fuerint; aut sint futura materia remota confessionis, tamen non sciuntur primò, & immediatè ex sacramentali confessione; sed omninò ab extrinseco. Ergo non cadunt sub sigillo confessionis. Vnde ex his apparet, quòd si dicta peccata vergerent in damnum commune, seu alicuius tertij innocentis, teneretur in tali casu, vt notat Layman *vbi supra*, qui dictam chartam inuenit, illa peccata ad auertendum tale damnum, reuelare, nam secretum naturale, vt patet non obligat cum damno alterius.*

Sed ego contrariam sententiam sustinendam esse pu-
to, & ita docent Fagundez *prac. 3. lib. 6. c. 5. n. 16. Delius in disquis. mag. cis. lib. 6. cap. 1. sect. 2. Grassius, Vega, Vivaldus, Nauarra penes ipsos. Idem etiam docet nouissimè Homobonus de exam. Eccl. par. 1. tract. 5. cap. 21. quas. 112. Zanardus in direct. confes. p. 1. de sacram. Penit. c. 29. dub. 2. Rodriguez in sum. tom. 2. cap. 55. n. 4. Berarducius in summa corona, part. 1. cap. 3. n. 17. & Malderus *tr. de sigillo confess. c. 13. vbi sic asserit. Qui inuenerit descripta pœnitentis peccata, quæ litteris mandauit fortè memoriæ causa, vt ea exactius confiteatur, tenetur sigillo, siue iam confessio facta sit, siue adhuc facienda sit. & communis Doctorum ratio est, quia chartæ istius tenor est aliquid confessionis, & quasi confessio scripta, vt æquiparari possit charta illa eo modo, quo quis casu audit confessionem, est enim charta illa quasi internuncia iuuans memoriam confitentis: itaque censetur sigillata sacro sigillo. Ita Malderus, & rectè quidem; nam charta illa dici potest confessio inchoata: & si peccata illa sint confessa, iam effecta. Ideò firmius dicere possumus, cadere illa sub eodem sigillo, sicut illa, quæ aliquis reuelauit mihi ex dicto Confessarij, vel ex auditione confessionis. Et licet pro contraria opinione adsint DD. tamen nostra est amplectenda, quia fauorabilior est Sacramento.**

Notandum est hîc obiter, Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. cap. 15. n. 19. asserere, quòd si dictæ schedulæ repperit moraliter certus sit, non nisi leuia, & non infamantia peccata in ea scripta esse, ideòque curiositate legat, vel lecta alijs euulget; non debet centeri plusquam venialiter peccasse quia non violauit sigillum confessionis, sed tantum naturale, cuius obligatio ob materiæ paruitatem minuitur. Ita ille. Sed ego puto ita facientem peccare mortaliter, & frangere sigillum confessionis, sicut Superiorem, vel iudicem, qui inuenta schedula peccatorum alicuius vellet contra illum inquirere, & punire. Vide Fabrum *in 4. sent. dist. 19. q. unic. disp. 34. c. 4. n. 88. Reginald. in praxi, tom. 1. c. 3. n. 30. & alios communiter.**

An liceat Confessario interrogare de complice in confessione, in ordine ad ipsius correctionem, & illam facere ex licentia pœnitentis?

RESOL. CXIII.

Affirmatiuè cum aliquibus limitationibus videtur respondendum ex Fagundez *prac. 2. lib. 5. c. 2. n. 2. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 34. sect. 4. num. 4. & alijs, penes ipsos; quia talis actio non est dese mala, ordinatur enim ad bonum finem, neque est contra sigillum, quia Confessarius in tali casu loquitur de auditis in confessione ex licentia pœnitentis.*

Sed tu contrarium tene cum Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 9. diffic. 38. n. 5. Syluius in addu. ad 3. p. D. Thomæ, qu. 11. art. 2. concl. 2. Maldero tract. de sigillo confess. cap. 17. Coriolano tract. de cas. reseru. part. 1. sect. 3. art. 9. Rodriguez in sum. tom. 1. c. 109. num. 9. in editione nouissima. Ledesma in sum. tom. 1. de sacram. Penit. cap. 22. conc. 6. Bannez in 2. 2. q. 3. art. 8. dub. 8. part. 1. concl. 4. Soto in 4. sent. dist. 18. q. 2.*

art. 5. ad 4. & nouissime hanc sententiam docent Petrus Fay in addu. ad 3. part. 9. 11. a. 1. disp. unica. Petrus Lorca in 2. 2. D. Thom. q. 33. art. 6. sect. 3. disp. 45. n. 20. & Nugnus in addu. ad 3. part. 9. 11. art. 2. aub. 2. vbi oppositum vocat temerarium, & perniciosum, tanquam ipsius Sacramenti destructiuum; & respondet ad omnia argumenta, quæ pro affirmatiua sententia adducit Suarez. Et ratio est, quia talis correctio non potest effici sine iniuria Sacramenti, non est enim negandum multum derogare sigillo confessionis notitiam illius ad effectus aded extrinsecos: finis etenim intrinsecus sacramenti Pœnitentiæ est, tantum iustificatio pœnitentis, non autem emendatio complicis. Ceteras rationes inuenies apud Nugnum. Et hæc opinio est communis in schola D. Thomæ.

Notandum est etiam, quòd stando in prima opinione, & ex hypothesi concedendo esse probabilem, non tamen ex hoc debet Confessarius interrogare de persona complicis in hunc finem correctionis, sed expectare, vt pœnitens id sua sponte declaret. Neque se inuitet ad faciendam correctionem, etiam si intelligat esse necessarium, sed expectet petitionem pœnitentis, hic enim fortè per ipsum vel per alium curabit corrigere. Et ita docet Filhucius *tom. 1. tract. 7. c. 11. n. 349. Vnde apparet multum errare aliquos Confessarios ex zelo indiscreto, & ex ignorantia extorquentes complicis a pœnitentibus propter correctionem, vnde dum conscientias aliorum morderi volunt, suarum conscientiarum iacturam faciunt, aiunt Henriquez lib. 2. de penit. cap. 9. n. 10. & Fagundez *prac. 2. lib. 5. cap. 1. n. 12. & alij.**

An circumstantia scandali indirectè voliti sit in confessione aperienda?

RESOL. CXIV.

Quis, v. g. induxit mulierem non paratam ad fornicandum non directa intentione, expetendo ruinam ipsius, & eo affectu, vt ipsa peccet, sed propter propriam delectationem & vtilitatem; queritur an dicta circumstantia scandali sit in confessione explicanda. Aliqui negatiuè possunt respondere, quia in tali casu circumstantia scandali est tantum aggrauans in eadem specie, vt docent expressè ex Societate Iesu Fagundez *pr. 2. lib. 4. c. 4. n. 4. & 5. & ex Dominicanorum familia Ledesma in sum. tom. 2. tract. 4. cap. 1. concl. 5. & alij, vbi infra. Sed circumstantiæ taliter aggrauantes, ex multorum sententia probabili non sunt in confessione explicandæ. Ergo, &c.*

Sed Doctores communiter contrariam sententiam docent, & ita ait Lorca *in 2. 2. quest. 43. sect. 3. disp. 56. num. 7. scandalum actiuum quando non est speciale peccatum, est circumstantia, & ideo aggrauans, vt nimis augeat peccatum, & sic in confessione explicanda. Qui enim esset causa peccati alterius, non satisfaceret integritati confessionis si solum diceret, Peccauit cum quadam scœmina, aut fui particeps homicidij, quod quidam commisit: sed exprimere tenetur, Eui causa peccati alterius, & induxi illum ad peccandum. Neque quisquam concessit hanc circumstantiam taceri posse, neque tutò, & sine temeritate concederetur. Ita Lorca, & ita etiam hanc sententiam docent Villalobos *in summa, to. 2. tr. 3. diffic. 8. n. 3. Becanus in 2. 2. cap. 17. q. 2. num. 5. Coninch. de actibus supernat. disp. 32. dub. 5. num. 35. Filliucius tom. 2. tract. 28. c. 6. n. 226. Fagundez, Ledesma vbi supra, & alij vbi infra.**

Sed difficultas, quæ magis affligit in confessione, est ista, an sit explicandus numerus personarum, quibus scandalum datum est etiam vnico peccato, vt quando, v. g. peccauit publicè coram multis, praebendo illis scandalum, &c. Respondent affirmatiuè Syluius *in 2. 2. D. Thomæ, q. 43. art. 3. concl. 2. Filliucius vbi supra, Sanchez in sum. tom. 1. lib. 1. cap. 6. num. 8. Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 6. & alij. Igitur in confessione non solum teneris*

tenetur explicare speciem peccati mortalis, ad quod tuo exemplo induxisti? sed etiam exprimendus est numerus personarum, quas ad tale peccatum traxisti. Vnde patet ignorantia multorum Confessorum, qui cum pœnitentes se toties accusant dedisse scandalum, non faciunt illos accusare, neque de specie peccati, neque de numero personarum, cæci quidem sunt, & duces cæcorum; sicut etiam in alio casu passim occurrenti, nempe quando quis se accusat de delectatione rerum turpium, ex colloquio cum aliis, nam in tali casu, vt bene aduertunt Bonacina *de Sac. disp. 5 q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 3. n. 21.* & alij; tenetur exprimere conditionem personarum adstantium, an fuerint coniugata, soluta, &c. Et tenetur etiam exprimere qualitatem sermonis, si videlicet fuerit circa coniugatos, circa solutos, circa nefandum vitium, &c. quæ omnia non obseruantur, sed malè.

An Confessarius possit imponere, sub pœnitentia, quòd sacra Eucharistia non suscipiatur?

RESOL. CXV.

HÆc quæstio nostris temporibus fuit in Hispania inter viros doctos summopere agitata, & affirmatiuam sententiam docuit Salazar *tract. de frequent. commun. cap. 14. §. 1.* vbi sic asserit. [El sentimiento de la Iglesia vniuersal es y ha sido siempre, qua el Confessor puede imponer por penitencia la dilacion de la Comunión si ay justas causas para ello, y que muchas vezes la fuele auer. No puedo citar por esta sententia ninguno en particular, porque nadie la ha tratado en terminos;] & post multas rationes, quas adducit, tandem sic concludit. [Se collige claramente que aunque en la especulation podamos tener diuersos paraceres, però en quanto à la practica todos hemos de conuenir en que el penitente à quien su Confessor le mandare en penitencia de sus culpas, que no comulgue, siempre estara obligado à obedecerle. Porque el dicho Confessor para dar la pœnitencia es superior y la que le impone es siguiendo opinion probable, y assi aunque para las escuelas sea este punto de controuerfia de argumento y disputas, para los penitentes, no es materia de duda ni consultacion.] Ita ille.

Sed his non obstantibus contrariam sententiam docet Sancius *in selectis, disp. 33. per totam*, quia cessatio operis virtutis nullius est entitatis, nec pœnalitatis materialis, requisitæ ad Sacramentum, & consequenter nec meriti, nec satisfactio, in *addit. n. 21.* quòd Confessarius iniungens sub pœnitentia non sumptionem Eucharistia, aduersatur Concilio Tridentino, & Cardinalium declarationi. Deinde *n. 21. & 23.* varios textus explicat, in quibus decernebatur delinquentes priuandos fore per aliquod tempus communionem in pœnam sui delicti, & resoluit ex dictis decretis, non posse sumi argumentum, quòd possit Confessarius imponere sub pœnitentia cessationem sumptionis Eucharistia. Ex hac & multis aliis rationibus, quas ibi adducit Sancius, notat primò *in disp. 30. num. 5.* quòd non expedit Prælati Religionum priuare susceptione Eucharistia suos subditos causa illos mortificandi, nec id expedit Confessariis erga suos pœnitentes, quia de se minus bonum mortificatio adducit subdito, quàm susceptio Eucharistia. Secundò notat, quòd pœnitens purus à mortali, sequens consilium Confessarij vetantis communionem sine præcauendi peccata venialia, vel imperfectiones, licitè agit, & meretur, melius tamen egisset, si communicasset contra huiusmodi consilium, aliorum Doctorum opinionem sequens, dicentium non esse amplectendum in illo euentu, quia ex communionem plura nascerentur bona, quàm ex abstinentia. Et quamuis per accidens contingat ob negationem Eucharistia curare magis pœnitentem cauere peccata venialia, non ob id expedit illam denegare, quia quæ per accidens eueniunt, possunt etiam non euenire, & aliàs iam habet pœnitens, vt dum mundus sit à

mortali, sibi non negetur Eucharistia. Vnde pœnitens non habens conscientiam peccati mortalis, non tenetur obedire ex præcepto Confessarij præcipienti, ne communice ob finem acquirendi emendationem venialium, vel imperfectionum. Iuridictio namque Confessarij non se extendit ad negandam Eucharistiam. Et tandem tertio notat, quòd sumptio Eucharistia absolutè potest imponi sub pœnitentia, quia est actus virtutis Religionis, non tamen tenetur illam acceptare pœnitens, quia grauari non potest acceptate opus quod adimplendum sit in statu gratia, & status pœnitentis non est aliquid materiale, & sensibile, & consequenter non potest rationem pœnitentia intrare. Et nota etiam hic obiter, quòd communionem, quæ ex constitutione præfinita sunt fieri, potest Prælati imperare: quæ verò præfinita non sunt, probabile est non posse iubere, quia ad id, quod est supra regulam, non potest obligare. Hæc omnia Sancius, vir doctissimus & amicissimus; quæ tamen ab aliquibus non admittuntur, & idèd an sint probabiliter dicta, aliis iudicandum relinquo, ego enim libenter adhæreo sententia P. Salazar *vbi supra*, viri quidem doctissimi.

An quando quis iterum confitetur peccata iam confessata, teneatur elicere nouum actum contritionis?

RESOL. CXVI.

Hic casus frequenter accidit, & ideo affirmatiuam sententiam tenent aliqui, nam materia proxima pœnitentia non est sola confessio, sed & contritio, & satisfactio. Ergo tantum est repetendum.

Sed contrariam sententiam putat esse probabiliorum Ioan. de la Cruz *in director. conscient. p. 2. de sacram. pœnit. q. 1. dub. 6. concl. 2.* nam repetita sola confessione vocali, repetitur materia proxima etsi non totaliter, & hoc fat est vt iterum repetatur forma Et sic patet responsio ad argumentum oppositum, præterquam quòd repetita confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor in ordine ad confessionem vocalem. Si arguas, nam etiam fat erit repetere dolorem eorundem peccatorum sine noua confessione vocali, cum contritio, sicut & confessio, sit pars sacramenti Pœnitentia. Ad hoc nego antecedens: nam etsi contritio sit absolutè principaliter necessaria in confessione, tamen confessio in ratione partis Sacramenti est præcipua, imò contritio non est pars sacramenti in ordine ad confessionem vocalem, cum non sit signum sensibile nisi in quantum per confessionem manifestatur, & sic si non repetitur confessio, etsi repetatur contritio, non repetitur materia proxima sensibilis. Ita Ioan. de la Cruz.

Et ante illum hanc etiam sententiam docuit ex eadem familia Dominicana Petrus Ledesma primarius Professor Sacrae Theologiae in Academia Salmaticensi, & quia Codex rarus est, & hæc opinio satis curiosa, ponam per extensum eius verba, itaque sic asserit *fol. 217.* [Duda es si bastara repetir la confession vocal de los mismos pecados para proderse iterar la forma ò si sera necessario repetir tambien el dolor interior. Parece ser necessario, porque la materia proxima deste Sacramento son los actos del penitente contricion y confession, luego para hazer nueua materia proxima necessario es repetir no solamente la confession de los pecados: sino tambien el dolor interior dellos. En esta dificultad algunos hombres doctos discipulos de sancto Thomas enseñan, que para repetir la forma sobre los mismos pecados, no basta repetir la confession, sino que es necesario repetir el dolor de los pecados, y tenerse de nueuo y de otra manera serua peccado, y sacrilegio. Pongamos exemplo en vno que se confesso de vn hurto, y le absoluieron deste tal para boluer à ser absuelto deste mismo hurto, no basta que se buelua à confessar del, y que haga nueua confession, es necesario que renueue el dolor, y no basta perseuerar

seuerar en el antiguo dolor, con que se confesò la vez passada. A esta duda mi parecer es, que aunque esta sententia referida tenga alguna probabilidad, lo contrario es mas probable, y mas comun entre los Doctores, y esto se ha de seguir de manera, que si el penitente se buelue à confessar del mismo pecado sin renouar el dolor, sino perseverando an el antiguo con que se confesò la primera vez, le pueden muy absoluer de nouo, sin escrupulo ninguno. Esto se Prueua, porque auiendo nueua confession, aunque no se varia el dolor interior, se varia la materia proxima, como es claro, luego muy bien se podra boluer à pronunciar la forma de nueuo sobre la tal materia proxima que es distinta. De lo qual facilmente se responde à la razon de dudar de la contraria sententia, diciendo, que aunque la materia proxima son aquellas obras del penitente contricion y confession, como se varia la vna parte d'ellas, que es la confession se varia la materia proxima, aunque non totalmente y segun todas sus partes. Tambien se podria desir, que aunque perseuere el mismo dolor, repitiendo las confesiones en alguna manera se repite el dolor en ordine à ellas, por lo menos virtualmente, como dizen los Theologos.] Hæc omnia Ledetma, ex quibus Confessarij ledabunt multos scrupulos, præsertim illorum, qui confitentur de peccatis venialibus Ordinariis, & cum illis de aliquo peccato mortali alias confesio, & absoluto, nam in tali casu, & in tali confessione secundum sententiam horum Doctorum, non tenetur elicere nouum actum doloris, & contritionis. Sed ego contrarium teneo cum Henriquez lib. 4. cap. 26. num. 7. & Filiucio tom. 1. tract. 6. cap. 63 n. 77. debet enim semper adesse nouum motiuium erubescentiæ, & doloris, quoties quis confitetur, quod videtur probabilius, & tutius.

An sola attritio in homine iusto sit sufficiens ad remissionem peccatorum venialium extra Sacramentum Penitentia?

R E S O L. CXVII.

Negatiuam sententiam docet Vasquez in 3. p. tom. 4. disp. 87. art. 16. dub. 1. num. 6. quia peccatum quodlibet, etiam veniale, est aliquo modo contra Deum, quippe peruersio aliqua, & recessus à Deo. Ergo extra Sacramentum veluti priuilegium remitti non debet, nisi per penitentiam, seu detestationem peccati conceptam propter Deum, seu per quam conuertitur homo ad Deum, quæ est contritio.

Sed contrariam sententiam tenet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 16. n. 5. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 11. sect. 3. num. 11. & Coninch de Sacramen. disp. 2. dub. 14. num. 124. vbi sic asserit, Probabilius est, ad remissionem peccati venialis etiam sine Sacramento in iustis sufficere attritionem, & adducit multas rationes pro hac firmanda sententia.

Notandum est tamen hic obiter, quod ad remissionem venialium extra, & intra Sacramentum requiritur etiam propositum in posterum vitandi illa. Verum circa hoc idem dicendum est de venialibus, quod Doctores tradunt de mortalibus; unde sæpe fieri potest, vt licet aliquis absolutum, & sufficiens propositum habeat, nihilominus timeat, vel etiam existimet, se non vitaturum omnia mortalia peccata, vel certum aliquod peccati genus; quia ante etiam voluntatis suæ inconstantiam expertus fuerat, & in hoc casu talis omnino est absoluendus, vt rectè notant Syluester verb. Confessio, 1. quest. 21. Lopez in instruct. var. 1. c. 13. quest. 2. Nauarrus cap. 3. n. 23. & cap. 9. num. 18. Sã verb. absolutio, num. 12. Henriquez lib. 4. c. 24. num. 24. Coninch de Sacram. disp. 2. dub. 3. num. 19. Beia part. 3. cap. 9. & alij: quæ omnia procedunt etiam circa propositum vitandi venialia, quod quidem propositum in aliquibus tamen summopere differt à proposito vitandi mortalia, & præcipue in hoc, quia sicut potest

vnun peccatum veniale remitti sine alio, ita etiam potest remitti existente actuali affectu erga alia. Unde si quis confiteatur multa peccata venialia, sufficit ad validitatem Sacramenti, si doleat tantum de aliquo cum proposito illud de cetero vitandi. Et hæc omnia erunt multum plausibila scrupulosis.

An moriens absente Confessario teneatur renouare in memoriam omnia peccata, vt de illis postea eliciat actum contritionis?

R E S O L. CXVIII.

DE hoc casu olim inter me, & quendam Theologum dissentio fuit; nam ille affirmatiuam sententiam docebat, motus auctoritate Soti in 4. sent. dist. 17. quest. 2. cui ego addebam Adrianum quest. 3. de Baptismo, in fine. Angelum verb. contritio, §. 4. Durandum in 4. dist. 17. q. 2. Richardum dist. 16. ar. 4. quest. 2. Philarchum de off. sacer. tom. 1. part. 2. cap. 20. & hanc sententiam videtur etiam docere D. Thomas 1. 2. quest. 113. artic. 5. ad 3. & in 3. part. quest. 87. art. 1. in corpore, vbi ait, ad remissionem peccatorum, requiri, vt homo diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata, vt singula detestetur. Et ita nouissimè hanc sententiam docet Franciscus Syluius insignis commentator D. Thomæ in addit. ad 3. part. quest. 2. art. 6. concl. 1. vbi asserit, quod ad iustificationem regulariter, & per se non sufficit contritio de vniuersis peccatis generatim, & confuse, sed requiritur specialis, & distincta singulorum peccatorum, tam quoad numerum, quàm quoad speciem; ita scilicet, vt singula recogitari debeant, & de illis sic recogitatis formari vna contritio.

Sed tunc contrariam sententiam docui, & adduxi Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 4. n. 3. casum in terminis decidentem; vbi sic asserit. Seclusa obligatione confitendi, vt puta in lege veteri, vel etiam in noua lege, si confessio, v.g. ob inopiam Confessarij impossibilis sit, non videtur extare præceptum sigillatim recogitandi peccata, modò homo sibi persuadeat, se sine tali peccatorum specifica, aut numerica recogitatione, verum actum contritionis elicere posse. Ita ille.

Et nouissimè sustinet etiam hanc sententiam Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 19. n. 4. ita asserens. [De lo dicho se infiere, que quando el hombre se iustifica fuera del Sacramento por la contricion, basta que sea general, aunque non se acuerde en particular de los pecados, porque la inquisicion de los pecados en particular solo deue hazerse, quando se han de confessar, porque sea la confession entera;] vide etiam Coninch de Sacram. disp. 2. dub. 8. n. 76. Henriq. lib. 4. cap. 27. n. 2. Caietan. in 3. part. quest. 81. art. 1. Nauarrum in man. cap. 1. n. 22. & alios.

An ad effectum Sacramenti sufficiat implicitum propositum de cetero non peccandi, quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur?

R E S O L. CXIX.

Negatiuam sententiam docet Sotus in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. & disp. 17. quest. 1. art. 1. & lib. 2. de natura, & gratia, cap. 14. Cano relect. de penit. par. 1. Bellarmin, lib. 2. de penit. cap. 6. & 7. & alij, quia Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. hoc propositum requirit distinctum ab amore Dei.

Sed contrariam sententiam probabilem esse puto, quam tuentur Vega lib. 3. in Concil. Trident. cap. 21. Petrus Soto de pen. lect. 7. Maior, & Almaynas in 4. sent. dist. 14. quest. 1. cum aliis; & ratio est, quia vno simplici actu detestationis peccatorum ex motiuo supernaturali, homo sufficienter disponitur ad iustificationem, & tamen fieri potest, vt de vita in posterum instituenda, aut peccatis euitandis nihil cogitet. Ergo. Aduertit tamen Villalobos

Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 9. diff. 19. n. 8.* quòd [quando el penitente se acuerda de los pecados futuros, tiene obligacion de tener proposito actual de euitarlos, que de otra manera le tendra virtual, mas quando por la tristeza y dolor de los pecados no se acuerda de los futuros, esto basta, como le basto à David.]

Ex quibus Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 4. nu. 6.* conciliat DD citatos, quorum aliqui ad iustificationem peccatoris formale propositum vitandi peccata requirunt, alij veò implicitum in ipsa peccatorum detestatione inclusum sufficere aiunt: Hinc Franciscus Syluius *in addit. ad 3. part. q. 1. queritur 1.* sic asserit. Si quis occupatus, vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita præterita, vel in imploranda Dei misericordia, & petenda venia, vel in excitando se ad amorem Dei, & dolorem de ipsius offensa, non cogitet actu, dicens intra se ipsum, Volo abstinere à peccatis, sed bona fide eat ad confessionem, ibique se accusans veniam petat, verè est contritus, talique eius confessio est bona, quia in dicto examine peccatorum, & petitione veniæ à Deo, includitur sufficiens propositum non peccandi de cætero. Ita Syluius, & ego. Vnde Confessarius ex supradictis sedabit multos scrupulos aliquorum dubitantium, si habuerint cum detestatione peccatorum formale propositum, illa de cætero vitandi.

An quis satisfaciat præcepto Ecclesiæ cum confessione voluntar. è nulla, quia sine dolore, proposito, &c.

RESOL. CXX.

Negatiuam sententiam docent Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 1. q. 6. art. 5. diff. 6.* Faber *de pœnit. in 4. sent. dist. 17. q. vnic. disp. 30. c. 3. n. 55.* Suarez *in 3. par. tom. 4. disp. 36. sect. 7. n. 3.* Coninch *de Sacram. disput. 5. dub. 9.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 5. n. 10.* Sotus *in 4. dist. 18. art. 3.* Medina *in summa, lib. 1. cap. 14. §. 41.* Nauarrus *c. 10. nu. 4.* Comitulus *in resp. mor. lib. 1. q. 19.* Filliuc. *tom. 1. tract. 67. cap. 13. n. 64.* Syluius *in 3. par. q. 6. art. 5. queritur 1.* Emmanuel Sà *ver. confessio, n. 1.* & alij. E ratio est, quia non aliam confessionem præcipit Ecclesiæ, quàm Deus. Sed præcepto diuino quis non satisfacit, nisi per susceptionem Sacramenti. Ergo nec Ecclesiastico. Vnde si nulla sit confessio etiam ex parte Sacerdotis, etiam tenebitur pœnitens iterum confiteri, quia præcepto Ecclesiastico non satisfecit, vt notant Syluius, & Filliucius *ubi supra.* Hæc opinio est probabilior.

Sed contrariam etiam probabilem existimo cum Fagundez *præc. 2. lib. 1. c. 4. n. 4. in fine,* quam docent Paludanus *in 4. dist. 17. q. 7.* Gabriel *ibidem, q. 1. art. 3. dub. ult.* Victorio *in sum. q. 163.* Alensis *part. 4. q. 77. n. 5. art. 7.* Syluester *ver. confess. 4. n. 3. in fine,* & alij; quia Ecclesiæ solum externum confessionis actum præcipere potest, de occulto autem defectu non iudicat. Adde, quòd remissio peccatorum, cum sit finis præcepti, non cadit sub præcepto. Vide etiam Pitigianum *in 4. tom. 2. dist. 17. q. vnic. art. 7.*

Notandum est tamen, quòd talis inualidè absolutus, licet stando in prima opinione non satisfaciat præcepto Ecclesiæ, tamen liberatur à reseruatione peccatorum, si Confessarius potestatem habeat ab iis absoluendi. Et ita docent Coninch *de Sacram. disp. 8. dub. 12. nu. 91.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 5. nu. 11.* & alij penes ipsos, & ego ipse alibi.

Notandum secundò, quòd Henriquez *lib. 4. c. 4. §. 1.* licet doceat per confessionem annuæ confessionis non impleri; tamen putat per eam confessionem vitari pœnam excommunicationis in constitutionibus Episcopalibus impostam contra tale præceptum transgredientes; verum hanc sententiam non admittit Fagundez *n. 12.* sed probabilem illam esse docet Emmanuel Sà *ver. confess. n. 1.*

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

Sed quidquid sit de hoc, ego puto pueros autè 14. annum non incurrere supradictam excommunicationem, licet per confessionem inualidam non satisfaciant Ecclesiastico præcepto de annua confessione, quia tales pueri exculantur a censura ferenda a iudice, non tamen à censura Canonis, quod est valde norandum. Et ita docent Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 3. n. 72.* & Nugnus *in addit. ad 3. part. quest. 6. art. 5. dub. 1.* vbi sic ait. Videtur mihi satis probabile, pueros ante annos pubertatis non ligari excommunicatione, vel aliis pœnis ecclesiasticis, vnde quando in aliqua parochia in communi excommunicantur, qui non sunt confessi, non comprehenduntur pueri, vt *suprà.* Ita illic.

An qui bona fide confitetur Confessario valde ignorant, teneatur postea dictam confessionem iterare?

RESOL. CXXI.

Affirmatiuam sententiam docet Vasquez *in 5. p. to. 4. q. 93. a. 3. dub. 1. n. 2.* quia bona fides amplius efficere non potest, quàm excusare à culpa pœnitentem accedentem ad Sacerdotem ignorantem.

Sed contrariam opinionem tuetur Henriquez *lib. 2. de pœnit. c. 14. num. 5.* vbi sic asserit. Qui bona fide confitetur ignorant, quem postea nouit nescisse distinguere inter mortalia, & venialia, non videtur cogendus iterare confessionem, quia ille potuit, & voluit bene dispositum absoluere, quamuis defecerit in prudentia circa medicinam, & satisfactionem imponendam. Ita ille, & post illum Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 69.* sic asserens. Quando pœnitens integrè fallus est peccatum quod fecit, dubitabat tamen, an esset mortale. Quamuis enim Confessor simili dubio teneretur, non est iterum confessio illius peccati repetenda, si postea alteruter doctior factus, aut aliis consultis nouit id peccatum esse mortale, nisi aliunde confessio fuerit irrita, vt quia data opera quæsiuit ille Confessorem ignarum, ac sufficientem ad eius confessionem excipiendam. Sic Sanchez, & ego.

An sit iteranda confessio facta cum Confessario, qui cum falsa licentia Ordinarij excipit aliorum confessiones?

RESOL. CXXII.

Affirmatiuè respondent Homobonus *de exam. Eccl. part. 1. tract. 5. cap. 3. q. 20.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 9. n. 98.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 22. q. 2.* Megala *in 1. par. lib. 5. cap. 19. n. 12.* & alij penes ipsos. Et ratio est, quia talis est intrusus, non enim habet titulum à legitimo Superiore, nec valet solum communis error. Ergo, &c.

Sed negatiuam sententiam docet Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 7. c. 13. n. 21.* vbi sic asserit. Aliqui asserunt inualidam esse absolutionem, quoties Parochus nullum habet legitimum titulum, vt quia de facto cum bellis falsis se gerebat pro parochio. Attamen eorum opinio mihi non probatur, nam eadem est ratio, siquidem in vtroque casu error est communis, qui tribuit iurisdictionem, & adest bona fides pœnitentis. Ita ille, & hanc sententiam ego libenter etiam teneo, quia puto, quòd ex errore communi confertur iurisdictione etiam sine titulo colorato collato à legitimo possessore; & hoc solidè probant Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. c. 20. n. 2.* Sancius *in selectis, disp. 44. n. 3.* & ego ipse alibi.

Hinc à fortiori infertur, quòd si pœnitens sciat priuatum esse Confessarium iurisdictione, quod ipse Confessarius ignorat, & communis populus, poterit pœnitens petere ab illo absolutionem, quæ validè conferetur.

An Confessarius, si neque in confuso statum pœnitentis recordetur, & illum absoluat, absolutio sit valida?

RESOL. CXXIII.

Respondeo, quod si confessio fuit inualida, vel ex parte pœnitentis, vel Confessarij, & pœnitens cum eodem Confessario confiteatur, non tenetur denuò peccata explicare, si saltem confusè recordetur Confessarius illius statum, ut conuenientem illi pœnitentiam imponere possit. Ita communiter DD. quos citat, & sequuntur Vasquez in 3. part. tom. 4. q. 92. art. 3. dub. 3. & alij. Et ratio est, quia specifica peccatorum manifestatio, aut cognitio per se, & simpliciter non est de essentia, ac necessitate Sacramenti, sed tantum de necessitate præcepti diuini, cui pœnitens antea satisfecit enumerando omnia peccata. Ergo solum tenetur defectu, v. g. contritionis supplere de omisso peccato, seu accusare.

Sed cum hæc omnia vera sint, difficultas est, si Confessarius statum pœnitentis, neque in confuso recordetur, & tamen illum absoluat; an dicta absolutio sit valida? de hoc casu olim interrogatus fui, & affirmatiuè respondi, & adduxi Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 9. n. 6. vbi sic asserit: Tamen si Confessarius neque statum peccatoris generatim recordetur, sed id tantum, quod sibi confessus fuerit, eumque iam rectè dispositum absoluat, peccatum illud quidem, cum non rectè suo munere in pœnitentia imponenda, & c. fungi possit, nihilominus absolutionem validam, & pœnitenti fructuosam fore. Ita Layman; ex quibus in tali casu Confessarius peccabit quidem, sed non tenetur monere pœnitentem de aliqua re, ut quidam Sacerdos scrupulosus putabat, quia confessio fuit valida; non tenetur igitur ad aliud, nisi de peccato pœnitere.

Quis in confessione Paschate omisit aliqua peccata per obliuionem, & postea statim de illis recordatur, queritur an teneatur illa statim confiteri?

RESOL. CXXIV.

Sotus distinguit, & ait hoc posse fieri dupliciter. Primò, quia peccata sciuntur quando homo confitetur, & omittuntur ex iusta causa. Secundò, quia illa peccata fuerunt oblita. Si primo modo fiat, ait, quod tenetur homo, cum primò potest, illa peccata confiteri. Si verò secundò modo fiat, adhuc distinguit, quia si obliuio fuit culpabilis, tenetur hinc statim confiteri illa peccata; si verò fuit inculpabilis, non est talis obligatio. Hæc Sotus apud Nugnum in addit. ad 3. par. tom. 2. q. 6. art. 5. diff. 6. qui ipsius sententiam rigorosam vocat, sed probabilem.

Apponam etiam hæc opinionem Medina in sum. lib. 1. cap. 14. §. 41. vbi sic asserit [Si los pecados que se le olvidaron se le acuerdan dentre del mismo año, en que se confesso, esta obligado à confessar lo antes que el año se acabe, porque el precepto le obliga à que cada año se confesse vna vez de todos los pecados, que se le acordaren acuerdase de dos, ò tres luego esta obligado à confessarlos. Pero si era ya pasado el año quando se le acuerdo de los pecados, que antes hauia hecho y se le hauian olvidado en la confession del año pasado, no esta obligado à confessarse luego dellos, basta que los confesse quando se confessare para cumplir con aquel año presente en que esta.] Ita Medina.

Verum prorsus existimo absolutè dicendum sine vlla distinctione, posse talia peccata non confiteri, vsque ad confessionem sequentis anni. Et ita docent Villabos in sum. t. m. 1. tract. 9. diff. 28. n. 7. Syluius in addit. ad 3. part. q. 6. art. 5. queritur 3. in fine. Io. de la Cruz in direct. part. 2. de sacram. Pœnit. q. 3. dub. 2. concl. 3. Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 13. Filliucius tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 57.

Victoria in sum. n. 137. Fagundez pr. 2. lib. 1. c. 4. n. 17. Suarez tom. 4. disp. 36. sect. 4. n. 6. Toletus lib. 3. c. 8. n. 2. Syluest. ver. confessio, 1 in 3. Nauarr. cap. 2. n. 10. & alij; quia Ecclesia obligat tantum ad confitenda omnia peccata commissa illo anno, quantum memoriae occurrunt, adhibita sufficienti diligentia, sed qui taliter confessus est, satisfacit præcepto. Ergo non tenetur iterum confiteri.

An qui in Paschate teneatur confiteri peccata venialia, saltem si habeat mortalia, quæ ex iusta causa non debeat aperire Confessario?

RESOL. CXXV.

Affirmatiuam sententiam docet Nugnus in addit. ad 3. part. q. 6. art. 6. diff. 1. quia talis homo, simpliciter loquendo habet præceptum confessionis, & potest illud adimplere confitendo venialia. Ergo tenetur.

Sed contrariam sententiam in terminis docet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 36. sect. 6. Et ratio est, quia nullum præceptum, nec quidem ecclesiasticum obligat fideles ad confessionem peccatorum venialium; ut probat Vasquez in 3. part. tom. 4. quest. 90. art. 2. dub. 2. Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 18. Fagundez pr. 2. lib. 2. cap. num. 5. & alij penes ipsos. Ergo si quis non potest confiteri ex iusta causa peccata mortalia, non tenetur confiteri venialia.

Quæ omnia ita vera sunt, ut aliqui Doctores asserant Ecclesiam sacramentalem confessionem de venialibus præcipere minimè posse, ut tradit Paludanus in 4. dist. 17. qu. 2. a. 4. conc. 2. cui fauent Syluester ver. confessio. 1. qu. 13. Sotus in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. arg. 2. Henriq. lib. 4. c. 4. num. 10. Rodriguez 99. Reg. tom. 1. q. 62. a. 1. & alij, licet contrarium sentiat Benzoni de Iubilæo lib. 5. c. 15. dub. 6. Vasquez loc. citat. a. 2. dub. 3. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 8. Nauarrus in c. placuit, disp. 6. de pœnit. n. 122. & alij.

Sed quidquid sit de hoc, aliqui putant Clementinam vnicam de statu monachorum, vbi præcipitur Religiosis S. Benedicti, ut semel in mense confiteantur, non obligare sub mortali, si habeant tantum peccata venialia, ut docet Nugnus in addit. ad 3. part. q. 6. art. 5. diff. 7. Molfesius in sum. tract. 2. cap. 10. n. 21. Megala in 1. part. lib. 5. cap. 4. num. 4. & alij penes ipsos, licet absolutè doceant Caietanus tom. 1. opusc. tit. 5. q. 1. & Cano relect. de pœnit. part. 5. supradictam Clementinam non obligare sub mortali, etiam si monachi peccata mortalia habeant; & ideo sic asserit Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 28. n. 5. [Los Monges Benitos tienen precepto en vna Clementina de confessar se todas la vezes, que tienen conciencia de pecado mortal, el qual precepto se estiende à los de mas y solo obliga à pecado venial, como dize Henriquez lib. 1. cap. 4. n. 10. mas à mi pareceme que no esta en vfo, sino de confessarle à su tiempo.] Ita ille.

An peccata venialia sint confitenda, quando requiritur confessio ad Iubilæum comparandum?

RESOL. CXXVI.

Affirmatiuam sententiam docent Facundez præc. 2. lib. 2. c. 2. n. 20. Sotus in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 15. num. 19. & alij, quia hæc est vna, & potissima conditio, quam requirit Papa, ut quis Iubilæum cõsequatur, confessione scilicet peccatorum. Ergo.

Sed negatiuam sententiam probabiliores esse existimo, & ita docent Beia part. 3. cas. 35. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 52. sect. 3. n. 5. Coninch de Sacram. disp. 12. dub. 7. n. 3. Filliucius tom. 1. tract. 8. c. 6. n. 145. Henriquez lib. 7. cap. 10. num. 8. & cap. 12. num. 2. Zanardus in direct. Confess. part. 1. de sacrament. Pœnit. cap. 21. quest. 24. Graffius decis. part. 1. lib. 4. c. 15. num. 19. Reginaldus tom. 1. lib. 7. cap.

cap. vlt. q. 1. num. 173. Comitulus *in resp. mor. lib. 1. q. 39.* & Benzonius *de iubilæo, lib. 5. c. 15. dub. 6.* vbi sic ait. An qui non habet conscientiam peccati mortalis, teneatur confiteri pro iubilæo consequendo.

Respondetur breuiter nequaquam teneri, cum enim sit in statu gratiæ, nec materiam necessariam habeat ad confessionem, non obligabitur pro iubilæo consequendo ad illam. Vnde cum neque diuino, neque positio præcepto obligetur quis ad confessionem, quando peccatum mortale non habet, neque tempore iubilæi obligabitur. Sic Benzonius.

Dices cum Scoto, Bonauentura, Ales, Syluestro apud Benzonium *vbi supra*, & Caietano *tom. 1. opusc. de confess. tract. 1.* & aliis, qui caret mortalibus, & venialia tantum habet, tenetur sub mortali illa in Quadragesima confiteri. Ergo etiam tenebitur tempore iubilæi. Respondeo hanc sententiam non esse veram, vt docent DD, quos citat, & sequitur Fagundez *pr. 2. lib. 2. c. 2. n. 8.* & rationes inuenies apud illos.

An esset absoluendus, qui sine causa præberet Confessario peccata sua scripta, & de illis illo presente se accusaret?

RESOL. CXXVII.

Negatiuè videtur respondendum ex Fagundez *præc. 2. lib. 3. cap. 1. nu. 8.* vbi sic ait. Extra necessitatem ipsa confessio, & accusatio semper facienda est ore, & peccaret mortaliter ille, qui cum bene posset proprio ore confiteri, per signa, & nutus, & interpretem (adde tu, & per scripta) confiteretur. Et ratio est, quia mutaret consuetudinem Ecclesiæ, quæ mutatio est grauis, & in re graui. Et ita etiam docet in terminis hanc sententiam Syluius *in addit. ad 3. part. q. 9. art. 3. concl. 2.* vide etiam Filliuc. *tom. 1. tract. 7. c. 1. n. 14.* Coninch *de Sacram. disp. 6. dub. 1. concl. 3. n. 3.* Suarez *in 3. p. tom. 4. disp. 21. sect. 3. n. 5. & 6.* & alios.

Non reticebo tamen contrariam sententiam docere Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 9. diff. 31. num. 1.* vbi ita asserit. [De lo dicho se infiere, que si vno dieffe sus peccados escritos, y se confessalle dellos en presencia del sacerdote, podria ser abfuelto, si lo hiziese sin causa, seria graue pecado venial; porque se apartare de vfo comun de la Yglesia, mas si lo hiziese con causa razonable, no seria pecado.] Et hoc vltimum concedunt etiam Coninch, & Fagundez *vbi supra*. Molfesius *in summa, tom. 1. tract. 7. c. 11. n. 9.* & Valq. *in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 4. dub. 4. n. 7.* quidquid asserat Syluius l. C. Vnde si quis magnum pudorem sentiret, si proprio ore peccata confiteretur, non peccaret mortaliter, si per scriptum confiteretur præsentem sacerdote, quia consuetudo proprio ore confitendi non obligat tam grauiter in hoc casu, vt etiam præter DD. citatos, docet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 6. n. 3.* vbi ponit alium casum in praxi facile occurrentem, nempe, quod, si ægrotus per gutturis angorem confiteri absolute quidem voce possit, sed vix, aut ægrè, compellendus non erit, si peccata scribere facile possit, voce confessionem facere.

An in Paschate, vel in articulo mortis, teneatur per scriptum confiteri, qui alio modo non potest?

RESOL. CXXVIII.

Affirmatiuè respondent Nugnus *in addit. ad 3. part. q. 9. art. 3.* Turrianus *de pœnit. q. 9. art. 2. disp. 32. dub. 2.* qui citant Suarez, Petrum Sotum, & Gabrielem. Idem docent Becanus *de Sacram. c. 37. q. 7. num. 1.* Valquez *in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 4. dub. 5. num. 2.* vbi ita ait, quod non obstat scriptum perdi posse, quod absoluta confessione potest statim rumpi, & pauld ante confessionem ita scribi, & custodiri, vt non perdat, nec etiam obstat, quod surripere potest Sacerdos, sic enim etiam posset ipse eo

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars 111.

dem modo manifestare crimina, quæ voce audisset in confessione, & nihilominus tenemur confiteri, & æquale est damnum vtrouque.

Hanc sententiam videtur etiam docere Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 6. n. 4.* vbi ait, qui perpetuò mutus est, & scribere nescit, ad confessionem annuam nutibus, quatenus potest, faciendam obligatus esse videtur. Vnde supponit in illis verbis, *si scribere nesciat*, quod si mutus scribere sciat, tenetur confiteri per scripturam, intellige semper præsentem Confessario. Vide etiam Syluest. *ver. Confessio, 1. q. 15. & Suarez tom. 4. disp. 16. sect. 6.*

At his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto, & ita docent Io. de la Cruz *in direct. conscient. part. 2. de sacram. Pœnit. q. 3. dub. 7. concl. 1.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 6.* Valentia *tom. 4. disp. ... q. 11. punct. 1.* Filiucius *tom. 1. tract. 7. n. 63.* & Henriquez *lib. 4. c. 4. n. 4. in glossa litera A.* vbi sic asserit. Non tenetur præcepto Ecclesiæ confiteri per scriptum etiam mutus, aut infirmus, qui loqui non potest. Sic ille. Vide etiam Villalobos *in summa tom. 1. tr. 9. diff. 32. n. 3.* & alios communiter, quia peccata scribere, & scriptum Confessario tradere, insolitus est confitendi modus, & plerumque non vacat omni periculo publicationis, & hoc sufficit: quare ecclesiastica lex in tali casu non obligat. Quid verò dicendum in articulo mortis? dic, vt in seq. resol. resoluemus.

An in articulo mortis teneatur confiteri per interpretem, si quis alio modo non potest?

RESOL. CXXIX.

Dico primò, quod præcepto ecclesiastico nemo tenetur ad confitendum per interpretem, quia hæc aliquo modo publica confessio est, quam Ecclesia præcipere non solet, & idè in Concilio Lateranensi dicitur, Omnia sua solus peccata confiteatur proprio Sacerdoti, & ita docent DD. quos citant. & sequuntur Turrianus *de pœnit. quest. 9. art. 2. disp. 32. dub. 1.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 6. n. 5.* Fagundez *præc. 2. lib. 2. cap. 6. n. 6.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 32. n. 3.* Io. de la Cruz *in direct. conscient. part. 2. de sacram. Pœnit. q. 3. dub. 7. concl. 1.* Filiucius *tom. 1. tract. 7. c. 3. n. 62.* & alij, quos citat Sancius *in selectis disp. 32. n. 8.*

Dico secundò contra Turrianum *vbi supra*, & Suarez *tom. 4. disp. 36. sect. 6.* quod in articulo mortis, si pœnitens habet probabilem existimationem de sua contritione, non tenetur confiteri per interpretem; quia tunc confessio non videtur moraliter necessaria ad salutem, nec Deus videtur obligare cum tanto onere, & quia talis confessionis modus de se est publicus. Ergo, &c. Si autem probabiliter dubitet de sua contritione, tunc ex charitate tenetur confiteri per interpretem, ne se exponat periculo damnationis, quia cum absolute teneatur Deo satisfacere, meritò in casu dubio obligatur. Ita DD. citati, quæ adèd vera existimo, vt patet cum Valq. *in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 4. dub. 3. n. 6.* quod si talis confessus sit omnia peccata & postea nullum commisisset mortale, licet meminisset postea alicuius, quod prætermisit propter obligationem, non teneretur in articulo mortis confiteri per interpretem, quamuis tenebatur confiteri, si posset secreto soli Confessori, quia de tali peccato per confessionem factam fuerat indirectè absolutus.

Sed difficultas est, quando quis in articulo mortis dubitat de sua contritione, an teneatur confiteri per interpretem omnia peccata mortalia. Ad hoc ita, respondet Nugnus *in addit. ad 3. part. q. 9. art. 3. diff. 2. ad arg. 1.* Videtur mihi (saluo meliori iudicio) quod poterit talis pœnitens tacere peccata maioris infamiæ. Ita Nugnus, & post illius Fagundez *pr. 2. lib. 1. cap. 6. n. 8.* Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 26. sect. 6. n. 5.* Henriquez *lib. 4. c. 4. n. 4.* Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 6. c. 6. n. 5.* Et ratio est, quia in tali casu non tenetur facere confessionem materialiter integram, sed formaliter.

At plus addit Coninch *de sacram. disp. 5. dub. 10. nu. 77.* quia in rigore putat aliquem in tali casu posse confiteri aliqua peccata venialia, & generatim omnia mortalia, dicendo se confiteri alia omnia peccata, quibus Deum offenderit. Ita Coninch, quem postea sequitur Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 7. c. 11. n. 12.* licet consulendum sit, ut in tali casu moribundus omnia peccata confiteatur, quia interpretetur tenetur seruare sigillum, ut omnes communiter tenent contra Caeteranum, Victoriam, & Sotum, quos citat, & sequitur Io. de la Cruz *in direct. p. 1. de sacr. Confess. q. 3. d. 7. concl. 1.* Sed si aliquis vellet confiteri aliqua venialia, & mortalia in genere, confessio esset valida, quia opinio Coninch, & Molfesij est probabilis.

An qui in Paschate non impleuit preceptum confessionis, teneatur primo quoque tempore confiteri?

RESOL. CXXX.

Affirmatiue respondent communiter Doctores, & ita docent Nauarr. *c. 21. n. 45.* Henriq. *lib. 4. c. 4. n. 6.* Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 9. punct. 4.* Suarez *in 3. p. tom. 4. disp. 36. sent. 4. n. 2.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 5. num. 8.* Coninch *de Sacram. disp. 5. du. 8. n. 63.* Nugnus *in addit. ad 3. part. 10. 2. q. 6. art. 5. diff. 6.* Fagundez *pr. 2. lib. 1. c. 4. n. 16.* & Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 2. n. 8.* vbi sic ait. [El que no se confesso el año, esta obligado a confesarse luego despues; y mientras mas lo dilata, mas pecca.] Et ratio est, quia tempus Paschale, veluti implendi precepti terminus propositus, non est ad obligationem finiendam.

Sed licet hæc opinio sit probabilior, ut bene notat Filiuc. *tom. 1. tract. 7. cap. 4. n. 55.* tamen ipse *n. 54.* negatiuam sententiam probabilem putat. Primò, ob auctoritatem Doctorum. Secundò, quia preceptum affirmatiuum determinatè obligat pro aliquo tempore, licet infra illud violetur, tamen eo transacto non obligat amplius, ut preceptum ieiunij, Horarum canonicarum, Missæ, &c. Confirmatur, quia sic homo continuo peccaret, quandiu non confiteretur. Ita Filliucius, qui, ut dixi, probabilem hanc sententiam putat, quam absolute tenent Syluester *verb. Eucharistia 3. q. 15. D. Antoninus part. 2. tit. 9. c. 9. §. 3.* Tabiena *verb. communicare, nu. 10.* Megala *in 1. part. lib. 5. c. 3. n. 13.* Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 8. uel. 3. ver. quartum est,* & alij. Vnde secundum hanc sententiam, qui ob inopiam Confessarij, vel ob aliam causam rationabilem non impleuit debito tempore preceptum annualis confessionis, dicendum est de illo, idem ac de eo qui ex culpa in Paschate minimè confessus fuit, licet (ut diximus) contrariam sententiam probabiliorē esse existimem.

Notandum est etiam hæc obiter contra Henriquez *lib. 4. c. 4. n. 5.* eum, qui non est confessus in periculo mortis, cum haberet conscientiam peccati mortalis, non teneatur postea quamprimum confiteri. Ita Bonacina *de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 4. n. 28.* quia preceptum confessionis eo tempore obligat propter periculum damnationis, sed sublato periculo mortis, dictum periculum damnationis abest. Ergo.

In quibus casibus confessio erit valida, & tamen non integra moraliter?

RESOL. CXXXI.

Primò, si homo mutus, surdus balbutientis linguæ, aut ignoti idiomatis omnia peccata explicare nequeat. Vide Henriq. *lib. 5. cap. 1. n. 3.* Secundò, si inter confitendum periculum sit, ne pœnitens mox moriatur, debet statim absolui, & postea si superuiuat, reliqua peccata audienda sunt, & postea denuo absoluentus est. Vide Sà *vers. absolutio, n. 9.* Tertio, tempore pestis, naufragij periculosi, prælij, si Confessarius multorum integras confessiones audire non possit, quo casu licitum est quoque

plures simul confitentes audire, & absoluere. Vide Coninch *de Sacram. disp. 7. dub. 9. n. 74.* Quarto, si aliquis habeat casus reueruatos, de quibus vide Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 8. & 10.* & quæ dixi ego *in hoc tract. resol.* Quintò, si necessitas urgeat confitendi cum aliquo Confessario, cui, v. g. sine graui periculo animæ, corporis, famæ, aut fortunarum, proprio, vel alieno, peccatum aliquod confiteri nequeat, tunc eo prætermisso reliqua explicari, & absolutio peti potest. Vide Sotum *in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 5.*

Sed de his omnibus vide Fagundez *p. 2. lib. 3. c. 3. per totum,* vbi *n. 17.* bene obseruat, ut in his & similibus casibus, in quibus licitè dimidiatur confessio, absoluatur pœnitens directè, & per se ab illis tantum peccatis, quæ confitetur: indirectè verò, & consequutiue ab alijs, de quibus non est confessus, ea tamen obligatione, & conditione, ut teneatur prædicta non confessa confiteri cessante causa, & sublato periculo: non tenetur tamen ea statim confiteri, sed potest illa in primam confessionem, siue annualem in Quadagesima, siue ex deuotione differre, nec refert, quòd exponatur periculo obliuionis.

An quis peccet qui duos Confessarios habens, eorum vni prius confiteatur mortalia, alteri postea solum venialia?

RESOL. CXXXII.

Affirmatiue respondent Syluester *verb. Confessio 1. q. 6.* & Victorin *in sum. Sacram. n. 196.* quia etsi hoc non sit contra integritatem Sacramenti, est tamen quædam hypocrisis, & virtuale mendacium.

Sed contraria opinio est tenenda, quam tenet Fagundez *pr. 2. lib. 2. c. 2. n. 14.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 8. n. 14.* Coninch *de Sacram. disp. 6. dub. 4. n. 1.* Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 1. n. 22.* Henriquez *lib. 5. c. 16. n. 6.* & Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 9. diff. 3. n. 1.* Et ratio est, quia hoc non est contra integritatem Sacramenti, nam vtraque confessio est integra, neque est vera hypocrisis. Nam velle conseruare bonam famam apud Confessarium ordinarium, aut nullam, aut non grauem inordinationem continet. Non esse speciem mendacij, patet, quia talis nihil falsum confitetur, & licet factò ipso permittat alium decipi, id non est per se peccatum mortale.

Notandum est tamen per accidens, hoc esse aliquando peccatum mortale, ut si ob hanc causam pœnitens maneret in aliqua occasione peccati mortalis. Sed pro coronide huius resol. ponam hæc verba Villalob. *vbi supra, n. 2.* [Se ha de aduertir, que muchas vezes conuiene mudar Confessor por muchas causas, que los confesores cada dia experimentan, las quales aun algunas vezes las ay entre Religiosas, y harian muy bien los que confiesan algunas vezes personas de ordinario, en aduertir les, que si alguna vez quisiesen, se confiesasen con quien les pareciesse.] Vnde ait Layman *loco citato,* quòd imprudenter agunt Confessarij, si reprehendant pœnitentes suos, qui aliquando confessionale eorum declinant, cum potius id dissimulare deberent.

Laicus quidam absoluit ab excommunicatione morientem, quæritur an absolutio sit valida, ita ut in loco sacro defunctus speliendus sit?

RESOL. CXXXIII.

Negatiue respondetur communiter, quia ad absoluendum aliquem ab excommunicatione requiritur iurisdictiono Ecclesiastica, quam laicus non habet. Ergo, &c. Et ita docent Villalobos *in summa, tom. 1. tractat. 6. diff. 20. numer. 14.* Layman *in Theol. moral. lib. 1. tractat. 5. cap. 6. numer. 2.* Coninch *de Sacram. disp. 14. dub. 16. n. 256.* Suarez

Suarez de cens. disp. 7. sect. 6. n. 6. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Couar. in cap. alma mater. part. 1. §. 11. n. 9. Galtias de beneficiis, tom. 2. part. 1. 2. c. 5. n. 353. & alij

Sed ego cum Auila de cens. p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 3. probabilem puto contrariam sententiam, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Ioan. Valerus in differentiis vtriusque fori, ver. absolutio, differ. 3. n. 2. quibus ego addo Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. de excom. aub. 4. concl. 1. & Ledelm. in sum. 10. 1. de excom. c. 8. aub. 4. Sancium in select. disp. 4. n. 7. Ragucium in lucerna Pa. ochorum, de absolute, 7. 124. alterum Ledelm. par. 4. q. 26. art. 1. Sed audiamus Valerum loco citato, num. 3. vbi sic asserit: Effectus prædictæ absolute secundum præcitatos DD. maximus est, scilicet, quod heredes absolute non tenebuntur adire Papam, nec excommunicantem pro absolute petenda; poteruntque sepelire defunctum in loco sacro, & pro eo facere Missas celebrare, licet id impugnent Sotus, & Couar. quorum opinionem in rigore iuris veriorer existimo. Sed non damnarem pium Parochum sequentem contrariam, & iuxta eam tepelientem defunctum, & Missam pro eo publice celebrantem, maxime vbi de facili non potest adiri ad iudicem excommunicantem, vt ab eo absolute impetretur, antequam defuncti corpus sepulture tradatur. Itaque præfata absolute multum proderit quoad prædicta. Ita Valerus vbi supra, qui etiam notat, vt nos alibi diximus, laicum in prædicto articulo mortis posse moribundo concedere indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatæ, & citat. Nauarrum de indulg. notab. 3. n. 3. Sep prima sententia est probabilior, & communis, quia Concilium Tridentinum sess. 14. c. 7. solis Sacerdotibus hanc facultatem concedit.

An si pœnitens eliciat actum doloris, post narrata peccata ante absolute, recipiat sacramentum Pœnitentiæ?

RESOL. CXXXIV.

IN hoc casu nõ recipere Sacramentum putat Coninch de ac. dis. 4. dub. 6. n. 4. concl. 2. vbi sic ait: Dolor iste non solum natura, sed etiam tempore debet præcedere ipsam confessionem. Patet, quia ille dolor debet saltem natura præcedere voluntatem confitendi, quia debet esse causa confessionis, quod fieri nequit, nisi sit causa voluntatis confitendi: hanc autem non potest causare, nisi sit ea prior. Voluntas autem confitendi, cum sit tota in instanti, necessariò est prior tempore ipsa confessione, quæ sit in tempore, & necessariò præsupponit motum linguæ, qui non potest fieri nisi in tempore. Ita ille, & post illum Layman in Theol. mor. lib. 5. c. 4. n. 4. Vnde secundum illos, quis non reciperet sacrament. Pœnitentiæ, si ante confessionem non elicit dolorem, sed illum elicit inter confitendum, aut statim post confessionem ante absolute.

Sed hanc opinionem refellit Bonacina de Sacram. disp. 4. q. 3. punct. 1. num. 18. & asserit illam docere Suarez in 3. part. disp. 20. sect. 4. num. 31. licet Layman vbi supra probet Suarez verbo tenus, non autem re ipsa contra suam sententiam repugnare; rationes verò pro firmanda opinione Bonacinae lege apud illum.

Notandum est verò ad tollendos scrupulos, stando etiam in opinione Layman, & Coninch, quòd si aliquis pœnitens eliciat actum doloris post narrata peccata, si postea dicat, Doleo de peccatis narratis, vel petat absolute, hæc sola verba sufficere tunc, & habere veram rationem confessionis, quæ sit pars Sacramenti.

An omittens per vnum annum confessionem, toties peccet, quoties non confitetur oblata confitendi oportunitate?

RESOL. CXXXV.

Affirmatiuam sententiam docet Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 5. sent. 2. punct. 4. n. 30. quia quomodo fieri Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

potest, vt aliquis teneatur quamprimum ad confessionem faciendam, & nihilominus non peccet eam prætere mittere, oblata post annum oportunitate? Alioquin dicendum esset, facientem contra præceptum in te graui non peccare mortaliter, quod nullus audebit asseueranter affirmare Ita Bonacina.

Sed contrariam sententiam docet ex nostris Molfesius in sum. tom. 1. tract. 7. c. 10. n. 37. vbi sic ait: Quod autem dicunt Auctores contrarij durum sequi, & continuò peccare, si statim non confiteretur elapso anno. Respondetur non esse durum ex parte præcepti, sed ex parte non adimplentis. At non semper committit nouum peccatum mortale, sed continuando, & aggrauando peccatum commissum per omissionem confessionis in Paschate, & sic satis est confiteri tempus, à quo non est confessus peccata sua, nisi interueniat etiam contemptus præcepti, tunc enim esset hoc explicandum in confessione. Sic Molfesius, & Valentia tom. 4. disp. 7. q. 9. punct. 4. vbi sic asserit: Neque tamen idcirco volumus toties aliquem de nouo peccare, quoties elapso anno confessionem differt, cum possit confiteri, sed dicimus manere illum adstrictum eodem illo peccato, quod admisit, non confitendo intra annum, idque tandiu, quandiu anno elapso confessionem differt, ac proinde teneri illum statim confiteri sub illo eodem peccato. Sic Valentia.

Ego verò (vt supra probatum est) puto probabiliter, quòd si quis in Paschate confessionem non fecit, non teneatur postea amplius confiteri, sed dato & non concessio hanc sententiam esse improbabilem, adhuc tamen contra Bonacinam puto in tali casu, quòd quanto diutius quis confessionem sine causa differt, tanto magis peccatum auget; non autem peccare denuò toties, quoties. Et ita docent etiam Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 5. nu. 8. corollar. 1. Villalob. in sum. 1. tract. 9. diff. 2. num. 88. Nugn. in addit. 3. p. tom. 2. q. 6. a. 5. diff. 5. & alij.

An qui non implet pœnitentiã grauem impositam pro venialibus, vel quod sæpius solet euenire, pro mortalibus aliàs confessis, peccet mortaliter?

RESOL. CXXXVI.

Peccare mortaliter docent Facundez pr. 2. lib. 9. cap. 3. n. 13. Henriq. lib. 5. c. 0. n. 8. & à fortiori Nugnus in 3. p. tom. 2. q. 13. art. 2. diff. 2. concl. 4. vci sic asserit: Etiam si confessio sit solum de peccatis venialibus, vel de mortalibus iam confessis, est mortale peccatum, non adimplere talem satisfactionem, quidquid dicat Suarez, qui dicit, quòd quando confessio solum fuit de peccatis venialibus, vel etiam de mortalibus iam confessis, etiam quotiescumque pœnitentiã iniuncta est leuis, tantum esse veniale peccatum non adimplere illam. In quibus Suarez non loquitur consequenter ad ea, quæ antea dixerat, scilicet, Sacerdotem obligari ad imponendam satisfactionem, & pœnitentem ad acceptandam, & adimplendam illam. Et ratio est, quia facere Sacramentum non integrum, est res grauissima, & importat magnam irreuerentiam contra ipsum Sacramentum. Ergo est peccatum mortale, & etiam si aliàs materia secundum se leuis sit. Ita Nugnus.

Sed his non obstantibus, mihi placet sententia Suarez & contraria dura videtur. Et idè existimo non adimplentem pœnitentiã grauem impositam pro venialibus, vel pro mortalibus aliàs confessis, non peccare mortaliter, sed venialiter. Et ita præter Suarez citatum in 3. par. to. 4. disp. 38. sect. 7. n. 4. docet etiam Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 15. n. 7. quia (vt ipse ait) durum videtur fateri, licet culpa contracta leuis sit, tamen obligationem pro ea satisfaciendi grauem effici posse, per se loquendo, nam per accidens id fieri posse non nego, si alioquin homo versetur in probabili periculo peccandi mortaliter, nisi remedia pœnitentiæ ipsi imperata exequatur.

Similiter durum videtur dicere posteaquam homo peccata mortalia semel confessus est, & iniunctam pœnitentiam impleuit, si iterum eadem peccata libera voluntate confiteatur, quòd nouam obligationem satisfaciendi sub culpa mortali contrahat. Ita Layman. Quæ omnia à fortiori procedunt, si pœnitentia imposita absolute esset leuis, vel si aliqua exigua pars pœnitentiæ grauis à pœnitente non impleretur; nam in his casibus contra Nugnum, tantum venialiter peccaret pœnitens; vide etiam Filliucium *tom. 1. tract. 8. cap. 2. n. 54.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 78. n. 3.* & alios.

Notandam est hic etiam obiter contra dictum Nugnum *ubi supra, q. 18. art. 4. diff. 2.* Confessarium imponentem pœnitentiam post datam absolutionem, non peccare venialiter, nullum enim est peccatum pœnitentiam post absolutionem conferre.

An Confessarius possit commutare pœnitentiã præseruatiuam ab alio Confessario impositam?

RESOL. CXXXVII.

Negatiuam sententiam docet Zerola *in praxi pœnit. c. 15. q. 12.* vbi ait, id quòd dictum est de commutatione pœnitentiæ impositæ, debet limitari, non procedere in pœnitentia præseruatiua, quæ datur loco medicinæ; nam illa pœnitentia non potest, nec debet commutari, quia datur per modum pharmaci.

Sed Bonacina *de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 3. n. 5.* affirmatiuam sententiam tenet, quando tamen Confessarius iusta, & rationabili causa pœnitentiam præseruatiuam commutat in aliam præseruatiuam, secus autem minimè. Et hanc sententiam probabilissimam esse puto, nec contra illam facit Reginald. *tom. 1. lib. 7. c. 8. n. 92.* & Suarez *in 3. p. tom. 4. disp. 38. sect. 10. n. 10.* quem Bonacina malè adducit pro contraria opinione; nam, vt legenti patebit, dictus Auctor non loquitur in casu nostro, sed quando superior concedit indulgentias, quia, vt ipsi bene asserunt, per has indulgentias non remittuntur pœnitentiæ impositæ, vt præseruatiuæ. Et est dispar ratio inter nostrum casum, & casum indulgentiarum. Nam in casu indulgentiarum penitus tollitur, & remittitur pœnitentia, in casu autem nostro pœnitentia non tollitur, sed commutatur, vt suppono, in aliam æqualem, etiam præseruatiuam. Ergo, &c.

Adde etiam, quòd Zerola adductus à Bonacina *ubi supra*, non facit contra nos, nam est intelligendus, quando pœnitentia præseruatiua commutatur in aliam non præseruatiuam. Sed hoc non accidit in casu nostro. Ergo. De commutatione verò pœnitentiæ, an Confessarius possit illam commutare non audita priori confessione eorundem peccatorum, etiamsi peccata, pro quibus imposita fuit pœnitentia, essent reseruata, diximus *in tr. 1. miscell. resol. 54.* vbi affirmatiuam sententiam docuimus. Vide etiam Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 15. n. 16.*

An concubitus viri Christiani cum muliere infideli, Turca, Iudæa, Hæretica, &c. sit circumstantia in confessione aperienda?

RESOL. CXXXVIII.

Affirmatiuam sententiam docent Naldus *in sum. ver. fornicatio. n. 2.* Lopez *in instruct. p. 1. c. 35. §. affine est huic.* Homobon. *de cas. reseru. part. 2. cas. 4. sent. 5.* Conradus *in respons. cas. conse. p. 2. q. 174.* Floronus *de cas. reseru. part. 2. cas. 7. post §. 1. ver. mulierib. abutentes, n. 5.* Bellochius *de cas. reseru. part. 2. q. 1. n. 169.* Henriq. *lib. 2. de pœnit. c. 6. n. 3. in glossa litt. M.* & Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 7. disp. 5. n. 12.* vbi sic asserit: Infertur quòd habere circumstantiam luxuriæ mutantem speciem, ac necessariò fatendam, accessum fidelis cum infideli aduersus impedimentum dirimens matrimonium ob cultus disparitatem, quia ratio, ob quam Ecclesia hoc matrimonium dirimit, vide-

licet quia cedit in religionis dedecus, si fidelis cum infideli copuletur matrimonio, locum habet in copula illicita. Et idè prohibito matrimonio, censetur specialiter copula illicita prohibita. Adde etiam esse quoque periculum educationis proles in infidelitate, & peruersionis coniugis fidelis, quæ pericula in coitu fornicario etiam reperiuntur, vt pote qui vnitatem carnis efficit, & valde amorem conciliat. Et tandem pœnæ peculiare grauissimæ huic copulæ legibus statutæ argumentum non leue inducunt, vt inde illius specialis grauitas colligatur. Ita Sanchez. Vide etiam Lessium *lib. 4. cap. 3. dub. 6. n. 45.* qui putat hoc peccatum pertinere ad sacrilegium, quia talis coniunctio est prohibita in honorem Christianismi ab Ecclesia.

Verum licet ego hanc sententiam teneam, attamen contrariam tenentes non damnarem, quia multi ex supradictis Doctoribus, & in specie Azorius *part. 3. lib. 3. c. 29. q. 3.* Ioannes Franciscus Suarez *in Enchiridio casuum conscientie, lib. 5. ver. Confessio, fol. 346.* & Filliuc. *tom. 2. tract. 30. c. 2. n. 52.* asserunt talem accessum hominis Christiani cum infideli, non esse specie distinctum à simplici fornicatione, & esse tantum circumstantiam aggrauantem; sed circumstantiæ etiam notabiliter aggrauantes, secundum opinionem probabilem multorum DD. non sunt necessariò in confessione explicandæ. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam absolute in terminis tenet Alcozer *in sum. c. 20. fol. 74. pag. 1. §. el sex muger;* & couissimè illam tenet Franciscus Syluius, Professor publicus sacræ Theologiæ in Academia Duacena *in suis doctissimis commentariis ad 2. 2. Thomæ, q. 154. a. 2. §. queritur secundo.*

Igitur secundum hos Doctores, secluso scandalo, & periculo subuersionis, vel contemptus legis & Religionis Christianæ, vel nisi sit casus ab Episcopo reseruatus, si quis concubitus haberet cum infideli, sufficit in confessione, vt dicat, Toties fornicatus sum, sine explicatione, quòd dicta mulier fuerit Turca, Iudæa, Hæretica, &c. quia talis copula (vt dictum est) non differt à simplici fornicatione, & est tantum circumstantia aggrauans. Sed ego teneo primam sententiam, nempe esse aperiendam in confessione, quia est circumstantia mutans speciem. Vide etiam Menochium *de arbitr. iudicium lib. 2. cas. 290.*

An si frigidus, vel Eunuchus haberet concubitus cum muliere, deberet hanc circumstantiam aperire in confessione?

RESOL. CXXXIX.

Affirmatiuè respondens Henriq. *lib. 5. de pœnit. c. 6. n. 2. in glossa litt. M.* Lessius *lib. 4. c. 3. dub. 6. n. 45.* & Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 5. n. 14.* vbi ita ait. Infertur, coitum cum impedimento impotentia, vt si frigidus, vel Eunuchus coeat, habere circumstantiam diuersæ speciei necessariò confitendam, quia ratio prohibitionis matrimonij inter hos, nempe impotentia generandi, & sic frustratio finis, ad quem natura coitum destinauit, militat etiam in copula illicita, quare hic coitus reducitur ad peccatum contra naturam. Ita ille.

Sed hanc sententiam non existimat ita certam Filliuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. c. 1. num. 23.* vbi sic asserit, copulam cum habente impedimentum impotentia naturalis, esse etiam peccatum contra naturam reductiuè, ex ea enim sequi non potest generatio, asserunt Henriquez & Sanchez, communiter non reputatur addere specificam malitiam, est valde dubium. Sic Filliucius.

Vtrum copula uxoricida, vel adulteri cum promissione matrimonij sit circumstantia in confessione aperienda?

RESOL. CXL.

Affirmatiuam sententiam docet Henriquez *lib. 5. de pœnit. c. 6. num. 3. in glossa litt. M.* vbi dicit esse circumstantiam

circumstantiam necessariò explicandam in confessione, si vir ad eam accedat, cum qua nequit matrimonio copulari, vt si sit vxorica, & licet non explicet, num ea circumstantia speciem mutet, ad eam numerat inter alias, quæ in sexto præcepto diuersam speciem constituunt.

Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto, quam tuentur Lessius *lib. 4. c. 3. dub. 6. n. 45.* Filliucius *tom. 1. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 24.* & Sanch. *de matrim. tom. 2. lib. 3. disp. 5. n. 14.* Dico igitur, quòd quando impedimentum matrimonij imponitur in pœnam admissi delicti, & ad præcauendum aliquod damnum, tunc copula cum habente tale impedimentum continet tantum singularem malitiam, fornicationis. Exemplum est in impedimento criminis, vt adulterij cum promissione matrimonij, vel cum contractum est de præsentis, vel homicidij coniugis. Nam in prohibitione talis matrimonij non est speciale motiuum virtutis, sed tantum est in pœnam delicti. Consequenter copula illa illicita erit tantum vnus malitiæ fornicationis, & idèd in tali casu dicendum non esse circumstantiam in confessione detegendam.

Non reticebo tamen hic adnotare cum supradictis Doctoribus. Primò, esse circumstantiam incestus diuersam speciem à simplici fornicatione, & necessariò explicandam in confessione, si quis coitum habeat cum qua nequit inire matrimonium ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis. Secundò, similiter esse circumstantiam luxuriæ, specie diuersam, ac necessariò fatendam, si quis rem habeat cum cognata spiritali in eo gradu, in quo hæc cognatio matrimonium dirimit, speciem autem hanc fornicationis aliqui vocant incestum spirituale: vnde & sacrilegium. Tertio, concubitus cum cognatis legalibus addit malitiam specificam necessariò fatendam, & reducitur ad incestum. Et tandem, Quarto, dicendum est reduci eam ad incestum, si quis accessum habet cum consanguinea in primo gradu sponsæ propriæ de futuro contra publicæ honestatis impedimentum, dirimens in eo gradu matrimonium. Et ideo talis circumstantia erit in confessione aperienda. Sed similibus relictis ad alia procedamus.

An sit necessarium in confessione explicare, si quis peccauit scienter, an ignorantia culpabili?

R E S O L. C X L I.

Aliqui affirmant necessarium esse explicare, si peccatum fuit scienter admissum, quia distinctam malitiam importat. Sic Adrianus *in 4. tract. de confessione, qu. 4. in 2. part. illius,* vbi de circumstantiis paulo post principium *ver. fortè obiciet.* & Medina Complutensis *C. de confess. quest. de circumstantiis mutantibus speciem, paulò post principium.*

Sed contrarium docent Nauarrus *in c. consideret à n. 5 2. vsque ad 79. de pœnit. dist. 9.* & Suarez *tom. 4. disp. 2 2. sect. 4. n. 14.* nam, vt ait Valentia *tom. 2. disp. 6. q. 6. pun. 3.* eiusdem rationis sunt peccata, siue interna, siue externa, cum ignorantia culpabili commissa, cum peccatis scienter admissis, licet scientia illa aggrauet. Addit, tamen Suarez, & benè, id esse necessarium aliquando in ordine ad censuras Ecclesiasticas; nam ex illis, vt *infra* dicemus, ignorantia sæpiùs excusat. Idem etiam dicendum est, quando ea ignorantia moraliter vincibilis excusaret à mortali transgressione humani præcepti; nam in tali casu necesse erit ignorantiam explicare, quippe quamlibet circumstantiam ita minuentem, quæ ex mortali efficiat veniale, necessarium est explicare. Similiter dicendum est, quando ignorantia est affectata, licet Nauarrus *in man. c. 6. nu. 1 2.* dicat eam non esse necessariò in confessione explicandam; quamuis affectata sit ad finem liberius peccandi. Sed ego sic distinguendum censeo Si ignorans ille exponatur periculo admittendi alia peccata, ratione illius

ignorantiæ affectatæ, siue affectetur ad finem liberius peccandi, siue ad alios fines, & aduertat ad id periculum, tenetur eam ignorantiam circumstantiam fateri; quia mutat speciem; tot enim peccata ille committit, quot committendi periculo se exponit. Vt si, v. g. velit tœminam cognoscere, affectet ignorare, quam sit illa, vel vt liberius peccet, vel ne eius culpa ita grauis sit; hic enim in tali calu exponitur periculo incestus, adulterij, fornicationis, sacrilegij, &c. Si autem ei periculo non exponatur, quia nouit tœminam alio statu præter coniugatæ carere, & an hunc habeat, affectat ignorare, vel affectat ignorare aliam rem, in qua non est aliud peccati determinati periculum, tunc si ignorantia non affectetur ad liberius peccandum, non est necesse illam explicare, quia non aggrauat, sed aliquantulum minuit culpam; si verò sit ad finem liberius peccandi, notabiliter aggrauat. Et ita, qui tenet circumstantias notabiliter aggrauantes esse necessariò confitendas, dicendum est hanc circumstantiam fatendam esse. Qui verò contrarium censent, dicunt cum Nauarro illam fatendam non esse, quia intra eandem speciem notabiliter aggrauat. Et hæc omnia mutuatus sum à Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. c. 17. n. 23.* quæ valdè à Confessariis notanda sunt, non enim ita facile in eorum summis inueniuntur, sicut ista, quæ hic sumpsit à doctissimo Ioanne Maldero *in p. 2. D. Thoma, q. 76. ar. 2.* vbi sic asserit.

Quæres, quando quis peccet ex ignorantia, suntne duo ibi peccata, vnum ignorantia, alterum quod ex ignorantia admittitur? v. g. est aliquis, qui ex vincibili ignorantia non legit horas canonicas, ad quas ratione Ordinis tenetur, an ille peccet duplici peccato, vno ignorantia, altero contra virtutem Religionis? Pro responsione obseruandum est, ignorantia peccatum dependere ex obligatione sciendi, obligatio autem sciendi interdum ex eo solo pendet, quòd obligemur aliquid facere, vel omittere, ad quod faciendum, vel omittendum opus est cognitione eius, aliquando autem prouenit obligatio sciendi ex peculiari præcepto, quo tenemur habere scientiam, eamque nobis comparare. Quo supposito, respòdeo, quando obligatio est prioris generis, peccatum ignorantia, & peccatum, quod ex ignorantia fit, non esse duo peccata, aut duplicem malitiam, quia tantum incurritur eo casu in peccatum ignorantia, quando per eam incurritur in periculum incidendi in aliquod peccatum, siue illud sequatur, siue non. Quando verò obligatio sciendi est posterioris generis, ignorantia est peccatum per se, etiam si non fuerit periculum alterius secuturi ex ea peccati, & quando ex illa ignorantia aliud peccatum admittitur, sunt ea peccata distincta. Imò etiam si fuerit solum periculum alterius peccati, specie distincti coniunctum cum peccato, tali ignorantia; fieri poterit concurrente sufficiente aduertentia illius periculi, vt contrahatur præter malitiam ignorantia, etiam malitia istius speciei. v. g. si quis ex ignorantia culpabili Decalogi, incidat in peccatum homicidij, duplex peccatum admittit, vnum negligentia sciendi illud, quod scire poterat, & debebat, videlicet Decalogum; alterum homicidij. Eadem est ratio Confessarij ex ignorantia eorum, quæ ad officium suum pertinent, absoluentis eum, quem non potest absolvere. Hæc omnia Malderus, vide etiam Adamum Tannerum *in p. 2. disp. 4. q. 9. sub. 1. n. 1 2. & 13.* & alios penes ipsos tractantes propositam quæstionem, videlicet, vtrum ignorantia vincibilis sit peccatum speciale, idèdque distinctum ab eo, cuius est causa. Sed de hac quæstione iterum redibit sermo, vbi contra Malderum, & alios Doctores *supra* citatos multis disseram, licet omnia supradicta probabilia sint.

An Vicarius Episcopi, si habet potestatem subdelegandi, possit absoluti ab alio, si incidit in casum reseruatum à suo Episcopo?

R E S O L. CXLII.

Negatiuam sententiam mordicus tenet Iacobus de Grassis in appen. ad decis. aur. lib. 3. c. 8. n. 2. Primò ex præsumpta mente Prælati, quæ magis attendenda est, quam verba, ex l. de quibus, ff. de legibus. Sed interrogatus Episcopus à Vicario an etiam illa auctoritate uti posset, diceret quòd non, quia si secus esset, perniciosum esset concedenti, quia sic posset dare occasionem peccandi, & qui occasionem peccandi dat, ipse damnum dedisse videtur; vnde ne hoc absurdum accidat, dicendum est, verba generalia arctari, vt non comprehendatur perniciosum concedenti, ex l. si cui, ff. de seruit. Secundò, verba generalia arctantur semper ad solita concedi, ex l. si fin. ff. de damno infect. & ad id quod est de iure, vt notat glossa in cap. fin. vers. negotius, de offic. deleg. sed semper potestas absoluendi cum potestate subdelegandi intelligitur data in personam aliorum, & nemo potest auctorizare se ipsum, ex cap. qualiter, de elect. & in generali sermone excipitur persona cui loquimur, l. qui heredi, §. Plantius, ver. at si heres, ff. de conced. & demonstr. Ergo, & c. etiam dictus Grassius idem asserit de priore habente potestatem à Prælato absoluendi casus reseruatos, cum potestate subdelegandi, putat enim, sicut de Vicario Episcopi asseruit, si incidat in aliquem casum reseruatum, non posse ab illo, quem ipse subdelegauerit, absolui.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam docent Vgolinus de potest. Episc. c. 39. n. 2. & Florinus de cas. refer. par. 1. c. 3. §. 1. n. 3. Nam & Episcopus si in casum incidit reseruatum Romano Pontifici, à quo ipse alios absoluere potest, delegando eam facultatem alteri, ab eo absolui valet, atque ita sacra Cardinalium Congregatio declarauit, Tridentinum Concilium in sess. 24. de refor. c. 6. & ita communiter asserunt Doctores Maiolus de irregular. lib. 5. c. 21. n. 7. Suarez tom. 4. disp. 41. sect. 2. n. 9. Henriquez lib. 1. c. 18. n. 3. Sayrus de cens. lib. 7. c. 9. n. 5. Riccius in praxi, p. 1. resol. 445. n. 2. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 3. n. 3. & in sum. tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 11. Bellettus in disquis. cler. p. 1. tit. de disciplina clericali, §. 1. n. 54. Naldus in summa, ver. casus, n. 6. Emanuel Sa ver. confessor. n. 16. & alij, quidquid in contrarium asserat Marius Alterius de cens. tom. 2. disp. 8. c. 3. concl. 4. ver. 3. quæri potest in ordine ad dispensationem, sicut loquuntur etiam multi ex supra citatis Doctoribus, idem dicendum de dispensatione, ac de absolutione.

Nec valet dicere in tali casu, Vicarium seipsum quodammodo absoluere, cum delegatus delegantis officio fungatur. Nam respondeo, quòd id locum haberet, vbi iurisdicção delegata est ab eo, cui iurisdicção competit ordinaria, at Vicarius hic subdelegat, subdelegatus autem fungitur vice primi delegantis, ac perinde est, ac si ipse primò delegans delegasset, quo casu sine dubitatione Vicarius absolui posset. Et idem dicendum est de Priore, qui vt Vicarius ab Episcopo talem potestatem habuit à Prælati sui monasterij; nam si in aliquem casum incidit, potest ab alio Confessario subdelegato, de illo absolutionem obtinere sine licentia Prælati.

Sed ponam hic pulchrum dubium, an si subditus petat à Prælato omnem eius auctoritatem pro vna vice, & vna persona sibi subiecta, includatur ipse petens, ita vt possit absolui à reseruatibus ab aliquo Confessario. Videtur affirmatiuè respondendum, si petens diceret, Est quædam persona, quæ indiget vestra auctoritate, placetne vobis illam mihi dare? Secus autem si diceret, Rogo te vt des mihi tuam facultatem pro vna persona. Et ratio est, quia in generali sermone comprehenditur etiam persona sua, quando loquens concipit verba in persona alterius, vt patet ex l. Paulus respondit, §. fin. ff. de pignoribus. Et ita hanc

sententiam videtur tenere Florinus vbi supra, ex Grassio, qui tamen contrarium docet. Sed post hæc scripta inueni Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. d. ffic. 64. n. 4. circa præsens dubium sic asserere. [Quando ei Prælado concedere a vno la autoridad sin restrincion ninguna, ex justo conceder la actiua y passiua, que aunque algunos dudando esto, es mas conforme al estilo de la Religion, mientras el Prælado no declara otra cosa.] Sic ille; & nouissimè Noster P. Leone de off. & potest. Confess. to. 2. recollect. 6. n. 131. asserit, quòd quando subditus petit facultatem à Superiore pro vna persona pro casibus reseruatibus, potest vti pro sua persona.

An qui vi, & metu, vel fraude, & dolo, aut alio quocunque casu inter infideles exteriùs fidem negat, corde tamen illam retinet, possit postea inter Christianos rediens absolui à quocunque Confessario ordinario approbato, & quid de blasphemantibus hereticaliter inter Christianos?

R E S O L. CXLIII.

Affirmatiuè respondet Stephanus Fagundez præc. 2. lib. 8. c. 8. n. 39. vbi sic asserit: Animaduerto illum, qui vi, & metu, vel dolo, & fraudulenter se inter infideles exteriùs infidelem fingit, Maurum videlicet, Iudæum, Idolatram, aut Hæreticum, & exteriùs fidem negauit, corde tamen illam retinens, peccare quidem grauissimè contra externam fidei professionem, non tamen esse hæreticum comprehensum in Bulla Cænæ, nec incurrere excommunicationem ipsius, & posse absolui à quocunque Confessario ordinario approbato. Ita Fagundez, & ante illum ex eadem Societate Iesu docuerat hanc sententiam Toletus lib. 4. c. 4. n. 6. & postea Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 2. n. 22 & disp. 21. sect. 2. n. 3. & tandem Sanchez in summa, to. 1. lib. 2. cap. 7. n. 8. in fine. & post omnes Filliucius tom. 2. tract. 22. c. 6. n. 164. Et ratio est, quia talis non est verè infidelis, vel hæreticus, quia non habet errorem in intellectu. Ergo, & c. Deinde hæresis ratione solius excommunicationis reseruat. At hæresis externa absque errore interno non subiacet excommunicationi. Ergo, & c. Nec refert, (ait Fagundez) quòd ab Inquisitoribus huiusmodi homines puniri possint in foro externo, tanquam hæretici, nam præsumunt Domini Inquisitores illos habuisse dissensum à fide in intellectu, siquidem hunc dissensum exteriùs finxerunt, & manifestarunt. Ita ille.

Et post hæc scripta inueni eam sententiam supradictorum Auctorum docere etiam Franciscum Syluium in suis eruditissimis Commentariis ad 2. 2. D. Thomæ qu. 11. art. 3. concl. 2. vbi sic asserit: Hæreticus solo actu externo, quamuis grauiter peccet, non tamen est excommunicatus, neque incurrit alias pœnas Ecclesiasticas in hæreticos latis, & per consequens potest à quolibet Confessario absolui, quamuis pro hæretico in foro externo reputetur, imò & pro excommunicato geri debet apud eos, qui nouerunt peccatum externum, & nesciunt animum semper mansisse Catholicum. Ex his sequitur, quòd qui propositiones hæreticas effuderunt, qui Sanctorum imaginibus illuserunt, qui comederunt carnes tempore prohibito, qui Mahumeto cultum, & reuerentiam exhibuerunt si ea fecerint, aut metu compulsi, aut spe lucri adducti, aut ira, vel alia quacunque passione commoti, nullum in animo errorem, at pristinam fidem rectam tenentes, neque hæretici sunt, neque excommunicatione in hæreticos latis innodati. Ita Syluius vbi supra.

Item hanc sententiam docet Homobonus de Bonis in exam. Eccles. part. 1. tr. 7. c. 1. q. 4. vbi ita ait. Quid sentiendum de eo, qui solùm exteriùs rem fidei negat, aut ab ea omnino per apostasiam recedens, absque tamen errore intellectus ad aliam sectam transit? Respondeo, cum censuræ, & reliquæ pœnæ delictum aliquod afficientes,

non nisi ob delictum verum, & consummatum contrahantur, sequitur, quemlibet Confessarium ab hoc (licet graui peccato) absolueri posse. Secus autem in externo foro iudiciali, in quo presumptionibus statuitur, proinde qui huiusmodi delicta committunt, per Ecclesiasticos iudices reconciliari, & a censuris absolui solent. Idemque de his dicendum est, qui aliqua hæreticalia verba protulerunt, & postea se ea ioco dixisse asserunt; nam eorum excusationes in foro interiori, non autem in exteriori iudicio admittuntur. Sic Homobonus.

Item hanc opinionem tenet Ioannes Valerus in *differentiis vtriusque fori, vers. Hæresis, differ. 2 n. 1.* vbi sic asserit. Fidem negans exterius, interior tamen seruans, non est in foro animæ excommunicatus, & idè in tali foro non indiget absolutione, & potest à suo Parocho à prædicto peccato absolui, vbi Episcopi non habent prædictum peccatum referuatum; in foro tamen exteriori iudicabitur excommunicatus, & tenemur eum denunciare Dominis Inquisitoribus.

Idem tenet Bartholomæus Giptius in *tract. de cas. refer. c. 6. cas. 4. n. 83. & 84.* sic asserens. Et hæc sint breuiter dicta ad cognoscendum quæ sapiunt hæresim manifestam, eaque procedant in foro fori. At verò aliter proceditur in foro conscientie, in quo cum procedatur secundum intima cordis, nam si quis aliquod hæresim manifestam sapiens proferat, non sequitur ergo est hæreticus. Prudens igitur Confessarius considerabit, si teneat reuera hæreticus, nam si quodcumque manifestam hæresim sapiens fecerit, si reuera non sit hæreticus, absoluat ab hoc casu, si non est Episcopo referuatus, quidquid sit futurum coram Inquisitore, si res aliquo futuro tempore detegatur. Sic Giptius.

Et tandem hanc sententiam ex Dominicanorum familia tenet Michael Zacardus in *directorio Theologorum, p. 2 præcep. 1. c. 11.* vbi sic ait; Quando blasphemia est hæreticalis, absolutio Inquisitori referuatur. Si verò Confessor compererit blasphemum bene sentire de fide, eum absoluat. Ita Zacardus, quo nihil clarius, nam aperte docet tunc blasphemiam hæreticalem esse Inquisitoribus referuatam, quando blasphemus habet errorem intellectus; nam si bene sentiat de fide, docet à Confessario absoluendum. Vide etiam Torreblancum in *magia, lib. 4. c. 5. n. 8.* Bannez in *2. 2. D. Thom. q. 11. art. 4. §. queritur secundo, concl. 3. arg. 2. fol. mibi 658.*

Vidisti amice lector, quot patronos numero & scientia insignes habeat hæc opinio. Ex qua sequitur, quòd si aliquis, vt dictum est, tantum externe fidem negauit, vel alia sapientia manifestè hæresim commisit, potest à quocumque Confessario absolui sine auctoritate Dominorum Inquisitorum, & sine priuilegio Bullæ Cruciatæ, dummodo tale peccatum non sit Episcopo referuatum. Verum hæc opinio displicet multis, & præsertim viro doctissimo Domino Don Francisco de la Riba Vicario Eminentissimi Cardinalis ab Auria, nam putant, hoc minimè Confessarium efficere posse sine Dominorum Inquisitorum auctoritate, vel sine Bulla Cruciatæ, cum tale peccatum sit Dominis Inquisitoribus per eorum edicta referuatum.

An Confessarius hic Panormi ab Episcopo approbatus possit Panormitanum absolueri Romæ, Neapoli, vel aliis locis extra diocesium?

RESOL. CXLIV.

DE proprio Parocho, & de Religiosis, qui per approbationem æquiparantur Parocho, non dubitant Doctores; difficultas est de aliis Sacerdotibus approbatis, & negatiuè respondent Ioannes Gutierrez *99. Canon. 1. cap. 27.* cum Zerola, & Sorbo, quos citat, & sequitur Garfias de *beneficiis, tom. 1. part. 1. cap. 8. num. 132.* quia delegatus etiam Ecclesiæ Romanæ non potest ex-

tra prouinciam sibi decretam absolueri subditum ex manuum iniectio in Clericum, vt patet in *cap. penult. de officio legati;* iurisdictio enim delegatorum terminatur territorio.

Verum affirmatiua sententia mihi placet, quam communiter tuentur Doctores, vt Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 34 n. 2.* Megala in *1. part. lib. 1. c. 7. n. 25. & c. 9. n. 12.* Henriquez *lib. 6. c. 6. n. 7. & lib. 7. c. 1. n. 4.* Peirinus de *relig. subdito, tom. 1. q. 1. c. 21. §. 2.* Vega in *summ. tom. 1. c. 62. cas. 41.* Gomez in *explicit. Bull. Cruc. claus. 10. n. 8.* Suar. in *3. p. tom. 4. disp. 28. sect. 6. & 7.* Nugnus in *3. p. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 8.* Et ratio est, quia isti Confessores delegati habent iurisditionem in personas pœnitentium. Ergo non attenditur territorium, vel præsentia localis, sed tantum persona. Adde, quòd iurisdictio voluntaria potest exerce- re extra territorium à quocumque illam habente, vt patet ex *l. 2. ff. de offic. Proconf.*

Nec obstant declarationes Cardinalium, & Doctores, quos asserit Garfias etiam nouissimè in Additionibus; nam respondeo, quòd loquuntur in casu, quo, v. g. Confessarius approbatus hic Panormi, vellet absolueri extra hanc diocesium Messanensem, vel Neapolitanos. Nam quisque per approbationem habitam in vna diocesi, non potest absolueri vbique. Non autem loquuntur, quando talis Confessarius extra territorium absoluit subditos Episcopi, qui illum approbavit. Vnde Acoftam in *Bull. Cruc. q. 38.* Vgolinum de *potest. Episc. c. 7. §. 2. n. 7.* & alios. Vnde est dispar ratio inter vtrumque calum. Ad text. verò in *c. pen. de officio delegati,* respondeo, quòd loquitur, quando delegatus vult exercere iurisditionem externam in foro contentioso, quæ exerceri minimè potest extra territorium, quòd non accidit in casu nostro.

Quis absolutus fuit virtute Iubilei, quòd postea non lucratus est, queritur, an peccata oblita referuata possit postea cuicumque Confessario confiteri?

RESOL. CXLV.

PROBABILITER negatiuam sententiam docet Suarez in *3. p. tom. 4. disp. 31. sect. 4. n. 23.* At ego magis probabiliter contrarium puto cum Sanchez de *matrim. tom. 2. lib. 8. disp. 15. n. 21. & in summ. tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 45.* Portel in *ad. t. ad dubia Regul. ver. Iubilæum, num. 19.* & aliis, quia cum valida sit illa confessio, Confessarius ab omnibus peccatis, tum directè expositis, tum indirectè ex obliuione omissis absoluit; & dum Confessarius absoluit, habet, & habere debet intentionem, quamcumque referuationem à pœnitente remouendi, illum iuxta potestatis suæ extensionem absoluens, & verè hac intentione eum absolueri potest Ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter, quòd si aliquis confitetur animo lucrandi Iubilæum, & absoluitur ab excommunicatione, & peccatis referuatis, sed postea illud non lucratur, referuationem, & excommunicationem illam iterum non redire, quidquid in contrarium asserant Angles in *floribus, p. 1. de confess. q. 3. art. 5. diff. 4.* Rodriq. in *Bull. Cruciatæ, §. 2. n. 8.* & alij. Et ratio est, quia non absolutus fuit ab excommunicatione ad reincidentiam, nihil enim in diplomate Iubilæi de hoc agitur, nec absolutio à referuatis data fuit ea conditione, vt pœnitens Iubilæum lucretur, verum sine vilo alio pacto, & obligatione absolutus fuit, sicque dicendum est de votis commutatis. Et ita hanc sententiam sustinent Suarez in *3. par. tom. 4. disp. 31. sect. 4. n. 5. & tom. 5. disp. 7. sect. 5. n. 30.* Filliucius *tom. 1. tr. 8. c. 10. n. 280.* Emanuel Sà *ver. absolutio, nu. 18.* Sanch. de *matrim. lib. 8. c. 54. n. 4.* Henriq. *lib. 6. c. 16. nu. 6. & lib. 7. c. 11. n. 4.* Filliucius *tom. 1. tr. 8. c. 10. n. 281.* Vasquez in *3. p. tom. 4. q. 91. art. 7. dub. 6. n. 5.* Moltesius in *summa, tom. 1. tr. 7. c. 16. n. 19.*

Aduertant etiam Confessarij, quòd tempore Iubilæi non

non possunt absoluere à casibus referuatis ea conditione, vt pœnitens Iubilæum lucretur: nam peccatorum absolutio absoluta esse debet, imò nec à censuris sub tali conditione, nisi ex Pontificis concessione, absoluere possunt. Ita Henriquez, & Sà *ubi supra*, Sanchez *in summa loco citato*, n. 49. & alij.

Sed inquiet curiosus lector, an supradictus pœnitens absolutus a casibus & censuris, modo quo *supra*, si postea mutet voluntatem, & non lucretur Iubilæum, peccet mortaliter; aliqui affirmatiuè respondent. Ita Suarez *de Relig. tom. 2 lib. 2 c. 6. n. 11.* Coriolan. *de cas. res. p. 1. sect. 3. art. 17.* existimantes hunc grauius peccare. Mihi placet opinio negatiua, quia hic nihil promissit, neque Confessarius, nec ipsum Iubilæum vllam obligationem ei imposuit, neque ipse Pontifex; quamobrem illum Iubilæi lucrandi propositum habuisse satis est, & sententiam mutans, non peccat, eo quòd nullis promissis, pacto, aut obligationi contraueniat. Deinde tale præceptum non apparet. Itaque sine maximo fundamento pœnitenti imponi non debet. Et ita hanc sententiam docent Sanctarellus *de Iubilæo*, c. 2. dub. 4. Naldus *in summa, ver. indulgentis*, n. 4. Sanchez *in summa, to. 1. lib. 4. c. 54. n. 54.* Henriq. *lib. 6. c. 16. n. 6.* Floronus *de cas. res. p. 1. c. 6. §. 6. n. 2.* Portel *in addit. ad dubia Regul. ver. Iubilæum*, n. 20. & alij.

An post Concilium Tridentinum Parochi possint exponere ad confessiones suorum subditorum audiendas, simplicem Sacerdotem ab Episcopo non approbatum?

R E S O L. CXLVI.

Rem difficillimam explicandam aggredior, de qua cursim alibi nos aliqua diximus. Affirmatiuam sententiam docuit ex Dominicanorum familia Magister Ioannes Gallo, qui Concilio Tridentino interfuit, & Magister Ioannes Orellana, Professores publici sacre Theologiæ in Academia Salmaticensi, quos refert, & sequitur nouissimè Pet. Ledesma *in summ. tom. 1. de sac. Pœnit. c. 12. concl. 5. §. la segunda sententia*; & Ludouicus de S. Iuan. *in summa de pœnit. q. 7. art. 2. diffic. 12.* & hanc sententiam probabilem esse docet etiam nouissimè Ioan. de la Cruz *in direct. conscientia, p. 2. de sacram. Pœnit. quæst. 5. dub. 6. concl. 2.* Probatur, quia cum Parochus sit proprius Sacerdos, & Pastor suorum subditorum, habet iure diuino potestatem delegandi Confessores pro suis subditis, imò & iure Ecclesiastico antiquo, vt patet *in cap. omnis vtriusque sexus*, & quia hæc potestas non est ablata per decretum Conc. Trident. *sess. 23. de refor. c. 15.* quod solum intendit abrogare priuilegia Bullæ, & consuetudines audiendi confessiones, sine approbatione Episcopi, etiam immemorabiles; quòd autem Parochus possit delegare Confessores pro suis subditis, non habetur ex priuilegio aliquo, sed ex iure diuino, aut Ecclesiastico antiquo. Et sic quando dicitur in Concilio, Nullus audiat confessiones, &c. nisi sit Parochus, &c. statim reuocantur priuilegia, & consuetudines immemorabiles in contrarium. Vide etiam omnino Ledesmam, qui textum Concilij minutatim exponit, & probat non tollere iurisdictionem Parochis.

Verum ego hanc sententiam probabilem iudicarem, nisi obstaret in contrarium declaratio DD. Card. Concilij interpretum, quam affert, & sequitur Petrus Fay *in addit. ad 3. par. q. 8. art. 5. disp. 1.* quæ declaratio, vt ipse ait, conformis est valde textui Concilij, quòd præcisè, & priuatiuè duos tantum ponit titulos excipiendi confessiones secularium, & Sacerdotum expositionem; scilicet approbationem Episcopi, & beneficium parochiale, ergo qui neutrum habuerit, confessionem audire non poterit. Voluit ergo Concilium auferre abusum plurimorum Parochorum, qui vt commodius se otio darent, exponerent quoscumque etiam inidoneos, imò plerique illo-

rum non ita vigeabant prudentia, quæ ad debitum tam graue debite peragendum requiritur; iudicauitque id referuandum Episcopis, in quibus regulariter maior est prudentia, & circumspectio. Et ita hanc sententiam docent etiam nouissimè Villalobos *in summa tom. 1. tract. 9. diffic. 49. n. 9.* Sancius *in select. disp. 48. n. 51.* Regis *in resolut. cas. 61. n. 2.* & Fagundez *præcept. 2. lib. 7. n. 42.* qui alias adducunt rationes, quas tu apud illos videbis.

Notandum est tamen hîc, Parochum posse exponere alium Parochum ad confessiones audiendas in sua parochia. Et ita Parochi per Bullam, Iubilæum, &c. sunt eligibiles per totum mundum ad confessiones audiendas, sine approbatione Episcopi: vide Fagundez *præcept. 2. lib. 7. c. 2. n. 35.* Filliucium *tom. 1. tr. 7. n. 257.* Suarez *tom. 4. disp. 28. sect. 4.* Toletum *lib. 3. c. 13. n. 6.* licet contrarium afferat P. Leone *tract. de offic. & potest. Confessor. tom. 2. recoll. 4. n. 79.* Sed tu tene nostram sententiam.

Quis die Sabbati accessit ad confitendum, sed ob angustiam temporis Confessarius distulit confessionem post transactum Iubilæum, queritur an possit absolui à casibus referuatis, post tempus elapsi Iubilæi commissis?

R E S O L. CXLVII.

IN tali casu Confessarius pœnitentem à censuris absoluat, & referuationem casuum, & votorum tollat; absolute verò à peccatis differat, & postea elapso illo Iubilæi spatio, confessionem peccatorum audiat, & pœnitentem absoluat, & vota commutet; cum illa peccata, & vota præterita amplius non sint referuata. Ita Henriquez *lib. 7. c. 11. n. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 15. n. 17.* Emanuel Sà *ver. Indulgentia*, n. 14. & alij.

Difficultas est, si talis post elapsum tempus Iubilæi in nouos casus referuatos incidit, an poterit absolui; hunc casum non apud multos inuenies; amicissimus Sanctarellus *de Iubilæo*, c. 8. dub. 7. & Alphonfus Leone *de Iubilæo*, p. 2. q. 16. n. 189. negatiuam sententiam docent, sed contrariam etiam probabilem esse puto, quam nouissimè tuetur noster Siculus Bartholomæus à Sancto Fausto, vir quidem doctus *tr. de Iubilæo lib. 4. q. 133.* quia per illam dilationem intendit Pontifex inducere pœnitentes ad lucrandum Iubilæum. Sed qui de consensu Confessarij confessionem distulit, & in casus, & censuras referuatas incidit, Iubilæum non potest lucrari, quin prius ab illis absoluat; ergo donec Iubilæum consequatur, Confessarius electus habet potestatem illum à casibus, & censuris referuatis absoluendi, ac si tempus Iubilæi non esset elapsum; alioquin dicendum esset, illum, qui Confessario obtemperauit, deterioris esse conditionis, quàm alios. Et cum Iubilæum sit Principis beneficium nulli præiudiciale, sine aliquo textu, & valida ratione non est restringendum; hæc Faustus probabiliter quidem, vt ipse Sanctarellus, & Leo *ubi supra*, fatentur.

An si quis suscipiat sacram Eucharistiam in peccato mortali, vel faciat confessionem sacrilegam, lucretur postea Iubilæum, si in vltima Iubilæi periodo per actum contritionis sit in gratia?

R E S O L. CXLVIII.

Negatiuam sententiam docet Sanctarellus *tract. de Iubilæo c. 7. dub. 2.* & Petrus Prost *in spicilegio Theol. de Iubilæo c. 7. dub. 2.* Zanardus *in direct. confess. part. 1. de sacram. Pœnit. cap. 21. quæst. 28.* Alphonfus de Leone *tract. de Iubilæo part. 2. sect. 5. n. 168.* & alij, quia Summus Pontifex confessionem validam, & communionem ritè factam exigit.

At ego opinionem contrariam non minus probabilem esse

esse puto, quam tuentur Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. c. 7. §. 8. n. 1.* Henriquez *lib. 7. cap. 9. n. 5.* & nouissimè Bartholomæus à Sancto Fausto de *Iubileo, lib. 4. q. 46.* quia non est necessarium (ait ille) vt quis sit in statu gratiæ toto tempore, quo singula opera facit, sed sufficit, vt in vltimo instanti, in quo vltimum opus perficitur, sit in gratia. Dicendum est igitur, quòd si in die Dominico in ipso Iubilæi termino in gratiam cum Deo talis rediret, obtineret quidem Iubilæum, non obstante, quòd confessio fuerit inualida, & communio in peccato mortali facta. Igitur viraque opinio est probabilis.

An Confessarius virtute Iubilæi possit absoluerè à casibus Episcopo reseruatis?

RESOL. CXLIX.

Negatiuam sententiam docet Bonacina *de cens. disp. 1. q. 3. art. 15. n. 10.* Coriolanus *de cas. refer. p. 1. sent. 3. art. 15. n. 7.* & alij. Ratio est, quia Clemens VIII. in Bulla quadam decreuit, ne vllus pretextu cuiuscunque priuilegij absoluat à casibus reseruatis Episcopo.

Sed hæc opinio refellenda est, & ideo meritò contrariam amplectuntur Zanardus *in direct. part. 1. de sacram. Pœnit. c. 2. q. 34.* Floronus *de cas. refer. p. 1. cap. 4. §. 8. nu. 7.* Henriq. *lib. 3. c. 14. n. 9.* Vgolinus *de casibus, tab. 1. c. 10. §. 4.* Valquez *in 3. part. tom. 4. q. 92. dub. 10. n. 6.* Reginald. *tom. 1. lib. 8. c. 5. sect. 1. n. 57.* Graffius *p. 1. lib. 4. c. 15. n. 28.* Suarez *de cens. disp. 7. sect. 5. n. 10.* & alij; quia cum in Iubilæis conferratur expressè absolutio à casibus reseruatis Pontifici, à fortiori censetur concessa facultas absoluendi à censuris, & casibus Episcopalibus. Et hanc opinionem aliqui, & optimè quidem, extendunt ad casus, & censuras reseruatas ab Episcopo, etiam post Iubilæi publicationem.

Quis consequutus est Iubileum, non tamen est confessus, quia peccati mortalis sibi conscius non erat, queritur an transacto Iubileo, à peccatis reseruatis ante illud commissis, & oblitis absolui possit?

RESOL. CL.

Negatiuè respondeo, quia non fuit vllò modo ablata reseruatio, cum nulla absolutio peccatorum data fuerit; non enim Iubilæum tollit iplo facto reseruationem, sed tantum confert facultatem Cōfessario electo illam auferendi media absoluteione, quæ in casu nostro non est data. Ergo, &c. & ita docet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 15. n. 21.* Henriquez *lib. 6. c. 16. n. 6.* Suarez *tom. 4. disp. 31. sect. 4. n. 9. & 24.* Floronus *de cas. refer. par. 1. c. 6. §. 6. num. 3.* Portel *in addit. ad dubia Reg. ver. Iubilæum, n. 19.* & alij.

Verum opinionem contrariam tenet amicissimus, & doctus Sanctarellus *de Iubileo cap. 13. dub. 2.* quia in rigore loquendo, cum ad Iubilæum obtinendum confessio præcipitur, is qui nullius peccati mortalis conscius est, ad confitenda peccata venialia non tenetur, licet vnicuique operæ præmium esset, præsertim tunc temporis, de peccatis venialibus confiteri. Verum cum præfatus, quidquid ad Iubilæum erat necessarium, perfecit, iam Iubilæum lucratus est, & priuilegium, vt ab omnibus casibus reseruatis absoluat, atque in votis reseruatis dispensetur, sibi vendicauit, quia confessio à tali homine non requiritur, & cum priuilegium à prædictis casibus, & votis absoluendi ad tempus Iubilæi non restringatur, pœnitens etiam elapso Iubileo, priuilegio sibi parto gaudere potest.

Ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Nam dicendum est illa peccata esse adhuc reseruata, quia neque directè, neque indirectè absoluta fuerunt, sed quia talis fecit omnia opera necessaria ad lu-

erandum Iubilæum, & de facto illud lucratus est, ideo obtinuit priuilegium, vt à casibus reseruatis absoluat, quod priuilegium ad tempus Iubilæi restringendum esse negamus, & ideo illo transacto potest à quocunque Confessario virtute illius priuilegij, & conlequutione Iubilæi obtenti absoluteionem à peccatis reseruatis obtinere, sicuti ex opinione ipsius Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 40.* & aliorum, Confessarius potest vota commutare, tametsi pœnitens Iubilæi tempore votum fecerit, & noluerit petere dispensationem: quia cum præfatus omnia ad Iubilæum consequendum requisita præstiterit, iam priuilegium vt sibi vota ante Iubilæum emissa secum dispensari possit, acquisiuit, quod priuilegium ad Iubilæi tempus non est limitatum; quæ propter transacto prædicto tempore, parto priuilegio vti posse omnino dicendum est. Sed hoc accidit in casu nostro. Ergo, &c.

Itaque opinio Sanctarellij est probabilis; licet contrariam nouissimè teneat Faustus *de Iubileo lib. 4. q. 134.* sed cum Sanctarello consentit Alphonsus de Leone *tract. de Iubileo part. 2. q. 17. n. 197.* vbi etiam notat cum Zanardo *in direct. confess. par. 3. de sacram. Pœnit. c. 2. quest. 20.* quòd si aliquis tempore Iubilæi non habuit copiam Confessarij, & contritus sacram Eucharistiam sumpsit, & omnia pro lucrando Iubileo perfecit, potest absolui à reseruatis transacto tempore Iubilæi; quia cum Iubilæum adeptus sit, obtinuit iam priuilegium, vt absolui possit à reseruatis.

Notandum est etiam hæc à fortiori, quòd quando quis in confessione Iubilæi non manifestauit peccatum reseruatum, ne, v.g. manifestaret complicem, vel ex alia iusta causa, postea transacto Iubileo potest de tali peccato à quocunque Confessario absoluteionem obtinere; quia in tali casu peccatum illud habetur, vnde indirectè fuit illius reseruatio ablata, & ita docent Homobonus *in exam. Eccles. part. 1. tract. 5. c. 6. q. 38.* & alij.

Quis lucratus est Iubileum Messanae, postea negotiandi causa Panormum venit, vbi Iubileum celebratur, queritur an possit illud lucrari, & Confessarius à peccatis reseruatis de nouo incurfis illum possit absoluerè?

RESOL. CLI.

Hic casus frequenter potest accidere, & non ita facile apud authores inuenies. Noster Pater Alphonsus Leone *in tract. de Iubileo par. 2. q. 17. n. 196.* affirmatiuam sententiam docet, & potest probari hæc opinio; quia multi asserunt posse duabus hebdomadibus lucrari Iubilæum ab eodem, vt docent Floronus *de cas. refer. part. 1. c. 6. §. 5. num. 2.* Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 8. c. 5. sect. 2. n. 64.* Henriquez *lib. 6. c. 16. n. 3.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 7. §. 8. n. 4.* Zanardus *in direct. Confess. p. 1. de sacram. Pœnit. c. 21. qu. 30.* Naldus *in summa, ver. indulgentia, n. 4.* & alij penes ipsos. Ergo, &c.

Non reticebo tamen Filliucium *tom. 1. tract. 8. cap. 10. n. 278.* adnotare Clementem VIII. rogatum respondisse semel tantum sumi posse Iubilæum, tam in anno Sancto, quam in aliis. Et ita respondisse sacram Cardinalium Congregationem, de hoc interrogatam testatur idem Filliucius *n. 261.* quod antea docuerant multi Doctores, vt Sanch. *in summa, tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 30.* Suar. *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. nu. 17.* Portel *in addit. ad dubia Reg. ver. Iubilæum, n. 10.* Benzonijs *de Iubileo lib. 5. c. 15. dub. 23.*

Verum certum est, quòd si quispiam dum in patria versabatur, Iubilæum lucrari neglexerit, elapsis verò duabus hebdomadibus alio pergat, vbi Iubilæum durat, illud, omnia requisita in Bulla exequendo & adimplendo, consequi poterit. Ita Sanctarellus *de Iubileo, cap. 7. dub. 1.* Vgolinus *de potest. Episc. c. 4. §. 4. n. 5.*

Notandum est etiam hic obiter, quòd qui tempore,

quo fuit publicatum Iubilæum in sua patria, ex aliqua ignorantia inuincibili non habuit notitiam illius, poterit illo tempore transacto lucrari inter duas hebdomadas à die notitiæ. Ita Bottenus in observationibus Iubilæi Sixti V. fol. 131. & alij. Et idem dicendum est de illo, qui feria sexta, vel Sabbato habuit notitiam de Iubilæo, vel cum isto Confessarius commutet in alia opera ieiunia prætermittit & illum absoluat, & communionem sumere faciat in illa hebdomada non transacta.

Quis noluit lucrari Iubilæum, & in secunda hebdomada die Sabbati à Deo inspiratus mutat propositum, queritur an possit absolui à reſeruat. s. & lucrari Iubilæum?

R E S O L. CLII.

Respondeo affirmatiuè, dummodo commutentur ieiunia in communionem, nam eleemosynam, visitationem, & orationem, potest facere die Dominico. Ratio est, quia iam tempore debito confitetur, non enim obligatus erat confiteri ante Sabbatum, nam poterat manè die Dominico, & in tali casu cum ipso proceditur, ac si fuisset impotens ad ieiunium. Et ita docent Lauorius de Iubilæo, part. 1. c. 21. n. 53. & Sanctarellus de Iubilæo cap. 7. dub. 1. licet penes ipsum Pinellus, & Sanchez contrarium teneant.

Sed queret quis hinc obiter, an si aliquis omnia opera iniuncta pro consequendo Iubilæo fecisset, & manè die Dominico vellet confiteri, & sacram Eucharistiam sumere, sed inaduerter, & incuria aliquid cibi deglutit, vel bibit, an hoc non obstante, possit lucrari Iubilæum, & à reſeruat. s. absolui? Respondeo affirmatiuè, nam in tali casu Confessarius potest communionem, quam tenebatur facere, in aliud opus pium commutare, & ita docet Sanctarellus de Iubilæo c. 7. dub. 1. Graffius in appen. lib. 2. c. 5. n. 50. & Henricus lib. 7. c. 10. n. 8. in fine.

Quis ieiunauit, & visitauit Ecclesias in prima hebdomada Iubilæi, postea in secunda die Dominica vult confiteri, & communionem sumere; queritur, an ita lucretur Iubilæum, & Confessarius possit illum à peccatis, & censuris reſeruat. s. absolue?

R E S O L. CLIII.

Respondi affirmatiuam sententiam probabilem esse, & ita illam vocant Molfesius in summa, to. 1. tract. 7. c. 16. n. 49. & 50. Bonacina de Sacram. disp. 6. q. 1. pun. 5. n. 34. & Naldus in summa, verb. Indulgentia, n. 14. asserit ita respondisse Patres Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ in Iubilæo anno 1620. licet contrariam sententiam doceat Lauorius de Iubilæo, part. 1. c. 21. n. 52. Henriquez lib. 7. c. 11. n. 2. Nugnus in 3. part. tom. 2. q. 27. art. 3. dub. 5. Vgolinus de potest. Episc. c. 41. §. 4. n. 5. Fernandez in exam. Theol. mor. par. 3. c. 7. §. 8. n. 5. & alij. asserentes omnia opera iniuncta in Iubilæo esse explenda physicè infra hebdomadam vnam. Verùm, vt dixi, affirmatiua opinio est probabilis, quam præter DD. citatos docuisse nonnullos Patres Societ. Iesu testatur Bonacina ubi supra, qui pro confirmatione talis sententiæ multas adducit rationes, lege illum, & non pigebit.

Certum tamen est, quòd si opinio negatiua esset vera, licet præfatus non lucraretur Indulgentias, attamen eius confessio peccatorum reſeruatorum esset valida, quia probabilis opinio, (vt alibi dictum est) confert iurisdictionem, & hoc valde notandum est; nam plures opiniones inuenientur, quæ negant consequi Iubilæum, & tamen si aliquis affirmatiuam sententiam probabilem sequi vellet, si à parte rei non esset vera, licet indulgentiam

non consequeretur validè (hoc non obstante) à censuris, & casibus reſeruat. s. absolueretur, & idem dicendum est de votorum commutatione.

Quæro tamen hic obiter, an qui compleuit intra hebdomadam omnia opera in Iubilæo iniuncta, ita vt vltimum opus sit ieiunium Sabbati, si iterum manè in die Dominica incidat in casum reſeruat. s. possit ab illo virtute Iubilæi absolutionem obtinere? Ratio dubitandi est, quia finistalis gratiæ est obtinendi Iubilæum, quod cum iam sit obtentum, non potest quis amplius frui dicta gratia. At hoc non obstante Pater Alphonsus de Leone in tr. de Iubilæo, p. 2. sect. 5. n. 170. affirmatiuam sententiam docet, quia cum sit infra eandem hebdomadam, potest variare, & tutius procedendo iterum confiteri, & communicare, & postea facere eleemosynam, aut visitare Ecclesias, sua destinatione id faciendo pro vltimo opere Iubilæi; quam cautelam vidi consultam à viris doctis, etiam eis, qui post communionem Dominica incurerunt in reſeruat. s. nemini enim prohibetur pluries idem opus repetere pro eodem fine intra terminum concessum. Hæc omnia Leo, licet contrariam sententiam doceat Sanctar. de Iubilæo, c. 8. dub. 6.

An quicumque Confessarius ab Ordinario a probatus possit tempore Iubilæi absolue Moniales à peccatis, vel à casibus, & censuris reſeruat. s.?

R E S O L. CLIV.

Affirmatiuam sententiam docet Bonac. de Sacram. ad sp. 5. q. 7. pun. 4. §. 1. r. 22. in fine, sed aduersus illum insurgit Faultus de Iubilæo, lib. 4. q. 78. & Alphonsus de Leone etiam de Iubilæo, p. 2. q. 9. n. 25. quia Confessariis prohibitus est accessus ad monasteria Monialium, & ideo Romanus Pontifex non intendit dare iurisdictionem illis Sacerdotibus, qui habent aliquod impedimentum. Hinc in praxi rationabiliter seruatur pro bono regimine Monialium, quod dum virtute Iubilæi habent Moniales facultatem eligendi sibi Confessarium tenentur designare Confessarium Ordinario ipsarum. Et solent Abbatissæ congregare Moniales, & ab eis habere votum, quònam Confessarios gratos habeant, & sic nominant tres, quatuor, vel plures, quorum nomina mittunt ad eorum Ordinarium, vt ab eo omnes, vel prout ei libuerit, approbentur, & impertiatur eis licentiam accedendi ad monasteria. Sic enim Ordinarij sciunt personas accedere volentes ad monasteria, ne sub prætextu earundem licentiarum, accedant ad vana colloquia facienda, & non ad audiendas confessiones Monialium, cum omnis confessio intelligatur facta in ædificationem, non autem in destructionem Regularis obseruantia. Et hæc omnia notat, & docet noster Molfesius in summa, tom. 1. tr. 7. c. 16. n. 31. & post illum Ioannes Suarez in enchiridio casuum conscientia lib. 5. ver. Indulgentia, §. tempore Iubilæi.

An quando adest periculum obliuiscendi multa peccata, teneatur quis iure diuino confiteri, etiam ante annum?

R E S O L. CLV.

Affirmatiuè respondent Medina Complutensis C. de Pœnit. tract. 2. q. 14. §. 2. sub fine, & ex Neotericis Didacus Nugnus in 3. part. tom. 2. qu. 6. art. 5. diff. 1. concl. 4. quia iure naturæ tenemur ad faciendam integram confessionem; ergo quoties ex dilatione oritur periculum obliuiscendi peccata, toties tenemur confiteri, vnde sequitur multos, qui tantum confitentur semel in anno, violare hoc præceptum: atque adeo sunt etiam in hac parte examinandi à Confessario, vt accusent se de tali violatione, saltem ad cautelam. Ita Nugnus.

Sed hæc opinio non est tenenda, & illam repellunt Turrianus *de pœnit.* 9. 6. art. 2. disp. 19. dub. 4. Villalobos *in summa tom. 1. tract. 9. diff. 27. n. 7.* Coninch *de Sacram. disp. 5. dub. 2. n. 3.* Henriquez *lib. 4. c. 4. n. 8.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. concl. 7.* Filliucius *tom. 1. str. 7. c. 2. n. 36.* & alij, quia sic etiam infra annum sæpe homo obligaretur confiteri, nam regulariter non potest homo recordari peccatorum vnus anni. Cum autem Ecclesia determinat obligationem iuris diuini, si hoc sapius requireret, malè Ecclesia fecisset, quod dici non potest. E contra, si quis peccata scriberet, ne traderet obliuioni, posset differre vique ad mortem, quod est absurdum. Ergo, &c.

Restat modò respondere ad argumentum Nugni. Dico igitur nos teneri integrè omnia peccata nostra mortalia confiteri, quorum, dum confitemur, recordamur, & moralem diligentiam adhibere, vt possimus priùs ea omnia in memoriam reuocare; non tenemur tamen extraordinariam aliquam diligentiam adhibere, ne ea obliuiscamur, alioquin quando nollemus, aut etiam non possemus ea statim confiteri, teneremur ea statim scripto annotare, imò quicumque multa peccata fecissent, tenerentur ea priùs scripto mandare, & ex charta confiteri, qui alias exponunt se alicui periculo, ne aliqua per obliuionem omittant. At hæc omnia sunt absurda. Ergo, &c.

An Parochus qui residet in sua parochia, sed non per se ipsum, sed per alios administrat Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, &c. peccet mortaliter, & teneatur fructus restituere?

R E S O L. CLVI.

Lege cum attentione hanc resolutionem, ô Parochus, & caue ne in hora mortis illa te tangat. Dico igitur, quòd Parochus non dicitur verè & iuxta mentem Concilij Tridentini *sess. 7. c. 3. & sess. 23. c. 1.* residere ob solam habitationem in loco beneficij; nam residere cum effectu accipiendum est; nempè officium suum personaliter exercere, & non solum in sua parochia esse præsentem, & cætera substituto suo committendo. Debent igitur Parochi illis Sacramentis ministrandis opem dare, quæ ex æquitate ministrari ab eis possint, non tamen tenentur noctu administrare, nisi nominatim & instanter desiderentur. Et ita communiter docent Doctores, & inter illos præcipuè Ioannes Sancius, qui omnino à Parochis videndus est *in selectis, disp. 47. per tot.* vide etiam Valq. *opusc. de Pontificiis, c. 4. §. 2. dub. in fine, & art. 2. num. 181.* Emanuele Sa *ver. residentia. n.* Vgolinum *vbi infra n. 2.* & alios, quos citat Sancius *loco citato.*

Sed difficultas est, an Parochus, qui per seipsum Sacramenta non administrat, sed per substitutos, non solum peccet mortaliter, vt dictum est, sed etiam teneatur ad restitutionem fructuum. Negatiuè respondet Garfias *de beneficiis tom. 1. part. 3. c. 2. num. 53.* vbi sic asserit Parochus qui residet in Parochiali, non tamen per se exercet, & administrat Sacramenta, non videtur teneri ad restitutionem fructuum; nam Concilium solum ponit hanc pœnam amissionis fructuum contra absentes, & non residentes; iste verò non potest dici abesse, & non residere, quamuis officium suum non exercent, & pœnæ non sunt extendendæ, maximè impositæ ipso iure, sicut etiam qui malè facit suum officium, Parochus, seu Episcopus, non ideo amittit fructus ipso iure. Ita Garfias.

Sed aduersus illum insurgit Ioannes Sancius *vbi supra in selectis, disp. 47. num. 4.* ita ait. Censeo fructus nequaquam acquiri Parocho, non ministranti, quantumuis materialiter residenti. Si enim non residere pro eodem accipit Concilium, quod non seruire, & pœna sit imposita non residenti, fit ad restitutionem fructuum teneri Parochum, si non ministret; sed quanam ratione præsens, & quisnam magis absens se habet his Parochianis? Imò nihil prodest Parochi præsentia ministerio destituta, cum potius offendat, vt rectè notauit Sotus *de iust. lib. 10. Anton. Diana Ref. Mor. Pars. I I I.*

quest. 3. art. 1. Graffius tom. 1. consiliorum lib. 3. conf. unico, de Clericis non resident. num. 7. & idem est inutiliter adesse, quod abesse, nec amissio fructuum non ministrantis, vel non residentis, vt vult Garfias (apud nos tamen idem reputatur) pro pœna debet haberi, quæ cum ad ipsius executionem sententia iudicis minimè sit requisita, potius non lucratio dicitur, vt constat ex illis verbis Concilij *sess. 23. cap. 1. Pro rata temporis absentia fructus suos non facere, &c.* vsque ad illa verba, *non obstantibus quibuscunque privilegiis, &c.* Cum igitur beneficia dentur propter officium, vt *in c. cum secundum Apostolum, de presbyt. & c. fin. de rescript. in 6.* non acquirere illius fructus haud seruientem, pœna nullo modo est, sed conditio, vt ait Graffius *lib. 2. c. 97. n. 56.* & Rodriquez *tom. 2. 99. Reg. 9. 44. art. 4.* seu conuentionis naturalis adimpletio, non accipiendi sibi neuriquam debitum, sicut operarius sui vicini colens vineam, & ob id stipendium, quod abest, non recipiens pœnam, minimè incurrisse dicitur: labefactata igitur est prima ratio Garfias.

Secundam verò æqualis momenti iudico, ait enim, quòd sicut Parochus malè suum munus administrans, fructus efficeret suos; ita, & nullo modo ministrans, residens tamen. Equidem si malè ministrat, sibi, & non Parochianis damnum dat, mentem enim Concilij quoad substantiam exequitur, sicut & Ecclesiæ, Missam audiens ob vanam gloriam. At non administrans, Concilio aduersatur, nam Parochianos suo iure defraudat. Vnde iustitiam commutatiuam læsam esse dubitabit nemo, cum reciperet beneficium, non quidem propter officium, sed propter propriam suam temporalem vtilitatem, & lucrum. Et esto, admittamus cum Garfia ex præcepto proveniente ex Concilio solum teneri Parochum se rigorosè, & corporaliter absentantem à loco beneficij restituere fructus, & ex iure naturali restituere tenebitur, si non ministret, licèt in loco beneficij maneat, cum beneficium, & illius fructus dentur propter officium ex pacto, & conuentione; qui igitur officium non adimplet, fructibus, & mercede indignus est. Cum enim ibi reperitur contractus, do, vt des, inter Parochum, & Parochianos, seu inter Episcopum conferentes beneficium, & beneficiatum, id est, do fructus, vt facias ministeria beneficij, iure ipso contractus fructus neuriquam suos efficit Parochus, si munia non adimpleat. Vnde licèt solum se corporaliter à loco beneficij absentibus obligationem restitutionis iniungat Concilium, non est, quia non putet eandem incurere obligationem neuriquam inferuientes, licèt præsentis sint in loco beneficij, sed quia non præsumit mansurum Parochum in loco beneficij, & non administraturum.

Hæc omnia transcripsi ad verbum ex Sancio, vt torporem à Parochis negligentibus excutiam. Non reticeam tamen sententiam Garfias contra Sancium docere etiam Vgolinum *de pœnit. Episc. cap. 15. §. 3. num. 3.* sed cum Sancio tenet Graffius, Corduba, Astensis, Hostiensis, Syluester penes ipsum, quibus adde Petrum de Aragona *in 2. 2. quest. 63. art. 2. §. sed pro explicatione huius difficultatis,* & Ludouicum de San Iuan *in summa tract. de officio diuino, art. 13.*

Notandum est hîc obiter, quòd habitatio Parochi, vt declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, debet esse prope Parochiam, quæ quidem dictio refertur ad modicam quantitatem, Vide Riccium *part. 4. decis. 41. per totam.*

Quis in die ieiunij sapius comedit carnes, & lactinia, queritur an distincta peccata commiserit: & in confessione aperienda?

R E S O L. CLVII.

Respondeo affirmatiuè, & ita docet Coninch *de Sacram. disp. 7. dub. 5. num. 42.* vbi sic ait. In Quadragesima comedere sapius per diem, & comedere carnes,

& comedere una, sunt singula particulariter & distinctis præceptis prohibita, unde singula habent distinctam prohibitionem Ecclesiæ, eiusque fini repugnantiam, quod inde patet, quod vnum saepe sine altero permittatur, & consequenter continent distinctam malitiam in confessione explicandam. Ita ille.

Notandum est tamen hic obiter, quod qui vouit aliquo die ieiunare, non toties peccat, quoties in illo die carnes comedit, & ita aduersus Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 7. n. 12. docet nouissimè Paulus Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 4. c. 3. n. 3. sed ego de hac questione alibi etiam egi in tract. de ieiunio, ref. 45.

An si Episcopus reseruando absolutionem alicuius excommunicationis Summo Pontifici, possit hoc non obstante Metropolitanus in casibus sibi permissis eam elargiri?

RESOL. CLVIII.

Negatiuè respondet Campanili in diuer. iur. Can. rub. 11. c. 15. n. 132. putat enim per hanc reseruacionem cæteri abdicatam potestatem absoluendi etiam Metropolitanus, ita quod in casibus in iure permissis non valeat absoluere, stante tali reseruacione facta per Ordinarium.

Sed contrariam sententiam tenendam esse existimo, quia licet reseruatio facta per ordinarium Papæ, tollat ipso iure potestatem absoluendi vigore renunciationis factæ, tamen hoc non potest præiudicare Metropolitanus, licet quis possit renunciare favori suo, non tamen in alterius præiudicium. Et sic primò vasallus non potest in præiudicium domini absque eius consensu alterius iurisdictioni consentire. Secundò Clerici non possunt renunciare eorum priuilegio. Tertio, pater non potest renunciare donationi inofficiosa. Quarto, iuramentum non firmat contractum in præiudicium tertij. Et tandem etiam clausula *motu proprio*, non operatur in tertij præiudicium, nec ius in re acquisitum alteri adimit. Et ideo (ne in aliena vinea arare videar) hanc sententiam, & omnia supradicta docet doctus Iurisconsultus Ioan. Maria Nouarius in 99. forensibus p. 1. q. 66. per totam.

An in peccato sodomia teneatur quis exprimere in confessione, an fuerit agens, vel patiens; vel gradus cognationis carnalis?

RESOL. CLIX.

Resolutionem horum dubiorum apud paucos inuenies, quæ tamen, sicut Deus, vt sapius in praxi non occurrant. Et ad primum negatiuè respondet noster Pater Alphonsus de Leone in tract. de officio, & potestate Confessarij, p. 1. recollect. 9. n. 216. & 218. vbi sic ait. Ego dicere, saluo meliori iudicio, non esse necessariò exprimendum an fuerit agens, vel patiens, quia tale peccatum est eiusdem speciei, & ideo quia magis graue est peccatum agentis, quam patientis, ideoque maiori pœna punitur, non autem sequitur esse diuersæ speciei, cum magis, & minus non variant speciem. Ita ille. Si quis ergo vercundiam haberet confitendi, se in actu sodomitico fuisse patientem, sufficit vt dicat, Toties sodomiam exercui.

Ad secundum dubium supradictus auctor *ibid.* n. 224, etiam negatiuè respondet, docet enim copulam sodomiticam inter cognatos mutare speciem, quando illi inuicem sunt tales in linea recta; in linea verò transuersali, circumstantiam aggrauantem; non esse tamen in vtroque casu gradum cognationis carnalis exprimendum, quia in incestu probabile est nullum gradum mutare speciem, & in tali copula non commiscetur caro, nec contrahitur affinitas; sed de hoc dubio etiam alibi à nobis actum est.

Notandum est etiam hic obiter cum Filiucio tom. 2.

tract. 30. c. 7. n. 131. & aliis, probabile esse quod peccata omnia contra naturam sint vnus speciei infimæ, & non subalternæ; licet contraria opinio sit magis probabilis.

Utrum Parochus, v.g. Messanensis, possit ex licentia Parochi Panormitani confessionem Panormitanorum in eius parochia recipere absque approbatione Archiepiscopi Panormitani?

RESOL. CLX.

Negatiuam sententiam docet Beia part. 1. cas. 16. & nouissimè Alphonsus Regius in suis resolutionibus, cas. 61. n. 9. qui citat Gutierrez, Toletum, & Rodriquez. Ratio est, quia Curatus extra suam parochiam & diocesim censetur persona priuata, & nihil amplius habere videtur, quam simplex Sacerdos; ergo quamuis per beneficium parochiale iudicetur idoneus in sua diocesi, tamen extra illam tale beneficium nihil ei suffragatur quoad confessiones alienarum ouium audiendas, sicuti neque alteri Sacerdoti approbato à suo Episcopo: & ideo Concilium Tridentinum æquiparat beneficium parochiale approbationi Episcopi; asserit enim quemlibet illorum modorum esse per se sufficientem, & alterutrum esse necessarium, sed approbatus in vno Episcopatu non est vbiq; approbatus, seu idoneus, nec is qui beneficium habet parochiale. Ita Regius *vbi supra*.

Sed contrariam sententiam docet Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 4. n. 18. & seq. cum Vasquez in 3. p. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 4. n. 2. vbi sic asserit. Existimo ex Concilio Tridentino apertè reputari idoneum ipso iure, quicumque parochiale habet beneficium, vt non tantum in sua diocesi, sed in alia audire possit confessiones, iurisdictione tamen sibi commissa, quam tamen iure ipso habet solum in sua parochia, nec indiget extra suam diocesim approbatione Episcopi illius diocesis, vt censetur idoneus, sed commissa sibi iurisdictione ab eo, qui potest, vt à proprio Parocho existenti in alia diocesi, potest ille quemcumque absoluere, quia iam iure ipso idoneus sine alia Episcopi cuiuscumque approbatione reputatur, sic enim ex Concilio, vt duo diuersa, vnde aliquis censetur idoneus, ponuntur; alterum habere parochiale beneficium, alterum approbatum esse ab Episcopo. Ita Vasquez, satis quidem probabiliter, vnde contra Regium *vbi supra*, n. 12. qui sequitur hanc opinionem, non se exponit periculo efficiendi irritum valorem Sacramenti; nam, vt alibi probatum est, qui cum opinione probabili administrat Sacramentum, quoad suam iurisdictionem semper illud conficit, nam Ecclesia in casu ratione opinionis probabilis confert illi iurisdictionem.

An in iactantia de peccato mortali sit in confessione explicanda species peccati, & circumstantia?

RESOL. CLXI.

Percussit quis, v.g. clericum, & de hoc postea iactatur; queritur an sit confitenda circumstantia clericatus, vel si quis iactauit se de peccato cum coniugata, teneatur fateri circumstantiam coniugij, sed an sufficiat se accusare toties se iactasse de peccato mortali; fatendam esse in tali casu speciem ac circumstantiam peccati tenet Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. c. 3. n. 13. vbi citat Lopez, & Rodriquez; sed isti loquuntur, quando iactans complacet se de illo peccato, & tunc non est dubium esse fatendam speciem, & circumstantiam peccati.

Igitur magis probabiliter contra Sanchez puto cum Nauarro penes ipsum, in tali casu sufficere, si pœnitens se accuset de peccato iactantiæ in re mortaliter peccaminosa. Et ratio est, quia deformitas mortalis in hoc peccato iactantiæ, sumitur ex eo quod tanquam medium ad humanam gloriam comparandam assumitur offensæ rei mortalis, sed hæc ratio offensæ mortalis eiusdem rationis est

est in omnibus mortalibus; quod verò sit hoc, vel illud peccatum mortale, materialiter se habet. Ergo, &c. Et ideo, vt alibi firmauimus, licet verba contumeliosa sint diuersæ speciei, eo quòd per illa obiciantur proximo defectus speciei diuersæ, non tamen sunt peccata mortalia contumeliæ specie distincta; quia in tantum contumelia est peccatum mortale, in quantum assumitur, vt instrumentum, seu medium ad honorem proximi lædendum; quòd vetò sint hæc, vel illa verba contumeliosa, materialiter se habet.

An sit peccatum necessariò in confessione explicandum, si quis fecit aliquid contra conscientiam dictantem illud confuse, vt peccatum, non determinata materia particulari, nec vnde possit deduci, an sit mortale, vel veniale?

RESOL. CLXII.

Affirmatiuè respondent Vasquez in part. 2. disput. 59^a c. 3. n. 10. Azorius tom. 1. lib. 2. c. 8. q. 6. Clauis Regia lib. 1. c. 4. n. 17. Reginaldus tom. 1. lib. 11. c. 32. & alij. Nam operari cum tali conscientia, est peccatum mortale, qui enim ita operatur absque alio examine, exponit se periculo peccati mortalis, & ideo venialiter vult illud committere, qualecumque sit; ergo operari cum tali conscientia, est peccatum mortale, vnde necessariò est in confessione aperiendum. Hæc sententia est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuctur Valentia tom. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4. Salas in part. 2. q. 1. tract. 8. disp. 1. sect. 3. n. 33. Nauarrus in manual. prel. 9. n. 9. & alij, quia velle id quod in genere dumtaxat iudicatur illicitum, non videtur esse grauis malitia, cum huiusmodi voluntas contineat se adhuc intra limites eius rationis, quæ est communis peccato mortali, & veniali, & ideo est imperfecta in genere mali, & constituit tantum peccatum veniale. Ergo operari cum tali conscientia, non erit necessarium in confessione explicare. Secus autem, quando aliquis operatur cum conscientia dictante aliquid esse mortale, aut veniale speciatim.

Notandum est etiam hic obiter, quòd si quis falsò putans hodie esse vigiliam, carnes comedat, sufficet dicere in confessione, Comedi carnes in die prohibito, quia peccatum eiusdem speciei commisit, ac si verè fuisset vigilia, quidquid in contrarium asserat Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1. & Nauarrus in man. c. 6. n. 14. asserentes esse necessarium explicare, quòd peccauerit contra conscientiam. Vnde infertur agere contra conscientiam, non esse speciale peccatum contra præceptum, vel virtutem, sed continere tantum generalem quandam rationem peccati, quæ determinatur ad talem rationem peccati, ex tali aut tali materia præcepta, quæ per conscientiam proponitur. Vide Salas in part. 2. tract. 8. disp. 1. sect. 3. num. 28. Clauem Regiam lib. 1. c. 4. n. 12. & alios penes ipsos.

An si quis vno continuato sermone in eadem re terperiuret, sufficiat vt in confessione dicat se falsum iurasse?

RESOL. CLXIII.

Respondeo affirmatiuè, quia in tali casu vnum tantum peccatum committit, etenim tria periuria, vel mendacia sunt vnius continuati sermonis partes, & sermo in vltimo mendacio, vel periurio perficitur; ergo vnum erit numero peccatum. Vide Azorium tom. 1. lib. 4. cap. 4. quest. 5. vbi etiam notat, quòd si aliquis aliquem vno iræ impetu, ter, vel quater pugno percutiat, aut vulneret, vnum tantum numero peccatum committere, & si Clericus sit, in vnam tantum excommunicationem incidere dicendum est, & ita docet Suarez de conf. disp. 4. sect. 3. n. 8. Sayrus lib. 1. c. 10. n. 9. Vgolinus tab. 1. c. 16. §. 3. & alij.

Anton. Diana Ref. Mor. Pars. I I I.

Notandum est etiam hic obiter, quòd si quis sine morali interruptione multa verba blasphemiam in Deum proferat, vnum solum delictum blasphemiam committere. Nec necesse est, vt in confessione numerum blasphemiarum explanet, sed satis est dicere, Contra Deum blasphemiam intuli. Vide Molinam tom. 4. tract. 3. disp. 41. n. 5. Couarruuiam lib. 2. variar. resol. c. 10. num. 8. §. ego sanè, & hoc verum est, etiamsi verba blasphemiam, res vanas significarent.

Vtrum in eodem actu possint dari plures malitia solo numero distinctæ, & in confessione aperiendæ?

RESOL. CLXIV.

DE hac questione pendet decisio multorum casuum in praxi sapius occurrentium. Partem negatiuam tenet Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 8. num. 320. Layman in Theol. mor. lib. 1. tract. 3. c. 3. n. 2. Duardus in Bull. Cœn. lib. 3. §. 3. q. 2. n. 3. Megala in 1. part. lib. 5. c. 12. n. 4. & Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 5. num. 33. vbi tamen asserunt, in hoc casu debere explicari eas circumstantias in confessione, non quia multiplicant peccata, sed quia augent peccati grauitatem. Et ratio est, quia licet actus tendat in plura obiecta materialiter distincta, non tamen tendit in illa per modum plurium, sed per modum vnius.

Sed qui probabiliter tenet circumstantias aggrauantes non esse in confessione explicandas, poterit consequenter sine peccato in tali casu istas reticere, quod minimè dicendum est. Et ideo affirmatiuam sententiam amplectendam esse puto, quam etiam tenui in tract. de circumstantiis resol. 29. cum Vasquez, cui nunc addo Salas in part. 2. tract. 13. disp. 3. sect. 2. n. 19. Azorium tom. 1. lib. 4. c. 4. quest. 5. & 6. Henriquez lib. 5. c. 5. n. 4. Pefantium in addit. ad 3. part. q. 10. disp. 3. Yribarne in 4. sent. tom. 2. disp. 17. disp. 15. sect. 8. Clauem Regiam lib. 2. cap. 5. n. 14. & alios. Dico igitur, quòd in eodem numero actu physico reperiuntur plures malitiæ morales numero distinctæ, & consequenter censentur plura numero peccata, quæ omnino sunt in confessione explicanda.

Ex hac secunda opinione infertur.

Primò, quòd qui statuit totam Quadragesimam vnicò voluntatis actu non ieiunare, tot peccata committere, quot sunt dies Quadragesimæ; & idem dicendum est de eo, qui statuit omittere Missam, vel Officium diuinum per totum annum; aut habuit voluntatem occidendi multos homines, quòd etiam intellige de simplici complacentia voluntatis, ac delectationis morosæ. Vnde si quis de præsentis sibi complaceat, seu delectetur morosè, de triplici actu nefando antea habito, committere tria peccata delectationis morosæ moraliter numero distincta, & in confessione aperienda. Vide Molfesum in sum. tom. 1. tract. 8. cap. 7. n. 19. Salas in part. 1. tract. 13. disp. 5. sect. 6. n. 6. Pefantium in addit. ad 3. part. q. 10. disp. 3. & alios.

Secundò infertur cum Nauarro in man. cap. 6. num. 18. Vgolino de cens. tab. 1. cap. 16. §. 3. Megala in 1. part. lib. 5. cap. 12. num. 4. ad 2. & aliis. Petrum, v. g. volentem occidere Paulum cum tota sua familia, duo tantum peccata interna homicidij committere; quia tota familia in iure pro vna persona reputatur, & vna familia est multarum personarum collectio, sicut grex ouium, & bibliotheca, est quoddam totum ex multis rebus tanquam ex partibus constitutum.

Sed his non obstantibus contrarium tenet Salas, & Molfesum vbi supra. Azorius tom. 1. lib. 4. cap. 4. quest. 3. & alij. Hic etiam nota, quòd si libri furati, vel oues, v. g. essent plurium dominorum pro indiuiso, non censeri plura numero peccata, vt docet Vasquez in 3. par. tom. 4. q. 9. dub. 4. n. 5. licet contrarium asserat Molina tom. 4. disp. 41. num. 4. secus autem si essent diuersorum dominorum pro diuiso; nam essent diuersa peccata in confessione explicanda, & ita tenet Henriquez lib. 5. cap. 5. num. 4. Molina loco citato, & alij.

Tertio inferitur vno sermone maledicentem Deum, B. Virginem, & D. Petrum; tria peccata numero distincta committere. Sed quid dicendum de eo, qui maledicit Deum, & duodecim Apostolos, vel imprecatur mortem Paulo, & toti familiae illius? Henriquez *lib. 5. cap. 8. n. 4.* docet vnum peccatum committere. Fagundez *prac. 2. lib. 3. cap. 5. n. 10.* Duardus *in Bull. Cœn. lib. 3. §. 3. q. 2. n. 3.* Megala *in 1. part. lib. 5. cap. 12. num. 4. ad 2.* Vgolinus *de cens. tab. 1. c. 16. §. 3. n. 8.* & alij putant esse duo peccata: Vasquez verò *in 3. part. tom. 4. quest. 91. art. 1. dub. 4. num. 10.* Moltesius *in summa tom. 1. tract. 8. cap. 7. num. 19.* Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 4. quest. 5. tenent, in tali casu tredecim peccata moraliter numero distincta committi, explicanda in confessione.*

Quarto inferitur, lædentem eodem verbo famam, & honorem trium, tria peccata numero committere, in confessione aperienda; sicut qui vno ictu occideret tres. Ita Filliucius *tom. 2. tract. 21. cap. 9. n. 325.* Yribarne *in 4. sent. tom. 2. dist. 17. disp. 15. sect. 8.* Vasquez & Azorius *locis citatis, & ego etiam alibi resol. 29. de circumstan. aggrav.*

Quinto inferitur, simul recogitantem in vna mollitie plures coniugatas, plura peccata in illo actu physico moraliter numero distincta committere in confessione aperienda Ita Henriquez *lib. 5. c. 8. n. 8.* Reginaldus *tom. 2. lib. 2. c. 8. sect. 9. in fine.* Toletus *lib. 3. c. 7.* & alij.

Sexto inferitur, inducentem vnico verbo quatuor, v. g. ad peccandum, quatuor peccata committere in confessione explicanda. Ita Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 6. num. 8.* Vasquez *in part. 2. q. 71. art. 7. n. 15.* Salas *in part. 2. tract. 3. disp. 5. sent. 13. num. 110.* & alij.

Ettandem, Septimo à fortiori inferitur, quod coniugatus, qui cum vxore alterius adulterium committit, vno actu duplicem malitiam iniustitiæ contrahit, vnam contra propriam vxorem, alteram contra virum alterius: similiter Religiosus qui rem habet cum Moniali, committit duo sacrilegia moraliter numero distincta. Præterea, si quis vno ictu occidit tres homines, tria homicidia numero distincta committit. Et horum omnium supradictorum in præsentî resolutione alia ratio adduci non potest; quia malitia peccati consistit in respectu contrarietatis ad rectam rationem. Cùm autem actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque pro se provenit contrarietas ad rationem, concedendum est esse plures malitias numero distinctas, & ideo plura numero peccata explicanda in confessione, vt ex usu omnium Christianorum patet.

Notandum est etiam hic obiter, quod si quis vno ictu tres occideret Clericos, in tres excommunicationes incurreret, vt Nauarrus *cap. 6. n. 18.* Vgolinus *de cens. tab. 1. c. 16. §. 1. num. 8.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 41. n. 3.* Sayrus *de cens. lib. c. 10. n. 9.* Alterius *de cens. tom. 1. lib. 3. disp. 10. cap. 8.* & alij. Et idem dicendum est de irregularitate. Secus autem si ter percuteret clericum: nam vnam tantùm incurreret excommunicationem, vt in superiori resolutione notavi, & docent Salas *in part. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. num. 91.*

An ignorantia vincibilis mysteriorum fidei, sit speciale peccatum in confessione explicandum?

RESOL. CLXV.

Esse peccatum speciale docuerunt Vasquez *in part. 2. disp. 119. c. 3.* Tannerus *in part. 2. disp. 4. q. 9. dub. 1. n. 12.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. c. 17. n. 11.* Filliucius *tom. 2. tract. 21. c. 10. n. 365.* Henriquez *lib. 5. c. 6. n. 1. in glossa litera F.* & Curiel *in part. 2. q. 76. art. 2. dub. 2. §. 4.* vbi docet ignorantiam vincibilem articuloꝝ fidei habere, non solum malitiam peccati, cuius periculo se exponit, v. g. omissionis actus fidei tempore, quo obligat præceptum credendi, aut asserendi aliquid contra fidem: sed etiam

aliam distinctam specie, quæ consistit in negligentia ad discendi articulos, quæ opponitur virtuti studiositatis. Hæc opinio est probabilis.

Verùm contrariam sententiam tuetur ex multis rationibus Merolla *disp. 1. c. 2. diff. 3. n. 697.* vbi tamen *n. 699.* notauit, ignorantem vincibiliter mysteria fidei, quauis de facto nihil contra sentiat, neque adsit tempus, quo quis tenetur ea credere, teneri hanc ignorantiam confiteri; quia non curando eorum scientiã acquirere, ad quæ tenebatur, exposuit se periculo sentiendi aliquid contra fidem, aut omittendi assentiri illis occurrente tempore, quo ad id obligatur, & consequenter mortaliter peccauit; hoc autem peccatum non est distinctum ab eo, quod committitur sentiendo actu ignoranter aliquid contra hæc mysteria. Prima opinio videtur probabilior, & omnino tenenda.

Notandum est etiam hic cum dicto Merolla *n. 700.* in ordine ad confessionem esse necessarium explicare cuius præcepti Decalogi fuerit ignorantia, secus verò in ignorantia mysteriorum fidei. Et ratio est, quia ex diuersitate præceptorum Decalogi, vel Ecclesiæ, eo quod ita vincibiliter ignorans exponit se periculo admittendi peccata specie diuersa secundum præceptorum diuersitatem. At verò ignorans vincibiliter mysteria fidei, non se exponit periculo committendi peccata specie diuersa iuxta diuersitatem mysteriorum, sed semper peccatum est eiusdem speciei, cuiuscumque mysterij sit ignorantia, quia opponitur eidem præcepto, ac virtuti; vnde inferitur ignorantem vincibiliter plures articulos fidei, non committere plura peccata specie distincta, secus verò si ignoret plura præcepta Decalogi, vel Ecclesiæ.

Sed difficultas est, an si ignorans vincibiliter plures articulos fidei, plura peccata saltem numero distincta admittat. Affirmatiue respondet Marullus *vbi supra;* sed negatiua sententia est etiam probabilis quam tuetur Pater Suarez *tract. de fide, disp. 15. sect. 1. n. 7.* & adhibet exemplum in præcepto recitandi horas canonicas; peccatum enim omissionis illarum, non multiplicatur numero, iuxta multiplicationem horarum, sed vnum tantùm numero est; ergo idem dicendum est in casu nostro. Vnde ergo infero ignorantem vincibiliter plures articulos fidei non teneri numero articuloꝝ, quos ignorat, explicare in confessione, licet Marullus *vbi supra* contrarium asserat, nempe ignorantem vincibiliter plures fidei articulos, censeri plura numero peccata committere, explicanda in confessione; sed vtraque opinio est probabilis.

Et tandem ex his omnibus aliqui inferunt contra Curiel *in part. 2. q. 76. art. 2. dub. 2. §. 4.* & contra Malderum etiam *in part. 2. q. 76. art. 2.* quod ignorantia vincibilis præceptorum Decalogi, non est speciale peccatum, vt v. g. ignorantia culpabilis præcepti de non fornicando, non est speciale peccatum oppositum distinctæ virtuti, ac diuersæ à virtute castitatis, cui fornicatio opponitur. Vnde sequitur, quod qui ex ignorantia culpabili negligit scire præceptum non fornicandi, non committit duo peccata mortalia, si de facto fornicetur, vnum negligentia sciendi huiusmodi præceptum, & alterum fornicationis; & ideo sufficit, vt in confessione dicat, Fornicatus sum. Quod si huiusmodi ignorans præceptum non fornicandi de facto non fornicetur, tenetur adhuc eam culpabilem ignorantiam, ac negligentiam confiteri; quia periculo transgrediendi illud præceptum se exposuit, & consequenter voluit in causa transgressionem illius. Sufficiet autem dicere in confessione. Habui voluntatem fornicandi. Et idem contra Malderum, & Curiel dicendum est de ignorantia vincibili eorum, quæ quis scire tenetur, ratione specialis muneris, vt Confessarij, Aduocati, Iudicis, &c. vide Filliuc. *tom. 2. tract. 21. c. 50. n. 365.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. c. 17. n. 9.* & alios penes ipsos.

Sed hæc resolutio aliquibus non placet, quia peccatum ignorantia constituitur ante actualem fornicationem; nam alias non sequuta fornicatione non peccaret, & proinde est ab illa distinctum, & quando quis non forni

fornicaretur, non posset dicere, Habui voluntatem fornicandi; quia etiam si quis ignoret fornicationem esse peccatum, potest tali voluntate carere.

An si quis mœchatus est in Sacristia alicuius Ecclesie, teneatur in confessione hanc circumstantiam explicare?

RESOL. CLXVI.

Respondeo negatiuè, quidquid in contrarium asserat Zerola in *praxi pœn. cap. 12. quæst. 27.* & alij; quia per locum sacrum solum corpus ipsum Ecclesie consecratæ, vel benedictæ intelligitur; & idem dicendum est de Refectoriis, Cubiculis, Bibliothecis, Dormitoriis & Monasteriis Regularium, & de Cameris, & Campanilibus Ecclesie adhaerentibus. Et ita hanc sententiam docet Azorius *part. 3. lib. 3. c. 27. quæst. 13.* & alij. Vnde infertur contra Seluam de *benefic. part. 2. q. 57. n. 2.* Zerolam *ubi supra q. 20.* & alios, quod si quis furetur notabile quid in supradictis locis, non tenetur aperire hanc circumstantiam, sed sufficit dicere, Furatus sum; & ita docet præter Azorium *locò citato q. 14.* Dominicus Sotus in *4. dist. 32. q. 1. artic. 3.* & alij.

DE EXTREMA
VNCTIONE.

An Sacerdos tempore pestis possit inungere infirmum, non digito, sed virga oblonga, ut eius contactum fugiat?

RESOL. CLXVII.



His annis elapsis, quando hic morbus miserimè ciuitatem hanc afflixit, sententiam affirmatiuam consului, quam docent Chapeauilla de *sacram. extr. vnct. q. 34.* & Franciscus Syluius in *3. part. q. 32. art. 3.* vbi sic asserit, Curet Sacerdos habere vestes breues, & ita eas ad se colligat, ut quàm maximè potest, fugiat contactum infirmi. Præterea ægrotum (si potest) constitui faciat in loco puro, & libero, non se statuat inter ignem, & infirmum, muniat se præseruatiuis iudiciò medicorum; & uti potest virga oblonga, verè tamen oleo tincta, sic ut perficiatur vnctio. Peracta autem vnctione, virgam cuiusmodi aut purgabit, ac in similem vsum seruabit, si aurea, vel argentea sit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburatur, si sit lignea. Ita Syluius, quæ omnia multum pro praxi in tali casu erant conducentia.

An tempore pestis possit Sacerdos inungere vnã tantum partem, dicendo consuetam formam?

RESOL. CLXVIII.

Sententiam affirmatiuam docent Syluius in *3. part. q. 32. art. 7.* quam approbasse Theologos Louanienses anno 1588. & 1573. testatur Octavius Tricaricensis Nuncius Apostolicus in Germania, & in directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, vbi sic asserit. Etsi ordinariè vngenda sint singula singulorum sensuum loca, nec vnquam, nisi grauissima necessitas cogat, aliter faciendum sit constabit tamen sacræ vnctionis Sacramentum. Et in vngendo contagioso morbo, aut peste laborante, ad euitandum contagionis periculum, sufficiet, si vngatur sensus organum ad vnctionem magis expositum, & detectum, dicendo, Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, &c. Ita supradictus Nuncius Apostolicus, Syluius, & Theologi Louanienses, quibus etiam adde Chapeauillam de *sacram. c. 5. q. 30.* & hanc sententiam probabilem esse præter DD. citatos tenet etiam Layman in *Theol. mor. lib. 5. Anton. Diana Ref. Mor. Pars. III.*

tract. 8. c. 3. n. 3. & Coninch de *Sacram. disp. 19. dub. 3. n. 9.* & 12. vnde in praxi tutò amplecti potest.

Sed ego in tali casu, potiùs velocissimè sine Crucis forma vnũ oculum, vnã aurem, vnã manum, narem, & os, vnica sententia partialium omnium formarum sententias complectente inungerem, dicendo, Per istas sanctas vnctiones, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti. Vide Zambranum de *casibus tempore mortis. c. 5. n. 9.* Andream Viçtorellum de *sacram. Extrema vnctionis. fol. 66.* & Suarez in *3. part. tom. 4. disp. 41. sect. 2. n. 7.* & 8. Coninch. & Layman *ubi supra.*

Notandum est tamen hic obiter, quòd etiam extra casum necessitatis si Sacerdos faceret vnctiones, non in forma Crucis, minimè lethale peccatum committeret. Ita Zambranus *ubi supra num. 22.* & Suarez *disp. 40. sect. 1. n. 3.*

An puer sit vngendus Sacramento sub conditione, quando dubitatur si habeat vsum rationis?

RESOL. CLXIX.

Ad hunc casum ita respondet Zambranus de *casibus occurrentibus tempore mortis, c. 1. dub. 1. n. 7.* Credo dandam esse Extremam vnctionem sub conditione, quando de puero dubitaretur, an haberet vsum rationis sufficientem ad sacramentum Pœnitentiæ; licet in tali casu dubij de vso rationis, videatur esse tutius non dare vnctionem, quando dictus puer non posset recipere sacramentum Pœnitentiæ sub conditione; quamquam non sit omninò improbable etiam tunc posse dari vnctionem, sub conditione scilicet, Si es capax, propter maximam eius vtilitatem, & fructum in tali articulo mortis, quem summo opere refert feliciter concludere. Ita ille; sed tu absolute, & sine vilo timore dabis Extremam vnctionem sub conditione. Et ita docent Sancius in *selectis, disp. 27. n. 17.* qui omnino videndus est.

An sacramentum Extrema vnctionis sit suscipiendum sub onere peccati mortalis, & illud sub eodem onere teneatur Sacerdos ordinarius in tempore necessitatis ministrare?

RESOL. CLXX.

Ad primam dubitationem secluso contemptu, & scandalo negatiuè respondeo, & ita contra Petrum Soto *lect. 2. de sacram. Extrema vnctionis* docet Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 10. diff. 5. n. 1.* vbi sic asserit: [No ay precepto de recebir la extrema vnccion, por la qual si se dexara no es pecado, salvo si vuisse escandalo, o menoscprecio.] Ita ille, & nos alibi. An verò sit peccatum veniale asserunt Coninch de *Sacram. disp. 19. dub. 10. conclus. 1.* & Nugnus in *3. part. tom. 2. q. 23. art. 2. diff. 1.* qui tamen notat, Suarez inclinare in illam partem, quòd nullum peccatum sit, sicut etiam hoc docere Villalobos patet in verbis *supra* allatis.

Ad secundam dubitationem respondeo negatiuè cum Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 8. c. 7. n. 3.* vbi ita ait: Sacerdos qui non est proprius Pastor, si absente Parocho, licet, ac facile ministrare possit hoc sacramentum Extremæ vnctionis in casu necessitatis, ad id ex charitatis lege obligatur, quamuis non obligatione graui, sed solum culpa veniali, excepto si infirmus grauius indigere videatur, quia alioquin sine omni Sacramento decedere deberet. Ita ille, qui citat Paludanum, & Coninch.

Notandum est tamen hic obiter in casu necessitatis, si Pastor adsit, vel non possit, aut nolle iniuste hoc sacramentum infirmo ministrare, tunc inferiori Sacerdotem posse retinente Parocho, hoc officium facere; nam in tali casu Summus Pontifex licentiam illi præbere

centendus est. Ita docent Henriquez *lib. 3. cap. 13. num. 4.* Caietan. *ver. excommunicatio, c. 64.* Armilla *eod. verb. n. 49.* & alij quos citat & sequitur Layman *v. supra, c. 6. n. 2.* quidquid in contrarium asserat Syluester *vers. excommunicatio 7. excom. 14. dub. 2.* & D. Antoninus *part. 3. tit. 24. cap. 34.*

An moribundus sensu carens sit inungendus tempore interdicti, non valens alia Sacramenta recipere, si non habeat Bullam Cruciatam?

RESOL. CLXXI.

Negatiuam sententiam docet Petrus de Ledesma in *summa, tom. 1. de sacram. Extr. vnctionis, c. vlt. concl. 4.* vbi sic asserit: [Es cierto que en el tal caso no es licito administrar al enfermo el sacramento de la extrema vnction. Esto enseñan comunmente los Doctores, por que dizen, que de la extrema vnction no se puede administrar en tiempo de interdicto, y nunca facan este caso; la razon es, porque este sacramento en ningun caso es sacramento de necesidad, ni ay precepto diuino de recibirle, luego la prohibicion de la Iglesia estendiendose a este caso.] Ita ille.

Sed ego contrariam sententiam in facti contingentia consului, nempe moribundum sensibus destitutum, qui sacram Eucharistiam, & sacramentum Pœnitentiæ, non poterat recipere, fuisse omnino inungendum, etiamsi non haberet Bullam Cruciatam, & esset in ciuitate interdictum. Et hanc sententiam docet Zambranis *de casibus tempore mortis, c. 5. dub. 7. n. 5.* vbi sic ait: Sa is probabile est, licet ministrari posse, & debere Extremam vnctionem morienti carenti omni priuilegio, etiam tempore interdicti, & maxime si tunc careret sensu. Ita ille, qui multas rationes adducit, & citat Henriquez *lib. 3. cap. 10. n. 3. in glossa lit. F.* & multos viros doctos a se consultos. Et ipse Ledesma *vbi supr.* etiam hanc sententiam probabilem putat. Restat modò respondere ad argumentum Ledesma. Dico igitur quòd nec iura, nec Doctores loquuntur in casu nostro, cum negant tempore interdicti posse sine priuilegio dari Extremam vnctionem; nam agunt de casu ordinario, in quo moriens recipit aliud Sacramentum, vel quando licet non recipiat, potest tamen commodissime adiri iudex, qui posuit illud interdictum, vt tollat illud prædicto casu. Igitur nostram sententiam in fauorem animarum omnino amplectendam esse puto, & illam Parochi, si casus occurrat, sine metu in praxim (me impellente, & consulente) deducant.

Utrum adulto in articulo mortis recenter baptizato, sit illi sacramentum Extrema vnctionis ministrandum?

RESOL. CLXXII.

Hic casus frequenter solet accidere, & negatiuam sententiam docent Nugnus in *3. part. quest. 32. art. 4. concl. 2.* & Sancius in *selectis disp. 27. num. 18.* vbi sic asserit: ego recens baptizato vnctionem ministrandam non confulerem, nisi nouum post Baptismum peccatum admisisse constaret.

Sed contrarium ego teneo, & idè anno 1620. testatur ipsemet Sancius, fuisse ministrarum Cathecumeno Matritensi, mancipio Mahumetano periculoso morbo decumbenti, sacramentum Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis successiuè, & immediatè vnum post aliud. Et ita hanc sententiam docent Zambranis *de cas. tempore mortis cap. 5. dub. 3. num. 6.* Ledesma in *sum. tom. 1. de sacram. Extrem. vnct. c. 6. concl. 7.* Vega in *speculo Curat. part. 1. cap. 13. num. 20.* Naldus in *sum. ver. extrema vnctio, num. 9.* Posselinus *de officio Curati c. 9. n. 4.* Henriq. *lib. 3. c. 11. n. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 6. n. 108.* vbi sic asserit: Peccatum actuale non est materia proxima, vel remota

huius Sacramenti, sicut est pœnitentia. Ergo quamuis non præcesserit, poterunt omnia essentialia adhiberi, atque adèd conferet effectum suum. Confirmatur, quia si quis in graui morbo baptizetur, et si in fine vitæ, post viaticum debet sumere hoc Sacramentum, etiamsi nullum peccatum post Baptismum commiserit. Ita Filliucius, & post illum Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. n. 3.* sic asserens. Potest hoc Sacramentum ministrari homini, etiamsi nullum peccatum habeat, v.g. ei, qui immediatè antè baptizatus fuit. Sic ille; vide etiam Suarez in *3. part. tom. 3. disp. 42. sect. 2. n. 9.* Lopez in *instruct. part. 2. c. 23.* Syluester. *ver. vnctio extrema, n. 5. in 3. dicto,* Paludanum in *4. disp. 23. quest. 3. n. 15.* Richard. in *4. dist. 23. art. 2. q. 4.* & alios.

Vnde licet Nugnus *vbi supra in 3. part. quest. 32. art. 4. concl. 1.* & alij asserant in tali casu sub conditione ministrandam esse Extremam vnctionem; attamen ego puto cum supradictis Doctoribus absolute posse ministrari: ex quibus valdè miror, aliquos Parochos baptizare infideles tempore mortis, & tamen illis sacramentum Extremæ vnctionis minimè ministrare.

Quo tempore sit danda infirmis Vnctio extrema?

RESOL. CLXXIII.

Experientia nos docet, parentes vt plurimum amare magis corpora, quam animas infirmorum, & idè quando agitur de Extrema vnctione illis ministranda clamant, & vsque ad vltimum differre volunt; sed in hoc quantum errent etiam contra salutem corporum infirmorum demonstrat doctrina Soti in *4. sent. dist. 23. q. 2. art. 2.* & Ioannes de la Cruz in *direct. conscient. part. 2. de sacrament. Extr. vnct. dub. 3. concl. 3.* vbi sic asserit: Sanitas corporis est effectus istius Sacramenti non infallibilis, sed quando subiectum est dispositum, & aliàs salus corporis expedit saluti animæ, & tunc subiectum est indispositum, quando est ita viribus corporis destitutum, quòd virtus finita istius Sacramenti non potest illud sanare. Et paulò post *dub. 4. concl. 2.* ita ait: Cum hoc Sacramentum in cauendo salutem corporis, non operetur miraculose, sed virtute ordinaria supernaturali, non speretur tempus, quo causæ naturales iuari non possint, sed adhuc spes salutis duret. Ita ille. Sed audiamus etiam Pitigianum in *4. sent. tom. 2. dist. 23. q. vnica, art. 5. q. 4.* sic loquentem. Non est expectandum, vt infirmus iam sensu & cognitione careat, nam id est contra reuerentiam & vtilitatem Sacramenti; nec etiam est expectandum tempus, in quo iam constet infirmum non posse naturaliter viuere, nam hoc etiam derogat secundo fini huius Sacramenti. Nam quamuis hoc Sacramentum supernaturaliter iuaet ad sanitatem recuperandam, non tamen est consentaneum expectare tempus, in quo ferè manifestè sit necessarium miraculum, nam hoc est quodammodo tentare Deum, & virtutem Sacramenti velle experiri. Hæc Pitigianus.

An Parochus teneatur tempore pestis ministrare Extremam vnctionem, & Eucharistiam, cum periculo vitæ?

RESOL. CLXXIV.

Affirmatiuam sententiam docent Syluius in *3. part. q. 32. art. 3.* & Nugnus in *3. part. tom. 2. q. 33. art. diff. 2.* qui ita mordicus hanc opinionem tenet, vt contrariam existimet falsam & impiam.

Sed iste auctor nimis rigidè se habet in qualificandis aliorum opinionibus; vnde dicendum est, opinionem negatiuam esse probabilissimam; & illam docet ex Hispanis Theologis Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 10. diff. 6. n. 7.* vbi sic asserit: [Aunque el parroco en tiempo de peste tiene obligacion de administrar el Sacramento de la penitencia y de la Eucharistia, con peligro de la vida, quanto a este Sacramento de la Extrema vnction, se ha de

de dezir que si el parroco puede euitar el peligro de la muerte, tiene obligacion à administrarle, mas si no puede sin esse peligro, no tiene obligacion, porque esse Sacramento no es de precepto, ni es necessario para la salud del alma, aunque es util. Assi lo tienen Armilla, y Suarez,] quibus ego addo Molfesium *in summa, tom. 1. tract. 4. cap. 3. n. 51.* vbi sic asserit. Si peste infecti confessi sunt, posse Parochos tuta conscientia hanc opinionem sequi, & sacramentum Extremæ vnctionis minimè illis ministrare. Ita Molfesius.

Notandum est tamen hîc, quòd Molfesius loco citato n. 52. idem dicendum esse putat de Sacramento Eucharistia, sic enim asserit. Sacramentum Pœnitentiæ, quia necessarium est ad salutem proximi, tenentur Parochi ministrare ouibus suis, etiam cum periculo vitæ; sacramentum verò Eucharistia, & sic viaticum, non tenerentur cum tanto periculo, nisi necessitas proximi magna esset, vt quia validè dubitaretur de illius salute, si absque viatico decederet; at à longè posset Parochus hortari oues peste laborantes, vt patienter sustineant infirmitatem, ac propositum habeant suscipiendi viaticum, quia in casu necessitatis iudicatur satis esse propositum suscipiendi, & sic etiam adimpletur præceptum. Ita Molfesius, & ante illum Maior *in 4. sent. dist. 9. ult. & dist. 23. q. 1.* sed contrariam sententiam docent Villalobos *vbi supra*, & Rodriquez *in summa, tom. 2. c. 87. num. 8.* cum aliis.

An forma deprecatoria in Sacramento Extremæ vnctionis sit necessitate Sacramenti?

R E S O L. CLXXV.

Sufficere formam indicatiam, videtur docere Martinus Becanus *de Sacramentis cap. 27. quest. 7. num. 3.* vbi sic asserit. Quæres, an necesse sit formam huius Sacramenti esse deprecatoriam; multi affirmant, quia primò Iacobus dicit, *Orem super eum.* Secundò, forma Romana est deprecatoria. Alij negant, primò quia forma Ambrosiana, & Veneta non est deprecatoria, & tamen est sufficiens. Secundò, quia ex illis verbis, *baptizantes eos*, &c. colligit Ecclesia hanc formam, *Ego te baptizo.* Ergo similiter ex illis, *ungentes illum*, potest colligi hæc forma, *Ego te ungo.* Tertio, quia in sacramento Confirmationis sufficiens hæc est forma. *Consigno te Chrismate.* Ergo similiter in hoc Sacramento, *Ungo te oleo.* Quarto, quia sacramentalis forma, etiam si per modum indicatium proferatur, solet à SS. Patribus vocari oratio, quo pacto Leo Papa, & alij multi absolutionem sacramentalem vocant orationem Sacerdotis. Ergo quamuis in hoc Sacramento proferatur forma per modum indicatiui, sufficiens erit illud Iacobi ad saluandum, *Orem super eum.* Ita Becanus. Et hanc sententiam probabilem esse docent Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 40. sect. 1. num. 7.* & Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 80.* nam contrariam, quam ipsi tenent, probabiliorē vocant.

Sed negatiuam sententiam, non solùm probabiliorē, sed omninò certam putauit Nugnus *in addit. ad 3. part. quest. 33. art. 6.* ita vt si aliquis conficeret hoc Sacramentum sub forma indicatiua, putet debere iterari sine conditione. Idem etiam docent Coninch. *de Sacram. disp. 19. dub. 4. n. 14.* Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Extremæ vnctionis, cap. 1. concl. 2.* Syluius *in addit. ad 3. part. quest. 29. art. 7.* & alij communiter. Et ratio est, quia duæ formæ non possunt esse institutæ pro vno Sacramento, nisi sint æquivalentes, saltem in sensu; si ergo forma deprecatoria sufficiens est, indicatiua sola non sufficit, quia non habet æquivalentem sensum. Ergo, &c.

His ita suppositis, difficultas est, an sit sufficiens hæc forma, *Ungo te oleo sancto, & Deus tibi remittat quidquid peccasti*, &c. Affirmatiuè respondet Suarez *tom. 4. disp. 40. sect. 3. n. 8.* sed aduersus illum acriter insurgit Nugnus *in addit. ad 3. part. q. 29. art. 7.* vbi ait, quòd nullus aulus fuit

vnquam dicere, quòd ista forma sit sufficiens. At nouissimè, & meritò sententiam Suarez sequuntur Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 55.* & Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. n. 1.* quia verbi indicatiui modi adiungitur sufficiens deprecatio. Ergo, &c. Quidquid in contrarium cum Nugno asserat Bonacina *de Sacrament. disp. 7. quest. vnica. punct. 3. n. 3.* licèt grauiter peccaret, qui hac forma vteretur.

Notandum est hîc obiter, quòd verba formæ huius Sacramenti sunt ista. *Per istam sacram vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, &c. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti;* quæ quidem vltima verba, *In nomine Patris, &c.* non sunt necessaria, neque de necessitate præcepti, vt obseruat Filliucius *tom. 1. n. 3. c. 4. n. 86.* & alij. Illa autem verba, *sanctam, & piissimam*, non esse substantialia, docent Reginald. *tom. 2. lib. 28. c. 9. n. 56.* Picigianus *in 4. tom. 2. dist. 23. quest. vnica, art. 4. dub. 2.* & alij; quia illis detractis sensus adhuc manet integer; idem asserunt supradicti Doctores de illis verbis, *suam misericordiam*, quia quæ sequuntur, *indulgeat tibi Dominus*, causam principalem, quæ in hoc Sacramento sufficienter exprimit, illis ommissis, sed de hoc alibi. Idem dicendum videtur de particulis illis, *per visum, per auditum*, &c. quæ in fine singularum formarum partialium ponuntur; igitur de necessitate Sacramenti sufficienter ista verba. *Per istam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti, vel per auditum*, &c. Non sunt autem omittenda supradicta verba, & qui hoc faceret, peccaret.

Quidam Sacerdos vnxit infirmum cum oleo veteri, quaritur an peccauerit mortaliter?

R E S O L. CLXXVI.

Affirmatiuam sententiam docet Zambranus *de castibus occurrentibus tempore mortis, cap. 5. dub. 4. n. 5.* & seq. vbi num. 14. sic concludit. Ex dictis sequitur esse peccatum mortale, vel oleum benedicere alio die, quàm feria quinta, vel illud singulis annis non renouare, vel veteri vti extra necessitatem. Ita ille.

Sed hæc aliquibus non probantur, nam vt ait Ledesma *in summa, tom. 1. de sacram. Extremæ vnctionis, cap. 2. in fine.* [No es cierto que aya precepto de renouar el azeite de los enfermos cada año, aunque se suele hazer assi; Pero de la Chrisma se halla claro precepto del derecho de que se renueue.] Et Henriquez *lib. 3. cap. 8. num. in fine*, asserit absolutè, quòd non est de præcepto renouare oleum singulis annis. Ex his aliquis probabiliter posset respondere, non peccasse mortaliter supradictum Sacerdotem ungentem infirmum oleo veteri. Sic determinauit Henriquez *lib. 2. cap. 29. num. 3.* vbi ait, quòd non prohibetur ungere infirmos veteri oleo, & *in glossa litera V.* notauit ita Theologos, & vtriusque iuris peritos Salmanticenses post longam consultationem determinasse.

Sed mihi magis placuit prima sententia; non tamen damno sententiam Henriquez, renouandum esse quotannis oleum infirmorum, & verus comburendum in Ecclesia, vel in piscinam iniiciendum; si verò non sit aliud oleum, nisi vetus, potest instante morte fieri cum illo Extrema vnctio, & ad hunc finem seruari debet vetus, quovsq; nouum habeatur; vide etiam Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 4.* qui etiam num. 7. adnotat, quòd si Sacerdos per errorem ungeret infirmum, non oleo, sed sacro Chrismate, probabiliter dici posse videtur nihil esse repetendum, sed rem Domino commendandam, tum quia plerunque non posset fieri iterata vnctio sine scandalo, tum quia valde probabile est sacramentum Extremæ vnctionis, validè conferri in materia sacri Chrismatis. Ita Layman.

*An una gutta olei sit sufficiens in unaquaque
unctione ad conferendum sacramentum
Extremæ unctionis.*

R E S O L. CLXXVII.

Negatiuam sententiam docet Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 4. n. 78.* ubi sic asserit: Dico quamlibet unctionem tantam esse debere, quanta satis est iuxta communem modum loquendi. Verum ut rationem unctionis attingat in particulari, non videtur satis vnam guttam olei stillare, sed opus est persuadere partem sensus, id enim est vngere. Ita ille.

Sed pro probabilitate partis affirmatiuæ habeo validum argumentum; nam ex doctrina Reginaldi *in praxi, tom. 2. lib. 28. c. 9. n. 13.* Suarez, & aliorum, id quod de quantitate aquæ circa sacramentum Baptismi asseritur, hoc etiam de quantitate olei circa sacramentum Extremæ unctionis asserendum est; sed probabiliter multi DD. ut *supra* visum est, tenent vnam guttam aquæ sufficere ad validitatem Baptismi. Ergo vna stilla olei dicitur etiam vngere. Sed tu Lector cogita.

*An supradictæ unctiones faciendæ sint in modum
Crucis, saltem ex necessitate præcepti?*

R E S O L. CLXXVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Syluest. *verb. unctio, §. 2.* & glossa *in cap. nunquid, de consecrat. dist. 5.* cum Petro de Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Extrem. unctiois, c. 2. concl. 1. diff. 2.* & Didaco Nugno *in add. ad 3. part. 9. art. 6.* ubi sic asserit. Mortale peccatum est, facere unctiones sine figura Crucis. Probat, quia est contra communem consuetudinem Ecclesiæ in re graui. Vnde falsa & improbabilis mihi videtur sententia Suarez, dicentis non esse graue peccatum omittere Crucem. Ita Nugnus.

Sed hinc auctor, ut alibi etiam notauimus, nimis audacter se gerit in censurandis opinionibus. Vnde ego puto opinionem Suarez, quam ipse falsam, & improbabilem putat, esse probabilissimam, secluso contemptu, & scandalo; quia nullum est expressè latum præceptum de hac re, neque constat consuetudinem sub hac existimatione introductam esse. Vnde si quis Sacerdos vngeret infirmum non in modum crucis, malè quidem faceret, non tamen peccaret mortaliter. Et ita nostram, & Suarez sententiam tenent Becanus *de Sacram. c. 27. q. 3. n. 3.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. c. 3. n. 7.* Filliuc. *tom. 1. tract. 3. cap. 3. n. 75.* Coninch *de Sacram. disp. 19. dub. 2. n. 7.* Zambranus *de casibus occurrentibus tempore mortis, c. 5. n. 12.* & alij.

*Quando sacramentum Extremæ unctionis
conferat gratiam?*

R E S O L. CLXXIX.

Quidam, ut obseruat Henriquez *lib. 3. c. 12. n. 3.* probabiliter dicunt in qualibet partiali unctione, conferri statim gratiam, cum habeat propriam materiam, & formam, & tamen omnes unctiones dici vnum Sacramentum, ut duæ species in Eucharistia, vel septem Ordines, dicuntur vnum.

Secunda sententia probabilis putat, quòd confertur gratia, quando perficitur vltima unctio, cum sua forma essentiali, quæ est quinta. Vnde si infirmus moreretur ante quintam unctionem, non reciperet gratiam. Et ita docent Filliuc. *tom. 1. tract. 3. c. 5. n. 126.* Suarez *tom. 4. disp. 41. sect. 2. n. 13.* Ioan. de la Cruz *in direct. consc. part. 2. de sacram. Extrem. unct. dub. 1. concl. 3.* Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 10. diff. 2. n. 2.* Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Extrem. unct. c. 4.* Nugnus *in add. ad 3. part. 9. art. 6.* & alij.

Tertia sententia est Martini Becani *de Sacram. cap. 25. quest. 7. n. 6.* & aliorum asserentium, quòd tametsi plures unctiones fiunt in hoc Sacramento, tamen videtur vna sufficere ad essentiam Sacramenti, siue fiat in capite, siue in pectore, &c. Probat, primò, quia nec ex Scriptura, nec ex vniuersali traditione Ecclesiæ aliud colligi potest. Secundò, quia forma Ambrosiana, & Veneta non significant, nisi vnam unctionem. Tertio, quia sicut in Baptismo sufficit vna immersio, & in Eucharistia vna species, ita hic sufficit vna unctio. Nec valet dicere, quòd in Concilio Florentino ponuntur plures unctiones, nam ibi ponuntur septem, & tamen certum est non omnes esse necessarias. Ergo inde nihil conuinci potest, sicut in multis Concilijs tres immersiones, & duæ species in Eucharistia ponebantur. Et confirmatur, quia si aliquis non haberet oculos, non esset necesse eum vngere super oculos, aut dicere, *Indulgeat tibi*, &c. *quidquid deliquisti per oculos.* Ergo numerus unctionum non est de essentia huius Sacramenti. Ex his sequitur, quòd hoc Sacramentum statim confert gratiam, quando vnica unctio peracta est cum sufficienti verborum forma; reliquæ tamen unctiones ob receptam consuetudinem non facillè sunt omittendæ, si autem omittantur, sit sine detrimento Sacramenti, & effectus illius. Hæc omnia Becanus, probabiliter quidem, ut aduertit Syluius *in add. ad 3. part. 9. art. 6. queritur 2.* sed tu tene secundam sententiam tanquam probabilior, & communior.

*An qui in forma Extremæ unctionis omitteret illa
verba, per suam piissimam misericordiam,
conficeret Sacramentum?*

R E S O L. CLXXX.

Negatiuè respondet Didacus Nugnus *tom. 2. in add. ad 3. part. 9. art. 9. concl. 4.* quia, ait ille, ista particula ponitur, ut explicetur causa principalis huius Sacramenti, & effectus illius; sed magis pertinet ad Sacramentum causa principalis, quàm instrumentalis. Ergo cum Sacramentum sit nullum per omissionem illius particule, nempe *per istam unctionem*, etiam est nullum per omissionem istius. Ita Nugnus, qui acriter insurgit aduersus Suarez contrarium docentem *tom. 4. disp. 40. sect. 3. n. 13.*

Sed immerito quidem, nam opinionem Suarez sequuntur doctissimi Neoterici ut Pitigianus *in 4. sent. tom. 2. dist. 23. q. unica, art. 4. dub. 2.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 8. c. 3. n. 3.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 28. c. 9. n. 56.* Filliucius *tom. 1. tract. 3. c. 4. n. 85.* Coninch *de Sacram. disp. 19. dub. 4. num. 15.* & alij.

Dico igitur, quòd si aliquis Sacerdos in vngendo infirmum, omitteret ista verba, conficeret Sacramentum. Et ratio est, quia expressio causæ principalis effectus Sacramenti in alijs formis non solet esse de substantia, nisi vbi est necessaria inuocatio Trinitatis ob rationem specialem. Adde, quòd in illis verbis, *Indulgeat tibi Deus*, causa principalis, quæ in hoc Sacramento operatur, sufficienter exprimitur. Ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum Nugni.

*An Parochus si cognoscat per confessionem puerum
nunquam actualiter peccasse, teneatur mini-
strare Extremam unctionem?*

R E S O L. CLXXXI.

Negatiuam sententiam mordicus tenet Didacus Nugnus *in 3. part. tom. 1. q. 32. art. 2. diff. 2.* & in terminis Ioannes Sancius *in selectis, disp. 27. num. 18.* quia qui nunquam peccauit, subiectum habile non est, cuius respectu forma unctionis verificari valeat. Nam qua ratione verè dici potest, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, &c. respectu illius, qui nec peccatum, nec peccati reliquias habet, cum nulla vnquam labe fuerit infectus? Ita Sancius.

Sed mihi contraria opinio magis placet, quam tuetur Suarez tom. 4. disp. 42. sect. 2. num. 10. quia in hoc casu infirmus indigebit Sacramento Extremæ vnctionis ob robur acquitendum aduersus tentationes, & ad superandam tristitiam ex infirmitate manantem, & accipiet gratiam, qua perfectius ad ingreſſum gloriæ præparetur. Et ita hanc ſententiam ex multis aliis rationibus præter Suarez tenent etiam Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 10. diff. 4. n. 7. Pitigianus in 4. ſent. tom. 2. diſt. 23. q. unica, art. 5. Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 28. c. 11. n. 69. Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 4. num. 108. Coninch de Sacram. diſp. 19. dub. 7. n. 23. Henriquez lib. 3. cap. 11. n. 3. & alij.

Vnde apparet immeritò hanc ſententiam falſam à Nugno fuiſſe vocatam. Reſtat modò reſpondere ad argumentum Sancij, quòd forma non falſificatur in tali casu, dicendo, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*; nam hunc ſenſum facit imponendo tibi gratiam ſacramentalem de ſe remiſſiuam peccati, ſi fortè adſit, ſicut qui in ſacramento Pœnitentiæ abſoluit quempiam iam contritum, nam illa verba, *Abſoluo te à peccatis tuis*, ſenſum reddunt, Impono tibi gratiam remiſſiuam peccatorum. Vide Coninch. de Sacram. diſp. 4. dub. 4. n. 59. & 50. Filliucium ubi ſuprà, & alios.

DE SACRAMENTO
ORDINIS.

An ſi quis bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, incurrat ſuſpenſionem, & celebrandi irregularitatem?

RESOL. CLXXXII.



RESPONDEO non incurrere in ſuſpenſionem, & ita docet Portel in dubiis Regular. ver. Ordines ſacri, n. 13. nam pœna ſuſpenſionis appoſita per Pium II. tantùm eſt contra præſumentes; qui verò bona fide facit, credens ſe habere ætatem, vel quid ſimile, non dicitur præſumere. Ergo, &c. Et ita etiam docent Miranda in manuali Prælatorum tom. 1. queſt. 39. art. 6. Filliucius tom. 1. tract. 17. cap. 5. num. 84. Suarez de cenſ. diſp. 31. ſect. 1. num. 26. & alij.

Difficulas eſt, ad adueniente mala fide ſi ſic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, incurrat irregularitatem. Reſpondeo negatiuè cum Peirino in priuil. Minimorum tom. 1. conſtit. 1. Iulij II. §. 16. n. 29. qui citat Quarantam, Mirandam, & Nauarrum. Et ratio eſt, quia cùm à principio non incurrerit in ſuſpicionem, & adueniente mala fide ſi celebret, non eſt cur irregularitatem incurrat.

Sed an ſaltem ita celebrando peccet mortaliter, reſpondet affirmatiuè Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 11. diff. 11. n. 7. & alij communiter. Nauarrus verò putat nullo modo peccare, cuius ſententiam probabilem eſſe docet Petrus de Ledesma in ſum. tom. 1. de ſacram. Ordinis, cap. 7. concl. 1. fol. mibi 432. col. 2. ſic aſſerit. [No me parece improbable, ſino antes tiene alguna probabilidad dezir, que en tal caſo el aſnì ordenado ſe puede exercitar en el oficio de la orden, que recibio, aunque notenga legitima edad. Eſta conſuſion ſe prueua con la authoridad del Doctor Nauarro, laqual ſe confirma porque eſte tal eſtando legitimamente ordenado, tiene derecho de exercitarſe en el oficio de tal orden, luego ſi no eſt por peccado no puede eſtar priuado, ni carecer deſte derecho, y en tal caſo no ha hauido peccado, luego no eſta priuado del exercicio del tal orden, ſegun eſta ſententia hemos de dezir, que el Concilio manda que no ſe ordenen antes de la legitima edad, però deſpues de ordenados no diſpone ninguna coſa el Concilio, y aſnì pueden ſegun eſta ſententia miniſtrar en ſus oficios.] Ita Ledesma, ſed

contraria ſententia communis eſt, & prædicatur.

Notandum eſt tamen hic, quòd totaliter ordinatus poſtquam peruenit ad legitimam ætatem, poteſt ſine vlla diſpenſatione celebrare, vel exercere actum Ordinis ſuſcepti vt notant Scorcia in Bull. Pontific. epitome 39. theorem. 109. & alij penes ipſum; imò aliqui hoc tenent etiam in caſu, quo quis mala fide Ordines ante legitimam ætatem ſuſciperet. Et ita docet Corduba caſ. 144. Sotus in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. art. 2. in fine. Medina in ſum. lib. 1. c. 11. §. 8. Paſſarellus, Zerola, & Sorbus apud Peirinum ubi ſuprà n. 21. licet contrarium aſſerant Henriquez lib. 13. cap. 38. §. 1. in gloſſ. littera F. Sylueſter, Mandofius, Couarruias, & alij, quorum ſententiam ego ſequor.

Notandum eſt etiam, quòd aliqui putant recipientem Ordinem mala fide ante legitimam ætatem, non ſolùm remanere ſuſpenſum ab exequutione illius Ordinis ſic mala fide ſuſcepti, ſed etiam ab exequutione aliorum Ordinum ante legitimè ſuſceptorum. Et ita docet Nauarrus, Rodriquez, & alij, ſtante quadam Bulla Sixti V. Sed contrariam ſententiam probabilem eſſe cum Auilla, & Henriquez putat Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 18. diff. 11. num. 2.

An Clerici ſacris Ordinibus initiati peccent mortaliter, ſi non deferant habitum Clericalem, & coronam in capite?

RESOL. CLXXXIII.

AD iſtam difficultatem reſpondeo cum Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 11. diff. 16. n. 5. ubi ſic aſſerit. [Dize Sylueſtro ver. Clericus, §. 2. que el Clerigo peccata mortalmente ſi no trae habito clerical, y la corona abierta, mas Cayetano in ſum. ver. Clerici peccata, dize, que en eſto ſolo le ay auiendo temeridad, y contumacia, ò me nosprecio, cuya ſententia me parece muy probable, y ſe puede ſeguir, porque es mas manſa, quando truxeſſe algun ſeñal, en que ſe echaffe de ver que es clerigo, mas ſi no truxeſſe ningun ſeñal de fuerce que no ſe chaſſe de ver que era clerigo, como ſi truxeſſe eſpada, y otras coſas ſemejantes, no ſe excuſaria de peccado mortal, ſi no eſt que fueſſe por breue tiempo, ò por alguna iuſta cauſa.] Ita ille, & ego; licet contrarium probabiliter aduersus Caietanum doceat etiam Ledesma in ſumma, tom. 1. de ſacram. Ordinis, cap. 11. concl. 2. per totam.

An ordinatus cum patrimonio ficto, vt pote donato vt poſt Ordines, illud reſtituat donanti, incurrat in ſuſpenſionem, teneaturque poſtea illud reſtituere?

RESOL. CLXXXIV.

HIC caſus in praxi frequenter ſolet accidere, & peccare mortaliter, non eſt dubium. Sed difficultas, eſt an incurrat ſuſpenſionem, & teneatur reſtituere. Ego negatiuam ſententiam teneo cum Ledesma in ſum. tom. 1. de ſacram. Ordinis, cap. 7. concl. 6. diff. 3. ubi ſic aſſerit. [Eſte tal ſe ordena con verdadero titulo de patrimonio luego no eſta ſuſpenſo, porque eſte tal por el conçierto que nizo no queda obligado, y la promeſa fue de ningun eſecto, y fue como ſi no huuiera prometido nada, por que fue contra derecho, y no puede ſer obligatoria, luego con verdadero patrimonio ſe ordenò, y por conſiguiente no queda ſuſpenſo, de loqual ſe colige bien claramente, que no eſta obligado à eſtar al conçierto, y al pacto que hizo de reſtituir el patrimonio.] Ita Ledesma, & poſt illum Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 11. diff. 15. n. 10.

Nec reticcam tamen probabiliter contrariam ſententiam docere Auillam de cenſ. p. 3. diſp. 5. dub. 5. concl. 3. & Ioan. de la Cruz in direct. conſcient. p. 2. de Sacram. Ordinis, dub. 6. concl. 2. qui citat Cordubam, & Lopez, nam talis donatio fuit conditionalis, & licet fraudulenter, & verbo tenus

tenus facta sit, tamen in iure non est reprobata, & alius donator potuit conditionaliter donare, & Clericus sic admisit donationem, unde saltem infero conscientia iuxta intentionem donantis valet donatio; igitur in tali casu ordinatus tenetur in conscientia retrodonare patrimonium ita conditionaliter donatum.

Sed ad hoc argumentum respondet Ledesma *vbi supra* [que el que da el patrimonio mire lo que haze, porque vna vez dado para que se ordene, no lo puede dar con la tal condicion, porque es contra derecho, y el que se ordena con el, no lo puede boluer con buena conscientia.]

Notandum cum Auila *vbi supra*, & aliis stando, in tertia sententia, quod in foro conscientia teneatur sic ordinatus restituere illud patrimonium sic conditionaliter donatum. Attamen in foro exteriori potest rescindi talis retrodonatio, & hoc in pœnam donationis, quia voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum.

An ordinandus debeat de necessitate Sacramenti tangere hostiam, vel aliam materiam Ordinis?

R E S O L. CLXXXV.

Affirmatiuam sententiam tenet nouissime Fernandez in *exam. Theol. mor. part. 3. c. 11. §. 6. n. 1.* & Faber Lector publicus S. Theologiae in Academia Patavina de *sacram. Ordinis in 4. sent. dist. 24. q. 1. disp. 1. cap. 4. n. 121.* & seq. & respondet ad argumentum, quod vinum ab ordinando non tangatur, sic enim ait. Quod autem non tangatur vinum, cum sit in calice, ergo nec hostia necessariò est tangenda. Respondetur non valere consequentiam, quia neque Apostoli tetigerunt vinum, cum datum fuerit in calice, & regulariter accipiens vinum, non solet tangere vinum, sed illud recipere in aliquo vase. At hostia, & panis cum datur, accipitur in manibus, & tangitur: ergo dicendum est esse de necessitate Sacramenti. Quod etiam adducitur de sermonibus familiaribus, in quibus quis donat equum alicui, & ille eum recipit absque eo, quod eum tangat, multo minus concludit; quia aliud est loqui de similibus actionibus familiaribus, & de actione sacramentali. Ita Faber.

Sed ego hanc opinionem refello in *tr. 3. miscell. resol. 3.* vbi etiam addidi, & nunc addo contra Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de *Sacram. disp. 8. q. unica. punct. 5. n. 10.* realem, & physicum contactum materiae, quae in ordinatione traditur, ad substantiam, seu valorem Sacramenti non pertinere. Et praeter quos *ibi* citavi, docet etiam hanc sententiam Albertus Magnus in *4. sent. dist. 24. art. 38. ad 2.* Zambranus de *casu tempore mortis. 6. dub. unico, n. 6.* Ragucius in *lucerna Parochorum de sacram. Ordinis. 9. 3. n. 2.* & nouissime Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 9. c. 5. n. 4.* vbi sic asserit. Mihi placet magis sententia aliorum, qui negant ad substantiam, & valorem ordinationis contactum requiri; nam rationes sententiae affirmantis, cui praesertim in re tam graui probanda onus incumbit, non conuincunt. Ad primum enim respondetur, verbum, *accipe*, solum significare spirituales potestates ordinando conferendam, per exhibitionem symboli externi, quo collatio talis potestatis significatur. Quare negandum est verbum illud ex necessitate Sacramenti referri ad eum, qui ordinandus est, vt capiatur, seu manu tangatur externum symbolum. Cur enim necessariò illud tangere debeat, non video aliam causam afferri posse, nisi vt traditio potestatis ab illo acceptetur. Id verò dici non potest, cum Sacramentum istud non consistat in contactu aliquo, sicut matrimonium, quod proinde traditionem, & acceptationem postulat. Sed neque ad ipsum matrimonij contractum corporum contactus necessariò requiritur, cum alia signa mutuae traditionis, & acceptationis exhiberi possint. Quanto igitur magis, cum traditio spiritualis potestatis fieri possit sine reali contactu per solam exhibitionem symboli factam homini praesenti? Adde, si naturali acceptatio significata ad valorem Sacra-

menti necessariò requiritur, consequens esse, vt paruuli qui vnum rationis nondum habentes, huiusmodi acceptationis signum edere non possunt, inualidè ordinentur, quod repugnat communi sententiae. Ad secundum respondetur ex praxi Ecclesiae plus colligi non posse, quam quod talis ceremonia tangendi materiam ab Ecclesia praecipitur. Ita Layman, quae omnia adnotare volui ad extirpandos scrupulos, qui ordinandos ferè semper vexare solent, maximè pro tactu hostiae. Notandum est tamen hic, quod Doctores asserentes necessarium esse contactum physicum in ordinatione, concedunt, quod non sit necessarius contactus hostiae, sed sufficit tangere patenam.

Imò Sotus, & Syluester, quos citat, & sequitur Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 11. diff. 4. n. 3.* asserunt satis esse vt quis in tali casu tangat solum calicem; & ita docet Coninch de *Sacram. disp. 20. dub. 7. n. 71.* & Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. p. 2. de sacram. Ordinis, dub. 2. concl. 1.* & Ledesma in *sum. tom. 1. de sacram. Ordinis, cap. 3. concl. 2.* circa finem, debent tamen ipsi diligenter curare, vt in ordinatione Subdiaconatus tangatur calix cum patena, in Diaconatu liber Euangeliorum, in Presbyteratu calix cum vino, & patena, cum hostia, seu pane; nam ita Ecclesia praecipit.

Quidam suscepit Ordinem Presbyteratus, & in calice non fuit vinum appositum, quaritur an Sacramentum fuerit inualidum, & sic de nouo ordinandus?

R E S O L. CLXXXVI.

Hic casus potest in praxi accidere, ideo notes; & ad illum affirmatiuè respondet Ledesma in *sum. tom. 1. de Sacram. Ordinis, cap. 3. diff. 3.* & Ioan. de la Cruz in *direct. consc. part. 2. de sacram. Ordinis, dub. 2. concl. 1.* vbi sic ait. Materia Sacerdotis est traditio patenae cum hostia, & calicis cum vino, ita vt si in patena non sit hostia triticea, & in calice vinum vitis, non manes ordinatus. Sic ille.

At negatiuam sententiam docent Filliucius *tom. 1. tr. 9. c. 2. n. 4.* Homobonus de *exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 9. q. 75.* Bonacina de *Sacram. disp. 8. quest. unica, punct. 3. n. 3.* & Henriquez *lib. 10. c. 6. n. 1.* vbi sic asserit. Materia in illo qui sacerdotio initiatur, integra ex praeepto est traditio calicis cum vino, & patenae cum hostia, quia & sacrificium Missae ex praeepto, fit vtraque specie. At traditio vasis cum altera specierum, videtur esse materia sufficiens, ita vt si id ex obliuione contingat, non sit hic ordo iterandus ex necessitate. Nec enim diuim datur potestas in vnam speciem, sed qui potest alteram, potest & vtramque speciem consecrare. Ita Henriquez, & ego.

Non grauabor tamen hic apponere sententiam doctissimi Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 11. diff. 4. num. 1.* ita asserentis. [Si sucediè en practica (como ha sucedido vezes en estos tiempos) dexar de poner el vino en el caliz por descuido, haze de reiterar el Sacramento de baxo de condicion, como se hizo en estos tiempos, y deste parecer fueron los mas doctos desta vniuersidad de Salamanca à cerca dello.] Sic ille.

De materia Ordinis Presbyteratus.

R E S O L. CLXXXVII.

Secundum aliquos materia sacerdotij est duplex. Prima est, traditio calicis cum vino, & potestatis offerendi sacrificium, &c. Secunda est, impositio manuum vnà cum verbis, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseras peccata*, &c. Vtraque autem est de essentia, quia conferitur distincta potestas; nam in prima tantum consecrandi, in secunda absoluendi, ideoque sine altera earum esset imperfectus Sacerdos, & si vna ex iis omitteretur, illa sola supplenda esset. Igitur dicendum est ordinationem Sacerdotis

Sacerdotis constare duabus partialibus materiis, ad perfectam ipsius ordinationem essentialiter requisitis, & per vnamquamque conferri nouam potestatem supernaturalem. Quare omnino credendum est, per vtramque conferri gratiam sacramentalem, & ita docent Coninch *de Sacram. disp. 20. dub. 7. n. 60. concl. 2.* Valquez *in 3. p. tom. 3. disp. 239. cap. 3.* Bellarminus *de sacram. Ordinis, lib. 1. c. 9.* Filliucius *tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 42.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 2.* Henriquez *lib. 1. c. 6. & c. 11. n. 6.* Syluester *in 3. p. q. 37. art. 2. queritur 4. & alij penes ipsos.*

Sed contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam tuentur Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 5.* Faber *de sacram. Ordinis in 4. sent. dist. 24. q. 1. disp. 1. c. 4. n. 96.* Ioan. de la Cruz *in direct. conf. p. 2. de Sacram. Ordinis, dub. 2. concl. 1.* Sotus *in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. concl. 5.* Nugnus *in 3. p. tom. 2. q. 37. art. 5. & alij, asserentes ordinationem Sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cum applicatione materiæ suæ; & impositionem manuum cum verbis secundæ formæ non esse de essentia, & substantia ordinis sacerdotalis, sed esse sacramentalia, quæ sunt adhibenda ratione præcepti, non quia sunt de essentia. Ita Doctores citati, qui respondent ad argumenta Bellarmini, & contrariorum. Vtraque opinio (vt dixi) est satis probabilis.*

De materia Ordinis Diaconatus.

RESOL. CLXXXVIII.

Materiam ordinationis Diaconi esse traditionem libri Euangelij cum impositione manuum tradunt Syluius *in 3. p. q. 37. art. 2. queritur 3.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 2.* Filliuc. *tom. 1. tract. 9. cap. 2. n. 44.* Coninch *de Sacram. disp. 20. dub. 7. concl. 3.* Henriquez *lib. 1. c. 8. n. 3.* Bellarm. *de sacram. Ordinis, lib. 1. cap. 9. & alij penes ipsos.*

Non desunt tamen Doctores, asserentes traditionem libri Euangeliorum esse solam materiam essentialem Diaconatus, & ita docent Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 5.* Faber *de sacram. Ordinis in 4. sent. dist. 24. q. 1. dub. 1. c. 4. n. 3.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 11. diff. 4. n. 1. & diff. 5. n. 2.* Nugnus *in 3. p. tom. 2. quest. 37. art. 5.* Et ideo si Episcopus ordinaret aliquem Diaconum sine impositione manuum, esset verè ordinatus. Vtraque opinio est probabilis.

De materia Ordinis Subdiaconatus.

RESOL. CLXXXIX.

Esse duplicem respondet Filliucius *tom. 1. tract. 9. c. 2. n. 45.* Prima est traditio calicis vacui, & patenæ vacuæ superpositæ. Secunda est traditio libri Epistolarum; de prima non est controuersia; de secunda probatur eodem modo, quo *suprà* de Diacono; nam eodem modo conferitur subdiacono liber Epistolarum, vt dicatur, *Accipe potestatem, &c.* Sed in hoc traditio libri Euangeliorum est partialis materia; ergo etiam in subdiacono traditio libri Epistolarum. Ita Filliucius. Vide etiam Viguerium *in instit. theol. cap. 16. §. 6. verb. 1. & 2.* cum aliis.

Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, nempe materiam subdiaconatus esse traditionem calicis vacui cum patena. Et ita docet Syluius *in 3. part. q. 37. art. 2. queritur 3.* Coninch *de Sacram. disp. 20. dub. 6. num. 69.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 9. c. 5. n. 3.* Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 5.* Comitulus *in resp. mor. lib. 1. q. 12.* Molfesius *in sum. tom. 1. tract. 2. cap. 8. num. 22.* Valquez *in 3. p. tom. 5. disp. 236. cap. 3.* Fornarius *tract. de ordinatione, c. 20 & alij penes ipsos.*

Notandum est etiam non esse necesse, Calicem esse consecratum contra Syluest. *verb. ordinatio. §. 4. verb. 2.* & alios. Ita Henriquez *lib. 10. cap. 5. in glossa litera F. & alij.*

An Episcopus possit dispensare in interstitiis, quando ordinat aliquem familiarem suum?

RESOL. CXC.

Negatiuam sententiam tenent Villalobos *in summa tom. 1. tract. 11. diff. 9. n. 10.* Ledesma *in sum. tom. 1. de sacram. Ordinis, cap. 8. concl. 5.* qui citat Nauarrum *lib. 1. conf. 13. de temp. ordin.* quia id, quod concedit in tali casu Concilium Tridentinum Episcopis, est priuilegium. Ergo non est intelligendum de illis rebus, de quibus non loquitur.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Ioan. de la Cruz *in direct. conf. p. 2. de sacram. Ordinis, dub. 43. concl. 2.* vbi sic ait. Episcopus potest ordinare familiarem suum alienæ diœcesis, si per triennium secum sit commoratus, & ei det beneficium; ita in Concilio Tridentino *ses. 23. c. 9.* Imò, & cum isto potest in interstitiis dispensare in casibus dicti Concilij *c. 11. & 13.* Ita Congregatio Cardinalium. Hæc supradictus Doctor. Et hanc opinionem probabilem putat esse etiam ipsemet Ledesma *vbi supra*, sic asserens. [En lo que toca à los intersticios, no me parece muy improbable, que el Obispo à quien sirue le pueda dispensar.] Vnde Episcopi possunt tutò opinionem affirmatiuam in praxim deducere. Et ratio est, quia eo ipso quòd Concilium dat Episcopis potestatem concurrentibus illis conditionibus familiares suos ordinandi, & consequenter concedit illis necessaria ad talem ordinationem faciendam, vt est dispensatio in interstitiis.

An si in dimissoria concedatur licentia ordinandi à quocumque Episcopo in propria diœcesi ordinante, possit quis ordinari ab Episcopo in aliena diœcesi de licentia Ordinarij loci ordinationem exercente?

RESOL. CXCI.

Hic casus olim occidit, & sententiam negatiuam docet Guttierrez *qq. Canonicis, lib. 1. c. 16.* sed tunc ego adduxi Ledesmam *in sum. tom. 1. de sacram. Ordinis, cap. 8. concl. 4. diff. 5.* qui affirmatiuam sententiam probabilem putat. Cùm enim adduxisset aliquas rationes pro sententia negatiua, sic tandem asserit. [Esta sentencia parece mas cierta, y probable, aunque quien dixesse lo còtrario. no parece quedaria muy improbablemente por la razon, que hizimos. Porque parece, que las tales reuerendas equialen à generales, aunque en la aparençia tenga algun limite, y restricion.] Ita ille.

Sed tunc etiam dubitatum fuit, an in tali casu cùm ordinandus, & Episcopus ordinans, certò scirent proprium Episcopum, (si hoc sciret) generales dimissorias concessurum esse, & omnia rata habere; an, inquam, in tali casu non obstante dimissoria cum illa limitatione, sine scrupulo potuisset Episcopus dictum Clericum ordinare. Et respondi affirmatiuè cum Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 11. diff. 9. n. 8.* vbi ita ait; [En lo que toca à reuerendas ha lugar la ratihabicion; esto es, que al que se ha de ordenar crea con buena fe que el Obispo tiene por bien, que se ordene sin esperar dimissorias, como lo dice Salzedo.] Sic ille; & Ledesma *vbi supra concl. 5.* ita asserit. [Puede el Obispo ordenar al que no es su subdito, teniendo por cierto, que el proprio Obispo lo tendra por bien.] Et de hac quæstione nos alibi fusius diximus, partem etiam affirmatiuam cum Paludano *in 4. sent. dub. 18. q. 1. art. 4. cas. 19.* tenentes; quidquid in contrarium videatur docere Bonacina *de Sacram. disp. 6. q. vnic. punct. 4. n. 28.* & Aloysius Riccius *in addit. ad inst. Can. Lancelloti, lib. 1. tit. 25. §. pari ratione, & nouissimè doctus Turrianus de cons. lib. 5. disp. 46. dub. 1.* vbi negat Episcopum per ratihabitionem posse ordinare alienum subditum; sed nostra sententia est etiam probabilis.

An si quis suscepit Ordinem sacrum ante legitimam aetatem, vel sine litteris dimissoriis, vel extra legitima tempora, incidat in suspensionem?

RESOL. CXCII.

Respondeo affirmatiuè ex Bulla Pij II. si celebrat, incurrit in irregularitatem, sed prædictam pœnam, vt notat Portel *in dubiis Regul. ver. Ordines sacri, n. 13.* cum aliis communiter, incurrunt tantùm præludentes, vnde sic asserit Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 11. diff. 11. n. 6.* [Se aduertat, que para incurrir la dicha suspencion es menester, que aya de lo por la palabra (*presumpserit*) que pone la extrauagante, y assi el que se ordena por ignorancia que se tal que escuse de presumpcion, y temeridad, aunque no escuse del todo de la culpa no que dara suspensio, como dizen Nauarro, Suarez, y Rodriquez;] sic ille. Igitur ad hanc suspensionem incurrendam requiritur dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis. Sed plus addit Auila *de cens. p. 3. disp. 5. dub. 7.* nam adeò in tali casu requirit dolum in ordinato, vt omnem ignorantiam etiam crassam, si affectata non sit à suspensione, & irregularitate contrahenda, excusare dicat, licet hanc opinionem non admittat Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 9. cap. 10. n. 2.* Vide Peirinum *in priuil. Min. tom. 1. concl. 1. Iulij 11. §. 16. n. 28.*

An Ordo per vim, & metum susceptus, impediatur, & dirimat matrimonium.

RESOL. CXCIII.

Negatiuam sententiam communiter docent DD quos citant & sequuntur Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 19.* Azor *tom. 1. lib. 13. cap. ult. q. 8.* & Rebellius *p. 2. lib. 1. q. 5.* & ideo asserunt, sic ordinatum ad seruandam continentiam non teneri, & posse validè matrimonium contrahere, quia votum ex metu graui factum nullum est ipso iure, ex *cap. per latam, cap. cum dilectus, de iis, qui vi, &c.*

Non reticeam tamen affirmatiuam sententiam nouissimè docere Basilium Pontium *de matrim. lib. 7. cap. 29. n. 3.* vbi sic asserit. Ego, qui multitudinem Doctorum parum curo, cum sciam multos sine vllò examine, aliorum dictis adherere, sed tantùm fundamenta, atque rationes considero, longè probabilius iudico, si rationum attendamus merita, votum continentiae valere in eo, qui ordinatur ex metu graui, & inhabilem esse ad matrimonium, esse dignum tamen, vt cum eo facile dispensetur. Ita ille, qui multas rationes solidè, & acutè, vt semper solet, adducit, & respondet ad Canones pro contraria sententia adductos, quam quidem his non obstantibus probabilem etiam esse existimo, & illam cum Sanchez tenent nouissimè Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 14. diff. 14. n. 4.* & Bonacina *de mar. q. 3. punct. 9. n. 11.* cum 12. Doctoribus, quos citat, & sequitur Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 42. c. 3. n. 18.*

An Episcopus primam tonsuram conferens sine proprii Episcopi licentia, incurrat pœnam suspensionis latam in cap. eos, de tempor. ordin. in 6.

RESOL. CXCIV.

Suppono cum Suarez *tom. 5. de cens. disp. 31. sect. 5. Toleto lib. 1. c. 8. n. 4.* Sayro *de cens. lib. 4. c. 12. n. 13.* Campanili *in diuer. iur. can. 1. rubr. 9. n. 16.* & aliis communiter ex dicto *cap. eos, de temp. ordin. in 6.* quòd Episcopus si scienter, vel affectata ignorantia ordinare præsumit alienum Clericum sine sui ordinarij licentia, est suspensus per annum à collatione Ordinum. Hoc supposito, ad quæstionem propositam affirmatiuè respondet glossa *in dict. cap. eos, in ver. ordinare, & in cap. nullus, in ver. homine eodem titulo, cum Salzedo in pract. Bernardi Diaz, cap. 26. & aliis.*

Nouissimè tamen contrariam sententiam docent ex Geminiano Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 18. diff. 7. n. 17.* & Aloysius Riccius *ind. addit. ad inst. Canc. Lancell. lib. 1.*

tit. 25. §. pari ratione, vbi sic asserit. Aduerte tamen, quòd *cap. eos*, loquens de Episcopo ordinante clericum alienum, supponit eum esse clericum, saltem tonsuratum. Vnde si primam tantùm tonsuram laico alterius diœcesis conferat non incurrit Episcopus suspensionem à collatione Ordinum, sed solùm à collatione primæ tonsuræ, arg. *cap. nullus, de temp. ordin. in 6.* Et quamuis Concilium Tridentinum explicet hoc de ordinante simpliciter, & non restringat se ad ordinantem Clericum, vt propterea dubitari possit, an saltem ex virtute decreti huius, Episcopus conferens alieno primam tonsuram, à collatione Ordinum suspensus fuerit, & consulenda sit congregatio Cardinalium, qui Concilij Tridentini interpretes præficiuntur; nihilominus tamen valde mihi probabile est, iuxta ea, quæ diximus, hunc non nisi à collatione primæ tonsuræ suspensum esse. Ita Riccius.

Sed mihi stante Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 2. & sess. 23. c. 8. de reform.* prima sententia magis placet, quam sequitur ex Neotericis Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 1. tit. 9. c. 2. n. 10.* Vide etiam Bonacinam *de censuris, disp. 3. punct. 5. §. 2. n. 4.* & Filliucium *tom. 1. tract. 17. c. 8. n. 141.*

An Diaconus, & Subdiaconus peccent mortaliter frequenter canentes Epistolam, & Euangelium in peccato mortali?

RESOL. CXCV.

Affirmatiuè respondet Filliucius *tom. 1. tract. 1. cap. 6. n. 87.* & fortiori docebunt etiam hanc sententiam Doctores, asserentes absolute tales peccare mortaliter, vt inter Neotericos docent nouissimè Cabrera *de Sacram. q. 64. art. 6. disp. 1. §. 7. n. 48.* & Syluius *in 3. part. q. 64. art. 6. queritur 1. concl. 5.* vbi sic ait. Si Diaconus aut Subdiaconus in mortali exercent actum sui Ordinis, probabilius est, quòd mortaliter peccent, quia sunt actus Sacramento peculiare, & maximè ad Eucharistiam accedentes, ad quos sunt consecrati. Ita ille, qui citat D. Thomam, Nungum, Syluestrum, Angelum, Toletum, Victoriam, & Molanum; quibus adde Sa *verb. ordo, n. 31.* Caictanum *q. 64. art. 3. ad 1.* & Nauarrum *cap. 25. n. 72.*

Sed ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam docent Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 4. diff. 10. n. 7.* Fernandez de Heredia *disp. de Sacram. in genere, p. 10. dub. 3. n. 4.* Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 13. c. 4.* Sotus *in 4. dist. 24. q. 1.* Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 4. ad 4.* Coninch *de Sa. ram. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 38.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 16. sect. 4.* & alij. Et ratio est, quia talis actio non est dispensatio meritorum Christi, vt sunt Sacramenta, aut opus in se tam sanctum, vt ad sit tam grauis obligatio exercendi illud in gratia.

Et ita hanc sententiam ego veram etiam existimo contra Filliucium *vbi supra*, licet longo tempore tales actus exercentur cum peccato mortali, quia sæpius velle peccare venialiter, non efficit peccatum mortale; & hi actus sunt planè separati inter se nec relinquunt effectum post se, ratione cuius prior coalescat cum posteriori. Nec valet asserere, sæpius talia facere in peccato mortali, includere implicitum contemptum: nam hoc non est verum, quia non est vlla ratio, qua iudicetur in eo actu frequentato magis includi virtuales contemptum, quam in frequentatione mendacij iocosi, aut negligentiae in repellenda distractione inter orandum. Hæc omnia Coninch; vnde, vt diximus, non est audiendus Filliucius.

Notandum est etiam hic obiter contra Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 1. c. 5. n. 8.* & alios, Diaconum ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter. Et ita docet inter alios Ioan de la Cruz *in direct. conscient. p. 1. de Sacram. in genere, q. 4. dub. 3. concl. 1.* quod etiam de Sacerdotibus nos in tractatu de celebratione Missarum, satis probabiliter docuimus.

An Acolythi, qui solemniter cereos ferunt in peccato mortali, peccent mortaliter?

RESOL. CXCVI.

Affirmatiuè respondet Philippus Faber *de sacr. Ordinibus in 4. sent. dist. 24. q. 1. disp. 1. c. 3. n. 80.* qui citat Angelum, & Syluestrum. Idem docet Nauar. *in manuali, c. 27. n. 163.* & *de Horis canonicis, c. 7. n. 41.* qui etiam hoc docet locum habere in eo, qui capitalum, & collectam pronunciat in choro, qui id faciat tanquam presbyter.

Sed bonus, & doctus senex nimis scrupulosè loquitur. Ideo contrariam sententiam veram esse existimo, quam docet Cabrera *de Sacr. in 3. par. q. 64. art. 6. disp. 1. §. 6. n. 55.* ubi ait, non esse mortale, exercere functiones minorum ordinu in peccato mortali, quia, vt *suprà* dictu est, non est certu, imò oppositu est multu probabile, minores ordines non esse vera Sacramenta, atque adeò illoru ministros nò esse ad huiusmodi functiones consecratos, vel saltem est valde probabile eos non esse consecratos per gratiam, ac characterem sacramentalem, ac proinde ex sanctitatis defectu in ministro colligi non potest mortale peccatu. Secundò, licet ordines minores sint Sacramenta, eorum tamè officia non sunt perfecta in genere sacri mysterij, & ex consequenti propter leuitatem materiæ non erit culpa mortalis. Cæteras rationes vide apud dictum Cabreram.

An Concionatores prædicantes in peccato mortali peccent mortaliter, etiamsi peccatum sit occultum?

RESOL. CXCVII.

Affirmatiuam sententiam docent D. Thom. *in 4. sent. dist. 19. q. 2. ar. 2. q. 2. ad 4.* Paludanus *in 4. dist. 19. q. 3. art. 3.* Caietan. *in 2. 2. q. 187. art. 3.* Nauar. *in manuali, c. 21. n. 141.* Angelus *verb. prædicator, n. 7.* & alij, asserentes esse peccatu mortale prædicare in peccato mortali, nò solum publico, sed etiam occulto, non habita prius contritione.

Sed tu contrariam sententiam tene cum Soto *in 4. dist. 2. q. 5. art. 6.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 16. sect. 3.* Valent. *tom. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3.* Cabrera *de Sacr. q. 64. ar. 6. disp. 1. §. 7. n. 67.* Dicendum est igitur, non esse peccatum mortale prædicare in peccato mortali occulto, sed tantum in peccato mortali publico; quia actus prædicandi ex sua natura, neque est consecratus, vt actus Sacramentorum, cum gratiam ex opere operato non conferat, vt conferunt Sacramenta; neque est consecratus ex aliqua institutione Ecclesiæ, neque certo ordini deputatus iure diuino, vel positio humano, cum & Prophetæ in lege veteri prædicauerint, & in nouo testamento multi nondum sacris Ordinibus initiati prædicare soleant. Ergo, &c.

Idem quod dictum est de Concionatore, dic etiam de Lectore sacræ Theologiæ, & sacræ Scripturæ (& in hoc differt à concionatore) si sit in peccato publico, dummodo absit scandalum, quidquid in contrarium asserant D. Thom. & Palud. *ubi supr.* Syluest. *verb. correctio, q. 16.* Angel. *verb. correctio, n. 4.* & *verb. prædicare, n. 7.* sed nostrâ sententiam docent Cabrera, & Suarez *loco cit.* & alij.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Quis commisit adulterium, cum promissione facta contrahendi post obitum viri, quasiuit postea an contraxerit impedimentum?

RESOL. CXCVIII.

AFFIRMATIVAM sententiam docent Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 79. n. 10.* Coninch *de Sacram. disp. 31. dub. 5. n. 57.* Veracruz *in speculo, part. 1. art. 34. concl. 9.* & alij.

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

Sed contrariam sententiam tuetur Henriquez *lib. 12. c. 14. n. 3. in fine.* Emanuel Sa *de matr. imped. n. 7.* & hanc opinionem ego probabilem esse puto cum Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. part. 4. c. 10. n. 4.* Igitur vt contrahatur hoc impedimentum, opus est, vt promissio matrimonij seriò, & ex animo fiat, non fictè; cum alioquin non censetur promissio Vnde sequitur, quòd talis promittens sine vlla dispensatione possit contrahere matrimonium cum adultera, si vir illius postea obierit.

Notant etiam probabiliter Layman, & Henriquez *ubi supr.*, Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 14. d. ffic. 11. n. 9.* & alij contra Sotum *in 4. dist. 37. v. unica, art. 4.* Lopez *par. 2. c. 54.* & alios; dato quòd dicta promissio sit facta seriò, & ex animo, tamen hoc non obstante requiritur, vt ab altero acceptata sit, neque satis esse ad contrahendum hoc impedimentum tacitam acceptationem, sed requiri promissionem mutuam, & reciprocam, quòd est valde notandum; sicut etiam est illud, quòd dictus Layman aduertit contra Sanchez *lib. 7. disp. 79. n. 11.* Nauarrum, & Rodríguez, nempe ad contrahendum hoc impedimentum, opus esse, vt promissio sit pura, aut saltem ante mortem coniugis purificata, cum alioquin non sit simpliciter facta promissio, quippe adhuc suspensa, & pendens à futuro euentu; & ita etiam docuit ante Layman Ægidius Coninch *in Sacram. disp. 21. dub. 5. n. 59.*

An contrahentes matrimonium in peccato mortali peccent dupliciter?

RESOL. CXCIX.

Peccare dupliciter docent Pontius *de matr. lib. 1. cap. 8. n. 11.* Vasquez *in 3. p. tom. 3. disp. 136. c. 3. n. 38.* Ledelma *de matr. q. 43. art. 3. ad ultim. argum.* Nauarrus *in c. 1. §. sacerdos, num. 10. dist. 6. de pœnit.* Et alij. Et ratio est, quia ipsi non solum suscipiunt, sed etiam ministrant Sacramentum. Ergo peccant dupliciter, & tanquam susceptores, & tanquam ministrantes.

Sed contrariam sententiam probabilem esse puto, quam tenet Fernandez de Heredia *disp. de Sacr. in genere, p. 10. dub. 13. n. 4.* Filiucius *t. 1. tract. 1. c. 6. num. 87.* Ledelma *in sum. cap. 6. tom. 1. de Sacram. in genere, dub. 9.* Fernandez *in exam. Theolog. mor. par. 3. cap. 18. §. 1. n. 5.* qui citat Sotum, Gutierrez *de matrim. c. 41. n. 3.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 6. n. 4.* Ioan. de la Cruz *in direct. conse. part. 2. de Sacram. in genere, q. 4. dub. 3. concl. 1.* Coninch *de Sacram. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 38.* Layman *in Theol. mor. l. 5. tr. 1. c. 5. n. 9.* Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 4. d. ffic. 4. n. 5.* ubi sic asserit: [El que recibe el Sacramento del matrimonio en pecado mortal, no pecas mas que vn pecado, como si recibiera otro Sacramento, porque aunque ambos los contrahentes sean ministros, con todo no estan deputados especialmente para esso.] Vnde patet responso ad argumentum contrariæ sententiæ.

An coniux excusetur à peccato mortali, si voluntariè delectetur in commotione sensitiua orta ex imaginatione coniugis absentis?

RESOL. CC.

Contra Nauarrum, Azorium, Philiaricum, & alios affirmatiuam sententiam alibi cum multis DD. probabiliter docui, sed quia aduersus me propter hoc quidam Theologaster obmurmurauit, ideò iterum eandem sententiam doceo, quam docent etiam Medina *in part. 2. quæst. 74. art. 8. dub. 1.* Zumel *ibid. disp. 4. dub. 3.* Curriel *dub. 3. §. 2. d. ffic. 3.* Zanardus *in direct. conf. part. 1. tr. de matrim. cap. 41.* Layman *in Theol. mor. lib. 1. tract. 3. c. 6. num. 14.* ubi sic asserit: Licet existiment aliqui etiam coniugatum mortaliter peccare, si voluntariè delectetur in motione venerea orta ex coniugis absentis apprehensione, eo quòd talis commotio tunc ordinari non possit

ad actum conjugalem, sed potius ordinetur ad pollutionem; opposita tamen sententia probabilitate non caret. Cum enim matrimonium à mortali peccato excuset tactus impudicos inter coniuges, non copulandi sed solius voluptatis gratia institutos, consequens est similiter etiam sensitivam commotionem ex absentis mariti cogitatione ortam, vel voluntariè acceptam à culpa mortali excusari. Ratio est, quia hæc omnia in coniugibus, per se loquendo, tendunt ad opus conjugale. Per accidens autem est, quòd ob absentiam, vel simile impedimentum opus non exerceatur. Suppono autem in his casibus abesse probabile pollutionis periculum. Ita Layman, & ego; licet nouissimè contrarium doceant Pontius *de matrim. lib. 10. c. 16. §. 2. n. 11.* Fernandez *in exam. Theol. mor. par. 2. c. 2. §. 4. n. 6.* & alij; sed nostra sententia est probabilissima.

An fœmina, quæ contraxit matrimonium cum viro improportionato, vel aliquantulum debili, ut facilius pateat aditus, teneatur pati incisionem, si commodè potest?

RESOL. CCI.

Affirmatiuam sententiam docent communiter Doctores, & inter illos Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 93. n. 3.* quia cum verum sit matrimonium, ius sui corporis transfuit in virum. Ergo si commodè potest sine magno incommodo aptam se reddere viro, tenetur. Et ita hanc sententiam nouissimè docet Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 14. diff. 18. n. 16.* præter Doctores veteres, inter quos est D. Thomas *in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. ad. 5.*

Sed ego contrariam sententiam probabilem esse puto, quam docet Basilius Pontius *de matr. lib. 7. c. 72. n. 2.* qui pro hac sententia validas rationes adducit, præter auctoritatem Durandi, Paludani, & Gabrielis. Et ita Salmantica die 3. Aprilis anno 1570. consultum respondisse testatur M. Luyfium Legionensem in causa matrimonij D. Francisci de Fonseca, & D. Ioanne de Azeuedo.

Igitur in tali casu tale impedimentum censendum est perpetuum, & matrimonium declarandum nullum; nec fœmina tenetur huiusmodi remedia pati, sed à coniugij onere libera est, vt alteri nubat. Ad argumentum verò, quod adducit Sanchez respondetur, fœminam per contractum matrimonij ius suum tradere viro apto, non inepto, atque in non aptum nullum transferri ius. Ergo, &c.

An nuptiæ sint prohibita in die Sabbati ante Aduentum?

RESOL. CCII.

Probabilem puto contra Sanchez *lib. 7. disp. 7. opinio-* nem Basilij Pontij *de matrim. lib. 6. c. 8. n. 5.* vbi sic asserit. An dies præcedens Dominicam aduentus, & diem Cinerum saltem à vesperis comprehendatur decreto Concilij Tridentini, ita vt in vespere eorum dierum nuptiæ celebrari non possint. Et quidem quod attinet ad diem Cinerum, conueniunt Doctores, non incipere prohibitionem nisi à media nocte, itaque integro die Martis solenniter nuptias celebrari posse. At quod spectat ad Aduentum Domini non pauci Doctores, & inter eos Thomas Sanchez existimant in vesperis præcedentis diei esse nuptias prohibitas, nisi vbi consuetudo aliud approbauerit. Ego tamen existimo verius etiam prohibitionem incipere à media nocte, atque in Sabbato integro ante Dominicam primam Aduentus nuptiarum solennitatem non esse prohibitam. Ad id moueor, quia Concilium Tridentinum & alia antiqua decreta dicunt, ab Aduentu Domini non posse solenniter celebrari nuptias, at Concilium Rauennatense secundum sub Clem. V. *cap. 19.* expressè primam Dominicam Aduentus nominat, quam certum est à media nocte incipere. Ex quo decreto colligo, ea ratione intellecta semper fuisse anti-

quiora Ecclesiæ decreta, quæ ab Aduentu Domini nuptias prohibuerint. Ita vir iste doctissimus, qui *num. 10.* putat, si dicto tempore prohibito adhibeatur solemniter benedictio, aut tradatur solenniter sponsa ad domum sponsi, vel adhibeant conuiuia, aut alia lætitiæ signa, peccare mortaliter sponfos talia facientes. Sed in hoc Iacobus de Grassis *part. 1. lib. 2. c. 85. n. 28.* tantum veniale peccatum agnoscit.

An qui post votum Religionis, vel castitatis, corrumpit fœminam sub pacto coniugij, teneatur illam ducere.

RESOL. CCIII.

Affirmatiuè respondent Doctores, nempè quòd si quis post votum Religionis, aut castitatis virginem corrumpit sub spe & pacto coniugij, vel aliam fœminam honestæ famæ, tenetur illam ducere, & consummare, nisi ea gratis remittat obligationem, aut alia via illi satisfactione præstita, liberè consentiat. Et ita inter multos docet Valquez *opusc. de rest. c. 3. §. 2. dub. 6. n. 20.* & Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 45. n. 3.*

Notandum est tamen, vt bene aduertit, & docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 12. num. 9.* quod probabile est, si talis tenebatur voto Religionis, teneri quidem contrahere, sed ante consummationem debere ad Religionem transire. Ratio probabilitatis hæc est, quia potest commodè vtrique obligationi satisfacere. Iustitiæ contrahendo; sic enim relarcitur damnum illatum illa deceptione. Voto autem, transeundo ad Religionem. Cum ergo commodè possit vtrique satisfieri, non est cur dicamus, obligationem voti Religionis aut cessare, aut differri. Ita Pontius,

Notabilia quadam circa coitum conjugalem.

RESOL. CCIV.

Proximis *in resol. 37. tr. 3. miscell.* contra aliquos DD, non esse licitum coniugato incipere actum sodomiticum cum vxore; quæro nunc, an saltem liceat perfricare pudenda circa vas præposterum. Affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 17. n. 5.* vbi sic ait: Si vir superficie duntaxat vasis præposteræ vxoris reflicaret sua verenda, vel in os eius intromitteret, cessante omni pollutionis periculo, non crederem esse lethale, cum os non sit vas ordinatum ad copulam sodomiticam, nec intra vas præposterum, ad eam tendens virile membrum includatur, sed solum superficiem eius externam tangat; quare tactus hic reputatur instar aliorum inter coniuges, qui ad summum culpæ veniales sunt. Ita Sanchez.

Sed hæc opinio mihi non placet, & illam reprobatur nouissimè Basilius Pontius *de matrim. lib. 10. c. 11. n. 5.* vbi sic asserit: Non omnes tactus licent inter coniuges, & ita neque licebit perfricare pudenda in vase præpostero vxoris, & aliud asserere, mera turpitudine est, & habenas laxare libidini. Sic Pontius, & ego.

Notandum est tamen aliquos coniugatos peccare mortaliter ex conscientia erronea, vt si variant situm ordinarium in coitu; nam ex se tantum est peccatum veniale, dummodò copula habeatur semper in vase naturali: quod verum esse putat Pontius *vbi supra*, etiam si eo copulæ modo aliqua pars seminis elabatur, dummodo retineatur alia, docent enim medici, non totam seminis quantitatem in matrice retineri. Rursus docet, neque esse peccatum mortale, quamuis ex eo modo concumbendi non ita certum sit fore prolem; non enim coniuges tenentur vt medio certiori ad prolem suscipiendam, sed satis est si vtantur conuenienti. Docet etiam; non esse necessarium, vt vterque simul concurrat ad seminis effusionem: quare expectare non tenetur, licet possit etiam effuso semine copulam continuare, vt fœmina seminet.

Addit idem Auctor, seminationem extra vas posse aliquando

aliquando contingere sine vlla culpa in coniugatis, vt in viris potentibus, dum congregari conantur, poterit euenire, vt ex festinatione præter intentionem semen effundatur, id enim non vitio, sed naturæ festinationi, & vigori tribuendum est.

Nota etiam contra Syluestrum, Rosellum, & Azorium, viro cum vxore licere inchoare copulam causa delectationis, & postea inchoatum coitum non absoluere, dummodo non subsit periculum pollutionis alterius coniugis, & vxor ea inchoata copula contenta sit. Item contra Azorium, & alios Theologos, & Iuris peritos, quos adducit Sanchez *lib. 9. disp. 21. n. 2.* non est peccatum mortale accedere ad menstruatam vxorem, imò aliqui in tali coitu nullam culpam agnoscunt, idque probabile putat Sanchez *ibid. num. 7.* licet ipse asserat esse tantum culpam venialem, nisi hæc etiam excusetur, ex eo quòd vrgeat incontinentiæ periculum. Et hæc omnia, vt dixi, docet Pontius cum multis aliis *loco citato de matr. lib. 10. cap. 11. n. 3. 6. & 9. & cap. 14. n. 5. & 6.* quæ sunt à Confessariis valde notanda, vt non imponant onus ferre nolentibus & vbi non est.

Sed pro coronide huius resolutionis dico, quòd licet Pontius in *dicto c. 14. n. 7.* cum Azorio putet esse peccatum veniale, accedere ad vxorem grauidam, si non adest periculum incontinentiæ, ego tamen puto in tali copula nullam culpam interuenire, & ita docet, ex Sanchez Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 9. conc. 4.* & Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 41. n. 9.*

An in sponsalibus sufficiat consensus fictus?

RESOL. CCV.

Resolutio huius dubij pendet ex illa quæstione, an promissionis contractus sine animo se obligandi vero, sed tantum ficto obliget promittentem; & communiter negatiuè respondent DD. Ita Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 9. n. 5.* & vniuersim de omni pactione docent Angel. *verb. pactum, n. 4.* Syluest. *eodem verb. q. 4.* Armilla *ibidem n. 2.* Tabiena *ibid. q. 2.* & de promissione ad sponsalitia, Veractux *par. 3. speculi, art. 19. post. 5. concl. 3.* Corduba *lib. 1. q. 13. dict. 2.* vbi alios citat, & vniuersè de omni contractu docet Richardus in *4. distinct. 27. art. 1. quest. 2.* Guillelmus de Rubeis *quest. 1. art. 1.* Gabriel *q. 1. art. 1. notab. 3.* Docent igitur eum, qui fictè promisit aliquam ducere, tantum teneri ratione damni illati, si corrumpit, non aliter. Vide etiam Molinam *de iust. tom. 2. disp. 352.* Et ratio horum omnium est, quia obligatio promissionis prouenit ex lege positua, quam quis sibi imponit. Sed nulla lex obligat, nisi legislator velit vt obliget. Ergo quando quis promittit animo non se obligandi, promissio, quæ est lex priuata, non obligat.

Sed aduersus hanc sententiam insurgunt duo lumina ætatis nostræ, Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 4. & lib. 12. cap. 2.* & Gabriel Vasquez *disp. 6. de matrim. cap. 3.* hanc sententiam secutus est etiam Turrianus in *2. 2. tom. 2. disp. 64. dub. 15.* Probant igitur hi Doctores, quòd eo ipso, quod quis profert verba promissionis, & quæ scit esse promissionis, & illi, cui fit promissio, sunt insinuata, ex naturali iure tenetur ad seruandam veritatem, cum promissio debeat esse fidelis; itaque qui promittit, non potest sua voluntate, tollere eam naturalem obligationem, & non potest esse voluntas proferendi externa signa promissionis, siue contractus, sine implicito animo se obligandi. Et hæc omnia probat validissimis rationibus Pontius *vbi supra*, quæ etiam procedere in votis demonstrat.

Ex quibus patet responsio ad argumentum Sanchez. Nam respondetur obligationem promissionis non oriri ex voluntate promittentis, sed ex naturali iure, quòd debet esse coniuncta verbis veritas in futurum, quam non potest auferre à verbis, qui promittit. Vnde infert Pontius eum, qui fictè promittit, & sub ea spe virginem decipit, teneri implere promissum, etiam si disparis conditio-

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars III.

nis sit, vel in nobilitate, vel in diuitiis, dummodo reuera nullum aliud signum exterius fuerit, quo iudicaret cum dolo promitti: disparitas enim illa conditionis non est argumentum sufficiens doli, neque fictionis. Et hæc omnia solidè, vt semper solet, conatur probare. Sed his non obstantibus primam sententiam Sanchez, & aliorum, nempe promissionem fictam non obligare, puto in praxi tutam, & probabilissimam esse, quam nouissimè tenet Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 12. diffic. 2. n. 1.* Coninch *de Sacram. disp. 21. dub. 2. n. 7.* Molin. *de iust. tom. 2. tr. 2. disp. 352. n. 4.* Layman in *Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 10.* & alij.

Quidam contraxit sponsalitia, & postea adimplere noluit, queritur an sit per censuras compellendus?

RESOL. CCVI.

Hic casus frequenter solet accidere, & ad illum sic respondet Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 6. num. 2.* si is, qui sponsalia contraxit, adimplere nolit, monendus prius per iudicem est: & si adhuc negat, per censuram compellendus est *cap. ex literis, et. 2. de spons.* Illud tamen addendum est, iudicem compellere debere per censuras compulsionem moderata, non præcisam, si pertinax sit pars in residendo, ex *cap. requisit. de sponsal.* Imò & quando prudenter iudicatur frustra ferri excommunicationem, ab illa est abstinendum. Ita Pontius, & Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 12. diffic. 19. n. 3.* vbi ita ait [Han de aduertir mucho los Iuezes, que no sean en este caso muy rigurosos, porque no hagan que se contrayga el matrimonio por miedo que cayga en varon constante, que si ello ay, no aura nada y tabien, porque suelen tener estas fuerzas dificultosas las salidas.] Ita ille.

An sponsalia dissoluantur per solum ingressum Religionis, vel sit expectanda professio?

RESOL. CCVIII.

Prima opinio asserit, non dissolui nisi per professionem. Sic Couarruias *p. 1. de matrim. c. 5. n. 15.* Nauar. in *manuali, c. 22. n. 26.* & alij, quia re vera non est textus, vnde colligatur ante professionem dissolui, & alias ex natura rei non videntur dissolui, cum possit maritus egredi, & implere sponsalia.

Secunda opinio distinguit, scilicet quoad eum, qui in seculo remanet, sponsalia dissolui, non verò quoad illum qui Religionem ingreditur, quia si ille alter velit cum eo egrediente contrahere, tenetur. Ita Gabriel in *4. dist. 27. quest. 2. art. 1. cas. 6.* Rebellus *lib. 4. q. 8. sect. 6.* & alij.

Tertia opinio est aliorum, qui docent sponsalia dissolui solo Religionis ingressu, quoad vtrumque. Sic Toletus *lib. 7. c. 26.* Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 41. n. 1. & 5.* cum aliis penes ipsum. Omnes ista tres sententiæ sunt probabiles.

Notandum est hic obiter, regulariter, & absolutè loquendo, licitum esse Religionem ingredi post sponsalia etiam iuramento confirmata, dissoluentur enim iuxta supradictas opiniones. Nec facit contra *cap. commissum 16. de spons.* vt fusè illud explicat Basilius Pontius *de matrim. lib. 12. c. 10. n. 9. & seq.*

An peccet, qui contraxit sponsalia, si suscipiat sacros Ordines?

RESOL. CCVIII.

Affirmant Rebellus *lib. 4. quest. 8. sect. 5.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 47.* & alij; sed mihi contraria sententia magis placuit, semper enim quando contrahuntur sponsalia, videtur subintellecta conditio melioris status. Et quamuis propositum cœlibatus sit melioris boni, attamen quia non est status melior, ideo non videtur subintellecta conditio cœlibatus. At clericalis ordo status

est immobilis, & ideo ex ipsa natura rei subintelligitur ea conditio in sponsalibus. Vnde dicendum est nullum peccatum committere eum, qui contractis sponsalibus ad sacros Ordines promoveri curat. Et ita docet nouissime Basilius Pontius *de matr. lib. 1. c. 11. n. 3. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 5. & Nauarius in man. c. 22. n. 25.*

Notandum est etiam hic contra Sanchez *ubi supr.* votum suscipiendi sacros Ordines dirimere sponsalia, & licite post illa potest quis tale votum emittere. Sic Pontius *ubi supr. c. 12. n. 5.* qui citat Azor. Non est tamen negandum opinionem negatiuam Sanchez esse probabilem.

Negatiue respondet Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 46. n. 9.* ubi etiam asserit post sponsalia, tale votum emittere illicitum esse.

Sed affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matr. lib. 1. c. 12. n. 4.* ubi sic asserit: Quod attinet ad votum castitatis superueniens sponsalibus, nonnulli censent eo non dirimi sponsalia, neque eiusmodi votum post sponsalia licitum esse. Ego tamen existimo votum castitatis emissum post sponsalia esse validum, vel non; hoc secundum dici non potest, ex eo quod fateatur idem Sanchez, vouentem obligatum manere ad non petendum, & peccare contrahendo matrimonium. Si ergo validum est votum non possunt sponsalia consistere, quia impossibilis est obligatio absoluta voti cum obligatione sponsaliorum. Ita Pontius, qui respondet ad omnia argumenta Sanchez, cuius tamen opinio, quam etiam tenent Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 12. diff. 12. num. 9.* Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 3. concl. 1. num. 25.* & Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. n. 6.* videtur etiam mihi probabilis, licet cum Pontio consentiant Suarez *lib. 2. de voto, cap. 4. n. 13.* Valquez *opusc. de rest. cap. 3. §. 2. dub. 1. num. 17.* & alij.

Vtrum ex matrimonio valido dissoluantur sponsalia?

RESOL. CCIX.

Certum est dissolui quoad eum, qui non contraxit matrimonium, difficultas est quoad eum qui contraxit. P. Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 48. n. 3.* affirmat in tali casu omnino dissolui, vt nulla prorsus maneat obligatio, ex *cap. 1. de sponsa duorum, cap. sicut, cap. si inter, cap. ueniens, cap. qui fidem, de sponsalibus.*

Sed negatiuam sententiam sustinet Basilius Pontius *de matrim. lib. 1. c. 13. n. 4.* ubi docet obligationem sponsalium in casu, quo alter expectet, non extinguui, sed suspendi, ita vt eo matrimonio dissoluto, teneatur priora sponsalia implere, quia obligatio nata ex sponsalibus in tali casu non extinguuitur iure postiuo; nam in canonibus allegatis à Sanchez, tantum dicitur eum, qui post sponsalia contrahit matrimonium cum aliqua, debere manere cum illa. An vero extinguatur omnino obligatio sponsalium, non diffinitur, solumque indicatur illum ea de causa non posse cum prima contrahere, quia iam impossibile est, contracto coniugio cum secunda. Neque etiam extinguuitur talis obligatio ex ipsa rei natura; quia quando priori vinculo superuenit alius fortius diuersæ rationis, vel aliud impedimentum, quo minus primum impleatur, non extinguuitur, sed suspenditur. Vt cum quis votum Religionis emisit, & postea contraxit coniugium, & consummauit, non extinguuitur voti obligatio, sed dissoluto matrimonio tenetur Religionem ingredi. Hæc Pontius aduersus Sanchez, cuius tamen opinio his non obstantibus non caret probabilitate, quam nouissime sequitur Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 12. diff. 12. n. 11.*

An si post sponsalia cum prima sequantur sponsalia cum secunda, vna cum copula dissoluantur prima?

RESOL. CCX.

Non dissolui putat Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 49. n. 5.* nisi secunda femina quæ cognita est & violata sub

spe coniugij, notabile damnum pateretur: tunc enim posset iudex obligare ad contrahendum cum secunda. Ratio vero quare in dicto casu non dissoluantur sponsalia, hæc est, ait Sanchez, quia iniuria illata posteriori non aufert ius iuramenti.

Sed in tali casu dissolui sponsalia ex parte vtriusque, & cogendum esse ad ducendum secundam, tenet Basilius Pontius *de matr. lib. 1. c. 14. n. 4.* quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius fauendum est, quam primò. Sed secunda femina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet; prior vero vt lucrum acquirat. Ergo huic, quæ damnum passa est, fauendum potius, quam alteri, quæ nullum, vel leue patitur. Ad argumentum Sanchez respondetur, posteriorem, iniuriam, & traditionem præualere priori promissioni, est enim fortius vinculum, & strictior obligatio refarciendi iniuriam, quam vinculum primæ promissionis & ideo præualeat, etsi posterior. Hæc Pontius aduersus Sanchez. Sed vtraque opinio est probabilis, & cum Sanchez consentit nouissime Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 12. diff. 12. n. 12.* cum Pontio vero tenet Rebellus *lib. 4. q. 8. sect. 8. n. 56.* Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 2. concl. 4.* & ego.

Notandum est etiam hic obiter, quòd quando ex aliquo casu cessant priora sponsalia, an seruanda sint secunda, dissentiunt Doctores, affirmat Couarruias *part. 1. de matr. c. 4. §. 1. n. 10.* & Rebellus *lib. 4. q. 8. sect. 8. concl. 1.* & alij, sed negant Sanchez *lib. 11. disp. 55. n. 6.* Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 6. concl. 8.* & Pontius *ubi supra, n. 2.* quibus ego adhæreo, quia si nulla fuit prior obligatio, non est quòd conualescat.

An in contractu sponsalium valide apponatur pena persoluenda ab iniuste resiliente.

RESOL. CCXI.

Negatiue communiter respondent Doctores, quos citant, & sequuntur Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 30.* & Gutierrez *de matrim. cap. 27.* docentes resilientem etiam iniuste non teneri eam pœnam soluere. Probant id ex *cap. gemma 129. de spons. & l. Titia, ff. de verb. oblig. & l. mulier, c. de spons.* ubi eiusmodi stipulationes dicuntur non obligare; quia matrimonia debent esse libera.

Sed ego puto cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 1. c. 19. n. 8.* & Coninch *ubi infra.* in sponsalibus licite apponi posse pœnam iniuste resilienti, tam iure ciuili, quam canonico, vt ipse Pontius validissimis rationibus totum hoc probat, ad quem te remitto. Verum propter iura *supra* citata, & maxime propter communem ferè Doctorum sententiam satis probabile est, vt notat Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 5. concl. 2. n. 29.* & Layman *in Theol. mor. tract. 10. p. 1. c. 10. n. 8.* iniuste resilientem non teneri soluere pœnam ex pacto resilienti impositam, etiam si iuramento firmetur, vt tenet Sanchez *disp. 33. n. 21.* & alij contra Lessium *lib. 2. c. 17. dub. 7. n. 56.* & Molinam *tom. 1. tract. 2. disp. 151. n. 21.*

An pactum appositum in contractu matrimoniali, vel sponsalibus, quòd vir perpetuò habitet in domicilio uxoris, sit validum?

RESOL. CCII.

Hic casus frequenter solet accidere, & ideo ad illum affirmatiue respondeo cum Doctoribus, quos citat, & sequitur Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 40. n. 2.* quibus ego addo Layman *in Theol. moral. lib. 5. ar. 10. p. 2. cap. 3.* & Basilius Pontius *de matrim. lib. 1. c. 20. n. 8.* & in tali casu si contraueniatur, posse exigi pœnam tenent multi, neque hoc repugnare libertati coniugij. Limitanda tamen est hæc doctrina, nisi noua causa emergat mutandi domicilij, tunc enim etiam si pactum sit iuramento confirmatum, licebit resiliere, & mulier tenebitur virum sequi.

Notan

Notandum est tamen hic obiter cum Pontio *ubi supra*, n. 9. contra Ancharanum *conf.* 75. n. 3. Alciat. *conf.* 34. n. 3. lib. 5. & alios, valere pactum, ne quis possit ingredi in aliquam ciuitatem, quod frequenter fit in remissionibus iniuriarum. Et hoc non solum si pactum sit temporale, sed etiam perpetuum. Et rationes pro supradictis adduxit Pontius *loco citato*, vnde Confessarij sedabunt multas conscientias, & respondebunt ad querelas partium.

An ne proles multiplicentur, cessante incontinentia periculo, sit peccatum mortale non reddere debitum?

RESOL. CCXIII.

Affirmatiuè respondet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 1. n. 16.* qui citat Angelum, Syluestrum, & Nauarum, & limitat hanc sententiam, nisi eo loco res sita sit, vt ob nouæ proles generationem parentes, vel proles ad extremam penuriam redigendi sint; quod tamen iis, qui inter Christianos viuunt, raro eueniet. Ita Layman; vide etiam Coninch *de Sacram. disp.* 44. *dub.* 3. *concl.* 4. n. 24.

Sed contrariam sententiam aliqui docent; nam in aliis etiam debitis excusat magna soluendi incommoditas, vel difficultas, & ideo Sotus *in 4. dist.* 32. *quest.* unica, *art.* 1. *Sa. ver. debitum*, n. 18. & alij tenent non esse peccatum mortale cessante incontinentiæ periculo, ea de causa debitum negare. Sed plus addit Petrus de Ledesma *de matrim.* 9. 64. *art.* 1. *in fine*, & Sanchez *tom.* 3. *lib.* 9. *disp.* 25. nam putant in tali calu nullam culpam interuenire.

Consentiunt tamen omnes Doctores, validum esse pactum inter coniuges in initum se continendi à coitu coniugali, ne proles multiplicetur, secluso incontinentiæ periculo: vide inter alios Paludanum *in 4. dist.* 31. *quest.* 3. *art.* 2. *casu* 5. D. Antoninum *par.* 3. *tit.* 1. *cap.* 20. §. 6. & Nauarum *cap.* 16. n. 33. Vide etiam Villalobos *in sum.* tom. 1. *tract.* 13. *diffic.* 41. n. 9.

An vt mulier transire possit ad secundas nuptias, sufficiat præsumptio verisimilis, & probabilis de morte viri?

RESOL. CCXIV.

Hic casus frequenter accidit, & negatiuè respondendum est ex his quæ adducit Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 46. *quest.* 1. Villalobos *in summ.* tom. 1. *tract.* 1. *diffic.* 25. *num.* 2. & Doctores, quos ad satietatem citat Barbosa *in colle.* tom. 2. *lib.* 5. *tit.* 21. *cap.* 2. n. 3. & 4. vide etiam Basilium Pontium *de matrim.* lib. 7. *cap.* 52. *per tot.* qui omnes requirunt certum nuncium, & famam de morte viri.

Sed his non obstantibus, vt optimè notat Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 3. n. 2.* probabilis est illa sententia, quod mulier in tali casu nihil peccaret, si cum eiu modi valde probabili persuasione, ac præsumptione, atque iustissima credendi causa, quod prior maritus mortuus sit, adcoque bona fide si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias transiret. Vnde Confessarius in conscientiæ foro id ipsi permittere, & iudex in foro externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret, neque mulierem punire, neque à secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc viuere, idque apertè sumitur *ex cap. cum per bellicam* 33. *quest.* 1. Ratio verò est, quia in moralibus, in quibus certitudo omnino haberi non potest homini, ad instituentes actiones suas, sufficere debet probabilissima, licet non omnino certa opinio, seu præsumptio. Ita Layman, qui citat D. Antoninum, Rosellam, Syluestrum, & Philarchum, & in facti contingentia, de hoc casu nouissimè interrogatus fuit, & cum doctrina Layman consului nihil innouandum, donec veritas de morte viri magis eluceret.

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

An coniugatus si seipsum tangat propter voluptatem captandam absque pollutionis periculo, peccet mortaliter?

RESOL. CCXV.

Affirmatiuè respondet Montefinus *in part.* 2. D. Thoma, *tom.* 2. 9. 74. *art.* 8. 9. *in fine* Ioan. de la Cruz *in direct.* p. 1. *prec.* 6. *art.* 9. *dub.* 12. Salas *in part.* 2. *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 6. *sect.* 24. n. 129. Valquez *in part.* 2. *tom.* 1. 9. 78. *art.* 8. *disp.* 123. n. 4. & Sancius *in selectis*, *disp.* 21. n. 26. Et ratio est, quia coniugatus non habet dominium proprii corporis in ordinem ad vium Veneris tecum explendum, sed tantum habet dominium corporis consortis sui: quapropter vtens proprio corpore in ordine ad Venerem tecum vtitur. Ergo, &c. & ita peccare mortaliter coniuges in tali casu docent Doctores citati.

Sed Thomas Sanchez *de matrim.* tom. 3. *lib.* 9. *disp.* 44. n. 16. contrarium tenet, & putat tantum peccare venialiter, quia cum tactus ille suapte natura indifferens sit ad copulam coniugalem, vel illicitam, possitque ad vnâ, vel alteram referri, nec ex intentione tangentis se à sua natura, & ab hoc ordine distrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur; non est cur de culpa lethali damnandus sit. Nec dici potest eum tactum non esse actum coniugis, nam non desideratur, eum cum coniuge fieri, sed latis est, vt ad coniugem præsentem suapte natura ordinari possit, nec ab hac natura ex intentione illa vtentis deuiet. Ita Sanchez, aduersus quem insurgit Sancius *ubi supra*. Nam licet actus ille indifferens dicatur in eo sensu, quod ordinabilis est ad fornicationem, vel copulam coniugalem; tamen intrinsecè malus est, quatenus per illum vtitur coniug proprio corpore, in ordine ad Venerem tecum explendam, quod illi prohibitum est, & non in ordine ad explendam cum coniuge, quæ absens reperitur. Ergo, &c. Et ideo tu tene primam sententiam.

An coniuges vtentes copula causa voluptatis peccent venialiter?

RESOL. CCXVI.

Affirmatiuè respondent Sanchez *de matrim.* tom. 3. *lib.* 9. *disp.* 11. n. 4. Bonacina *de matr. quest.* 4. *punct.* 6. n. 7. & alij penes ipsos.

Sed ego puto probabiliter non esse peccatum veniale cognoscere vxorem causa voluptatis, & hanc opinionem probabilem putat Veracruz *in speculo*, p. 3. *art.* 16. *concl.* 2. & docent Ioan. Sancius *in selectis*, *disp.* 23. n. 25. & Basilium Pontium *de matrim.* lib. 1. c. 21. n. 6. & 7. & ex veteribus Maior *in 4. sent.* *dist.* 31. *q. unica*, *concl.* 7. & Almainus *in 4. sent.* *dist.* 26. *q. 1. in fine*.

Notandum est etiam contra Sanchez *lib.* 2. *disp.* 29. *q. 3. n. 11.* non esse neque peccatum veniale contrahere matrimonium ob pulchritudinem, vel diuitias. Et ita docet Pontius *ubi supra*, n. 13. cum Soto *in 4. dist.* 20. *q. 1. art.* 2. *concl.* 3. & Maiore *in 4. dist.* 26. *q. 3. concl.* 1. & 2.

An in aliquibus casibus tactus, oscula, & c. sint licita inter coniugatos cum periculo pollutionis.

RESOL. CCXVII.

Riferam hic tantum verba Michaëlis Zanardi Dominicaniani *in direct. confess.* p. 1. *de sacram. matr.* cap. 21. *q. 27. fol.* mihi 908. vbi sic asserit. Tactus & oscula coniugati cum coniuge cum periculo pollutionis, imò cum pollutione quandoque non sunt peccata mortalia. Primò, si pollutio accidat petenti, quia quamuis petens non possit petere oscula cum periculo pollutionis, poterit tamen pati ea, etiamsi polluat, quia non dat operam rei illicitæ, & hoc est præter intentionem eius. Secundò, nec etiam in petente, si intenderet copulam; & dum iam intendit per oscula eam excitare, polluitur propter

supradictam rationem. Nectertid, si fierent ad excitandum amorem, vel ad eum conseruandum, & tum propter intentionem sequeretur pollutio. Ita Zanardus, & ante illum Sanchez *tom. 3. lib. 9. disp. 45. n. 35.* quem etiam sequitur Filiucius *tom. 1. tract. 10. p. 1. cap. 9. n. 356.*

An coniuges peccent venialiter si exercent actum coniugalem causa valetudinis conseruandæ?

RESOL. CCXVIII.

Affirmatiuè respondet D. Thomas *in 4. sent. dist. 31. art. 2. ad 4. & in supplem. 3. p. q. 49. art. 5. ad 4.* & Paludan. *in 4. dist. 31. q. 3. art. 3.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. cap. 20. §. 11.* Ledesma. *q. 49. art. 5. dub. 4.* & nouissime Francisc. Syluius *in 3. p. q. 49. art. 6. concl. 5.* ubi sic asserit. Qui exercent actum coniugalem causa valetudinis, venialiter peccant, quia licet finis intentus sit bonus, & medium, quod eligunt sit licitum, non est tamen proportio medij ad finem; actus enim coniugalis non est de se ordinatus ad sanitatem corporalem, sed ad generationem.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam tuentur Maior *in 4. dist. 32. q. 2. n. 10. §. his præmissis, concl. 5.* Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 1. n. 10.* Emanuel Sà *ver. arbitrium, n. 5.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. par. 2. c. 4. n. 3.* & alij, quia cum matrimonium præcipuè institutum sit ad propagationem speciei, videtur etiam secundariò institutum esse ad conseruationem indiuidui, species enim nisi saluis indiuiduis propagari non potest. Ergo, &c.

Vnde non mihi placet limitatio Filiucij *tom. 1. tr. 10. p. 1. cap. 6. n. 321.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 9. disp. 10. n. 3.* Henriq. *lib. 11. cap. 15. n. 5.* nempe nostram sententiam tunc esse veram, quando non occurrit aliud medium accommodatum pro conseruanda valetudine. Dicendum est enim absolutè, vsum matrimonij esse licitum, etiam si pro tuenda valetudine alia media proportionata occurrerent; nam in tali casu nulla potest ostendi inordinatio, cum coniux vtatur re in se non mala ad effectum honestum, ad quem naturaliter est proportionata.

An coniuges peccent etiam venialiter, si actum matrimoniale exercent causa vitandæ fornicationis?

RESOL. CCXIX.

Affirmatiuè respondet D. Thomas *in 4. dist. 31. q. 62. art. 2. ad 2.* Bonauent. *ibid. q. 2. art. 2.* D. August. *lib. 1. de nuptiis, cap. 14.* Gregor. *lib. 31. moral. cap. 10.* & ex Neoteris Francisc. Syluius *in add. ad 3. p. q. 49. art. 6. concl. 4.* Ratio est, quia talis coniux aliquo modo obsequitur libidini, quamuis eam coèceat intra limites matrimonij; & cum exigat debitum non causa prolis, desunt ea bona, quibus actus matrimonialis honestetur, scilicet fides ex parte, & proles. Ergo, &c.

Sed negatiuam sententiam, & meritò sustinent Durandus *in 1. dist. 31. q. 4.* Paludan. *q. 2. art. 3.* Maior *q. 2. n. 12.* Nauarrus *ca. 16. n. 12.* Philarchus *de offic. sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 19.* Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 1. n. 6.* Emanuel Sà *ver. debitum, n. 5.* & alij; quia matrimonium post lapsum hominis in peccatum ordinatum est etiam in remedium concupiscentiæ; quæ omnia ita vera existimo, vt mihi non placeat limitatio, quam adhibet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 9. n. 4.* Filiucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 9. n. 320.* Paludan. *in 4. dist. 31. q. 2. art. 2.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 10. §. 11.* Veracruz *in specula, 3. part. art. 16. concl. 1.* nempe opinionem supradictam esse amplectendam, quando illa remedia carnis coèrcendæ coniungi non sufficere videntur. Nam vt optime docent Coninch *n. 9.* & Layman *in Theol. moral.*

lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 2. cur necesse erit noua remedia præferre, quando ad hoc remedium coniugalis vsum bonum est ad eum etiam finem à Deo ordinatum, & ab Apostolo *1. Corinb. 7.* commendatum? Profectò valde anxij reddentur coniuges, præsertim qui sine spe prolis copulantur, si examinare debeant num aliis modis, v.g. ieiuniis; aliisque carnis afflictionibus continentia suæ mederi possint. Ita Layman.

Ex his infero contra Syluium *ubi supra in fine*, quòd qui matrimonium ineunt causa vitandæ fornicationis, siue sint senes, siue iuuenes, non peccare venialiter, licet ipse contrarium non bene asserat.

An vir possit irritare omnia vota vxoris.

RESOL. CCXX.

Negatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 10. c. 17. n. 3.* Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 88. art. 8. concl. 7.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. par. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 17. q. 12.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 4.* Philarchus *de offic. sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 18.* Filiucius *tom. 2. tract. 26. cap. 8. n. 256.* & alij, asserentes maritum non posse omnia vota vxoris irritare, sed ea tantum, quæ, & quatenus iuri suo, quod habet ad coniugij vsum, & familie gubernationem præiudicium aliquod asserre possunt. Et ita hoc pacto non possunt, v.g. irritare vota de præceptis, & rebus necessariis, vt de seruanda castitate coniugali, de non mentiendo, de oratione aliqua recitanda in die, & similia.

Sed in gratiam virorum, & ad subleuandum onus, quod sustinent confessarij in commutata one votorum, assero omnia vota vxoris, saltem constante matrimonio edita, à marito irritari posse, non minus quàm vota Religiosi à Prælato, & vota impuberis à patre. Et ita docet Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 34. dub. 2. 1. per totum.* Malderus *in 2. 2. D. Thom. tract. 10. dub. 7. q. 5.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 34. n. 2.* Ioan. de la Cruz *in direct. p. 1. pr. 2. ar. 2. dub. 10. concl. 3.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. D. Thom. tom. 2. q. 88. art. 9. disp. 7.* Aragon. *in 2. 2. q. 88. art. 8. post §. concl.* Emanuel Sà *ver. irritatio, n. 1.* Paludan *in 4. dist. 38. q. 3. art. 1. concl. 6.* Soto *de iust. lib. 7. q. 3. art. 1. & alij.*

Et hanc sententiam probabilem vocat Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 10. n. 83.* Rationes inuenies apud citatos Doctores. Quæ omnia supradicta vera existimo, vt firmiter teneam contra Malderum, Ledesmam, & alios, virum posse irritare votum vxoris non petendi, nec exigendi debitum. Sic Sanchez *ubi supra, n. 10 & 11.* Sic etiam poterit maritus irritare votum, quod facit vxor de opere faciendo tempore soluti matrimonij, si maritus moriatur, & ideo potest irritare votum vxoris de ingredienda Religione post mortem mariti. Item potest irritare vota vxoris emissa ante matrimonium. Quæ omnia militant etiam in marito secundi matrimonij, qui potest irritare vota; quæ fecit vxor tempore matrimonij, Et hæc omnia Sanchez *ubi supra*, quidquid in contrarium asserat Pontius *de matrim. lib. 10. cap. 17. n. 5. & seq.*

An quis ex vi denuncia'ionum teneatur denunciare impedimentum matrimonij occultum, quod non potest probare?

RESOL. CCXXI.

Hic casus frequenter potest accidere, & affirmatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom. ... lib. 2. disp. 13. n. 2.* qui citat Paludanum, Driedonem, Nauarrù, Couarruiam, Gutierrez, Henriquez, Rodriquez, Vegam, & vtrumque Ledesmam, quibus ego addo Fagundes *præc. 2. lib. 6. cap. 5. n. 4.* Henriquez *lib. 3. de penit. c. 2. 1. n. 3.* Aragon. *in 2. 2. quest. 70. art. 1. ad 2. arg.* Lopez *in instruct. p. 1. cap. 37. §. pen.* Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 2. cap. 4. n. 9.* Barbosa *de potest. Episc. alleg. 96.*

num. 51. Genensem in praxi Archiepisc. cap. 2. n. 2. Lazarium de monitoriis, sect. 2. quest. 12. num. 23. & Bonacinam de matrim. disp. 2. quest. 6. punct. 1. num. 9. ubi testatur de communi. Ratio est, quia ex c. *præterea*, de spons. vnus testis sufficit ad impediendum matrimonium contrahendum, & hoc Barbosa in collect. tom. 2. lib. 4. dist. 1. cap. 12. n. 12. cum Gutierrez de matrim. cap. 36. num. 2. & seq. ampliant, etiamsi testis non fuerit citatus, sed per partem obligatus, & quamuis esset denunciator, seu accusator, allegaretque turpitudinem suam.

Sed his non obstantibus doctissimus Basilius Pontius de matr. lib. 5. c. 34. n. 5. contrariam sententiam tenet, ubi sic asserit, Mihi placet sententia, quæ negat obligationem esse detegendi impedimentum matrimonij, si illud est omnino occultum, & ipse solus nouit: ita vt probari nullo modo possit. Quam sententiam tenuit Ioannes Maior in 4. sent. dist. 22. q. 2. art. 3. & eadem mihi sententia placet, eamque per partes explicare, & probare conabor, vt magis constet eius veritas. Ita Pontius, qui postea fusè hanc sententiam explanat, & probat, vnde quando acciderit casus, lege illum, & omnia solidè pertractata inuenies, nam ego in his meis laboribus breuitati studeo.

Nota etiam, quòd dictus Basilius num. 11. respondet ad argumentum contrarium desumptum ex cap. *præterea*, de spons. qui postea in cap. 36. num. 2. sic etiam asserit. Delato ad ordinarium impedimento, si vnus tantum testis sit absque aliis adminiculis, cenleo non posse interdici matrimonium, nec deberi per ea quæ adduxi supra, c. 4. vnus enim testis etiam in causa matrimoniali non probat, etiam quoad effectum impediendi matrimonium, quidquid dicant multi grauesque Doctores. Itaque, quæ omnia valde notanda sunt, quia noua, & practicabilia.

An si sponsalia communi consensu dissoluantur, oriatur, hoc non obstante, ex eis impedimentum publicæ honestatis?

RESOL. CCXXII.

DE hoc casu olim magna altercatio fuit, nam quidam contraxit sponsalia cum filia, & postea illis ex communi consensu dissolutis cum matre contrahere volebat, tunc sine Summi Pontificis dispensatione hoc efficere minimè posse asseruerunt multi Theologi, nam ita docet Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 68. n. 21. & probat hanc sententiam, quia nulla maior sponsalium dissolutio accidere potest, quàm alterius sponsi morte, sed in tali casu durat etiam impedimentum. Ergo.

Sed ego tunc contrarium consului, & in meam sententiam atraxi multos viros doctos ex Dominicanorum familia, & ex Societate Iesu, & præter Sà verb. Matrimonium, n. 12. citatum à Sanchez, adduci pro hac opinione Basilius Pontium de matrim. lib. 7. cap. 36. num. 9. Gutierrez de matr. cap. 103. num. 11. & Rebllum part. 2. lib. 3. quest. 14. n. 1. qui citant declarationem Cardinalium sic asserentem. Si sponsalia soluuntur de consensu, Congregatio censuit esse inualida. Ad rationem verò, quam adducit Sanchez, respondebam, quòd adest dispar ratio inter vtrumque casum; quia in morte qui contraxit sponsalia, censetur in eadem voluntate decessisse, vel saltem debuisse decedere, quamdiu alter non dissentit, quod non accidit in casu nostro; nam adest voluntas expressa dissolutionis sponsaliorum. Non est ergo audiendus Sanchez, licet vir doctissimus in hoc casu, sed omnino dicendum est cum suprascriptis Doctoribus, ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis nullum nasci impedimentum.

An possit maritus tuta conscientia interficere uxorem in adulterio deprehensam?

RESOL. CCXXIII.

ALiqui affirmatiuè respondent, vt Castillo in l. 82. Tauri, n. 6. in fin. & ibi Antonius Gomez num. 52. in

fine, & l. 76. in fine. Menchaca de success. creat. §. 7. n. 22. & vsufreq. cap. 8. & illust. cap. 94. n. 4. Azeuedus lib. 8. tit. 20. leg. 1. in fine, & lib. 4. tit. 10. leg. 1. num. 21. Et ratio est, quia tunc maritus id non efficit tanquam priuata persona, sed tanquam minister iustitiæ, ex l. merito, ff. de adulteris, & ex l. Gracchus eo. tit. Nec valet dicere has leges esse iniustas; nam, vt ait Lessius mirum est tot præclara ingenia Græcorum, & Romanorum hanc iniustitiam tot sæculis non vidisse, eamque legibus, & moribus à tempore Solonis probasse. Deinde eadem leges redactæ sunt in Codicem Iustiniani Principis Christiani, & à reliquis Principibus, & Iuriconsultis Christianis acceptatæ. Igitur in tali casu publicum ius istarum legum maritos ministros mortis efficit, illisque facultatem tribuit, vt in flagranti possint vxores accidere, non secus ac si post causæ cognitionem, & sententiam latam, illos exequendæ mortis ministros destinaret, deputat enim maritum tanquam ministrum publicæ auctoritatis iustæ executioni. Atqui id quidem rectè fieri posse lege lata, etiam inaudita adultera, quia notorius excessus examinatione non indiget, cap. bona, de elect. quando enim crimen notorium per deprehensionem, ac nullatenus excusari potest, nec est necessaria citatio, nec sententiam ad pœnam irrogandam.

Vnde ex his rationibus motus hanc sententiam Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 5. num. 16. iudicat probabilem, vt aduertit Basilius Pontius de matrim. lib. 9. cap. 15. num. 20. qui in num. 4. testatur huic opinioni subscripsisse suo tempore multos Theologos Salmanticenses, quorum alij veram, alij probabilem, & omni censura liberam asseruerunt. Adde etiam, quòd licet Magister Sacri Palatii correxerit Emanuelem Sà, asserentem hanc sententiam esse probabilem, tamen Index Hispanus librorum prohibitorum à supremo Inquisitionis Consilio editus illam minimè reprobat.

Sed his non obstantibus, hanc sententiam ipse Pontius improbabilem, & falsam esse existimat, & illam etiam reprobant 48. Doctores, quos citat & sequitur Barbosa in collect. to. 4. part. 2. caus. 33. q. 2. c. inter hæc, ubi Nicolaus scribens Alberio Archiepiscopo, dicit non licere secundum Ecclesiasticas leges vxorem adulteram interficere. Cæteras verò rationes videbis apud Pontium, qui respondet ad argumenta contraria, sicut etiam facit Lessius ubi supra. Vnde non est ampliùs de hoc dubitandum, nam ex contraria sententia daretur occasio occidendi impunè quemlibet, fingendo quòd cum vxore voluerit commercium habere, & exponeretur manifesto periculo animæ, sic interfectorum salus, qui capi possunt, accusari, & per iudicis sententiam puniri. Igitur prima opinio prorsus non est tenenda.

An sit licita inter coniuges delectatio de copula cogitata vt presenti, quando ipsa copula est illis interdicta ob aliquam causam.

RESOL. CCXXIV.

Affirmatiuam sententiam docet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 44. num. 11. sed aduersus illum insurgit Basilius Pontius de matr. lib. 10. cap. 16. §. 1. num. 12. & Emanuel Rodriguez in summa nouissima tom. 1. c. 129. conclus. 3. ubi sic ait. [Quando la copula matrimonial es illicita, por razon de alguna circunstancia extrinseca, de su naturaleza no los priua de vfo legitimo del matrimonio, tabien es illicita la delectacion del apetito sensitiuo desta copula pensada como de presente. Esta conclusion es contra Sanchez, el qual dize ser licita la dicha delectacion, y assi afirma, que entre los casados, aunque sea illicita la copula, por razon del notable peligro de la salud, ò de aborto, no sera illicita la delectacion desta copula, pues esta delectacion no es contra la dicha salud, y dizemas que illicita es la copula conigual

en lugar publico, por ser contraria à la honestidad natural, porque no es illicita mortalmente la delectacion interna sensitiva de la copula coniugal en el mismo lugar, atento que esta delectacion no es contraria à la honestidad natural, por razon de la qual la copula es illicita. Lequal doctrina tengo por muy agena de la Theologia moral, porque aunque la dicha delectacion de presente no sea notablemente contraria à la salud corporal, ni à la honestidad natural, ella así sin respeto à circunstantia extrinseca, es illicita, porque la delectacion coniugal de su naturaleza quando se tiene de presente absolutamente el acto, y no quando no se tiene.] Ita Rodriquez.

Sed non rectè quidem, nam si absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale coniugibus delectari morosè de copula cogitata tanquam præsentis, dum absentes sunt, quia cum illis non sit peccatum mortale consensus in actum, nec etiam erit in delectationem, & ita sentiunt plures DD. quos supra, & alibi citauimus, quibus nunc addo Malderum in part. 2. D. Thom. quæst. 74. artic. 10. dub. 11. Tannerum etiam in part. 2. disput. 4. qu. 8. dub. 7. num. 40. Iacobum Grenado ubi infra, & Filliucium tom. 1. tract. 10. cap. 9. num. 353. qui citat D. Thomam, Paludanum, Caietanum, Gerfonem, Armillam, & Tabienam.

Igitur respondendo ad quæstionem in hac resolutione propositam, assero probabiliter cum Sanchez ubi supra, quod quoties copula interdicitur coniugibus ob circunstantiam extrinsecam, quæ per se neutrum coniugem arcet ab usu matrimonij, licita est delectatio appetitus sensitivi de copula cogitata vt præsentis, vt si illicita sit copula propter periculum abortus, & salutis. Et ratio est, quia matrimonium non tantum excusat coitum à culpa, sed etiam morosam delectationem. Ergo cum impedimenta supradicta opponantur soli copulæ, usus solus ille redditur illicitus, & non delectatio. Secundò, in his casibus usus matrimonij ex se est licitus, sed tantum ab extrinseco, prohibetur ratione charitatis, aut pietatis obligantium præcaueri damnum coniugis, vel prolis; sed his virtutibus non aduersatur delectatio, nam ex illa simile damnum non timetur; ergo non erit prohibita.

Et idem dicendum est, quoties est physicum impedimentum ad copulam, vt si impotentia coeundi superueniat matrimonio contracto, vel quando concubitus est interdictus ratione alicuius præcepti Ecclesiæ, vt si coniux contrahit affinitatem, seu cognitionem cum altero coniuge, & ratione cuius arcetur à debiti petitione; vel si vterque similiter eam contraxit, quia tale impedimentum est extrinsecum, & arcens à copula in pœnam admissi delicti. Ergo cum res sit pœnalis, non est extendenda ad delectationem, & id quod diximus de delectatione, dicendum esse puto, etiam de tactibus. Et hæc omnia asserit Sanchez ubi supra, quem postea sequitur Granado in 12. D. Thomæ cont. 6. disput. 5. num. 10. & Villalobos in summa, tom. 2. tract. 40. diff. 17. n. 6. vbi ita ait. [Duda es quando entre los casados no es licito el acto coniugal, porque tienen hecho voto de castidad, ò por falta de salud, ò por otro impedimento, si entonces es licita la delectacion. A loqual respondo, que si es por voto, en tal caso como el acto es illicito, tambien lo sera la delectacion, como dize Sanchez, mas no quando fuerse el impedimento extrinseco tan solamente, como el mismo dize; y lo mismo sienta, quando por la afinidad que sobreuene al matrimonio, no pueden pedir el debito, porque este es impedimento extrinseco del præcepto de la Iglesia, en pena del pecado.] Sic ille; vnde apparet non bene Rodriquez dixisse, opinionem Sanchez à morali Theologia alienam esse; est enim probabilissima.

An sit peccatum mortale si coniuges inter se tangant, & osculentur pudenda propter solam voluptatem.

R E S O L. CCXXV.

Esse peccatum mortale à fortiori dicit Paludanus in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 2. concl. 6. Syluest. ver. debitum coniugale, quæst. 7. & ex neotericis Rodriquez in sum. nouissima, t. 1. cap. 129. concl. 11. vbi sic asserit. [Los casados que se delectan en tactos venereos no los queriendo ordenar à copula coniugal, pecan mortalmente; aunque Cayetano diga que no, cessando el peligro de polucion, en pero como ordinariamente ay este peligro, no deue ser amitida la opinion de Cayetano, pues de las cosas morales auemos de juzgar, conforme lo que comunemente acaece, y no hemos de acudir à metaphisicas] Ita ille.

Sed si hæc opinio esset verã, vix vix coniugatis; igitur contrariam sententiam docent communiter Doctores, etiam si tactus, & oscula sint in partibus pudendis, vnde Zanardus ex Dominicanorum familia in directorio Confessar. part. 1. de sacram. matrim. c. 41. num. 24. sic ait: Dico non esse peccatum mortale citra periculum pollutionis, quoscunque tactus oscula, verba impudica, & aspectus partium verendarum inter coniuges. Sed audiamus Syluium in 2. 2. q. 154. art. 4. concl. 61. Oscula, (ait) tactus & amplexus etiam inhonesti, inter eos ad inuicem si sunt coniugati, excusantur à mortali, quamuis fiant ob delectationem absque intentione copulæ coniugalis, modò non sit periculum pollutionis. Idem docet Filliucius Societ. Iesu to. 2. tr. 30. c. 10. n. 195. vbi sic asserit. Infertur oscula in partibus inhonestis à fortiori esse peccata mortalia: hæc enim in his partibus non fiunt nisi ex amore libidinoso, & deprauato, & practicè loquendo, semper oscula libidinosæ inter non coniugatos. Inter hos autem, etsi non sint censenda peccata mortalia, tamen increpandi sunt, qui hoc faciunt, tanquam operis arguentis animus nimis mollem, libidini deditum. Ita ille, & ego. Vide etiam Salas in p. 2. t. 2. q. 74. tr. 13. disp. 6. dist. 26. n. 69. Granado etiam in p. 2. contr. 6. tract. 4. disp. 7. n. 4.

Ad argumentum verò Rodriquez respondeo, supradicta oscula, & tactus communiter non fieri cum periculo pollutionis, & si tale periculum in aliquibus adesset, illis vti minimè possent, vt dictum est. Notandum est tamen hæc obiter, quòd si aliquis sine interruptione morali multoties osculetur pudenda alicuius feminae, vel pueri (ignoscite pudicæ aures) sufficit, vt in confessione dicat. Osculatus sum solutam, vel puerum, & non opus est explicare, quòd talis tactus, vel osculum fuit partibus pudendis, nam est hæc tantum circunstantia aggravans, quæ secundum probabilem opinionem, quam ego teneo, non est necessariò in confessione aperienda.

An tactus, & oscula sint licita inter coniugatos etiam si ex illis præuideatur sequutura distillatio?

R E S O L. CCXXVI.

Ad hanc quæstionem ita respondet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 46. num. 43. Non existimo esse mortale in coniugatis per tactus, aspectus, & verba turpia, delectationemque veneream ex copula cogitata consurgentem, dare causam commotioni membrorum seruientium generationi, & incurrere in delectationes præuisas, quamuis inter solutos id esset lethale, nam hoc non est graue damnum generationis in tali statu, & aliunde ex delectationes, & spirituum commotiones in eis vacant culpa mortali. Ita Sanchez, & post illum Salas in part. 2. tom. 2. quæst. 74. tract. 13. disput. 6. sect. 18. num. 123. & Villalobos in summa. tom. 1. tract. 13. diff. 42. numer. 1. vbi sic asserit. [Los aspectos, tocamientos, y dele

delectaciones son licitos entre los casados, y nunca llegaran à pecado mortal, quando no ay peligro de polucion, porque el acto à que se ordenan, ò de donde nace la delectacion, no es pecado entre los casados, si con los abraços y osculos se intentasse solo mostrar senal de amor, no seria pecado ninguno no hauiendo el peligro dicho, mas si aquellor actos fuessen dirigidos solo a deleyre sin animo de llegar à la copula, solo seria pecado venial, y aunque en esto vuisse periculum delectationis, no seria pecado mortal entre casados.] Sic Villalobos, vide *supra in res. 199.*

An coniuges etiam sine peccato veniali, ne seminatione noceat salut., vel ob aliam iustam causam possint copulam abrumperere?

RESOL. CCXXVII.

Hoc non esse peccatum mortale contra Syluestrum *Her. debitum, qu. 7.* & alios, si coniuges consentiant, alibi notauimus, & docent etiam Ioan. de la Cruz *in direct. conf. par. 2. de sac. matr. quest. 3. dub. 6. conc. 3.* Paludanus *in 4. dist. 31. quest. 3. art. 2. cas. 5.* D. Antonius *par. 3. tit. 1. c. 2. § 6.* Caietanus *in 2. 2. q. 154. art. 1. §. ad 2. verò casum, Sà verb. debitum, n. 17.* Armilla *n. 9.* & alij.

Difficultas est in casu proposito, an adsit culpa venialis, & negatiuam sententiam docet Layman *in Theol. mor. lib. 3. sent. 4. num. 19.* vbi sic asserit. Communiter notant Doctores, cessante in vtroque coniuge pollutionis periculo non peccare maritum mortaliter, si copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modò id faciat vxore consentiente, aut non rationabiliter inuita. Imò si iusta causa adsit impediendi seminationem, v.g. ob paupertatem, ac multitudinem proles, & nihilominus concubandi ad sedandam concupiscentiam, omnem culpam abesse, si mutuus consensus accedat; dummodo etiam mulier non seminet, alioquin etiam maritus ordinariè seminare debet, ne alterius semen frustra effundatur. Ita Layman, & ante illum Sanchez *tom. 3. lib. 9. disp. 19. nu. 3.* Ita asserens. Vbi causa iusta esset, v.g. ne seminatio noceat salut., vel coniuges sunt pauperes, & prole abundant, quam non sunt alendo, & habeant similem copulam sine seminationis periculo, quo concupiscentiam sedent, nullam inuenio culpam. Ita ille: vnde non erunt damnandi etiam de culpa veniali coniuges infirmi, qui ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam, & voluntariè illam minimè perficerent, & hic casus frequenter potest accidere.

Notandum est tamen hic obiter eum, qui versatur in ipso actu fornicario, tenere se trahere ante spermaticum, etiamsi complex iam seminat, imò etiamsi ex vi prioris commotionis post retractionem esset futura seminatio extra vas. Et ratio est, quia omni momento tenetur opus prauum abrumperere. Nec refert, quòd inde sequatur aliud incommodum, quod sit contra naturam generationis, quia illud per accidens, & præter intentionem obuenit. Et ita docet Lessius *lib. 2. c. 3. dub. 6. n. 55.* & Sanchez *lib. 9. disp. 19. n. 7.* licet ipsi contrariam sententiam probabilem esse existiment, sed mihi non placet.

An si deprehensus in stupro offerat matrimonium, ne prodatur iustitia, non obstante tali metu, teneatur illud matrimonium in conscientia adimplere?

RESOL. CCXXVIII.

Hic casus olim accidit, & de illo interrogatus respondi affirmatiuè cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 4. c. 19. n. 10.* vbi sic asserit: Si deprehensus in stupro offerat consanguineis matrimonium cum illa, vel in adulterio deprehensus, offerat matrimonium cum aliqua consan-

guinea mariti, non valet, dummodo id faciat metu mortis inferendæ à consanguineis, vel à viro. Is enim metus esset illatus iniuste, cum non possint iuste occidere, sed tantum comprehendere, & iudici prodere. Valet autem in eo casu matrimonium huiusmodi, quia offertur, vel exigitur in præmium, ne prodatur, vel acculetur quòd iuste facere poterant, quia ibi potissima est iniuria consanguineorum, vel mariti, & eo tendere debet iudicis sententia, vt iniuria compensetur. Quare si sine sententia compensationem offert, quam Lessius iudicat sufficientem, nihil agitur contra bonos mores. In quo vides latum esse discrimen inter hunc casum, & eos de quibus agitur *in l. timorem, & in l. isti quidem, ff. de eo quod metus causa.* Hæc Pontius, ex quibus in casu occurrenti videbit Confessarius an matrimonium oblatum fuerit metu mortis inferendæ, vel ne prodederetur iustitiæ. In primo casu respondebit matrimonium esse nullum, secus autem in secundo casu, quia in primo casu metus incutitur iniuste, non autem in secundo. Et hæc valde notentur, quia sæpius in præxi solent accidere.

Notandum est tamen hic obiter quod si aliquis minister iustitiæ, eum quem iuste ad mortem, vel aliam pœnam grauem damnare debuerat, impunitate oblata inuiter, vt eius filiam ducat in vxorem, tale matrimonium non valere. Et ratio patet ex dictis, quia ille reuera in tali casu infert metum iniuste abutiturque potestate, cum non fiat vlla delicti compensatio, ratione cuius metus iuste possit inferri. Et ita docet Rebellus *p. 2. q. 11. sect. 2. n. 14. & 15.* Pontius *de matrim. lib. 4. c. 19. n. 13.* licet contrariam sententiam doceant Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 12. n. 10.* & Coninch *de Sac. disp. 28. dub. 1. concl. 3. n. 10.* Secus autem dicendum est, si illi, qui capite plectendus est ob homicidium probatum legitime, promittatur impunitas, si ducat filiam, vel vxorem occisi; nam in tali casu adest compensatio iuste facta per iudicem. Idem dicendum est, si iudex deprehensus in homicidio, vel alio crimine, propter quod iuste possit occidere, minetur mortem, & per se tantum intendat pro crimine supplicium sumere, tu verò vt in mortem euadas, sponte eandem sceminam poscas in vxorem, quamuis scias, non aliter condonandam esse pœnam, matrimonium valet. Et hæc omnia docet Pontius *loco citato.*

An in matrimonio ex metu graui contracto, possit resilire, qui liber à metu est, nec particeps illius fuit?

RESOL. CCXXIX.

Affirmatiuè respondet Thomas Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 15. num. 5.* vbi docet, non teneri cogentem in foro conscientie perficere matrimonium, donec per iudicem condemnatur, sed liberè altero inuito posse resilire, nisi aliud damnum sequutum sit, quia vel iste tenetur ratione delicti, & coactionis in pœnam illius, & hoc exigit iudicis condemnationem, ante quam nemo tenetur subire pœnam. Aut tenetur ratione iniuriæ illatæ per coactionem, & hoc non, quia non est tanta iniuria coactionis, quando aliud damnum inde non sequitur, vel aliter, quam per matrimonium resarciendi nequeat. Ergo, &c. Ita Sanchez.

Sed aduersus illum insurgit nouissimè Basilius Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 15. n. 3.* vbi docet, eum qui particeps fuit, aut conscius metus illati alteri, cum quo contrahit, non posse in conscientia resilire, sed teneri obligatione expectandi voluntatem eius, qui vim passus est, & hoc secluso quouis damno. Et ratio est, quia iniustum est, vt ille contrahere cogatur inuitus: nam is qui coegit, vel coactionis particeps; aut conscius fuit, reuera iniustitiam commisit in personam; ergo remanet obligatio resarciendi, & cum resarci possit sine damno alterius, qui vim intulit, resarcienda est, stando scilicet contractui, si

si alius velit. Ad hoc autem non est necessaria iudicis sententia, cum ex iniuria illata nascatur naturalis obligatio reparandi, & idem ante omnem iudicis sententiam, ea obligatione tenetur. Vnde ex his patet responsio ad argumenta Sanchez. Nam in tali casu dicendum est, illum non teneri ratione delicti in poenam, neque ratione obligationis matrimonij, cum nulla ibi sit obligatio matrimonij; sed teneri, quia ratione iniuriæ illatæ constringitur in illo alia naturalis obligatio restaurandi in eodem genere, cum possit. Nec verò hæc censenda levis iniuria, sed grauis, cum in eo coactione committatur peccatum mortale, parque est in ea casu vir, & femina.

At his non obstantibus, puto sententiam Sanchez probabilem esse, & illam tueri nouissimè Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. diff. 37. n. 5.

An matrimonium ex leui metu contractum valeat iure naturali, & positio?

R E S O L. CCXXX.

Affirmatiuè communiter respondent Theologi, & Iurisperiti, quos citat, & sequitur Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 17. n. 2. Rebellius lib. 2. qu. 11. sect. 1. conc. 3. Pontius de matrim. lib. 4. cap. 18. n. 2. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. diff. 37. n. 5. & alij. E ratio est, quia qui operatur ex metu leui, non dicitur neque vi, neque metu operari, nam habet in sua potestate sufficiens principium quod debet metum repellere, cum operetur imprudenter; imprudentia autem cum vitium sit, potest illam expellere. Ergo qui cum adeò facile ex eo metu liberari possit, non se liberat, iure optimo censetur liberè operari.

Non reticebo tamen, aliquos asserere metum leuem reddere matrimonium nullum, quando reuera ita extorquet consensum, vt sine eo metu non fieret, & ita tenet Gabriel in 4. dist. 29. art. 2. conc. 4. Nauarrus in summa, c. 17. n. 29. & c. 22. n. 51. not. 1. Couarruias par. 2. c. 3. §. 6. n. 4. & alij, quos refert Sanchez *ubi supra* n. 4. vbi fatetur hanc sententiam esse probabilem, & pro illa adducit multas rationes, licet eas soluat Pontius n. 5.

An sponsus profecti recreationis causa possint ibi matrimonium contrahere?

R E S O L. CCXXXI.

Respondetur communiter negatiuè, quia tale matrimonium non esset contractum, neque coram Parocho sponsi, seu sponsæ, neque de Parochi licentia: ergo erit nullum; & ita sentiunt Doctores, quos citat & sequitur Cenedo q. 30. n. 60. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 32. n. 66. Riccius in praxi tom. 1. ref. 214. n. 2. & Menochius vol. 4. conf. 378. qui pro hac sententia adducit quatuor Sacræ Rotæ decisiones.

Sed his non obstantibus, aliqui sentiunt eum, qui habet alicubi etiam parui temporis habitationem, posse contrahere, & coram Parocho habitationis, & coram sui domicilij Parocho, si velit, & ita nouissimè hanc sententiam docet Basilius Pontius de matr. lib. 5. cap. 13. §. 1. n. 4. & ante illum Emanuel Sà expurgatus à Magistro sacri Palatii vbi ver. *Paro. hu.* num. 2. sic asserit: De parochia efficitur quis acquisitione domicilij. Quantum ad poenitentiam autem, & Eucharistiam, sufficit habitatio per sex menses secundum quosdam. At melius alij sufficere quantum ac Sacramenta illic habitare, & non posse commodè ad proprium ire. Ad matrimonium verò sufficit, vel modica habitatio, & ver. *matrimonium*, num. 2. ita ait. Qui alicubi habitant non animo permanendi, quibusdam non videtur posse sub illo Parocho contrahere. At mihi videtur Congregatio Concilij aliud sentire, scilicet sufficere illic habitare dum contrahunt. Sic Emanuel Sà.

Declarationes verò Cardinalium hæc sunt, quas asserit

Pontius n. 5. Proprius Parochus est, in cuius parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur: & alia sic asserit. Quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, & paruo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti, & non sint comprehensi inter vagabundos, proprius eorum Parochus esse intelligitur, in cuius parochia habitant, & tempore quo matrimonium contrahunt. Vide lector, quam sit difficilis hæc quæstio, cum pro parte negatiua adsint Rotæ decisiones, & pro affirmatiua Cardinalium responsiones. Sed cum de istis non constet authenticè, à prima opinione non discederem.

An validum sit matrimonium, cui proprius Parochus vnus contrahentis assistit in parochia alterius sibi non subditi?

R E S O L. CCXXXII.

Exempli gratia, si Parochus Petri contrahentis assistat in parochia Mariæ, cuius non est Parochus. Aliqui existimant, quemuis Parochum ex duobus contrahentium, & ita Parochum viri in parochia feminae, & e contra posse illos matrimonio iungere, & ita docet Sanchez de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 19. n. 11. qui multas rationes adducit ad firmendam hanc sententiam.

His tamen non obstantibus, aduersus illum contrarium tenet Basilius Pontius de matrim. lib. 5. cap. 16. nu. 4. & alij penes ipsum, qui etiam adducit aliquas Cardinalium declarationes. Prima ad Episcopum Brugnatensem sic ait. Si quando vir ad domum vxoris accedit pro contrahendo & consummando matrimonio, is proprius Parochus sit, qui vxoris est, & illis benedictionem Sacerdotalem dare poterit de iure. Secunda ad Episcopum Leonensem, ita ait. Vt proprius Parochus sit, qui vxoris Parochus est, si in domo vxoris contrahitur, vel eius parochia, vt *supra*, in vna Brugnatensi benedicere sponfos debeat, non obstante quacumque consuetudine contraria, & immemoriali. Et quamuis ad has declarationes posset quis respondere, in illis tantum dici sufficere Parochum vxoris, quando contrahitur in parochia vxoris, & non addi illum præcisè requiri, quasi eo ipso dicant vnum sufficere, non verò negari, quin alter possit esse præsens; hoc tamen responsum refelleretur ex earum declarationum verbis rectè consideratis; nam quæstioni propositæ, quis censendus esset in parochia feminae v. g. proprius Parochus, respondet Episcopo Brugnatensi, proprium Parochum esse vxoris, quando in parochia vxoris: cumque Concilium dicat contrahendum coram proprio Parocho, & Congregatio declaret illum esse proprium Parochum, manifestè sequitur coram alio non posse contrahi matrimonium; expendo etiam in secunda declaratione dictum esse, Parochum vxoris esse, qui in eius parochia benedicere sponfos debet. Nota verbum, *debet*, non ergo alius potest nec Parochus viri in parochia feminae aliàs non vterentur Cardinales verbo *debet*, & hæc omnia asserit Pontius, *ubi supra*, qui respondet ad argumenta Sanchez.

Verum sententiam affirmatiuam Sanchez, quam Pontius impugnat, sequitur nouissimè Laym. in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 2. c. 3. n. 3. & Villalobos in summ. to. 1. tr. 13. diff. 18. n. 2. sic asserens. [Vale el matrimonio hecho delante de qualquiera de los Parrochos de los contrayentes, aunque se haga tuera de su parrochia: la razon es porque el Parrocho à qui no exercita officio de jurisdiccion, que solo es testigo, y aunque la exercitata, no perteneceria esto à jurisdiccion contenciosa, sino à voluntaria, que es de consentimiento de las partes, laqual se puede exercitar fuera del territorio, y como el Concilio Tridentino no pone por sustancia, ni circunstancia, deste contrato, que se haga en la propia parrochia, no ay para que estenderlo à esso.] Ita ille; vnde remanet hæc sententia satis probabilis.

Sed an dictus Parochus, qui in aliena parochia coniungit suum parochianum peccet mortaliter, & puniendus sit, negat Sanchez, & Villalobos; affirmat verò Pontius, & Henriquez, at vtraque opinio est probabilis.

An Parochus excommunicatus assistens matrimonio peccet?

RESOL. CCXXXIII.

Suppono Parochum excommunicatum validè assistere matrimonio posse, item suspensum, & irregularem, etiam si sit excommunicatus non toleratus, & nominatim denunciatus, difficultas est an peccet? Aliqui affirmatiuè respondent, vt Vasquez in 3. part. tom. 4. tractat. de excom. dub. 7. num. 7. imò Basilius Pontius de matrim. lib. 5. c. 17. dub. vnic. n. 11. putat esse peccatum mortale, est enim communicatio in re graui, & sacra.

Verùm Sanchez de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 21. n. 8. contrarium docet, quia cum spectet ad suum munus, communicat in re necessaria, & licet ex alia parte videatur peccare, quia videtur actus iurisdictionis benedicere sponfos illis verbis, quæ præcipit Concil. Trident. sess. 24. de matr. cap. 1. Ego vos coniungo, &c. non tamen excedet venialem culpam, quia in nullius est præiudicium, & res est parui momenti, nec necessaria ad Sacramentum, & si omitterentur ea verba, tantum esset veniale. Hæc omnia Sanchez, quæ tamen conatur refellere Pontius *vbi supra*, tamen cum Sanchez concordat nouissimè Villalobos in summ. tom. 1. tr. 13. diff. 18. n. 7. vbi sic ait: [Añade Sanchez que el escomunicado si es tolerado no peca en esto, y si no lo es, peca venialmente, no porque asista al matrimonio, sino porque bendize à los contrayentes diziendo, Ego vos coniungo.] Ita Villalobos.

Vnde apparet sententiam Sanchez esse satis probabilem, & excommunicatum toleratum, si assistat matrimonio, nullam culpam contrahere, secus autem non toleratum, nam peccatum veniale efficeret. Nota tamen cum Suarez de cens. disp. 11. sect. 1. n. 24. certum esse nullum peccatum committere Parochum excommunicatum, quando in articulo mortis esset necessarium matrimonio assistere.

Notandum est hic obiter excommunicatum etiam non toleratum validè posse aliis licentiam dare, vt matrimonio assistant. Ita Sanchez *vbi supra*, n. 7. & Basil. Pontius num. 14. quidquid in contrarium asserat Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 3. & Coninch de Sacram. disp. 27. dub. 7. concl. 8.

An propter magnam necessitatem possit contrahi aliquando matrimonium sine presentia Parochi?

RESOL. CCXXXIV.

Affirmatiuam sententiam docuit Iacobus de Grassis *recif. qu. lib. 2. c. 86. n. 9.* vbi ait, quòd quando necessitas adeò esset vrgens, vt copia Parochi, & testium haberi non possit, vt pura quando quis est in articulo mortis, vel quando aliqua virgo sub tutela iniqui tutoris constituta, timet quòd ipse eam viro ignobili, & indigno tradet in uxorem, posse quidem in his casibus, per mutuum consensum contrahi matrimonium sine præsentia Parochi.

Sed aduersus Grassium, & meritò, insurgit Petrus Cenedo *quæst. 30. n. 8. & 16.* vbi docet adeò strictè ad literam seruandum fore decretum Concilij Tridentini, videlicet vt nullo modo contrahatur matrimonium sine Parocho, & testibus, vt procedat ipsius decisio, etiam vrgente maxima necessitate, vt si morti vicinus vellet concubinam ducere, idque omnino videatur necessarium ad legitimam prolem ex ea susceptam, & adimplendam fidem ei datam.

Notandum est tamen cum Sarmiento lib. 1. select. c. 16,

n. 7. Henriq. lib. 3. c. 11. n. 7. & aliis, apud Cenedum *vbi supra*, in suprascripto casu, quando quis in articulo mortis contrahit, posse Parochum omittere denunciationses. Et hanc sententiam docet etiam nouissimè Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. p. 2. c. 4. n. 11. & alij penes ipsum.

An denunciationses faciendæ sint in vtriusque parochia, in qua diutius commorati sunt sponsi, vel sufficiat illas facere in parochia, in qua breui tempore commorantur?

RESOL. CCXXXV.

Faciendas esse in vtriusque parochiis, vbi diutius versati sunt, & principaliorem habuere larem, docet Sanchez de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 6. n. 6. & Coninch de Sacram. disp. 27. dub. 5. n. 50. Et ratio est, quia denunciationses efficiuntur, vt contrahentium impedimenta deregantur. At cum breuem moram in aliqua parochia sponsi contraxerint, ignoti sunt, & impedimenta ignorantur. Ergo, &c. Et ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur Segura Daualos *part. 2. direct. c. 16. n. 19.*

Sed his non obstantibus, si ego, ait Basilius Pontius de matrim. lib. 5. c. 30. n. 5. viderem declarationem Cardinalium, istorum opinioni acquiescerem. Cæterum neque lego in his, quas ediderunt Farinacius atque Rebellius, quin potius ex his, quæ excusæ sunt, ego colligo in eis tantum Ecclesiis debere fieri proclamationes, de quarum parochia sunt; nam cum Concil. Tridentinum dicat eas debere fieri à proprio Parocho, declarant Cardinales proprium Parochum esse, in cuius parochia contrahentes habitant, tempore quo matrimonium contrahitur, & in alia declaratione expressè dicitur, vt quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, qui à paruo tempore in aliquo loco habitant, & non sunt de vagabundis, proprium Parochum esse, in cuius parochia habitant tempore quo contrahunt matrimonium. Existimo itaque de iure in prædictis parochiis præcisè debere fieri; an verò in aliis, vt voluit Sanchez, etiam fieri expediat, relictum existimo Episcoporum iudicio. Hæc Pontius *vbi supra*; sed tu tene sententiam Sanchez, quam nouissimè tenet Io. Maria Nouarius in pract. iur. Pont. concl. 74. n. 3. & Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 32. n. 10. Guttierrez de matr. c. 56. n. 5. & alij.

An prætermittere vnam de dictis denunciationibus sit peccatum mortale, vbi plura de denunciationibus?

RESOL. CCXXXVI.

Negatiuam sententiam docet Sanchez de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 5. n. 8. sed aduersus illum insurgit Basilius Pontius de matr. lib. 5. cap. 30. n. 3. & Coninch de Sacram. disp. 27. dub. 5. num. 51. quia omissio vnus proclamationis non est materia leuis, vt constat ex fine, ad quem ordinantur; quare Parochus, qui id suo arbitratu faceret, grauiter puniendus esset ab Episcopo. Neque satis erit ad excusandum à mortali culpa, quòd cesset causa denunciationsum in aliquo peculiari casu, vt dixi *supra* vniuersè de legibus, in præsumptione fundatis. Ita Pontius.

Sed his non obstantibus, Sanchez opinionem ego probabilem existimo, quam tuetur post illum Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 32. n. 5. Guttierrez de matrim. c. 57. n. 1. & Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. disp. 24. n. 3. vbi ita ait: [Añade Sanchez, que no seria pecado mortal dexar vna denunciacion, donde mortalmente hablando no huuiesse peligro de impedimento, porque es leue materia, y parcial del precepto.] Sic ille, & alij.

Nota etiam, quòd Pontius putat denunciationses non posse fieri extra Ecclesiam, etiam si locus sit aptus, vt ad multorum notitiam perueniant, sed Villalobos *vbi supra* num. 4.

num. 4. contrarium docet, & citat Sanchez, quibus adde Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 10.*

Debent etiam fieri dictæ denunciationes in tribus diebus festiuis, sed Villalobos loco citato asserit ex Sanchez, [que aunque no fué en fiesta, si estuiesse junto el pueblo de la manera que suele en las fiestas, se podrian hazer, porque milita la misma razon, y se guarda el intento del concilio.] Ita ille; sed contrarium docet Pontius *vbi supra num. 7.* An verò in tribus diebus festiuis continuis, vt in Paschate, possint fieri dictæ denunciationes, negatiuè respondendum est, & ideo Layman *vbi supra*, ex Sanchez notat oportere aliquod, saltem duorum dierum interuallum, inter vnam, & alteram denunciationem, intercedere, & ita docet Riccius in *praxi, part. 1. resol. 224 n. 4.* & Segura in *direct. iudic. part. 2. cap. 16. num. 20.*

Notandum est etiam, quod Henriquez *lib. 11. c. 7. n. 1. in glossa littera C,* docet quòd esset peccatum mortale, si Parochus efficeret dictas proclamationes in tribus diebus festiuis, sed interpolatè, v. g. in die Dominica facit vnam proclamationem, in altera verò minimè, & postea in aliis duabus Dominicis facit alteras duas denuntiationes. Sed ego puto contrarium cum Villalobos *vbi supra, n. 3.* ita asserente. [No fera pecado mortal, en no se hazer las denunciations en tres fiestas continuas, aunque no hauiessse grande espacio de tiempo entre la vna y la otra.] Vide etiam Coninch *de Sac. disp. 27. dub. 5. num. 47.*

An Ordinarius possit dispensare, vt omittantur denunciations, & quid intelligendum sit nomine Ordinarij in Concil. Tridentino sess. 24. de matrim. cap. 1.

RESOL. CCXXXVII.

Respondeo, non posse Parochum omittere denunciations, sed spectare ad Ordinarium, si ipse expedire iudicauerit; quia non potest sine causa. Quænam verò sint iustæ causæ, vt dispensetur in denunciationibus, vide Basilium Pontium *de matrim. lib. 5. c. 32. n. 2.* & Layman in *Theol. mor. lib. 5. tr. 10. par. 2. c. 4. n. 11.* cum Coninch *vbi infra num. 56.* Sed quis nomine Ordinarij intelligatur, vt possit dispensare in hoc casu, magna quæstio est, nam Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 3. num. 4.* Coninch *de Sacram. disp. 27. dub. 6. num. 54.* & alij quos citat, & sequitur Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 32. n. 30.* putat sub nomine Ordinarij intelligi eos, quos quasi Episcopalem iurisdictionem habere dicunt Doctores.

Sed contrariam sententiam docet Basilium Pontius *de matrim. lib. 5. c. 31. n. 3.* *vbi* docet hanc potestatem dispensandi in denunciationibus, solis Episcopis iure Tridentino concessam, & non his qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, vt Abbatibus, aut Vicariis sancti Ioannis, vel similibus. Et ita determinauit sacra Cardinalium Congregatio his verbis. Non permittitur hæc facultas Commendatario, licet eius Abbatia iura Episcopalia habeat, cuius Abbas appellatione Ordinarij venit, iuxta glossam in *cap. fin. de offic. ordin. in 6.* dixit enim sanctissimus Dominus noster, quòd Ordinarius hinc non intelligitur nisi Episcopus, attamen Cardinali Farnesio Farcensis Monasterij commendatario fuit permissum, non autem eius Vicario. Et hanc declarationem non solum adducit Pontius, sed etiam Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 13. diffic. 23. num. 6.* *vbi* tamen addit. [Vease lo que esta en practica acerca desto, que esso se podra seguir.]

An saltem Vicarius Episcopi possit dispensare, ne ex iusta causa denunciations efficiantur?

RESOL. CCXXXVIII.

Affirmatiuam sententiam tenet Thomas Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 7. n. 11.* quia hæc potestas in

Tridentino conceditur Ordinario. Vicarius autem Ordinarius est; ergo, &c. limitat tamen hanc sententiam Sanchez *n. 13.* nisi Episcopus hanc facultatem dispensandi sibi reseruauerit.

Sed aduersus Sanchez, contrarium docet nouissimè Basilium Pontius *de matrim. lib. 5. c. 31.* & ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur Henriquez *lib. 11. cap. 5. num. 5.* Igitur sub nomine Ordinarij in hoc casu non intelligitur Vicarius Episcopi, & ita illum non posse has denunciations remittere, nisi specialiter committatur.

Ad argumentum verò Sanchez respondetur, quòd Cardinales, ad quos spectat declarare Concilium, declararunt, vt dictum est, in illis verbis Concilij non intelligi Vicarium. Et ea limitatio, quam adducit Sanchez, sententiam ipsam, quam docet, euertit. Si enim Vicarius eo ipso, quòd Vicarius constituitur, habet à Tridentino potestatem denunciations remittendi, non posset per Episcopum tolli, sicut quamuis resistat & contradicat Episcopus, non potest tollere Parocho licentiam assistendi matrimonio, neque potestatem concedendi alteri licentiam. Quod ergo Episcopus denegare potest Vicario, cui generalem administrationem commisit, signum est non esse illi concessum à Concilio eo ipso quòd Vicarius est. Et hæc omnia asserit Pontius contra Sanchez.

At non reticebo, opinionem Sanchez tenere nouissimè Aloysium Riccium in *praxi tom. 1. resol. 226. n. 2.* Coninch *de Sac. disp. 27. dub. 6. cap. 55.* & Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 13. diffic. 24. num. 7.* *vbi* sic asserit: [El Vicario general del Obispo tambien puede dispensar en las denunciations porque es ordinario, como queda dicho, y el Concilio comete esto al Ordinario, saluo si el Obispo lo reseruasse, que lo puede muy bien hazer, como tenen Sanchez, y otros.] Sic ille; & alij, quos citat ad satietatem, & sequitur Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 32. num. 9.*

Notandum est tamen hanc sententiam non procedere in Vicariis foraneis, ita Gutierrez in *cap. 99. lib. 1. c. 19. num. 16.* Didacus Spin. *de testam. gloss. 15. num. 29.* & alij.

An quando contrahentes sunt ex diuersis diocesis, & Ordinarius vnus dispensat in denunciationsibus, sufficiat hoc, ne fiant in parochia alterius?

RESOL. CCXXXIX.

Affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 7. disp. 7. n. 7.* *vbi* asserit, quòd quando contrahentes sunt ex diuersis diocesis, vtriusque Prælatum posse cum vtroque dispensare, & vnus dispensationem sufficere, quia in hac re coniuges censentur quasi vna persona, & ratione connexionis causæ vterque alterius Prælati censetur subiectus. Ita ille.

Sed Basilium Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 31. n. 9.* valde dubitat de huius dicti veritate, quia læpè potest contingere, vt impedimentum, quod in vna diocesi notum non est, sit notum in alia, & ita ex dispensatione denunciations in vna diocesi, non sequitur per connexionem, & colligationem aliquam, dispensatio in alia, in quo est valde diuersa ratio de matrimonio, & denunciationsibus, nam in matrimonio, cum sit necessariò vinculum duorum, necessariò etiam sit, vt qui vnum coniungere potest, possit & alium, est enim mutua coniunctio: at in denunciationsibus non est ita necessaria colligatio, & consequentia, vt satis constat. Sic Pontius.

His tamen non obstantibus, sententiam Sanchez tenet Gutierrez *de matrim. cap. 46. num. 10.* Reginaldus in *praxi, tom. 2. lib. 31. cap. 32. n. 232.* & Coninch *de Sac. disp. 27. dub. 6. num. 54.*

An sit peccatum saltem veniale consummare matrimonium, antequam recipiat benedictiones Ecclesiae?

RESOL. CCXL.

AD hanc dubitationem ita respondet Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 13. c. 24. n. 12.* vbi sic ait. [No es pecado mortal ny venial consumir el matrimonio antes de las benedictiones de la Iglesia. La razon es, porque no es prohibicion para esto en derecho, porque el Concilio Tridentino solo dize, *Sancta Synodus hortatur, &c.* Y despues el *cap. nostrates 30. q. 5. cuncta* el Papa las cosas, que concurren para las boda, y entre ellas la benedicion solennes añaden; hæc omnia non seruare non est peccatum, y aun no podria poner à cerca desto descomunión el Obispo, y si la pudiesse, no ligaria; porque el concilio solo habla exortando à cerca desto, mas no seria pecado mortal, el no pagar el debito, ante las benediciones, porque ay muchos, Doctores que dizen, que es pecado venial consumir en este caso el matrimonio, y puede el casado seguir esta opinion.] Ita ille.

Dicendum est igitur absolute, non esse neque peccatum veniale si coniuges ante benedictionem matrimonium consumment, & ita præter Villalobos citatum docet Sanch. *de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 12. q. 7.* & Layman in *Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 12.* cum aliis penes ipsos; quidquid in contrarium asserat vterque Sotus, Petrus & Dominicus; hic in *4. sent. dist. 28. q. 1. art. 2. ille lect. 14. de matrim. §. primum ius ipsum, & alij, immò cum Sanch. aliquando credo esse sanum consilium, consummare ante benedictiones, vt quando ex aliqua causa iusta differuntur, estque periculum incontinentiæ.*

An si omittantur denunciations, matrimonium sit validum?

RESOL. CCXLI.

Negatiuè respondet Cephalus *lib. 3. conf. 421.* & Menochius *lib. 1. conf. 79. n. 70.* sed omnino contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docent communiter Doctores (vt Sarmiento *lib. 1. select. c. 6. n. 7.* Molinus *de rit. nupt. lib. 2. diff. 11. n. 45.* Gutier. *pract. qq. lib. 2. p. 4. n. 15.* Riccius in *praxi tom. 1. resol. 224. n. 6.* Chamberota *de Sac. tr. 12. de matr. dub. 17.* Campanili in *diuer. iur. can. rub. 11. c. 13. n. 143.* Leo in *Theof. for. Eccl. part. 2. c. 6. n. 45.* Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 13. diff. 24. n. 2.* vbi ita ait declarasse sacram Cardinalium Congregationem his verbis, Denunciations si omittantur, per hoc, matrimonium irritum non est, seruatis tamen cæteris requisitis.

Notandum est tamen contra Sotum in *4. dist. 28. q. 1. art. 2.* contrahentes ante denunciations factas peccare mortaliter, & ita dicendum est de Parocho tali matrimonio assistente. Ita Villalobos *vbi supra.* Gutierrez *de Sacram. Confirm. par. 1. c. 51. n. 29.* Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 4. n. 6.* & alij.

Notandum secundò cum Layman in *Theol. mor. lib. 5. tr. 10. par. 2. c. 4. n. 11.* quòd in tali casu, quando videlicet denunciations ante nuptias factæ non fuerunt, post nuptias ante consummationem matrimonij faciendas esse, ex Concil. Trident. vt si fortasse impedimentum dirimens subsit, ante copulam fornicariam detegatur, nisi Episcopo consulto videatur eas omnino intermitteri.

Notandum tertio cum Coninch *de Sacram. disp. 27. dub. 5. n. 52.* quòd non possunt sola auctoritate Parochi prætermitti denunciations, si timetur matrimonium malitosè impediendum, licèt postea efficerentur, antequam dictum matrimonium consummetur; quia hoc spectat ad Episcopum cum facile possit adiri, licèt Viualdus in *candel. part. 1. de matr. n. 243.* cum quibusdam aliis doceat posse hoc efficere Parochum. Sed tu tene primam sententiam; nam vt notat Henriquez *lib. 11.*

Anon. Diana. Ref. Mor. Pars III.

cap. 15. n. 5. ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio, vide Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 7. n. 7.*

An non obstante copula violenter extorta intra bimestre. poss. t. femina, qua vim passa est, contradicente viro ad Religionem transire?

RESOL. CCXLII.

Afirmatiuam sententiam docet Thomas Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 21. n. 6.* cum aliis penes ipsum quibus adde Emanuele Sà *ver. matr. n. 17.* quia sponsus grauem intulit iniuriam, cum non haberet ius copulam extorquendi ante bimestre concessum; ex *c. ad nostram, de empt. & vend. cap. tua, de clericis non resid. cap. sedes, de rescrip.* cum multis similibus, quæ congerit Tiraquellus *de retract. lign. §. 3. glossa 9. n. 68.*

Sed opinio contraria præter alios multos tenet nouissimè aduersus Sanchez Basilius Pontius *de matr. lib. 9. cap. 10. n. 3.* quia iam matrimonium consummatum est, & iura sine distinctione loquuntur, quare vbi ius non distinguit, nec distinguendum est, nisi turpitudò sequatur. Non ergo potest talis femina inuito viro ad Religionem transire. Cæteras rationes videbis apud præfatum Pontium, *vbi supra,* qui *n. 4.* inuehitur etiam contra Sanchez *loco citato, n. 22.* afferentem posse talem feminam, quæ in isto casu vim patitur, incontinenti conari ad semen emittendum iam receptum, quia tunc, inquit, semen non habet pacificam vasis possessionem. Sed ait Pontius, si dum reluctatur femina, eueniret, vt semen effunderetur extra vas, illam ego à peccato liberam iudicarem. At semel effusum semen, atque receptum, cuius nullus alius vsus est, nisi in ordine ad generationem, emittere turpissimum est. Neque verò quia femina posset, dum vim patitur virile membrum extrahere, ideo potest & semen iam receptum emittere, nam aliud est impedimentum apponere, dum quasi in via est ad consummationem violentus aggressor; aliud verò semen eicere, cum iam ad finem peruentum est, & consummatum matrimonium, vt satis constat. Et denique inquirendum est à Sanchez, quo fine honestari possit ea eiectio seminis; nam vt ea honesta esse posset, necessarium esset, vt duo concurrerent præcepta, vnum efficacius alio, hæc autem concurrunt præceptum naturale non eiciendi semen, cum consilio suscipiendi habitum Religiosum. Quomodo ergo potest illa effusio honesta reddi? Hæc omnia Pontius *loco citato* contra Sanchez, cuius sententiam principalem positam in titulo quæstionis his non obstantibus, tenet nouissimè Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 6. n. 3.* Vide etiam Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 13. diff. 13. n. 3.* hanc quæstionem tractantem.

An vir consentiens, vt uxor Religionem ingrediat, ipse etiam ingredi debeat, & an sufficiat si sumat habitum equitum D. Ioannis?

RESOL. CCXLIII.

Puclira, & curiosa quæstio, ad quam assero, certum esse, vt sit licitus ingressus alterius coniugis post matrimonium consummatum in Religionem, minimè sufficere licentiam alterius manentis in sæculo, sed si manens in sæculo sit senex, & absque incontinentiæ suspitione, desiderari vt votum castitatis emittat, si autem iuuenis, id non sufficere, sed opus esse, vt pariter Religionem ingrediat, vt habetur in *cap. cum sis, de conuer. coniugat. & cap. uxoratus, eod. tit.* hoc supposito tanquam certo, difficultas est, an in tali casu sufficiat, si vir assumat habitum Religionis Equitum Melitenis. Negatiuè respondet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 32. n. 4. in fine,* vbi sic ait. Nec sat est si profiteatur vir assumpto habitu Equitum D. Ioannis, quia ea sit professio solennis, at ij manent in sæculo cum periculo incontinentiæ, cuius contrarium petitur in *cap. uxoratus, de conuer. coniugat.*

Sed his non obstantibus affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 9. p. 12. n. 3.* vbi sic asserit. Cum ergo vno coniuge ingrediente Religionem, alter si iuuenis est, ingredi etiam Religionem compellitur, non quidem ingreditur, vt ibi tantum degat tanquam in aliquo honesto loco reclusus, vt seruet continentiam, sed vt verè profiteatur: sufficit autem ingredi Religionem sancti Ioannis, quod immeritò negat Sanchez, constatque ex praxi, & ego vidi sic seruari. Fœminis etiam licebit monasterium sancti Iacobi ingredi, & in eo ordine profiteri, & satisficient suæ obligationi. Ita Pontius; iatis quidem probabiliter, nam vt alibi ex auctoritate multorum Doctorum probauimus, votum ingrediendi Religionem impletur, ingrediendo dictam Religionem D. Ioannis.

An si vnus promittat matrimonium, & alius accipiet, non tamen repromittendo, maneat promittens obligatus?

RESOL. CCXLIV.

Affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 3. disp. 5. n. 12.* vbi sic ait. Quando matrimonij promissio fit gratis, & liberaliter, tunc altero acceptante promissionem nec repromittente, solus promittens obligatur, quòd si alter post acceptationem diu distulerit repromissionem, & matrimonium perficere, censetur contemnere: atque ita qui promisit, manebit liber ex tacita remissione, quia cum promissio matrimonij mutuam ex se repromissionem exigat, tendatque ad matrimonij complementum; euidentis contemptus, ac tacitæ remissionis signum apparet, diu repromissionem, ac matrimonium protrahere. Ita Sanchez.

Sed contra illum stat Basilius Pontius *de matr. lib. 12. c. 4. n. 2.* vbi sic ait. Ego existimo nunquam esse posse promissionem futuri matrimonij gratuitam, & sine conditione repromissionis, & ex consequenti, si vnus promittat, neque alter repromittat tacitè, vel expressè, neutrum obligari: & affert rationem ex Gabriele Vasquez *in 3. part. tom. 4. disp. 4. de matr. cap. 3. num. 33.* quia contractus matrimonij est instar contractus cuiusdam commutationis, & necessario in se continet mutuam obligationem vtriusque, ita vt nemo velit, nec velle possit se tradere, nisi sub conditione, vt alter se ei mutuo tradat in compensationem, & obliget.

Ex his multa colligit Pontius contra Sanchez. Primò, promissionem futuri matrimonij non obligare ante acceptationem, neque ex iustitia, neque ex fidelitate. Secundò, sponsonem matrimonij factam infanti fauore illius non esse firmam, vel ratam, neque expectandum tempus, donec ille velit repudiare, vel acceptare. Tertio, promissionem matrimonij etiam absenti fieri posse, neque in hoc seruetur stipulationis solennitas: attamen antequam acceptetur ab absente, posse reuocari, & non obligare; nec posse stipulari aliquem pro alio in hac promissione, ita vt recedere non liceat promittenti. Vnde non satis est, neque pater, neque mater, neque frater, neque foror, neque alij ad acceptandum eius nomine. Quarto, si viro promittente matrimonium eam promissionem fœmina acceptet, contractum sponsaliorum valere, neque esse necessarium aliam repromissionem, quia cum promissio matrimonij non sit nisi sub conditione repromissionis, neque esse possit, ipso, quod aliquis acceptat, significat velle se in futurum contrahere, cum non possit aliter promissionem acceptare, quæ est de matrimonio futuro. Hæc omnia Pontius aduersus Sanchez; sed quia fuerunt viri doctissimi, saltem ex principio extrinseco, vnusquisque suam opinionem efficit probabilem, & tutam in praxi.

Quando teneatur implere qui contraxit sponsalia, nullo præfixo termino?

RESOL. CCXLV.

Ita respondet Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 38. num. 2.* si dies appolita minimè sit obligationi, nec alia conditio, non teneri promissorem statim implere, sed tantum requirente eo cui promissio facta est, tunc verò cum alter petit teneri contrahere. Ratio est, quia id generale est in omni debito absque diei præfixione, solum enim tenetur debitor à creditore requisitus, soluere, vt constat ex *l. debitores presentes, C. de pignor.* Ita Sanchez.

Sed hæc opinio displicet Basilio Pontio *de matrim. lib. 12. c. 6. n. 1.* vbi sic asserit. Incipit obligatio adimplendi sponsalia à momento contractus *l. in omnibus obligationibus, ff. de reg. iuris.* cuius oppositum immeritò docuit Sanchez argumento textus in *l. debitores, C. de pignoribus.* ex quo textu constat debitorem non teneri soluere, nisi requisitus, quando non est debito soluendo præfixus terminus, sed id perperam ex dicta lege colligitur; nam ibi agitur de distractione pignoris, quod creditor habet: non enim valent pacta de pignore propria auctoritate distrahendo. At quando conuenit, ne pignus debitoris distrahatur, & perpetuam moram soluendi faciat, solenniter, ac cum testibus denunciare eidem possunt, vt pignus liceat contrahere, vt in *d. l. debitores*; itaque perperam suam doctrinam ex dicta lege colligit Sanchez. Quod autem attinet ad eam doctrinam, quam affert, verum quidem est, quando aliquis mutuam pecuniam dedit, nec terminum præfixit, intelligi debere necessariò aliquem terminum arbitrio iudicis, vt vtile sit mutuum, aliàs nulla mutuarij vtilitate datum mutuum esset, si statim repeteretur, sicut etiam idem dicitur de precario. At in nostro casu longè diuersa ratio est; non enim est necessarium tempus expectandi, in quo sit vtilis promissio, est enim vtilis à principio, & vtilis adimpletio, & ita etiam alio non petente adimplenda est, nisi alter adimplentionem differri ex causa postulet. Ita Pontius aduersus Sanchez.

Sed his non obstantibus, opinionem Sanchez probabilem esse puto, quam post illum tuetur Villalobos *in summa tom. 1. tr. 13. diff. 9. n. 1.* vbi sic ait. [El que le desposo sin terminar al tiempo, en que se auia de casar, obligacion tiene pudiendolo hazer commodamente, quando la otra parte lo pidiere, porque assi acontece en las demas deudas, que se contraen sin señalar el termino de la paga.] Et hanc sententiam docet etiam Coninch *de Sacram. disp. 22. dub. 1. n. 2.*

An sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adeptò resiliere?

RESOL. CCXLVI.

Non posse resiliere mordicus docet Sanchez *de matrim. tom. ... lib. 1. disp. 5. q. 3. n. 22.* & adducit *cap. ex literis el. 2. de spons.* Affirmatiuam tamen sententiam tenet Basilius Pontius *de matr. lib. 12. c. 9. n. 7.* vbi sic ait. Quæres quid dicendum sit, si impuberum sponsalia iuramento confirmantur: Nonnulli dicunt resiliere non posse, etiamsi ad annos pubertatis peruenerint, docet cum alijs Sanchez. Addit tamen, vt eiusmodi iuramentum confirmet sponsalia, necessarium esse, vt sint proximi pubertati. In quo non loquitur consequenter, sed euertit sententiam, quam primò defenderat. Sed mihi longè probabilius videtur, etiamsi iuramentum interponatur, adhuc remanere sponsalia impuberum eiusdem rationis, quia iuramentum sequitur naturam obligationis, cui adiungitur; sed sponsalia impuberum iure communi dissoluuntur, altero eorum reclamante, cum ad pubertatem peruenerit. Ergo idem etiam est, quamuis iuramentum accedat. Vt enim dicamus alium effectum habere iuramentum, deberet esse

esse in hoc specialis iuris dispositio, quæ non est. Ita Pontius, qui multas alias rationes adducit aduersus Sanchez. Et hæc opinio videtur mihi satis probabilis, vnde impuberes possunt à sponsalibus rescire post annos pubertatis, licet sponsalia iuramento firmauerint.

Nota tamen quòd opinio Sanchez est etiam probabilis, & illam etiam tenet Ægidius de Coninch *de Sacram. disp. 2.3. dub. 2. concl. 3. n. 9.* vbi sic asserit. Impuberes contrahentes sponsalia, si ea iuramento confirmant, non possunt postea parte inuita iis renunciare.

An qui fictè contrahit matrimonium, iterum teneatur verè, & ex an. mo contrahere?

RESOL. CCXLVII.

Negatiuè respondet Martinus Ledesma *2.2. q. 47. ar. 4.* nec multum ab illo differt Thomas Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 11. num. 5.* docet enim si nullum damnum sequitur sceminae, cum qua quis fictè contraxit matrimonium, non teneri iterum contrahere; secus tamen si damnum sequitur, vel infamia, vel quia aliud iam inire non potest; nisi forte sint disparis conditionis, putat enim ex nullo contractu cum fictione celebrato obligationem oriri, nisi ratione alicuius damni illati, non verò ex vi contractus.

Sed hanc sententiam refellit Basilius Pontius *de matr. lib. 2. cap. 5. n. 5.* vbi sic ait. Mihi videtur, fictè contrahentem iterum teneri verè ex animo contrahere, quod quidem ita certum existimo, vt iudicem oppositum probabilitate carere; neque vllum alium quàm Martinum Ledesmam pro se citare potest Sanchez, vnde meritò improbabilem censet Ledesma *q. 45. art. 4. dub. 5.* & indubitatim Petr. Soto *lect. 3. de matrim. §. primum igitur*; tenet eam Sotus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3.* qui omnium esse fateatur, olim tenuit Ioan. Maior *in 4. dist. 27. q. 1.* Petrus Gregorius *lib. 9. synt. c. 5. n. 6.* quia si opinio contraria admitteretur, latissima aperiretur via hominibus sceleratis ad decipiendas sæpe sceminas, si semel sibi persuaserint non teneri ad contrahendum. Ita Pontius, qui alias validissimas rationes adducit ad hanc sententiam confirmandam, & n. 8. infert contra Sanchez, ita fictè contrahentem teneri iterum ad verè contrahendum, etiam si sit longè disparis conditionis in nobilitate, aut diuitiis, quando reuera nullum signum adsuit, quo iudicari posset non seriò promitti, præter disparitatem; disparitas enim illa conditionis non est argumentum huiusmodi doli, atque fictionis.

Sed licet hæc omnia dicta sint à Pontio satis solidè, & probabiliter, tamen sententiam Sanchez non puto improbabilem, vt ipse Pontius existimat, & idè illam tenet nouissimè Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 8. n. 2.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 6. n. 1.* licet asserat, quòd compensatio damnorum plerumque alia ratione secundum æqualitatem fieri non potest, nisi de nouo verè contrahatur.

Nota etiam cum Layman *ibid.* qui citat Syluestrum, Ledesmam, Henriquez, & Vasquez, quòd deceptor ad matrimonium non obligatur in multis casibus. Primò, si decepta pro virgine se falsò iactauit. Secundò, si ex tali matrimonio scandala, & infelices exitus timeantur. Tertio, si deceptor, vt dictum est, longè eminentiori statu positus sit. Quarto, si decepta cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte recipiat. Quintò, si deceptor aliud postea matrimonium verò consensu contraxit.

An saltem peccet venialiter, qui loqui valens contraheret matrimonium per signa, & nutus?

RESOL. CCXLVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 31. n. 10.* vbi ait. Fateor culpam esse *Amon. Diana Ref. Mor. Pars III.*

veniale non exprimere verbis, sed solis signis consensum in matrimonio contrahendo, nisi iusta causa excusaret.

Sed contra illum nullam culpam venialem in tali casu agnoscit Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 7. n. 14.* vbi sic asserit. Ego non video aliquod præceptum Ecclesiasticum de verbis adhibendis, & Pontifex *in cap. tua fraternitati, & cap. licet, de spons. duor.* non intendit excludere alia signa sensibilia expressiua consensu, & ipse Sanchez admittit nullum in dictis capitibus contineri præceptum. Quòd si nullum agnoscit præceptum in dictis cap, quomodo potuit consequenter affirmare, esse peccatum veniale in omissione verborum; cum peccatum, tam mortale, quàm veniale, non possint esse, nisi vbi lex, & præceptum est? Nec verò ex Trident. *sess. 24. c. 1. de refor. matr.* colligi potest necessitas verborum, cum dicitur, *vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum consensu intellecto, &c.* Neque enim dicit Concilium, vt interrogatio fiat per verba, cum surdi, & muti Parochi verba percipere non possint, & quando Parochus interrogat eos, qui loqui possunt, & audire, non definit Consilium, neque præcipit, vt responsio etiam verbis fiat, sed solùm vt Parochus intelligat contrahentium consensum, potest autem ex signis æquiualentibus intelligi. Ita Pontius contra Sanchez.

Sed in illius fauorem stant nouissimè Coninch *de Sacram. disp. 24. dub. 9. n. 66.* & Filiucius *tom. 1. tract. 10. p. 1 c. 3. n. 82.* qui asserunt tales contrahentes peccare venialiter: non sunt tamen audiendi Petrus de Ledesma *in summa, de matrim. q. 45. art. 2. concl. 2.* Rodriquez *in summa, tom. 1. cap. 216. n. 5.* qui putant supradictos contrahentes peccare mortaliter, quòd etiam docet nouissimè Syluius *in 3. p. q. 5. art. 2.*

An procuratore misso ad contrahendum, si mandans in amentiam incidat, matrimonium sit validum?

RESOL. CCXLIX.

Affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 2. disp. 11. n. 12.* vbi sic ait. Hinc infertur si procuratore misso dans mandatum in amentiam incidat, & talis perseveret dum procurator nomine suo contrahit, valere matrimonium, manet enim virtute prior consensus, cum reuocatus non sit: sicut Baptismus furiae tempore receptus, petitus ante furiam, validus est, ex *cap. maiores, de Baptismo*, sicuti, si tunc temporis esset dormiens, valeret matrimonium. Ita Sanchez.

Sed hæc sententia displicet Basilio Pontio *de matrim. lib. 2. c. 15. n. 14.* quia pro forma, & causa contractus est consensus. Ergo nullum est matrimonium: adde si moretetur mandans, eo tempore nihil ageret procurator, ipsa enim morte cessaret consensus. Ergo etiam amentia, quæ æquiparatur morti, quoad consensum: in quo videtur longè diuersam esse rationem de mandato, si in amentiam incidat, aut si dormiat; ille enim incapax est habendi consensum, hic verò minimè. Neque simile est, quòd Baptismus petitus ante amentiam, validè conferatur in amentia. Nam vt Baptismus effectum habeat, satis est voluntatem præcessisse, neque reuocatam, eo enim ipso posita materia ponitur effectus: at in matrimonio necessarius est consensus perseverans, etiam in ipso fieri contractus, quia consensus per verba expressus, vel signa est forma matrimonij. Idem est in sacramento Pœnitentiæ, potest enim absolui, qui ante amentiam dedit signa contritionis, neque enim necesse est simul sint in pœnitentia, materia, & forma eius Sacramenti. Atque id, quod dicimus, intelligetur facillè, si quæramus, an cum illo in amentiam incidente, & præsentè, licet explicasset antea consensum, contraheretur matrimonium? Minimè. Ergo neque per procuratorem contrahi poterit, si mandans in amentiam incidat. Sic Basilius contra Sanchez.

Sed Sanchez sententiam tenet Henriquez *lib. 11.*

cap. 4. num. 4. & nouissimè doctus Bonacina de matrim.
quest. 2. punct. 3. num. 1. 3.

*An matrimonium inter absentes contractum per
procuratorem, vel per literas coram Parocho,
& testibus sit Sacramentum?*

RESOL. CCL.

Negatiuum sententiam docet nouissimè Gulielmus
Eltius in 4. sent. dist. 19. §. 5. Francisc. Syluius in 3. p.
D. I. bona, q. 42. art. 1. queritur 3. concl. 2. qui citat Caieta-
num, Victoriam, & Canum. Et ratio est, quia sicut colla-
tio Sacramenti est actio personalis; ita eius receptio est
personalis passio negatiue; neque dici potest hoc esse ma-
trimonio, utpote contractui, peculiare, quia præter natu-
ram contractus etiam habet rationem Sacramenti, quod
proinde similiter, ut alia Sacramenta, requirit, ut minister
applicet formam ad materiam in subiecto præsentem.
Confirmatur, etiam si pœnitentialis absolutio sit iudicialis,
possit autem aliquis iudicialiter absolui, etiam si sit ab-
sensus; quia tamen est Sacramentum, non potest in absen-
tem proferrì. Deinde sequeretur alioquin, quòd Sacra-
menta conferant gratiam absenti, & sic occupatio circa
alia, ut nec ipse de Sacramento cogitet, nec circa ipsum
fiat actio sacramentalis.

Sed contrariam sententiam docent Doctores, quos ci-
tat, & sequitur Sanchez de matr. tom. 1. lib. 2. disp. 11. q. 2.
n. 20. quibus ego addo Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13.
diffic. 9. n. 3. Ioan. de la Cruz in direct. p. 2. de matrim. ante
q. 1. Basilium Pontium de matrim. lib. 1. cap. 10. n. 2. Valen-
tiam tom. 4. disp. 10. q. 1. punct. 6. Coninch de Sacr. disp. 24.
dub. 2. concl. 5. n. 23. & alios, vnde inferunt supradiçti DD.
contrahentes sub peccato mortali teneri curare, ut sint
in gratia illo tempore, quo procuratores eorum nomine
contrahent, ne Sacramentum viuorum in peccato mor-
tali suscipiant; secus de procuratoribus, qui alieno nomi-
ne agunt, nec vllum Sacramentum suscipiunt.

Quid ego sententiam dicam breuiter cum Rebellio p. 2.
lib. 2. q. 5. concl. 2. n. 9. quod etsi valde probabile sit, matri-
monium inter absentes contractum, non posse esse Sa-
cramentum nouæ legis, seu gratiæ, sine periculòque de-
fendi posse videatur, omnem collationem, receptionem-
que cuiusvis Sacramenti exigere præsentiam conferen-
tis, ac recipientis, ut habet prior opinio; attamen poste-
rior tenenda est, ut communior, ac securior, quæ absolu-
tè ait, esse Sacramentum, si videlicet contrahentes inten-
dunt saltem implicite, facere Sacramentum; id autem in-
tendere sunt censendi, quoties intendunt quod Ecclesia
intendit in coniugandis fidelibus.

Et licet Villalobos in summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 9. n. 3.
optimè asserat, [que hazen bien los contrahentes, que
despues en presencia se bueluen à casar para quitar escru-
pulos, porque el matrimonio por la parte que tiene de
contracto, se puede reperir à manera de los demas con-
tratos, y no se reytara aquel Sacramento, porque esto so-
lo es confirmar el contrato; y no hazerle de nueuo.] Vn-
de sic facièdo si fortè non receperunt Sacramentum,
postea illud recipiant; attamen ego puto cum Rebellio
ubi supra, n. 10. quòd tam Sacerdos, quàm contrahentes,
cum in facie Ecclesiæ iterum iunguntur, ad faciendas so-
lennitates omittas, implicite hoc facere saltem intendunt;
siquidem rem, ut de iure licet, peragere volunt; quod est
valde notandum ad tollendos scrupulos.

Notandum est tamen hic cum Syluius, & Pontio, &
aliis ubi supra, diuersitatem sexus nullius esse momenti in
procuratore, cum sit tantum instrumentum ministrans
verba, quibus contrahitur matrimonium, & ideo scemina
potest contrahere in tali casu matrimonium pro viro.

Notandum est etiam, quòd procurator non debet ex-
cedere suum mandatum, alioquin matrimonium est nul-
lum; [mas non obstante esto, ait Villalobos ubi supr. n. 2.

aunque en el poder le digan, que contrayga guardando
la forma del Concilio Tridentino, si hizo al contrario
sin moniciones, con todo vale; porque tambien valdria,
si el mismo, que da el poder, le hiziera assi.] Ita ille, qui
etiam aduertit, [que se puede dar poder al procurador,
aunque no sea con escritura, ni tan poco es necessario,
que tenga edad determinada.] Nota quòd dicta procura-
tio, non est necesse, ut efficiatur coram Parocho, ac testibus;
licet coram prædictis postea sit in eundem matrimonium.

Idem quod dictum est de matrimonio per procura-
torem contracto, dicendum est, ut notat Barbola in collect.
tom. 4. par. 2. decreti causa. 30. q. 5. nec illud, n. 2. cum aliis
communiter, si per literas contrahatur, & ad hoc efficien-
dum à Villalobos ubi supra, diffic. 10. n. 2. faciles viæ præ-
bentur, [la vna, si el que escribe la carta, embia menlage-
ro co ella dandole poder à el ò à otra persona, que en
su nombre acete el contrato, lo qual no solo seria contra-
her por carta, sino juntamente con ello por procurador.
La secunda manera es (& hic est modus facillimus) que
en carta escriua, que desde entonces aceta la tradicion,
que la otra parte le hiziere, y si leyda la carta delante del
parrocho y testigos, da su consentimiento, la otra parte, y
a el matrimonio vale, y este modo es facil.] Notentur
hæc, quia in praxi possunt non semel accidere.

Quænam sit materia, & forma huius Sacramenti?

RESOL. CCLI.

Prima opinio asserit, internum consensum contrahen-
tium esse materiam, verba autem esse formam. Ita
Nauarrus c. 22. n. 20. & Syluester ver. matrimonium n. 1.
Secunda contra Nauarrum docet, nempe verba esse ma-
teriam, consensum formam. Ita Maior in 4. dist. 26. q. 1. &
3. Tertia tenet verba ab vno prius prolata esse materiam,
alterius verò verba esse formam, Ita Victoria in summa,
n. 245. Quarta docet, verba contrahentium, esse sibi mu-
tuo materiam, & formam, quæ enim matrimonij contra-
ctum inchoant, & offerunt, materiæ rationem obtinent;
quæ verò eundem acceptant, perficiunt, & complent,
formæ rationem habent. Ita DD. quos citat, & sequitur
Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 6. quibus ego addo
Coninch de Sacr. disp. 24. dub. 3. n. 3. & 33. Villalobos in
summ. tom. 1. tract. 13. diffic. 6. n. 2. & Suarez in 3. part. tom. 3.
disp. 2. sect. 1. assert. 1. Quinta opinio asserit, materiam hu-
ius Sacramenti esse coniugum corpora mutuo tradenda,
formam verò esse verba coniugum contrahentium. Ita
Paludanus, Couarruias, D. Antoninus, & alij, quos ci-
tat, & sequitur Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. pa. 1.
cap. 3. m. 3.

Mihi quarta opinio magis placet. Sed quænam sit ma-
teria & forma in matrimonio contrahendo per procura-
torem inter absentes, vide Sanchez tom. 1. lib. 2. disp. 11.
q. 4. n. 28. cuius sententia displicet Basilio Pontio de matr.
lib. 1. cap. 10. n. 6.

*An si coniux infidelis velit permanere cum coniuge
fideli sine iniuria creatoris, & scandalo possit
hoc non obstante coniux fidelis nouum
matrimonium inire?*

RESOL. CCLII.

Negatiue respondet Rebellio part. 2. lib. 3. q. 10. n. 10.
quia gratia non destituit naturam; ergo nec prior
contractus per similem contractum in lege gratiæ sine
culpa alterius coniugis soluetur. Idem docet Valentia
tom. 4. disp. 10. q. 1. punct. 7. Toletus in summ. lib. 7. c. 7. Na-
uarrus in manual. c. 22. n. 49. & ex veteribus D. Bonauen-
tura in 4. dist. 33. art. 2. q. 1. D. Thomas ibidem quest. vnic.
art. 5. Richardus art. 2. q. 2. Paludanus q. 1. art. 2. Duran-
dus quest. 2. & alij, & adducunt textum in cap. gaudemus,
de diuortiiis.

Sed alij his non obstantibus putant absolute coniugem ex infidelitate ad catholicam fidem conuersam posse transire ad alias nuptias, quamuis alter coniux in infidelitate persistens pacifice, & sine iniuria cohabitare vellet. Et ita docet Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 74. num. 9.* & alij penes ipsum.

Ad argumentum verò desumptum ex *cap. gaudemus* respondet Coninch *de Sacram. disp. 26. dub. 5. n. 61.* quòd Pontifex ibi pro eodem sumit coniugem velle cohabitare manendo in sua infidelitate, & id velle cum contumelia creatoris, quia velle in infidelitate permanere, Dei contumelia est, præsertim quòd talis, vel exemplo filios ad infidelitatem facile pertrahet, vel saltem erit infidelis, & hostem Dei fidelibus liberis dominari. Vnde hos duos casus, scilicet infidelem velle se conuertere, & nolle cohabitare fidei sine iniuria creatoris, aut ab ea discedere, ponit tanquam duo membra adæquatè genus diuidentia.

Nota verò, quòd Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 1. c. 3. n. 4.* cum Veracruz *in speculo part. 2. art. 29.* putat ob auctoritatem Doctorum contrariæ sententiæ, longè tutius esse in hoc casu Summum Pontificem consulere, atque dispensationem petere.

At si aliquis hoc nollet efficere, tenetur alterum coniugem monere, & inuitare ad fidem. Vnde sequitur infideli petenti certum tempus ad deliberandum de conuersione, id debere ei concedi, quia hoc rationabile est, nec ante potest constare eum esse pertinacem. Non tamen requiritur, vt per Ecclesiæ sententiam declaratur esse pertinacem, sed sufficit alia via id constare, & idem quod de matrimonio diximus, dicendum est de ingressu Religionis, & de susceptione Ordinis sacri. Coninch *vbi supra n. 62.* & alij.

An matrimonium infidelium, cum ambo baptizantur fiat Sacramentum, eisque gratiam conferat?

RESOL. CCLIII.

PRima opinio affirmat solam Baptismi susceptionem sine alio nouo consensu, efficere matrimonia infidelium verum Sacramentum. Et ita docet Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 2. disp. 9. n. 5.* quia statim ac baptizantur, matrimonium illud repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia, cum in Christi fide contractum perseveret, efficiaturque indissolubile, saltem vt matrimonium ratum fidelium. Ergo statim, ac baptizantur, efficitur Sacramentum. Sed hæc Sanchez sententia mihi displicet, quia si hoc sufficeret, sequeretur fideles consummantes matrimonium, conficere nouum Sacramentum, & matrimonium, quia quod prius poterat per dispensationem Pontificis, & ingressum Religionis solui, & tantum repræsentabat vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam, efficiunt insolubile, & repræsentans vnionem Christi per Incarnationem, vt habetur *cap. debium 5. de bigamis.* sed hoc dicere est absurdissimum. Ergo.

Secunda opinio docet, quòd tunc primum matrimonium infidelium rationem Sacramenti assequitur, cum post Baptismum, vel noui consensus mutui exprimuntur vel præcedentes per aliqua externa signa: & probabile est non esse opus, vt Sacerdos, vel testes præsentés sint, sed vt dixi, sat est primum matrimonium de nouo signis externis ratum habere iuxta Ecclesiæ intentionem; verum est, quòd si infideles coniuges baptizentur, nolint tamen de nouo in Christo contrahere, vel ratum habere præteritum coniugium secundum Ecclesiæ intentionem ad recipiendum istud Sacramentum, non videntur damnandi mortalis, sed absque Sacramento vti possunt pristino, & ita docet Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 7. n. 2.* Bellarminus *lib. 1. de matr. cap. 5. & cap. 15.* & alij.

Sed mihi tertia opinio magis placet, quæ asserit matrimonium contractum inter infideles, non posse fieri verum Sacramentum, etiamsi postea baptizentur. Et ita docent

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars I II.

Basilii Pontius *de matr. lib. 1. cap. 9. n. 8.* Gabriel Vasquez *tom. 2. in 3. part. disp. 138. cap. 5. & tom. 4. disp. 2. de matrim. c. 10.* & Ægidius Coninch *de Sacram. disp. 24. dub. 2. concl. 6. n. 25.* Et ratio est, quia matrimonium est essentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hinc nullo modo poni potest, nam neque contractus præteritus fuit initus inter baptizatos, & iam nullo modo in se existit, neque tales possunt de nouo matrimonium contrahere, quia non possunt sibi mutuo corpora tradere; nemo enim potest alteri tradere, quod non est suum, & quia neuter iam habet potestatem proprii corporis, vt docet Apostolus *1. Cor. 7.* ergo non possunt ea sibi mutuo tradere. Fateor tamen cum Coninch *vbi supra n. 18.* credibile esse Deum talibus maiores dare gratias præuenientes ad ferenda incommoda matrimonij, quàm dat infidelibus, non ob Sacramentum matrimonij, sed quia fideles sunt, quibus ratione fidei, ac baptismi diuina gratia magis debita, & vbique parata est.

Quisnam est minister Sacramenti matrimonij?

RESOL. CCLIV.

NOtabilis est sententia Melchioris Cani *lib. 8. de lo-uis, cap. 5.* asserentis ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem ipsum proferentem verba, & coniungentem contrahentes matrimonio. Sed hanc Cani opinionem vsque ad sua tempora nullum defensorem habuisse testatur Sotus *in 4. dist. 26. q. 2. art. 3.* & præter Gulielmum Parisiensem, & Theologos Concilij Coloniensis, nullum auctorem pro tali opinione allegari posse, notat Vasquez *tom. 4. in 3. p. disp. 3. de matr. cap. 4. nu. 41.* & idèd Basilii Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 8. num. 2.* & Vasquez *loco citato, n. 46.* hanc opinionem improbabilem putat, & notat dignam, vnde illam temerariam appellat Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 4. sect. 2. num. 6.* Et patet ex Concilio Tridentino, & Florentino, vbi ex instituto propter nouas hæreses de matrimonij Sacramento agunt, nec aliam nouam materiam, formam, ac ministrum illius in ratione Sacramenti tradunt, quàm in ratione contractus sub omni lege ab initio fuerit requisitus. Constat autem non opus fuisse sacerdote ante legem nouam, nec hodie inter gentes, vt matrimonium in genere contractus validum sit. Ergo, &c. ita etiam hanc sententiam improbabilem esse docet Coninch *de Sacrament. disp. 24. dub. 3. num. 29.*

His tamen non obstantibus Melchioris Cani sententiam, quam supradictis notis auctores citati inurunt, sequuntur nouissimè nostris temporibus duo viri doctissimi sacre Theologiæ in Academia Duacena publici Professores, Gulielmus Estius *in 4. sent. dist. 26. §. 10.* Franciscus Syluius *in 3. part. D. Thome q. 42. a. 2. queritur 1.* qui octo argumenta adducit ad probandum Sacramenti matrimonij ministrum esse solum sacerdotem. Et hanc sententiam tanquam probabilem videtur admittere Didacus Nugnus *in 3. part. tom. 1. q. 64. art. 6. diff. 1. concl. 2.* Sed an ita reuera sit, aliis iudicandum relinquo: mihi enim placet communis sententia, asserens ministrum huius Sacramenti esse ipsos contrahentes, vt alibi diximus.

Notandum est tamen hinc obiter, Toletum *lib. 7. cap. 6. num. 4.* docere ministrum in hoc Sacramento ante Concilium Tridentinum non fuisse necessarium, at postea esse necessarium, & pertinere ad essentiam matrimonij ministrum, & testes. Sed hæc verba continere multa absurda notaui Basilii Pontius *de matrim. lib. 1. cap. 8 n. 8.* nempe ante Tridentinum non fuisse necessarium ministrum in matrimonio: & tamen Sacramenta non perficiuntur sine ministro; deinde posse Ecclesiam alium ministrum constituere. Quæ omnia cum sint absurdissima, & viro docto indigna; dicendum est contra Pontium sub nomine ministri Toletum intelligere sacerdotem assistentem cum testibus matrimonio, & sic omnia absurda cessant, nam præsentia Parochi ante Tridentinum

non erat necessaria ad contrahendum matrimonium, postea verò sic.

An inter fideles possit esse matrimonium, quod non sit Sacramentum?

RESOL. CCLV.

Diximus in superiori resolutione ministros huius Sacramenti esse ipsos contrahentes, & cum omne Sacramentum perficiatur intentione ministri, quæritur modò, an si fideles contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tanquam rem sacram, sed tantum vt contractum, reuera tale matrimonium non esset Sacramentum, valeat tamen ratione contractus; nonnulli negant, quia ex Christi institutione inseparabilis est ratio Sacramenti à contractu matrimonij, vnde intentio conficiendi Sacramentum repugnat intentioni legitimè conficiendi matrimonium, quatenus est contractus. Sicut è contra, qui intenderet facere Sacramentum & non contractum, nihil efficeret, quia ex Christi institutione hæc duo sunt inseparabiliter coniuncta & se mutuo ponunt, & destruunt. Ita Sanchez de matr. tom. 1. lib. 2. disp. 20. n. 6. Layman lib. 5. tract. 10. p. 2. c. 2. n. 2. Coninch de Sacram. disp. 24. dub. 1. conc. 4. Petrus de Ledesma de matrim. q. 42. art. 1. dub. 7. ad 1. & 2. cum aliis.

Mihi verò contraria sententia placet, quam aduersus Sanchez non solum tenet Basilius Pontius de matr. lib. 1. c. 9. num. 3. & Villalobos in summa tom. 1. tract. 13. diff. 6. num. 4. sed ex ipsamet Societate Gabriel Valquez tom. 2. in 3. part. disp. 138. c. 5. in princ. & ante omnes Rebellius part. 1. lib. 2. quest. 5. concl. 1. Nam quæro à Sanchez, & aliis Doctoribus, vnde colligant eo modo factam à Christo institutionem, cum eorum assertio ab institutione dependeat: eam enim non explicant Concilia, neque insinuant sancti Patres, neque etiam vnanimis Doctorum opinio. Et idè plures Doctores, vt supra visum est, docent, & docuerunt, matrimonium inter absentes, & per procuratorem esse firmum, atque legitimum, non tamen Sacramentum: & non pauci receptiores iudicant hanc opinionem adhuc post Concilium Tridentinum esse valde probabilem. Ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Rebellium.

Ex his omnibus sequitur (nota Lector) quòd quando aliquis contraheret sine formali, vel virtuali intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licet illud matrimonium non sit Sacramentum, quia in ministro non adfuit intentio necessaria, attamen manet validum in ratione contractus, ita vt contrahentes non possint deinde alteri nubere, neque in posterum posset tale matrimonium effici Sacramentum. Et ita docet Pontius *ubi supra de matr. lib. 1. cap. 9. num. 8.* & Valquez tom. 2. in 3. part. disp. 138. cap. 5. & tom. 4. disp. 2. de matrim. cap. 10. num. 136. sicut etiam diximus supra, matrimonium infidelium post Baptismum minimè fieri posse Sacramentum. Et ratio est, quia, ait Pontius, & Valquez, ratio Sacramenti matrimonij, annexa est fieri contractus, non vinculo remanenti post contractum. Consistit enim hoc Sacramentum in actione, sicut & alia omnia, excepta Eucharistia, & in eo fieri ipsius contractus datur gratia, non postea, vt certa sententia Doctorum est, post semel autem contractum validè matrimonium, non potest denuo esse aliud fieri eius contractus; vinculum enim matrimonij relictum, in nullo penitus iam dependet à consensu eorum, qui contraxerunt. Quare cum etiam si renouetur consensus, nihil efficiatur circa contractum antea validum, nec adhibeatur materia, & forma; cum solum verbo tenus renouetur consensus, & Sacramentum matrimonij tantum consistat in fieri, nec possit esse, nisi re ipsa fiat contractus, quod iam factum est; ergo non potest iam amplius fieri Sacramentum.

An si Parochus intellecto consensu contrahentium non dicat, Ego vos coniungo in nomine Patris, &c. peccet mortaliter?

RESOL. CCLVI.

Affirmatiuè respondet Rebellius par. 2. lib. 2. quest. 7. sent. n. 4. vbi sic ait. Opus est vt Parochus intellecto vtriusque consensu dicat, *Ego vos coniungo in nomine Patris, &c.* vel aliis verbis vtatur iuxta Prouinciæ consuetudinem Quæ verba licet non sint de necessitate Sacramenti, cum non sint forma ipsius, sunt tamen de necessitate præcepti sub mortali obligantis, adhibenda. Ita ille, & post illum Cenedus in qq. Can. quest. 30. num. 38. & Zanardus in direct. part. 1. de sacram. matrim. cap. 10. quest. 27.

At contrariam sententiam tenet Villalobos in sum. tom. 1. tract. 13. diff. 6. n. 3. sic asserens [No obstante, que el Concilio dize que el Parocho entendiendo el consentimiento de las partes diga aquellas palabras.] *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, &c.* [ò otras segun el vfo recibido de la tierra, loqual dize Ribellio que obliga à peccado mortal, mas yo soy de parecer, que obliga solo à venial, porque ni las palabras son de manera, que den à entender otra cosa, ni la materia es graue.] Sic ille, & ante illum Gutierrez de matr. in cap. 69. nu. 16. Sanchez tom. 3. lib. 8. disp. 38. n. 7. & Coninch de Sacram. disp. 27. dub. 4. n. 45. & ego hanc sententiam teneo.

An propter adulterium occultum valeat quis secluso scandalo, uxorem in foro conscientia dimittere?

RESOL. CCLVII.

Negatiuè respondet Basilius Pontius de matrim. lib. 9. c. 18. n. 6. qui citat D. Thomam, Bonauenturam, Richardum, Turrecrematam, & alios: & ratio præcipua est, quia lex, quæ prohibet separationem coniugum etiam fornicationis causa ante prohibitionem, & Ecclesiæ iudicium, data est iure optimo, vt occurratur hominum malitiæ, & fraudi, cumque eiusmodi leges in præsumptione fundentur, & præsumptiones vt plurimum non deficient, non cessat eorum obligatio, etiam si in aliquo particulari casu deficiat præsumptio, & ratio legis. Et ita hanc sententiam docet etiam Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. de matr. quest. 5. dub. 4. concl. 2.

At his non obstantibus, contraria sententia mihi magis placet. Dico igitur, quòd quando adulterium est occultum, vt probari ab innocente non possit, posse illum non expectato Ecclesiæ iudicio in foro conscientia uxorem dimittere, seu fugere in partes longinquas; secluso tamen aliorum scandalo. Et ita docet Rebellius part. 2. lib. 2. quest. 12. num. 2. Coninch *ubi infra*. Villalobos in summa tom. 1. tract. 15. diff. 3. num. 4. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 10. disp. 111. num. 12. Sotus in 4. dist. 36. quest. unica, art. 3. & ex veteribus Paludanus in 4. dist. quest. 1. art. 3. concl. 3. Et ratio est, quia vir in foro conscientia sublato scandalo, sibi ius dicere potest, cum defectus probationis non sit ex culpa sua. Cæteras rationes videbis apud Paludanum, & apud Panormitanum in cap. fori, de adulteriis. Ad argumentum verò Pontij respondeo, quòd quando lex fundatur in præsumptione, si deficiat in casu particulari, lex illa non obligat: vide ea, quæ adduximus in part. 1. tract. 10. de legibus, resol. 27. & 28.

Sed hæc omnia intelligenda sunt in foro conscientia, vt diximus, nam quoad forum externum talis separatio non permittitur, nisi adulterium sit notorium, iuxta cap. significasti, & cap. porro, de diuor. iis.

Notanda sunt tamen aliqua hinc obiter; primò, si vterque coniux sit reus adulterij, neuter potest ab altero diuertere, vt patet ex dict. c. significasti, de diuor. quia compensatur mutua iniuria. Nec refert vter prius commiserit crimen, aut quòd vnus sæpius altero, aut quòd vnus crimen

crimen si publicum, & alterius omnino occultum, & coniugem lateat, quia uterque verè fidem matrimonij fregit, soli autem innocenti conceditur diuortium. Ita Coninch *de Sacram. disp. 35. dub. 2. concl. 3. n. 12.* Rebell. *ubi supra, n. 6.* & alij. Vnde vltimum ex hoc capite multi illicitè diuortium petunt, quod est valde notandum à Confessariis, sicut etiam illud, quod aduertit Coninch *loco citato, n. 13.* nempe, si innocens post factum diuortium commisit adulterium, tenetur alterum coniugem emendatum iterum ad torum admittere, & ad instantiam alterius, vt notat etiam Rebell. *n. 9.* compelli poterit ad id à iudice.

Secundò nota, quòd si præcessit sententia iudicis Ecclesiastici de diuortio, hoc non obstante, innocēs, quamdiu non mutat statum, habet ius liberum ad reuocandum ad se nocentem si velit, vnde non potest dictus nocens, inuito, aut inconsulto innocenti ad Religionem transire, vel sacris Ordinibus initiari, nec votum simplex castitatis emittere, & etiam si professus sit, vel sacris initiatus, vel votum emiserit, potest reuocari ab innocente, & votum irritare. Et hæc omnia docet Basilius Pontius *de matrim. ib. 9. cap. 19. num. 3. & 4.* cum aliis.

Verùm Coninch *de Sacram. disp. 35. dub. 5. concl. 4. nu. 26.* asserit, quòd si dictus nocens se omnino emendasset, sapiusque, ac instanter petiisset reconciliationem, & innocens eam absolute negasset, posset Religionem, aut Ordines suscipere, quia innocens in tali casu irrationabiliter est inuitus, non enim habet ius, vt alter cogatur, perpetuò de suo statu incertus manere, nec possit animæ suæ aliquem statum suscipiendo consulere.

An matrimonium contractum sine presentia Parochi, & testium, transeat saltem in sponsalia de futuro.

RESOL. CCLVIII.

Affirmatiuè respondet Henriquez *lib. 11. c. 5. n. 4.* Vega, *in summ. tom. 2. cap. 34. cas. 25.* Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 1. num. 18.* Coninch *disp. 21. dub. 4. concl. 18.* Rebell. *p. 2. lib. 2. q. 9. n. 3.* & alij.

Sed opinionem contrariam tenendam esse existimo, quam tuetur Gutierrez *de iuram. confirm. p. 1. c. 51. num. 26.* & seq. Spino *de testam. gloss. 15. num. 75.* & seq. Ledesma *de matr. q. 45. art. 5.* & alij, quos citat Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 143.* & ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur Petrus de Cenedo *in qq. canon. q. 30. n. 28.* & hæc sententia procedit, etiam si illud matrimonium fuerit iuramento confirmatum, vnde dicti contrahentes possunt discedere à tali contractu matrimonij, sine vlla iudicis auctoritate, & cum aliis contrahere, nec indigent iuramenti absolutione. Et ratio horum omnium est, quia attento decreto Concil. Trident. *sess. 24. cap. 1. de reform. matr.* tale matrimonium non solum non tenet tanquam de presenti, sed neque etiam tanquam sponsalia de futuro. Nam cum sic contrahentes peccent, & contraveniant dispositioni Concilij, & præcepto superioris, videntur potius facere actum illusorium, quàm aliquo modo validum. Ergo, &c.

An impedimenta criminum sint per dissuetudinem sublata?

RESOL. CCLIX.

Hæc impedimenta sunt. Primò, vxoricidium, *c. admo- nere 33. q. 2.* Secundò, presbytericidium, *c. qui presbyterum, de pœn. & remis.* Tertio, matrimonium cum Moniali scienter inuito, *c. hi ergo 27. q. 1.* Quarto, si quis propriam prolem de sacro fonte suscepit in fraudem vsus coniugalis, *c. de eo, 39. q. 1.* Quintò, qui ob peccatum publicam pœnitentiam peragere debuit, *c. de his 33. quæst. 2.* Sextò, raptus sponsæ alienæ, *c. statutum 27. q. 2.* Septimò, incestus cum consanguineis coniugis, aut sponsæ adhuc

viuentis, *c. 1. 2. & c. transmissa, de eo qui cognoscit, & c. saltem intra secundum gradum post Concil. Trident. sess. 24. c. 4. de reform. matrim.* His suppositis assero, supradicta impedimenta criminum, esse per diuturnam consuetudinem penitus sublata. Et ita docet Coninch *de Sacram. disp. 30. dub. 3. n. 25.* Sotus *in 4. dist. 27. q. unica, art. 2. prope fin.* Veracruz *in speculo, par. 1. art. 27. concl. 2.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. dist. 17. n. 8.* Nauarrus *c. 22. n. 75.* Basilius Pontius *de matr. lib. 6. cap. 14. nu. 4.* quidquid contrarium asserat Rebellius *part. 2. lib. 3. q. 18. n. 23.* & alij penes ipsum.

Vnde Confessarij pœnitentibus incestuosis, vxoricidis, &c. non debent imponere onus, vt si contrahere volunt super dictis criminibus, prius dispensationem, obtineant: nam, vt dictum est, iam per dissuetudinem dicta impedimenta sublata sunt. Sed si aliquis scrupulosus, hoc non obstante, dispensationem super his petere velit, eam Episcopus conferre poterit, sicut ex communi Doctorum sententia notat Nauarrus *lib. 4. constit. 9. num. 5. de consanguin. edit. 2.*

Quis in Ecclesia instar patrini tenuit puerum in domo iam baptizatum, queritur an contraxerit impedimentum Catechismi?

RESOL. CCLX.

Hic casus in praxi sæpius solet accidere, idèò notandum est, quòd tale impedimentum contrahitur, quãdo quis tenet aliquem in Catechismo, qui solet præmitti Baptismo, respondendo eius nomine Sacerdoti interroganti, an credat, an renunciet diabolo, &c. Sed nota, quòd quando hæc cæremoniæ solent Baptismum comitari, communiter sit idem, qui tenet in Catechismo, & in Baptismo; tamen quandoque sunt diuersi, vt quando in necessitate puer subitò ab obstetrice baptizatur, & cæremoniæ postea in Ecclesia suppleuntur, tunc enim quis instar patrini pro eo respondet, & tunc talis ex *cap. 2. de regenerat. spirit. in 6.* contrahit impedimentum Catechismi non dirimens, sed impediens. Hoc supposito, queritur an hodie contrahatur hoc impedimentum, vel sit sublatum per Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 2. de reform. matrim.* Aliqui negant esse sublatum. Ita tenet Palatius *in 4. dist. 42. qu. unica,* & Bartholomæus de Ledesma *de matrim. dub. 46. in priori editione,* & alij, qui post Tridentinum scribentes, asserunt impedimentum, vt Toletus, Vega Lopez, Cucchus, Angles, & alij, & ita ex neotericis Societatis I E S V tenet etiam hanc sententiam Rebellius *part. 2. lib. 3. q. 18. n. 20.* & Valentia *tom. 4. disp. 10. q. 5. punct. 4.*

Sed ego puto cum Basilio Pontio *de matr. lib. 6. cap. 11. n. 3.* qui citat Sanchez, hoc impedimentum esse sublatum per Concilium Tridentinum, vbi in Baptismo, vel Confirmatione vult tantum contrahi cognationem spiritualem inter baptizatum, eiusque patrem, & matrem ex vna parte, & baptizatum, ac susceptores ex fonte ex alia parte, omni alia cognatione spirituali sublata: verba Concilij sunt hæc, *Omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* Et quia existimare aliquis posset Concilium solum agere de impedimento cognationis spiritualis prouenienti ex Baptismo, quod vult non extendi ad alias personas, sicut olim extendebatur, ideo Pontius adducit declarationem sacre Congregationis, quæ Concilij sensum esse hunc, quem diximus, apertè demonstrat, sic enim habet. Qui in Ecclesia fuit præsens ei, qui domi verè fuit baptizatus, si deinde in Ecclesia fuerunt seruata solennitates, nullam cognationem spiritualement contraxit. Itaque committantur Ordinario, vt si legitimis probationibus compererit D. N. filium prius fuisse baptizatum, declarat nullum inter N. ipsum, & dictum filium adesse impedimentum cognationis spiritualis. Ita sacra Congregatio. Et hanc opinionem esse probabilem, tenet Coninch *de Sacram. disputat. 30. dub. 3. num. 24.*

& illam tenet etiam Filliucius *tom. 1. tractat. 10. part. 2. cap. 9. num. 273.* & Villalobos *in summa, tom. 1. tractat. 14. diff. 2. num. 5.*

Sed quia contraria opinio est etiam probabilis, deducit Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 10. n. 13.* expedire, ut Parochus describat in libro (quem habere debet ad describendum nomina patrinorum, iuxta Tridentinum *sess. 24. de matrim. cap. 3.*) an sint illi patrimi in solo Catechismo, quod puer sit iam domi baptizatus. Ita Nauarrus, & alij. Et quamuis hi non explicent, an Parochus ad id teneatur, at existimo eum teneri, quia Tridentinum patrinorum nomina describi iubet, quo sciatur, qui cognationem spiritualem contrahant, ne matrimonia iniquè contrahantur. At latissima est differentia, num in Baptismo teneantur, an in Catechismo. Nam priori casu est impedimentum dirimens, posteriori autem ad summum impediens, & iuxta nostram sententiam est nullum impedimentum. Vnde non fideliter id describeret Parochus, nisi annotaret solius Catechismi patrimos fuisse, defraudaret enim Concilij intentionem, ansumque praberet dissoluendi matrimonia valida, cum eo solo impedimento inita, cuius ego testis sum oculatus in casu Granatæ contingenti. Hæc Sanchez. Verùm Gutierrez *de matrim. cap. 84. n. 7.* præcisè, & in rigore non videtur hoc onus sub peccato mortali Parochis imponere.

Quis libidinis causa rapuit virginem, & adhuc in sua potestate existens, cum illa matrimonium contraxit, queritur an fuerit validum?

R E S O L. CCLXI.

Negatiuè respondet Emanuel Sà *ver. matrimonium, num. 9.* vbi sic ait. Inter raptorem, & raptam etiam alia causa, quam vt vxor ducatur, quamdiu est in potestate raptoris, non potest fieri validum matrimonium. Ita ille, & ita declarasse sacram Cardinalium Congregationem testatur.

At ego contrariam sententiam teneo, cum Sanchez *tom. 2. liq. 7. disp. 13. n. 4.* vbi asserit, decreto Concilij Tridentini *sess. 4. c. 6. de reform. matrim.* solum comprehendit raptum qui fit causa contrahendi matrimonij, non item ad exercendam libidinem. Et hanc sententiam probabilem esse docet Coninch *de Sac. disp. 31. dub. 4. num. 48.* & pro ea adducit Mazilla aliam Cardinalium declarationem.

Notandum est etiam hinc obiter contra Sà loco citato, Henriquez *lib. 1. 2. cap. 4. num. 4.* & alios in dicto Concilio Tridentino solum eam raptus speciem puniri, per quem vis inferitur puellæ, non autem parentibus. Vnde si illa consentiat, etiam si rapiatur vim parentibus inferendo, validum erit matrimonium; nam intentio Concilio fuit per illud decretum succurrere libertati matrimonij, ne id mulier inuita contrahere cogatur; sed hoc non accidit, quando illa consentit; ergo, &c. Ita hanc sententiam docet Sanchez *vbi supra, num. 3.* & probabilem putat Coninch loco citato, & tenet Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. num. 265.*

An affinitas ex copula fornicaria contracta, impediat matrimonium post Baptismum contrahendum?

R E S O L. CCLXII.

Affirmatiuè respondet Coninch *de Sacram. disp. 32. dub. 4. n. 57.* & Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6. nu. 6.* cum aliis, quia tunc contrahentes subduntur legibus Ecclesiæ.

Sed ego probabilem etiam contrariam sententiam existimo, quam tuetur Henriquez *lib. 11. c. 1. n. 2. & c. 3,*

n. 4. quem citat, & sequitur Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 65. num. 10.* Et ratio est, quia cum illa affinitas non sit vinculum naturale, & subinde non contrahatur tempore infidelitatis, nil est quod post Baptismum impediat matrimonium inter illum infidelem, & consanguineam mulieris ante Baptismum fornicariè cognita.

Negant igitur hi Doctores, spectato iure naturali, vllam affinitatem ex copula fornicaria contrahi. Hinc infertur, vt ego his diebus consultus respondi, quod si quis in infidelitate fornicatus fuit cum Titia, postea baptizatum non prohiberi, vt in vxorem non ducat filiam, vel sororem eiusdem Titia.

An coniux infidelis, quæ ad fidem coniugem sequi noluit, possit nouum sibi coniugem eligere?

R E S O L. CCLXIII.

Affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 77. n. 6.* vbi sic ait. Licet infideli dissoluto semel fidei matrimonio ad aliud transire. Ducor, quod nullo iure interdicitur infideli hic transitus, non enim humano Ecclesiastico, cum Ecclesia careat iurisdictione in infideles: ius verò læculare nullibi reperitur. Nec ius diuinum naturale id infidelibus prohibet, quia etsi peccat violans ius diuinum naturale legis prioris matrimonij, quæ adstringebatur sequi priorem coniugem ad fidem conuertum, at priori illo matrimonio iam penitus dissoluto, nulla lex diuina naturalis prioris matrimonij, quod iam nihil est, superest, quæ hic infidelis arceatur ab alio matrimonio, nec aliud ius diuinum id vetans reperitur. Hæc omnia Sanchez.

Sed aduersus illum tenet Basilius Pontius *de matr. lib. 5. c. 48. n. 25.* vbi probat suam sententiam ex *cap. si infidelis 18. q. 2.* & ex D. Thom. *in 4. sent. dist. 37. q. 2. art. 5. ad 3.* vbi sic asserit. Postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonij ex vtraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum. Vnde in pœnam vxoris infidelis ei indicetur, quod non possit cum alio contrahere magis, quam ex virtute matrimonij præcedentis, sed si postea conuertatur, potest ei concedi dispensatiuè, vt alteri nubat, si vir eius aliam duxerit vxorem. Sic D. Thomas.

Nota verò quod hanc pœnam non Ecclesia, sed Deus infligit propter iniuriam, quæ infidelis ipsum Deum, veram fidem, & veritatem Sacramenti afficit, cuius pœnæ Ecclesia est promulgatrix. Ex quibus facile refelles, quæ pro sua sententia adducit Sanchez Ita Pontius.

At his non obstantibus mihi opinio Sanchez probabilis etiam videtur, & illam nouissimè docet Filliucius *tom. 1. tract. 10. p. 1. c. 7. n. 248.* Barbosa *in collect. tom. 4. p. 2. Decreti, causa 28. q. 2. c. 2. n. 8.* & Coninch *de Sac. disp. 26. dub. 5. concl. 2. n. 6.* vbi sic ait. Quod autem aliqui dicunt, infideli in pœnam prohiberi secundas nuptias, sine fundamento dicunt. Ita ille, non rectè quidem; nam Pontij, & D. Thomæ opinio non caret etiam sua probabilitate.

An coniux infidelis volens post Baptismum contrahere matrimonium, teneatur requirere consensum coniugis infidelis in remotissimis partibus habitantis?

R E S O L. CCLXIV.

Hic casus potest frequenter accidere, vnde notandum est, vt supra diximus, quod vt coniux infidelis post Baptismum possit contrahere aliud matrimonium cum fidei, tenetur requirere coniugem infidelem, & monere an velit conuerti, seu cohabitare sine scandalo, & iniuria creatoris cum ipso, & illa renuente hoc facere, potest postea liberè aliud inire matrimonium. Hoc suppo

Supposito, quaeritur an talis monitio requiratur, quando coniux infidelis adeò distet, vt commodè requiri nequeat? Et in hoc casu negatiuam sententiam docet Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 74. num. 12.* asserens, quoties infidelis adeò distat, vt commodè requiri nequeat, non est opus monitione, quia vt res modo se habent, est moraliter certum fore, vt nolit conuerti, & relinquere suos, vt legitime cohabitet, atque requisitio est moraliter impossibilis. Sic ille.

Aduersus quem nouissimè insurgit Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. c. 48. n. 12.* vbi ita ait. Si reperiri non possit, vel ob difficultatem viæ, & itineris, cum in remotissimis versetur regionibus, vt euenit in his, qui ex Æthiopia captiui, vel serui auferuntur, vel ignoratur vbi sit alter coniux, adhuc nubere non potest, quidquid dicat Sanchez, nisi dispensatio Pontificis accedat, qua suppleatur ea admonitio iure præscripta. Ita Pontius.

Sed ego vtramque opinionem existimo probabilem esse, & ita cum Sanchez tenet Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. c. 7. n. 24.* & Riccius *in praxi, part. 1. resol. 240. n. 2.* Coninch *de Sacram. disp. 26. dub. 5. conc. 2. num. 62.* & cum Pontio tenet Rebellius *part. 2. lib. 3. q. 10. sect. 2. n. 12.*

An orationes, & cæremonia, quæ pro secundis nuptiis destinatae sunt, possint tempore prohibito Aduentus & Quadragesima ministrari?

RESOL. CCLXV.

AD hanc dubitationem ita respondet Basilius Pontius *de matrim. lib. 6. c. 8. num. 13.* Nonnulli viri docti huius Academiæ Salmanticensis existimarunt nullam incurrere pœnam clericum, qui temporibus prohibitis administrat ea, quæ Ecclesia designat pro secundis nuptiis, eo fundamento commoti, quòd illa non sit nuptialis benedictio. Cæterum si rem istam attentius considerassent, aliter respondissent. Mihi enim semper visum est neque eas cæremonias, quæ pro secundis nuptiis destinatae sunt, posse tempore prohibito ministrari sine culpa, & pœnis iure latis. Et in primis ad id me mouet, quòd proximè superioribus annis vidi in hac Salmanticensi vrbe. Nam quidam nobilissimi vidui contrahere volebant matrimonium, & cum esset quadragesimale tempus, dispensationem à Sedis Apostolicæ Nuntio postularunt, quam denegauit. Quòd magno argumento est etiam eam cæremoniam, licet non appelletur nuptialis benedictio, esse prohibitam illo tempore. Deinde me mouet, quòd iura, & antiqua, & recentiora vniuersè loquuntur & de matrimonio, & solennitate nuptiali. Sicut ergo antiquis canonibus etiam viduorum coniugia erant prohibita, ita & solennitas illa nuptialis in nuptiis viduorum de more Ecclesiæ adhibita, prohibita censetur. Præterea, quia canones tam antiqui, quàm recentiores vniuersè prohibent solennitatem nuptialem, & non solum nuptialem benedictionem; illæ autem cæremonia, licet non sint nuptialis benedictio, sunt tamen pars solennitatis nuptialis, vt satis notum est. Ergo, &c. Ita Pontius *vbi supra.*

Notandum est tamen hîc obiter, quòd licet adsit consuetudo, vt etiam secundæ nuptiæ benedicantur, quando alter coniux benedictionem non suscepit, siue sit vir, siue fœmina, attamen talis consuetudo non obligat sub mortali, quia eo rigore inducta non est, & ita docet Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 4. n. 168.* qui citat Henriquez, & Sanchez.

Adde quòd Sorus *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2.* Emanuel Sà *verb. matrimonium, n. 6.* & alij, vt *supra* visum est, probabiliter asserunt benedictionum omissionem secluso scandalo, & contemptu non esse peccatum mortale, quia tantum est omissio cuiusdam sacramentalis non tanti momenti. Vide etiam Filliucium *loco citato, n. 165.*

An tempore Aduentus, & Quadragesima sit peccatum mortale traducere sponsam solenniter in domum sponsi, & conuiuia sollemnia facere?

RESOL. CCLXVI.

NEGatiuè respondet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 7. n. 18.* vbi sic ait. Verùm vt meam sententiam explicem, solas nuptiarum benedictiones hoc tempore vetitas esse sub mortali existimo, quia generali consuetudine receptum esse video, vt sponsæ eo tempore in sponsi domum traducantur, conuiuiaque fiant, ac alia lætitiæ signa præbeantur conuiuientibus Prælati. Quare si hæc moderata sint, nullam culpam agnosco, si aliquantulus sit excessus, solam venialem, mortalem autem minimè, nisi vbi nimius esset excessus, ita vt sanctita i prædictorum temporum notabiliter detraheretur, & ansa notabilis iure optimo offensionis, ac scandali spectantium animi tribueretur. Ita Sanchez.

Sed contrariam sententiam tenet Basilius Pontius *de matrim. lib. 6. c. 8. n. 10.* vbi probat sponsum traducentem solenniter sponsam in domum suam, ac conuiuia facientem peccare mortaliter.

Verùm mihi opinio Sanchez videtur etiam probabilis, & illam nouissimè docet Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 14. diff. 2. num. 4.* vbi ita asserit. [En este tiempo lleuar à la muger à casa con solennidad, y señales de alegría, dicen muchos, que seria pecado mortal, aunque Sanchez con otros dize; que solas las benediciones ferian pecado mortal, porque esta assi recebido en vso, la qual sentencia es mas mansa y probable, y se puede seguir] Sic ille, & ego.

Ex his inferitur non bene Syluestrum *verb. matrimonium 7. q. 2.* Emanuelem Sà *verb. impedimenta matrimonij non dirimentia, num. 2.* Veracruz *in speculo, part. 1. art. 14. conclus. 4.* Bartholomæum Ledesmam *de matrim. dub. 60. concl. 3.* Cucum *lib. instit. tit. 12. n. 9* & alios, asseruisse omnem traductionem sponsæ in domum sponsi, etiam absque solennitate, interdictam esse feriarum tempore. Et etiam parum probabiliter loquuti sunt Paludanus *in 4. dist. 32. q. 1. art. 4. D. Antonius part. 3. tit. 1. cap. 17 in fine.* Rosella *verb. impedimentum, imped. 17.* Angelus *verb. debet, n. 1.* Tabiena *verb. impedimentum, imped. 14. q. 2. n. 3. in fine.* Caietanus *in sum. ver. matrimonium, c. ult. §. in publico autem loco.* Armilla *ver. matrimon. num. 64.* & alij asserentes non licere hoc tempore feriarum contummare matrimonium (nullum enim est peccatum) si his temporibus consummentur matrimonia, siue de prima consummatione, siue de sequentibus sermo sit; vide Basilius Pontius *vbi supra, n. 8.* Coninch *de Sacram. disp. 30. dub. 3. conc. 4. n. 37.* Sanchez *loco citato, n. 23.* & alios penes ipsos, Filliucio *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 9. n. 271.*

An licitè contrahatur matrimonium tempore interdicti?

RESOL. CCLXVII.

AFFirmatiuam sententiam docet Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. disp. 8. num. 2.* quia ea sola Sacramenta censentur tempore interdicti vetita, quæ purè sacramenta sunt, & omnino spiritualia. Sed matrimonium est contractus quidam naturalis, cui per accidens adiecit Christus sacramenti rationem. Ergo, &c.

Sed more suo aduersus Sanchez insurgit Basilius Pontius *de matrimonio, lib. 6. cap. 9. num. 3.* quia generali prohibitione vetitum est Sacramenta ministrari tempore interdicti, exceptis, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici, vt patet ex *c. alma mater. de sent. excom. in 6. c. quoniam, eod. tit. c. non est vobis, de sponsalibus, & cap. quod in te, de pœn. & remiss.* Cum ergo matrimonium, verè, & propriè sacramentum sit, nec excipia

excipiatur alibi ab ea generali prohibitione, illa comprehenditur, argum. *Clementina* 1. §. porro, de ver. significat. Neque obstat ratio Sanchez, nam cum iam verè & propriè Sacramentum sit, & in ratione sacramenti etiam spirituale sit, & Ecclesia generaliter prohibeat tempore interdicti ministrari Sacramenta præter supradicta, non est cur ab eo generali prohibitione excludamus sacramentum matrimonij. Ita Pontius.

Verùm ego vtramque sententiam probabilem esse puto, & ideò negatiuam cum Pontio tenet Suarez *tom. 5. disp. 32. sect. 1. n. 51.* Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tract. 2. c. 27. n. 28.* Filiucius *tom. 1. tra. 18. c. 2. n. 51.* & alij. Affirmatiuam verò cum Sanchez tenet Coninch *de sacr. disp. 17. dub. 2. n. 47.* Auila *de cens. part. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 6.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 19. diffi. 4. n. 10.* & alij.

Sed stando in opinione affirmatiua assero cum eodem Sanchez *num. 5.* quod nihil refert si contrahentes sint specialiter & personaliter interdicti, possunt enim licitè copulari; quia sub illo interdicto non comprehenditur matrimonium, nisi sit expressum, & à fortiori dicendum est ex supradictis tempore interdicti fieri posse matrimonij denunciationses, vt docet Paludanus *in 4. dist. 26. q. 2. art. 2. n. 12.* & alij.

An qui matrimonium contrahit cum excommunicato, peccet mortaliter.

R E S O L. C C L X V I I I.

Prima opinio affirmat, & ita docet Petr. de Ledesma *de matr. q. 59. art. 1. §. pen.* Viquerius *lib. inst. cap. 16. §. 7. ver. 8. impedim. 1.* & saltem peccare non explicando culpæ qualitatem, docet D. Thomas *in 4. dist. 39. q. unica, art. 5. ad 5.* Toletus *lib. 7. c. 7. n. 1.*

Secunda opinio distinguit, & illam docet Basilius Pontius *de matr. lib. 6. c. 10. n. 3.* vbi sic ait. Petere ab alio excommunicato, siue denunciato, siue non denunciato, vt contrahat dum ille absolui ab excommunicatione non potest, quia non habeat copiam absoluentis, vt si sit excommunicatio reseruata à iure, vel ab homine, peccatum mortale est, quia petitur ab eo actus, quem non potest facere bene, sed necessariò malè. At si potest absolui quia copiam habet, nec peccat, qui contrahit cum excommunicato siue denunciato, siue secus, quia petit ab illo actum, quem posset bene facere, & sine peccato, & sua culpa facit malè, vnde duo peccata erunt in eo, qui contrahit cum excommunicato excommunicatione maiori, quando absolui non potest ab ea excommunicatione, antequam contrahat, & quia ipse communicat in Sacramentis cum illo, & quia inducit illum ad indignè ministrandum, & recipiendum, imò tria peccata committit, est enim causa duorum peccatorum in proximo. Ita Pontius.

Tertia opinio, quam ego sequor, absolutè negat vllam esse culpam contrahere scienter cum excommunicatione maiori ligato, nisi denunciatus sit; aut notorius clerici percussor. Et ita docet Gutierrez *de matr. cap. 83. n. 7.* & ante illum Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 11. num. 8.* ex fauore Concilij Constantiensis, & ex aliis rationibus, quas videbis apud Sanchez, nam ego breuitati studeo.

An matrimonium Catholici cum Heretico sit licitum cum periculo peruersionis, quando tamen ex magna aliqua causa contrahitur?

R E S O L. C C L X I X.

Matrimonium Catholici cum infideli, hæretico vel pagano non esse ita intrinsecè malum, vt nulla circumstantia reddi possit licitum, sed aliquibus additis, vel mutatis circumstantiis, licitè aliquando posse, & si ne peccato contrahi, docuerunt Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 72. num. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 21. qu. 5.*

Filiucius *tom. 1. tract. 10. cap. 6. part. 2. quæst. 2.* Coninch *de Sacram. disp. 31. dub. 3. concl. 3.* Bellarminus *de matrim. lib. 2. cap. 23. propos. 4.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 23. n. 169.* Serarius *in opusc. de matr. Cathol. cum hæret. n. 18.* & alij.

Difficultas est, an etsi probabili periculo peruersionis dictum matrimonium sit licitum ex magna aliqua & eximia causa, puta, vel augmenti, & propagationis Ecclesiæ, vel tranquillitatis eius status, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe, & Consiliariis hæreticis oppressi teneantur. Hoc dubium apud neminem inueni, nisi apud doctissimum Basilius Pontium *de matrim. in appendice, cap. 6.* vbi affirmatiuam sententiam ex pluribus tenet. Et ratio est, quia exponere se periculo salutis spiritualis amittendæ, quamuis peccatum sit, non tamen ex his peccatis est, que quauis circumstantia posita, vel detracta suam deformitatem retinent, sed eius malitia pendet ab his, vel illis circumstantiis. Vnde ea expositio periculi non erit peccatum, quando ex magna fiat, & vrgenti causa: tunc enim non est amare periculum, sed amare illud ingens bonum, ad quod sine eo periculo perueniri non potest, & ideò periculum adeat inuitus, non amans. Sed totum hoc accidit in casu proposito. Ergo, & c. Non esse autem peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex causa aliqua vrgenti, docet D. Thomas *in 2. 2. q. 10. art. 9. in corpore.* Armilla *verb. periculum, Graffius de arbit. confess. 2. c. 49. n. 5.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 7. c. 8. n. 3.* Lopez *in instruct. punct. part. 1. c. 20. conclus. 1. & 4.* Nauarrus *in man. c. 3. n. 14. & in cap. negot. a. de penit. dist. 5. n. 8.* Henriquez *lib. 4. cap. 25. num. 3.* Sed audiamus de hac re dissentientem Caietanum *in summa, verb. periculum,* sic enim ait. Secundò, eundo ad locum, siue societatem, vbi est periculum peccandi mortaliter propter aspectum, persuasionis commoditates, aut aliquid huiusmodi, & hoc quidem si sine vrgenti necessitate sit, ad incautelam peccatum spectat, non est autem ex suo genere peccatum mortale; quia in suæ libertatis arbitrio restat peccare mortaliter, etiam præsentibus talibus occasionibus peccandi. Ita ille; hinc Emanuel Sà *verb. absolutio, n. 12.* sic asserit. Item absolui potest, qui ex rationabili, & iusta causa non vult omittere peccandi occasionem, modò proponat firmiter non peccare, etiam si aliquoties sit relapsus.

Igitur ex his omnibus apparet offerre se periculo peccandi, tunc esse peccatum, quando sit sine causa vrgenti, vel necessitate ad id obligante, non verò si talia adsint causa, & causa etiam sufficit, esse non solum pro bono spirituali, sed etiam pro aliquo bono temporali. Nec requiritur vt semper sit causa inuoluntaria, aut ex necessitate proueniens, sed satis est, etiam si sit causa voluntariè quæsitæ. Hæc omnia Basilius Pontius *vbi supra.*

Ex quibus cum Vasquez *opusc. de restit. cap. 3. §. 1. dub. 6. n. 23. & 24.* & alij inferre possent hominem aliquod medicamentum sumere ad assequendam salutem, quamuis probabiliter putet ex eo futuram seminis effusionem.

An quando aliqui pro aliis presentibus, & tacentibus contrahunt sponsalia, horum taciturnitas sit signum sufficiens interni consensus?

R E S O L. C C L X X.

Suppono eam taciturnitatem sufficere, quando illi ex horum mandato contrahunt. Secundò, certum est etiam quando parentes ita contrahunt pro filiis, horum taciturnitatem esse sufficiens signum consensus, & hoc habetur expressè *in c. unico, de despons. impub. in 6.* Difficultas est quando contrahit non pater, vel mater, sed alij. Prima opinio negat, & ita docet Sanchez *to. 1. lib. 5. disp. 22. n. 7.* cum aliis penes ipsum, quia *in c. unico,* tanquam quid speciale hoc de parentibus statuitur. Et ita tenet nouissimè

novissimè hanc sententiam Molinus *de ritu nupt. lib. 1. compar. 11. n. 38.* & Barbosa *in collect. tom. 4. lib. 4. sexti Decret. tit. 2. cap. unico, n. 12.*

Secunda opinio affirmat, quam tuetur inter recentiores Basilius Pontius *de matr. lib. 2. c. 14. n. 7.* & illam non solum procedere in foro conscientiae, sed etiam in foro externo esse amplectendam demonstrat.

Sed mihi opinio Sanchez magis placet, neque vrget illa regula iuris, quod qui tacet consentire videtur; nam respondeo tacentem censeri consentire, quantum est in sui fauorem, non verò in sui praeiudicium, vt est in casu nostro. Non est tamen negandum sententiam Pontij esse probabilissimam, quam tenent Doctores, quos citat, & sequitur Henriquez *lib. 1. c. 2. n. 6. iuncto comm. littera P.* vnde immeritò illam falsam vocauit Gutierrez *de matr. c. 13. n. 2.* contra quem etiam teneo probabilem esse sententiam Aegidij Coninch *de Sacram. disp. 21. dub. n. 37.* asserentis id quod prima opinio Sanchez asserit de patre, & matre, asserendum esse de tutoribus: secus autem de iis, quorum curae illi non sunt ea ratione commissi, vide etiam Layman *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 13. in fin.* Et omnia supradicta procedunt, etiam si parentes contraherent sponsalia coram filiis emancipatis, & spurii.

*An quando parentes, & tutores pro filiis, & pupil-
lis absentibus contrahunt sponsalia, & hi postea
id scientes non contradicunt, cen-
seantur consentire?*

R E S O L. CCLXXI.

PRIMA opinio affirmat, sic Henriquez *lib. 1. c. 13. n. 5.* Sotus *in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 1. & alij.* Et ratio est, quia eadem profus est ratio, ac quando ipsis praesentibus, & tacentibus parentes contrahunt.

Secunda opinio negat, ita Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. c. 14. n. 14.* Sanchez *to. 1. lib. 1. disp. 44. n. 16.* quia textus *c. unic. de despons. impub. in 6.* agit de sponsalibus à parentibus nomine filiorum praesentium, & tacentium contractis, ideo in nostro casu non sufficit postea scientes non contradicere, sed requiritur, vt hi iam certiores facti sponsalia à patribus absentibus contracta, tacite, vel expresse aliquo signo sufficienti ratificent.

Tertia opinio est Aegid. Coninch *de Sacram. disp. 21. dub. 3. n. 39.* asserentis, quod quando hi resciscunt per aliquem, ad quem non pertinet rem gestam ad eos referre, ipsos tacendo non censeri consentire, quia non tenentur huic vllò modo assentire. Quandò verò id ipsis proponitur per ipsos parentes, aut curatores, si taceant, censeri consentire, quia tenentur his talia iis proponētibus mentem suam aperire, atque ita vel contradicere, vel consentire; quod censentur facere dum tacēt: quare si rem ipsis proponant coram parte, fient statim sponsalia; secus est si eam hac absente, iis proponant: tunc enim non erunt sponsalia, donec pars per ipsos minores, aut alium ab iis ad hoc destinatum cognoscat eorum consensum, eumque accepter. Ita Coninch. Mihi verò secunda sententia magis placet, licet alias probabiles esse existimem.

*An quod dictum est de sponsalibus, dicendum sit de
matrimonio, videlicet, vt sit validum, si
illud parentes contrahunt praesentibus,
& tacentibus filiis?*

R E S O L. CCLXXII.

AFFIRMATIUM sententiam tenent communiter Doctores ex auctoritate Bonifacij *in d. cap. unic. de despons. impub. in 6.* dummodo tale matrimonium sit contractum coram Parocho & testibus.

Tamen in gratiam studiosorum non reticebo hic adnotare ea, quae adducit Basilius Pontius *de matrim. lib. 2. c. 14. n. 3.* vbi sic ait. An dispositio Bonifacij locum etiam

habeat in matrimoniis, quaestionem habet; video communem esse Doctorum sententiam in illis locum habere, nonnullis exceptis. At nisi me tot Doctorum auctoritas detineret, planè cum his paucis sentirem, nempe hanc Bonifacij constitutionem non habere locum in matrimoniis, sed tantum in sponsalibus de futuro; inductus duobus fundamentis. Primum est ex verbis ipsius constitutionis, si enim in ea planè agitur de sponsalibus de futuro, cur ad matrimonium extendimus? Agere autem Pontificem de sponsalibus de futuro, planè constat ex omnibus, quae in ea constitutione continentur; nam in §. 1. planum est cum per Innocentij III. constitutionem *in cap. fin. de despons. impub.* inter septennes non matrimonia, sed sponsalia esse possint. In §. autem 2. speciatim agit de matrimoniis eorum impuberum, quae tantum fictione iuris sunt sponsalia. In 3. quoque §. id plenissimè constat; quia agitur de sponsalibus contractis in filiorum absentia, & illis ignorantibus. Quis autem dicat matrimonium contrahi in filiorum absentia, & illis ignaris? neque id vlli in mentem venire potest. Praeterea, quia vel Pontifex in isto §. agit de sponsalibus, & matrimoniis, vel tantum de sponsalibus, ad matrimonium autem extenditur à Doctoribus. Primum dici non potest, vt probatum est, neque secundum, non enim ea quae de sponsalibus dicuntur, ad matrimonia etiam extendi semper debent; cum enim strictior sit obligatio matrimonij, quam sponsalium, multo plura requiruntur exactius ad matrimonium quam ad sponsalia. Haec enim multis de causis dissolui possunt, matrimonium autem indissolubile est. Vnde quamuis sponsalia à parentibus celebrata, praesente filio, atque tacente sustineri possint, & sic statuat Pontifex, non idem de matrimonio dicendum videretur, cum ad matrimonium plena libertas requiratur, & facillimum sit filium, vel filiam metu reuerentiali impediri, metum autem reuerentialem impedire matrimonium dicam postea. His accedit, quod cum tota haec dispositio de valore sponsalium, quae celebrant parentes pro filiis, illis tacentibus, & praesentibus, nitatur in quadam praesumptione consensus tacentis, non est firmum aliquod fundamentum eos iudicasse eam taciturnitatis praesumptionem sufficientem ad iudicandum validum matrimonium, cum sit res longè maioris momenti, & quae magis veritate ipsa decidenda est, quam praesumptionibus, aut illis efficacissimis, & urgentissimis. Ita Pontius solidè, & subtiliter, vt semper solet.

Doctores verò, qui asserunt constitutionem Bonifacij *in d. c. unico*, agere tantum de sponsalibus, & non esse extendendam ad matrimonium, hi sunt, Gabriel *in 4. dist. 27. p. 1. art. 2. concl. 4.* Angelus *ver. matrimonium 2. n. 5.* & nonnulli recentiores, quos refert Petrus de Ledesma *de matrim. qu. 45. art. 2. dub. 3.* & ex Theologis Societatis Iesu Henriquez *lib. 1. c. 2. nu. 6. iuncto commento in lit. P.* vide etiam Bassoli *in 4. dist. 27. q. 1. art. 1.*

Sed stando in prima opinione, quae, vt diximus, est communis, hoc non obstante, non erit validum matrimonium, quando puella tacet, & nullus pro ea responderet, quia consensus ipsius non sufficienter exprimitur per taciturnitatem, nisi parentes pro ipsa respondeant. Dixi, nisi parentes pro ea respondeant; nam non sufficit alium extraneum repromittere, sed opus est, vt respondeat pater, vel mater, aut tutor; nam hi censentur agere in gratiam, & fauorem puellae, cuius curam gerunt, & consequenter, tunc valet regula, quod qui tacet consentire videtur; & ita obseruat doctus Bonacina *de matrim. q. 2. punct. 1. n. 8.* & alij, licet Syluius *in 3. p. q. 45. art. 2.* contrarium doceat, nempe in tali casu valere matrimonium, etiam si extranei repromittant.

Verum pro coronide huius resolutionis ponam hic verba Ioannis Gutierrez *de matrim. c. 13. n. 9.* sic asserentis. Vidi in praxi obseruari pro securiori cautela, quod etiam si parentes sint cum filiis tempore contrahendi matrimonij, & illi haec aperiant Parocho cum testibus; nihilo

nihilominus ipse Parochus interrogat filios contrahentes, eorumque exquirat consensum, non verò parentum, conformans se cum dispositione Concilij Tridentini, ibi, *Vbi Parochus viro, & muliere interrogatus, & eorum mutuo consensu intellecto, &c.* Interrogatio igitur ipsorum contrahentium requiritur. Verùm si hoc non fieret, sed potius parentes interrogarentur à Parocho coram testibus presentibus & intelligentibus ac tacentibus ipsorum filijs, contraherent matrimonium nomine ipsorum filiorum; quia presentia, & taciturnitas filiorum quorum nomine eorum parentes contrahunt matrimonium, sufficiens externum signum est consensus interni, iuris presumptione, & dispositione in cap. unico, de despons. impub. in 6. quod Concilium Tridentinum non corrigit, nec de hoc casu loquutum est, sed de frequentiori, & regulari; scilicet quando ipsimet coniungendi matrimonialiter per se contrahunt, nulla facta mentione de parentibus. Noster igitur casus, tanquam omissus, remanet sub dispositione iuris communis, argum. l. commodissime, cum simili, ff. de liber. & posthum. Ita Gutierrez.

An maior usus rationis requiratur ad contrahenda sponsalia, quam ad peccatum mortale?

RESOL. CCLXXIII.

Affirmatiuè respondet Bonacina de matr. q. 1. pun. 4. n. 4. & alij penes ipsum; quia ad peccatum mortale sufficit consensus, & aduertentia mali presentis; ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Basilio Pontio de matrim. lib. 4. c. 1. vbi sic asserit. Ea deliberatio, siue ea libertas cum ea consideratione necessaria est ad contractum matrimonij, & ad sponsalia, quæ necessaria est ad peccatum mortale. Ita ille, & ante illum Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 16. n. 16. Et ratio est, quia si ea futurorum prouidentia, quam postulat Bonacina, & alij, desideraretur in contrahendis sponsalibus, incautè à iure præscriptum esset tempus septem annorum, vt incantur sponsalia, quod decernitur in l. in sponsal. 2. ff. de sponsalib. & in cap. literis, cap. accessit, c. ad dissoluendum, de despons. impub. Deinde si is usus rationis, qui in septennio communiter adest, sufficit ad obligandum pro voto solennis Ordinis sacri, & pro voto religionis, quæ est obligatio status perpetui. Ergo maiori ratione sufficiet ad contrahenda sponsalia, vide Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 17. §. 1. n. 6. Coninch de Sacram. disp. 21. dub. 5. n. 49. & alios.

An septennium requisitum ad contrahenda sponsalia, esse debeat omnino completum?

RESOL. CCLXXIV.

AD hanc quæstionem affirmatiuè respondet Coninch de Sacram. disp. 21. dub. 4. n. 51. quia sicut quando iura alicui res præscribunt certum pretium, hoc consistit omnino in indiuisibili, ita etiam quando alicui actioni præscribunt certam ætatem agentis; quia ideo certum pretium, ac ætatem agentis præscribunt, ne quisquam suo iudicio possit ea mutare; sufficeret tamen inchoatum esse vltimum diem anni septimi, quia eodem modo requiritur ætas septem annorum ad sponsalia, sicut requiritur in maribus ætas quatuordecim annorum ad condendum testamentum, sed in fauorem testamenti, ad hoc sufficit inchoasse vltimum diem anni 14. vt patet in l. qua ætate, ff. de testam. & qui testamenta, &c. Ergo idem sufficiet in sponsalibus, quæ non sunt minus fauorabilia. Ita Coninch, & hanc sententiam docet etiam Pontius de matr. lib. 12. c. 5. n. 3. Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 16. n. 4. & alij. Hæc opinio est probabilis.

Sed ego contrariam probabilem etiam esse existimo, quæ asserit sufficere septennium moraliter esse completum, vt si, ait Gutierrez de matrim. c. 22. n. 6. duo, vel tres

dies deficerent. Sed plus addit Rebell. p. 2. lib. 4. c. 5. concl. 2. n. 2. qui citat Sotum, Victor. Veracruz, Syluest. D. Antonin. & D. Thom. nempe valida esse sponsalia, etiam si octo, vel decem dies ad complendum septennium defint.

Et hæc omnia intelliguntur in foro externo, & quando non constat malitiam supplere ætatem; nam in foro conscientie valida erunt sponsalia etiam multo ante septennium contracta, si malitia suppleat ætatem, cum eam sufficiens usus rationis præuenit. Et ita ex multis docet Rebellius, & Pontius locis citatis, quidquid in contrarium asserat Richardus in 4. dist. 27. art. 3. quæst. 1. Durandus q. 3. ar. 2. & Argentiua art. 4. existimantes septennium ita esse requisitum, vt si vterque sponsus, vel alter sit minor septennio, irrita sint ipso iure sponsalia.

An sit peccatum mortale contrahere sponsalia ante septennium completum?

RESOL. CCLXXV.

Diximus in superiori resolutione validè aliquando ante septennium expletum contrahi sponsalia. Nunc videndum est an contrahantur licitè. Affirmant Syluius in 3. part. q. 43. art. 2. Rebell. p. 2. lib. 4. q. 5. n. 4. Bonacina de matr. q. 1. pun. 4. n. 6. Henriquez lib. 1. c. 13. n. 13. & alij, & ratio delimitur ex præceptoposito in cap. 2. de despons. impuber. vbi sic habetur. Distinctè inhihemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur, nisi fortè aliqua vrgentissima causa necessitate interueniente, vt pote pro bono pacis talis coniunctio toleretur.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, & quoad pueros patet nullum esse peccatum; nam vt asserit Pontius de matr. lib. 12. c. 5. n. 4. si malitia supplet ætatem, illa sponsalia valent, si non supplet, nihil agunt, neque iniuriam inferunt alicui sacramento; ergo nullo modo peccant. Et hoc vltimum probat etiam neque parentes peccare, quia cum sponsalia non sint sacramentum, nec sacramento, nec alicui alteri efficitur iniuria, cum ex illis sponsalibus non oriatur obligatio, saltem respectu illius, qui doli capax non est, nec aliquid illicitum permittitur. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet Coninch de Sacram. disp. 21. dub. 5. concl. 2. n. 53. Villalobos in sum. to. 1. tract. 12. diff. 4. n. 7. Filiucius tom. 1. tract. 10. part. 1. cap. 7. n. 29. Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 17. n. 4. Gutierrez de matrim. cap. 2. n. 14. & nouissime Barbosa in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 2. c. 2. n. 4. qui omnes respondent ad cap. 2. Nicolai Pontificis de despons. impuber. Sed mihi magis placet responsio noua, quam adducit Pontius vbi supra, qui intelligit textum de coniunctione, hoc est, habitatione in eadem domo. Vel dicendum est ante Clementem III. valuisse matrimonia de presenti inter impuberes, quæ erant veluti conditionalia matrimonia. Nicolaus autem, qui multis annis præcessit Clementem III. ea prohibuit, nisi magni alicuius dissidij vitandi causa fierent, atq; ius istud in d. c. 2. non corrigit alia iura, quæ matrimonium de presenti inter impuberes resoluunt in sponsalia cum sit antiquius; sed statuit ne talis contractus de presenti inter impuberes fiat, nisi ex magna causa, quem contractum de presenti inter impuberes posteriora iura Clementis, Lucij, & Innocentij III. vim tantum sponsalium re ipsa habere vel declararunt, vel denuo statuerunt. Ita Pontius, sed quod quæsitum est de sponsalibus in hac resolutione, quærendum est de matrimonio in sequenti.

An contrahere matrimonium ante legitimam ætatem, sit peccatum mortale?

RESOL. CCLXXVI.

Affirmatiuam sententiam docet Villalobos in sum. tom. 1. tract. 14. diff. 12. n. 8. vbi sic asserit. [El contrahet matrimonio de presente sin tener edad legitima, esta

esta prohibendo en derecho , en el *cap. 2. de despons. impub.* y hazer lo contrario es pecado mortal, como se vzen a quellas palabras *districtius inhihemus.*] Sic ille, & ante illum Coninch *de Sacr. disp. 21. dub. 5. num. 54.* Gutierrez *de matrim. cap. 2. n. 16.* Bonacina *de matr. q. 1. punct. 4. n. 7.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 1. c. 7. n. 259.* & hanc sententiam docet etiam nouissimè Basilius Pontius *de matr. lib. 7. cap. 65. num. 3.* & docuerat antea Henriquez *lib. 11. c. 13. n. 13.* vnde non est dubium esse probabiliorem, & communiorem.

Non reticeam tamen negatiuam sententiam docere Thomam Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 17. n. 6.* quia à iure antiquo recedendum non est absque textu expresso, & quòd iuris correctio est odiosa, & omnino vitanda; *l. pracipimus, C. de appell.* Sed matrimonium de presententi inter impuberes est permissum multis canonibus, & interpretantur, quasi essent verba de futuro, *cap. fin. de despons. impub. c. vnic. §. idem quoque, eod. tit. in 6.* Ergo non est dicendum, *cap. 2.* quod citat correxisse hæc iura, cum optimè possit interpretari ne corrigat. Item, quia Panormitanus *eod. c. 2. n. 5.* & Præposit. *ibi n. 2.* explicant illum textum, vt tantum prohibeat, ne impuberes, vel puberes cum impubere contrahant matrimonium, simulque copulæ carnali dent operam, ne postmodum de matrimonij valore dubitetur. Quòd si vrgeas, textum permittere hanc coniunctionem propter pacis bonum; non posse autem permitti copulam; respondeo, permitti quidem posse, quando iudicio Episcopi probabile esset malitiam præuenire ætatem; vrgentiſſimæque causa concurrente, quamuis de potentia ad copulam dubium esset aliquale, & si experientia facta comperiretur, nondum adesse potentiam, esset illud matrimonium sponsalia, iuris interpretatione. Hæc omnia Sanchez.

Sed stando in prima sententia, moderanda est cum Paludano *in 4. dist. 28. q. 2. art. 2. n. 8. & 10.* Angelo *ver. matrimonium 3. impedim. 16. n. 7.* Tabiena *ver. matrimonium. 2. q. 6. n. 7.* Henriquez & Filliucio *locis citatis,* nisi cum Episcopi licentia, & iusta interueniente causa, matrimonium ante legitimam ætatem celebretur, *ex c. 2. vbi supra.* Item stando etiam in dicta opinione quæritur.

An sit peccatum mortale contrahere matrimonium in ultimo die, quo completur legitima ætas?

R E S O L. CCLXXVII.

Affirmatiuam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. c. 65. n. 1.* vbi sic ait. In dubio præfinitum tempus completum sit, inhabiles iudicat Ecclesia, etiam si exigua temporis distantia sit, neque enim hic locum habet illa regula, *quod parum distat, nihil distare videtur,* sicut neque in aliis, in quibus ius præfinitum tempus exigit, vt in anno probationis Religiosi, & in ætate ad Ordines; si enim vel vnus dies, aut hora desideretur, vitiat factum. Cum enim ius præfinitat tempus, exigatque illud esse completum, nisi malitia suppleat, non est locus paucorum dierum supplemento. Quòd si illa suppleat, parum refert an duo, vel tres dies, aut etiam plures deessent. Imò existimo, nec satis esse, vt impleta ætas censeatur vltimum diem inceptum esse, quando malitia non suppleat ætatem; vt de anno probationis dicendum est. Neque obstat, quòd iure ciuili alia sit dispositio in testamentis, nec enim à iure ciuili ad canonicum in hac re argumentum desumi potest, aut à testamentis ad matrimonium, vbi est expressa decisio Pontificum. Ita Pontius.

Contrariam tamen sententiam tenet Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 3. cap. 14. n. 2.* & Villalobos *in summa, tom. 1. tr. 14. diff. 22. n. 1.* & alij penes ipsum, vbi sic asserit. [Esta edad ha de ser complida, como dize el *c. ex literis,* en estas palabras. Donec compleat puer annum decimum quartum. Verdad es, que bastaria si estuuiessen en el vltimo dia, como tiene Syluestro, Ab. Alexandro de Neuo, Anton. Diana *Ref. Mor. Pars III.*

Sanchez, y otros Iuristas, y es la razon, porque se determina assi en fauor del testamento en la ley *qua etate, ff. de testam.* y no es menor el fauor de matrimonio. Mas no bastaria si faltassen tres dias, como con otro tiene el mismo Sanchez, y lo mismo sientto si faltasse vn dia, porque moralmente no se juzga por complido año, como se juzgaria estando en el mismo dia.] Sic Villalobos.

At Ioannes Gutierrez (attende lector) *de matrim. c. 2. n. 20.* hoc vltimum contra Villalobos admittit, sic enim ait. Satis enim erit si prima dies anni duodecimi in femina, & decimi quarti in viro sit incepta, quinimo & idem erit dicendum quamuis tres dies ex ea ætate deficient, ex eo quòd moraliter censeatur tunc completa: non enim metaphysicè compleri requiritur, vt tenet Hostiens. *in c. impuberes, n. 5. de despons. impub.* & Veracruz *in specul. part. 1. art. 26.* Imò Martinus Ledesma *in 2. p. lib. 4. sent. 9. 60. art. 1. col. penult. ver. hæsitabis,* vltèrius dicit satis esse quamuis decem dies defint. Ita Gutierrez.

Notandum est tamen hîc obiter validum esse matrimonium contractum ante legitimam ætatem, si malitia suppleat ætatem; vt ex multis notat Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 9. num. 2.* & patet *ex cap. de illis 2. de despons. impub.*

An sponsalia metu graui contracta valida sint, si iuramentum accedat, vel iuramentum saltem obseruandum sit, donec relaxetur?

R E S O L. CCLXXVIII.

Affirmatiuè respondet Henriquez *lib. 11. cap. 9. n. 6.* & alij penes Sanchez *vbi infra, n. 2.* saltem quoad obligationem iuramenti, quia iurans soluere vsuras, tenetur obseruare iuramentum, *ex c. debitores, de iureiur.* quamuis iuramentum non confirmet contractum Ergo, &c.

Hæc sententia, vt ait Aragon. *in 2. 2. q. 89. art. 7. circa solutionem ad 3. §. sed ultra,* est satis probabilis: sed ego contrariam probabilissimam etiam esse puto, quam tenetur Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 21. num. 3.* & post illum Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 11. n. 4.* vbi sic ait. Nota quòd sponsalia metu graui contracta non firmantur iuramento, nec ratione illius obligant, aut relaxatione indigent. Sic ille. Igitur dicendum est sponsalia metu contracta esse inualida, nec effici valida accedente iuramento, quia iuramentum metu exortum cum non confirmet contractum, relinquit illum in pristino valore, aut nullitate: quare ex illis nullum orietur publicæ honestatis impedimentum. Vnde dicendum est etiam tale iuramentum minimè obligare, & ita non indigere relaxatione. Probatur hæc opinio *ex cap. ex literis, de despons. impub.* per quam irrita sunt sponsalia metu contracta, & Alexander de Neuo *ibi num. 5.* explicat in casu, de quo loquitur Summus Pontifex in dicto textu, interuenisse iuramentum.

Adde quòd dum contractus aliquis ob publicam vtilitatem prohibetur, si iuramento stabilatur, iuramentum nullam parit obligationem, nec relaxatione indiget. Sed hoc accidit in casu proposito. Ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum contraria sententiæ; nam contractus vsurarius prohibetur principaliter ad bonum priuatum, non enim interest reipublicæ, siue hic ciuis, siue ille pecuniam per vsuram extortam comparet, sponsalia verò coacta ob publicam vtilitatem interdicuntur.

Non relinquam hîc tamen adnotare in gratiam Confessariorum, esse probabilem illam sententiam, quæ asserit iuramentum metu extortum, non solum non confirmare contractus aliàs inualidos, sed nec etiam obligare, & proinde nulla indigere relaxatione. Et ita docet Sanchez *tom. 1. lib. 4. disp. 20. n. 3. in fin. & disp. 21. n. 5. in fin.* licet ipse contrariam sententiam putet probabiliorem. Vnde stante probabilitate alterius sententiæ multa iurameta

non obligabunt, si metu extorta sunt, & facta ad confirmandos contractus ipso iure nullos.

An Episcopi possint prohibere ne matrimonia domi contrahantur?

R E S O L. CCLXXIX.

Negatiuè respondent Barbosa *de potest. Episc. part. ... leg. 32. num. 18.* & ita declarauit sacra Cardinalium Congregatio his verbis. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonia domi celebrentur seruata. t. oncil j forma. Sed cum maximè deceat, vt in Ecclesia celebrentur, id hortari debent, non præcipere. Et hanc declarationem adducit Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 7. sect. 2. n. 1.* Et ratio est, quia vt obseruat Sanchez *tom. 1. lib. 3. disp. 15. n. 20.* Reginaldus *tom. 2. lib. 3. c. 33. n. 242.* & alij, vbi nullum reperitur impedimentum, debet Parochus volentes contrahere matrimonio in facie Ecclesiæ coniungere, vt constat ex Concilio Tridentino *sess. 24. de matrim. c. 1.* vbi si nullum legitimum apponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij, in facie Ecclesiæ procedatur. Vt autem dicatur matrimonium in facie Ecclesiæ celebrari, non est opus vt in ipsa Ecclesia materiali, vel in eius limine celebretur, sed satis est coram fidelium multitudine, vt testatur Abbas *in cap. finali, de clandest. despons. n. 9.* vbi Præpositus *n. 9.* Alexander de Neuo *in princ. n. 25.* Syluester *ver. matrim. 2. q. 17. dicto secundo,* & alij. Hodie autem dicitur satis contractum in facie Ecclesiæ, si coram Parocho, & duplici teste, denunciationibus præmissis, matrimonium inearur. Ita Sanchez.

His tamen non obstantibus inuenio, vt obseruat Pontius *tract. de imped. matrim. causa 30. quest. 25. c. 26. §. 2. ver. 3.* Patres Concilij Prouincialis Colonensis *2. cap. 33.* aliter decreuisse, & in nostra Synodo Panormitana 1615. *part. 2. n. 22.* sic decretum est. Nullo autem alio in loco, nisi in Ecclesia, quæ propria Sacramentorum domus est, sponso iungat Parochus, nisi iustam ob causam Archiepiscopo probatam. Quocirca caueant medici, ne facili negotio fidem faciant ipsos, aut propter ægritudinem, aut corporis imbecillitatem Ecclesiam adire non posse. Vide Rebellium *loco citato.*

An qui prius votum religionis, aut castitatis emisit, virginemque deflorauit, cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum?

R E S O L. CCLXXX.

Respondent communiter, quòd non obstante voto tenetur ad contrahendum matrimonium, si puella votum promittentis ignorauit, quia ingressus religionis iam factus est ei illicitus, non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam irrogando puellæ. Ergo, &c. Deinde iustitiæ vinculum fortius est, quàm charitatis, sed ob charitatis vinculum superueniens non potest quis ingredi religionem, vt ratione parentum indigentia. Ergo à fortiori propter vinculum iustitiæ, quale est hoc, de quo loquimur. Et ideo hanc sententiam tenet Lessius *lib. 2. c. 20. dub. 4. q. 32.* Reginaldus *tom. 2. lib. 3. c. 36. n. 258.* Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 3. concl. 6. n. 24.* Vasquez *opusc. de restit. cap. 3. §. 2. dub. 6. n. 16.* & seq. Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 45. n. 3.* Gutierrez *de matrim. cap. 35. n. 7.* & alij. Hæc sententia est probabilis.

Sed contrariam etiam esse probabilem concedit ipse Sanchez & Gutierrez, *vbi supra,* & ego talem esse existimo, quia in tali casu deflorans virginem, non tenetur ratione promissionis, quia nulla fuit, tanquam promissio rei illicitæ contra votum; neque etiam ratione damni, quia violans virginem nuptiis non promissis non tenetur eam ducere, sed aliter satisfacere. Sed idem est non adesse promissionem, vel eam esse nullam, vt est in casu nostro. Ergo, &c.

Nec obstat dicere fictè promittentem teneri ratione damni puellam defloratam ducere, vt multi asserunt, cum tamen promissio nulla fuerit, quia respondeo, quòd in eo casu tenebatur vere promittere, in nostro autem non poterat obstantibus votis; & ita hanc sententiam tenet Nauarrus, & Rodriguez quos citat, & sequitur nouissimè Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. part. 1. c. 2. n. 5.* Cum enim (ait ille) per votum prius Deo ius acquisitum sit, non potest vouens illud propria libertate tollere maiorem cum altero obligationem contrahendo, aut statum voto contrarium suspiciendo.

Ad argumenta verò contrariæ sententiæ possit quis respondere, quòd parum vrgent; nam ita primò sumitur apertè quòd probandum est, scilicet talem plus obligari illi scemina, quàm Deo per votum. Ad secundum respondet Suarez *lib. 4. de voto, cap. 3.* negando iustitiam fortius obligare, quàm votum; grauius enim peccat, quàm qui in eadem materia violat iustitiam. Igitur dicendum est vtramque sententiam ex supradictis satis probabilem esse; vnde si quis habens votum Religionis, deflorauit virginem cum promissione coniugij, potest vel tale matrimonium contrahere, vel religionem ingredi.

An habens votum Religionis, seu castitatis, peccet mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendæ Religionis, antequam consummet matrimonium?

R E S O L. CCLXXXI.

Affirmatiuè respondent Doctores communiter; quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, cogeretur enim eius professionem expectare. Secundò ob periculum mutandi animum, & ita violandi votum. Tertio tali animo contrahens videtur sacramento illudere. Et ita hanc sententiam docent DD. quos citat, & sequitur Sanchez *vbi infra, n. 7.* & 10. quibus ego addo Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 3. n. 13.* & Gutierrez *de matrim. c. 25. n. 4.* Hæc sententia est probabilior, & sequenda.

Non reticeam tamen contrariam sententiam esse probabilem, & ita illam vocat Sanchez *de matr. lib. 1. disp. 43. num. 6. in fine,* & *n. 11. in fine.* Primò, quia nulla infertur iniuria alteri, si religionem ante consummationem matrimonij ingrediatur, & contractus vtrinque æqualis est, id enim alteri licet. Ergo, &c. Secundò, vbi actus nullam iniuriam irrogat, sed ingredi religionem post matrimonium ratum, non est contra iustitiam; ergo nec erit, si contrahatur eo animo. Et ita docet Calderin. *in cap. rursus, qui cler. vel vouent. Sotus in 4. dist. 38. q. unica, prope fin. ver. consimiliter si de peccato ageretur.* Alfisiodorensis *lib. 3. summa, tr. 1. c. 2. q. 3. ad 3.* Angelus *ver. matrimonium 3. impedim. §. n. 1.* Cajetanus *in sum. ver. matr. cap. 1. ver. & scito peccatum esse,* & Petrus Ledesma *de matr. q. 53. art. 1. dub. 1. concl. 2.* qui cum Scoto asserit, nullam in hoc casu interuenire culpam. Et hæc omnia à fortiori etiam procederent contra Cucchum *lib. 5. inst. tit. 12. n. 20.* Ledesman *in 2. part. 4. q. 55. art. 2.* & alios, quando quis absque vilo voto eo animo matrimonium contraheret. Sed contraria sententia, vt dixi, est probabilior.

An quis puber factus possit statim resilire à sponsalibus, non expectata alterius pubertate?

R E S O L. CCLXXXII.

Ex neotericis noster Pater Antonius Naldus, vir quidem doctus, *in sum. ver. sponsalia, n. 1.* negatiuam sententiam docet ex *cap. de illis, de despons. impub.* & eandem sententiam tenet *ibi glossa,* & Cardinalis *n. 2.*

Sed hæc sententia non est admittenda, affirmatiuam prorsus tenendam esse puto, quam tuetur Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 9. num. 3.* Coninch *de Sacram. disput. 23. dub. 2. num. 6.* Gutierrez *de matrim. cap. 29. num. 2.*

Barbosa in collect. tom. 2. lib. ... tit. 2. cap. 7. n. 6. quibus adde Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez t. 1. lib. 1. disp. 51. n. 9. Et ratio est, quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus, cap. cum contingit, de off. deleg. ergo si prius factus puber potest altero pubertatem adepto reclamare, poterit etiam statim. Textus verò in cap. de illis, in vers. si verò, loquitur quando is, qui tempore sponsalium erat impuber, factus puber reclamatur; at verò in vers. mulier, quando sponsalium tempore puber erat, & reclamatur altero impubere existente, qua distinctione posita apparet veritas nostræ sententiæ, & responsio ad argumentum Naldi ex dicto cap. de illis.

Notandum est verò hîc cum Coninch, & Sanchez ubi supra, factum puberem, si vult, debere statim reclamare, aliàs si ignota fuerit, censebitur tacite sponsalia confirmare, statim autem dicitur fieri, quod intra triduum fit, ex l. finali, C. de errore advocat. & l. finali, C. de iudiciis; in foro verò conscientie satis est eum reclamare ad tollendam obligationem, qui interius statim tempore dissentit, etsi exterius id non exprimat.

An sponsa possit resilire à sponsalibus, quando sponsus permittit se ab alia impudicè tangi per oscula, amplexus, &c.

RESOL. CCLXXXIII.

Notandum est ex c. quemadmodum 23. de iur. iurand. si alter ex contrahentibus fornicationem admiserit, sponsalia dissolui, etiamsi iurata sint, dissoluantur tamen in fauorem innocentis, & ideo si innocens adhuc velit contrahere, alter tenetur. Et hoc procedit, etiamsi sponsa per vim cognita fuerit, & omnino renuens. His suppositis ex Basilio Pontio de matrim. lib. 12. cap. 17. n. 3. & aliis communiter, quæritur an sicut sponsus potest resilire à sponsalibus, quando sponsa permittit se impudicè tangi, per oscula, amplexus, &c. an, inquam, hoc sit licitum sponsæ, quando sponsus id efficeret. Respondeo negatiuè cum Reginaldo tom. 2. lib. 31. c. 36. n. 262. & Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 55. n. 5. quia id sponsæ non est dedecus, nec est mutatio alicuius momenti, & solum pares sunt ratione mutue fornicationis ad dissoluenda sponsalia. Verùm de hac sententia dubitat Gutierrez de matrim. c. 31. n. 1. in fine, & illam limitat Coninch de Sacram. disp. 23. dub. 7. n. 6. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 10. par. 1. c. 2. n. 11. nisi fortè eiusmodi oscula & tactus essent frequentes, ita vt indicarent propensum valde sponsi in alterum animum, vt meritò possit timeri, ne ipse minus sit sponsam amaturus, aut fidem ei non seruetur.

An liceat utrique sponso à sponsalibus resilire, quando uterque fornicationem commisit post sponsalia?

RESOL. CCLXXXIV.

Neutrum posse in tali casu à sponsalibus resilire, docet Martinus Bonacina de matrim. p. 1. punct. 8. num. 6. & Paludanus in 4. sent. dist. 27. q. 1. art. 3. n. 17. Primò, quia delictum vnius compensatur cum delicto alterius. Secundò, quia quando vterque coniux post contractum matrimonium commisit adulterium, vir non potest facere diuortium, quamuis adulterium fœminæ sit grauius adulterio viri. Ergo neque sponsus potest facere diuortium, seu dissoluere sponsalia, quamuis sponsus maiorem subeat ignominiam per fornicationem sponsæ, quam subeat sponsa per fornicationem sponsi. Hæc omnia Bonacina, probabiliter quidem.

Mihi verò contraria sententia magis placet, asserens solum virum posse in eo euentu à sponsalibus resilire. Et ita docet Coninch de Sacram. disp. 23. dub. 7. conclus. 6. n. 63. Henriquez lib. 11. c. 14. n. 6. Reginaldus in prax. tom. 2. lib. 31. c. 36. n. 262. Gutierrez de matrim. cap. 31. n. 4. Sanchez Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

tom. 1. lib. 1. disp. 55. num. 9. quibus nouissimè addendus est Basilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 17. n. 3. & Layman lib. 5. tract. 10. part. 1. c. 2. n. 12.

Nec argumenta Bonacinae sunt satis firma; nam ad primum respondeo, quòd non potest in tali casu dari compensatio, quia delicta sunt valde imparia, longèque ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere, & ex fornicatione sponsæ longè grauius damnum sponso imminet propter incertitudinem securitatis prolis. Ad secundum argumentum, quòd vir adulter non possit vxorem adulteram repudiare, respondeo, hoc simile non habere locum, quia longè difficilior est separatio tori, quam sponsalium.

An si sponsa tempore sponsalium pulchra esset dissoluantur sponsalia ea effecta notabiliter deformi?

RESOL. CCLXXXV.

Notandum est sponsum non teneri contrahere matrimonium, si sponsa oculos, vel oculum, aut rem, seu nalam amiserit, vel si morbus contagiosus, paralytis, vel lepra superueniat. Idem dicendum est de vehementi suspitione morbi Gallici, etsi non plenè probetur, & de oris graueolentia, quando immedicabilis est. Et hæc omnia habentur & deducuntur ex cap. quemadmodum, de iureiurando. Hoc supposito, difficultas est de superueniente deformitate. Affirmatiuam sententiam docet Sanchez tom. 1. lib. 1. disp. 57. n. 4. quia res non eodem statu permanet, estque notabilissima mutatio, & talis, qua à principio existente sponsum non contraxisset, & ideo Innocentius in dicto cap. quemadmodum n. 3. ait. Dissoluantur sponsalia, quando notabilis deformitas superuenit, quia non manet res in eodem statu, cum non sit fœmina apta facere id, propter quod ducitur, scilicet tollere viro fornicandi occasionem, quia ad eam tam deformem accedere non valet. Ita Innocentius, & Sanchez.

Sed aduersus illud nouissimè insurgit Ioannes Gutierrez de matrim. in c. 21. n. 5. quia textus in dicto cap. quemadmodum, tantum permittit dissolui sponsalia ob oculorum, vel nasi amissionem, vel ob paralytim. At deformitas, de qua nunc agimus, vt aduersatur pulchritudini vultus præcedenti, non est huiusmodi. Ergo, &c. Nec obstant verba Innocentij, quia de deformitate textus in dicto cap. quemadmodum, intelligenda sunt, non verò de alia inferiori diuersi generis, nempe [por auerte hecho de hermoza sea sin perder los ojos, y narizes, ni tener otra enfermedad de las expresas en derecho.] Si quidem patet virum posse accedere ad non pulchram, imò frequenter contingit viros habentes pulcherrimas mulieres cum aliis non pulchris fornicari. Nec valet dicere, quòd illæ infirmitates in dicto cap. proponuntur, exempli gratia: nam respondeo esse extendendas ad alias similes eandem rationem, vel grauiorem habentes; non autem ad deformitates procedentes ex defectu pulchritudinis, quæ multo inferior est, & minimè comprehensa sub dispositione dicti cap. quemadmodum. Hæc omnia Gutierrez contra Sanchez, ubi citat pro sua sententia Couarruiam, Carerum Mattienzo, & Lopez.

Verùm his non obstantibus sententia Sanchez mihi probabilissima videtur quam post illum docet Basilius Pontius de matrim. lib. 12. cap. 17. num. 5. & Fillucius tom. 1. tract. 12. diff. 12. num. 18.

Notandum est tamen hic, quòd Doctores loquuntur communiter de sola deformitate accidente sponsæ, quia in viris non ita requiritur pulchritudo. Quare valde magna debet esse deformitas sponsi, quæ de nouo accidens det sponsæ ius resiliendi, qualis posset fortè esse, si totum omnino nasum perderet, aut si tota facies fœdè exureretur, aut alia ratione ita fieret deformis, vt spectantibus horrorem aliquem incuteret.

aut si vnà cum deformitate accedat aliud malum, vt si perdat oculus, & sit periculum, ne perdat secundum, aut si ineptus reddatur ad suum opificium exercendum, aut officium acquirendum ad sustentationem familiæ necessarium. Aliàs quando deformitas non est excessiua, non dat sponsæ iustam causam resiliendi. Et hæc omnia adnotauit Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 8. n. 66.*

An nulla dotis promissione præuia possint dissolui sponsalia ob paupertatem sponsæ superuenientem?

R E S O L. CCLXXXVI.

Negatiuè respondet Paludanus *in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. n. 14.* Lopez, Rodriquez, & alij, penes Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. disp. 59. n. 3.* quia sibi sponsus imputare debet, quòd nullum de dote tradenda pactum inierit. Et hanc sententiam probabilem esse docet Sanchez *loco citato in fine*, & Villalobos *ubi infra.*

Mihi verò contraria sententia placet, quam tuetur Basilus Pontius *de matr. lib. 17. c. 17. n. 8.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 12. diffic. 12. n. 19.* Henriquez *lib. 1. c. 14. n. 6.* Sanchez *ubi supra, n. 4.* & alij. Et ratio est, quia negari non potest, quin hæc non sit notabilissima mutatio, quæ si à principio existeret, sponsalia non contraherentur; adde quòd promissio intelligitur facta rebus in eodem statu permanentibus, *ex cap. quemadmodum, de iureiur.* Ergo, &c. Et hæc sententia procedit, etiamsi illa sponsalia fuissent iuramento confirmata, quia iuramentum intelligitur rebus notabiliter non mutatis, *ex eodem cap. quemadmodum.*

Notandum est tamen hæc, quòd si sponso subito accedat noua hæreditas, qua eius status plurimum melioretur, ita vt sponsa sit iam multum inæqualis illi: non ideo potest sponsalibus renunciare, quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in eam consensisse, quia non errauit circa obiectum consensus, sed circa propriam conditionem, circa quam consensus non fertur; eademque est ratio sponsæ, si ipsi noua hæreditas accedat. Et hanc sententiam prius solum Sanchez *ubi supra, n. 7.* auctorem habebat, nunc verò illam docet Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 8. n. 69.* Gutierrez *de matrim. c. 33. n. 4.* & Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 31. cap. 36. num. 363.*

Notandum est etiam hæc à Confessariis, an iurans se aliquam ducturum, nulla dotis promissione præmissa, teneatur ipsam ducere, si cum ipse diues sit, nullam ei dotem assignare velit. Quidam affirmant teneri, quando vir diues esset, & onera matrimonij sustinere posset. Alij verò negant, ego vtramque sententiam probabilem esse puto, vide Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 60.* & Gutierrez *de matrim. cap. 33. n. 5.*

Vtrum sponsus possit contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius si alter conscius esset, posset iuste à sponsalibus resilire?

R E S O L. CCLXXXVII.

Hæc quæstio est satis practicabilis, & ego olim de illa interrogatus fui, quia sponsa virgo non erat. Ideo assero cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 12. c. 18. n. 5. & 6.* & Coninch *de Sacram. disp. 23. dub. 12. n. 91. & seq.* quòd distinguendi sunt defectus in duplici genere. Primum est eorum defectuum, qui insunt vni ex contrahentibus, siue cum culpa, aut sine illa, qui reddunt nuptias minus appetibiles, non tamen perniciosas. Vt si mulier, quæ existimatur pulchra, quia absens est, sit deformis, & quæ existimatur honesta, non sit virgo, sed corrupta, vel vi, vel sponte, quando tamen studeret in posterum honestè, vi-

uere: si enim id non proponeret, iam nuptiæ non solum essent minus appetibiles, sed etiam perniciosæ. Alij sunt defectus, qui reddunt nuptias perniciosas, morbus scilicet contagiosus, improbi mores, à quibus desistere non vult, grauis infamia, siue personalis, siue generis, quæ possit honestam familiam deturpare. Si ergo sunt defectus primi generis, dico non teneri contrahentem aperire eos. Nota tamen, quòd patienti huiusmodi defectus nullo modo, licet, vel dicto, vel facto positiuè simulando contrarium, alterum vana spe ad nuptias suas allucere. Dixi *positiuè simulando*; quia tales defectus, maxime quando cum aliqua infamia coniuncti sunt, quis non tenetur manifestare, & ideo etiam interrogatus potest eiusmodi defectus dissimulare. Vnde recens nupta licet, & consultò potest vt aliquo artificio, quo impediatur, ne vir deprehendat corruptam, imò, etsi fœmina malefaciat promittenti sibi nuptias, concedendo vsuram corporis, tamen aut nullo modo, aut leuiter peccat tali artificio tegendo se esse corruptam, ne alter hoc deprehendens eius nuptias auerteret; nam in tali casu non propriè se fingit virginem, sed vitium occultat, & etiamsi apertè diceret se esse virginem, non credo per hoc præcisè peccaturam mortaliter, nisi esset periculum, ne vir postea, eam corruptam deprehenderet. Si verò defectus sunt secundi generis modo quo *suprà* dictum est; non licet cum horum ignaro contrahere, nisi similes defectus pateretur. Ex his facile colligitur an is, qui defectum aliquem patitur, possit ignarum eius defectus reuertentem implere sponsalia, cogere vt adimpleat. Et quidem si sunt defectus posterioris generis, non potest, etiamsi post sponsalia in eos defectus inciderit. Et idem dicendum est de patiente defectus primi generis, si dolo induxit illum ad sponsalia contrahenda. At si patiens defectus primi generis non illum induxit ad contrahendum, probabile satis est posse cogere, vt impleat; probabilius tamen videtur non posse illum resilientem cogere. Et hæc omnia desumpta sunt à Pontio, & Coninch *ubi supra*, qui horum omnium rationes adducunt in alijs libris non ita passim obuias.

Ex his inferitur, me olim rectè consuluisse contra Villalobos *in summa, tom. 5. tract. 12. diffic. 14. n. 3.* quandam virginem post sponsalia corruptam potuisse sponsum defectus occulti ignarum cogere matrimonium contrahere, & stare sponsalibus. Nec valet argumentum Villalobos, nempe adulterum ex iustitia non posse exigere debitum à coniuge illius adulterij ignara: nam ego puto adulterum licet debitum exigere in tali casu, & ita docet Coninch *ubi supra, n. 87.* qui citat Caietanum, vtrumque Sotum, & Henriquez, quidquid cum Villalobos sentiat Nauarrus *c. 22. n. 23.* Couarruias *in 4. decret. part. 2. cap. 7. n. 4.* Armilla *ver. adulterium, n. 7 in fine*, & Angelus *ibid. n. 3.* sed tu tene nostram sententiam, quam etiam docet Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 68. n. 4.*

An impuberes possint resilire à sponsalibus iuramento confirmatis, postquam ad annos pubertatis peruenerint?

R E S O L. CCLXXXVIII.

Negatiuè respondent communiter Doctores *ex cap. de litteris, 2. de sponsalibus*, contrariam tamen sententiam probabilem esse docet Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 12. diffic. 12. n. 27.* vbi sic ait. [Algunos tienen probablemente, que si los desposorios se confirmaron con juramento, se pueden disoluer, porque el juramento sigue la naturaleza del acto à que se interpone, como dize la ley fin. C. de non num. pecun. y assi parece que estos desposorios à la edad resistiere, assi lo tienen Iuan Andres, y Puludano.] Sic Villalobos, qui tamen negatiuam sententiam tenet, & quidem meritò, si impuberes, quando sponsalia iuramento firmarunt, erant, vt supponimus, doli capaces.

An deficientibus hominibus secularibus tenerentur Religiosi contrahere matrimonium?

RESOL. CCLXXIX.

Curiosa magis, quam utilis erit hæc quæstio. Negativam sententiam docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 1. c. 4. n. 11.* Valquez *in 3. part. tom. 4. disp. 1. de matr. c. 3.* Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 2. n. 7.* Syluius *in 3. part. q. 41. art. 2. concl. 2. ad argum. 5.* & alij penes ipsos, putantes mundi iam finem instare in tali casu, & ideo necessarium non esse matrimonium contrahi à Religiosis, vt per illos genus humanum restauretur.

Mihi verò magis placet sententia affirmatiua quam docent DD. quos citat, & sequitur Sanchez *tom. 1. lib. 2. disp. 3. n. 4.* quibus ego addo Reginaldum *in praxi tom. 2. lib. 31. c. 2. n. 8.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 13. diff. 3. num. 1.* Et ratio est vrgenti necessitate obligans, sed in nostro casu maxime vrget, nec seclusa Dei reuelatione finem mundi adesse constare poterit. Ergo, &c.

Notandum verò cum Sanchez, & Reginaldo, *locis citatis*, posse etiam nunc occurrere casum, in quo aliquis Religiosus teneretur matrimonium contrahere, vt quando sequerentur seditiones, & bella, nisi Principis filius vxorem duceret: tunc enim sub onere peccati mortalis matrimonium iniri teneretur, non ratione præcepti matrimonij. Sed ad casus practicabiles veniamus, ideo quæro.

An sponsalia inter consanguineos inita cum conditione si Papa dispensauerit, sint valida, & obligent in conscientia impetrata dispensatione?

RESOL. CCXC.

Affirmatiuam sententiam mordicus tenet Adrianus *in 4. sent. tract. de sponsalib. dub. 10.* quem ex recentioribus sequuntur Basilius Pontius *de matrim. lib. 3. c. 15. n. 5.* Coninch *de Sacram. disp. 29. dub. 1. concl. 5. n. 18.* Paulus Comitulus *in resp. mor. lib. 1. q. 145. per totam*, Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 10. sect. 6. n. 46.* quibus adde DD. quos citat, & sequitur Sanchez *tom. 1. lib. 5. disp. 5. q. 3. n. 12.* Et ratio est, quia earum rerum, quæ suapte natura nec malæ sunt, nec vlli iustæ legi repugnant, iusta, ac firma potest esse pæctio, sed pacisci de futuris nuptiis inter propinquos, ex concessione Romani Pontificis, nec turpe est, nec vllam legem perfringit; ergo inita de ea re pæctio rata esse debet, quandiu Romani Pontificis non infirmetur auctoritate. Deinde non est verum illud fundamentum, quod pendens à voluntate Principis est impossibile, quando Princeps illud concedere solet, vt accidit in casu nostro. Ergo, &c. Adde quòd idè institutio spurij facta sub conditione, si Princeps eum legitimauerit, est valida. Secundò, venditio rei feudalis, seu maioratus simpliciter facta inualida est, valet tamen si fiat sub conditione, si dominus feudi, aut Princeps voluerit. Tertio, votum Episcopi transeundi ad Religionem, si Papa dispensauerit, validum est. Quarto, quando est controuersia super aliquo beneficio, licet non possint pacisci simpliciter de pensionem (aliàs esset simonia) si tamen faciant pæctum super ea cum conditione, si Pontifex consenserit, suspendendo dictam pensionem in euentum, quo Papa consentiat, licita est conuentio, & ita quotidie practicatur. Et tamen supradictæ conditiones pendent à Principis voluntate. Ergo, &c. Vnde ex his omnibus apparet, hanc sententiam esse satis firmam, & probabilem.

Verùm contrariam sententiam esse etiam probabilem existimo, & ita illam vocat Sanchez *ubi supra*, & illam absolutè tenet nouissimè Ioannes Valerus *in differentiis vtriusque fori, ver. matrim. diff. 7. per totam* Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 5. c. 5. n. 11.* & Riccius *in praxi part. 1. resol. 217. n. 2.* Genuensis *in praxi c. 13. n. 5.* Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 4. c. 5. n. 34.* Ragucius *in Lucerna Parochorum, de matrim. q. 127.* Henriquez *lib. 12. cap. 10. n. 4.* quibus addo Anton. Diana *Ref. Mor. Pars III.*

Sotum, Ledesmam, Grassium, Viualdum, quos citat Sanchez *loco cit. num. 5.*

Dicendum est igitur secundum hos DD. talem promissionem esse nullam, & proinde licitum esse vtrique contrahenti ante, & post impetratam à Pontifice dispensationem altero inuito à sponsalibus resilire. Et hoc etiam procedit, si talis promissio fuerit iuramento confirmata. Verùm si magnæ expensæ factæ sint causa talis promissionis pro impetranda dispensatione, resiliens à dictis sponsalibus tenetur illas restituere. Et rationes horum omnium inuenies apud Valerium *loco citato*. Ex his infert Gutierrez *qq. canon. lib. 1. c. 22. n. 17.* consanguineos contrahentes matrimonium per verba de præsentibus, sub conditione, si Papa dispensauerit incurrere in excommunicationem latam *in Clem. vnic. de consang.* quia ea conditio tanquam impossibilis reicitur, & ideo manet purum matrimonium. Sed Doctores primæ sententiæ hoc negant, quia secundum illos ea conditio reputatur possibilis.

An matrimonium initum sub conditione honesta per verba de præsentibus, vt, Contraho tecum, si pater tuus voluerit, adueniente conditione, efficiatur validum absque alio nouo consensu?

RESOL. CCXCI.

Circa præsentem quæstionem pugnant inter se Canonistæ, & Theologi, & cum Canonistis tenet Coninch *de Sacram. disp. 29. dub. 1. conc. 3. n. 11.* Sanchez *tom. 1. lib. 5. disp. 8. n. 5.* & Syluius *in 3. part. quæst. 4. art. 1. quaritur 1. concl. 7.* sicut Theologi, quia ceteri contractus conditionales, adueniente, & impleta conditione absque nouo consensu purificantur, vt patet ex *l. hac venditio, ff. de contrab. empt.* in illis verbis, Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. Ergo idem dicendum est de matrimonio. Hinc infertur matrimonium aliàs contractum post prius conditionale, & impletam iam conditionem esse inualidum; quia per implementum conditionis prius matrimonium omnino firmum fuit. Et hanc Canonistarum opinionem cum Petro Ledesma *de matr. q. 47. art. 5. dub. 7. principali, concl. 1.* valde probabilem esse existimo.

Attamen mihi magis placet contraria sententia Theologorum, quos citat Sanchez *ubi supra, n. 3.* quibus ego addo Basilium Pontium *de matrim. lib. 3. cap. 14. n. 15.* & ex Canonistis Augustinum Barbosam *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 5. cap. 5. n. 7.* Gutierrez *de matrim. cap. 81. n. 8.* Et ratio est, quia forma illa contrahendi tantumdem videtur valere, ac si fieret per verba de futuro, vt patet ex *cap. super eo, de condit. oppos.* Deinde confirmatur, quia nullum Sacramentum pendere potest à conditione de futuro, vnde si dicas: Ego te absoluo vbi primum restitues, nihil efficit. Ergo, &c. Cæteras rationes videbis apud Pontium *ubi supra.*

Vnde ex his infero contra Doctores primæ sententiæ, si post euentum conditionis ante nouum consensum præstitum alter aliud contrahat matrimonium peccare quidem contra fidem præstitam, at validum esse matrimonium, quia prius tantum habebat vim sponsalium. Ita Sotus *in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. post concl. 3. ver. si arguitur ad id.* Secundo infertur contra Sanchez *ubi supra n. 26.* si duo consanguinei contrahunt coram Parocho, & testibus, per verba de præsentibus sub conditione, si Papa dispensauerit, non esse matrimonium absque nouo consensu post obtentam dispensationem Papæ Gutierrez *de matrim. c. 71. num. 10.* vide etiam Comitolum *lib. 1. q. vlt. num. 5.*

Dicendum est igitur secundum opinionem Theologorum, matrimonium, de quo est quæstio, non effici validum post adimpletam conditionem, absque alio nouo consensu, sed transire, & habere tantum vim sponsalium.

Non reticebo tamen hinc apponere sententiam mediam, quam tenet Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 10. sect. 6. n. 44.* asserens quòd si contrahentes expressè paciscantur, aliisque

aliisque signis declarent, se velle, vt adueniente conditione, matrimonium statim fiat, si in eodem consensu saltem virtuali permanent, probabile est sine nouo consensu matrimonium fieri. Ita Rebellius.

Notandum est tamen, quòd etiam stando in prima opinione requiritur, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, vel vt Parochus, & testes cognoscant conditionem esse adimpletam. Ita Coninch & Rebellius *vbi supra*, cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 5. c. 22. num. 8.* quidquid in contrarium asserat Sanchez *loco cit. n. 24.*

Vtrum ad reualidandum matrimonium fictè contractum, sufficiat adhibere consensum post longum tempus.

R E S O L. CCXCII.

DE hoc casu olim interrogatus fui; nam quidam coram Parocho, & testibus fictè matrimonium contraxerat, post autem decem menses verè, & ex animo contrahere volebat, quæsiuit à me, an post illud longum tempus sufficeret adhibere consensum in scia, neque de nouo consentiente vxore. Et tunc respondi affirmatiuè cum Sanchez *tom. 1. lib. 2. disp. 22. n. 12 & 13.* vbi sic ait. Tertio infertur, satis esse, si fictè, vel metu consentiens pòst verè assensum præbeat, quocumque temporis spatio interiecto, quia quando vnus adfuit consensus, oportet alterum absque longa mora consentire, vt prior consensus virtute maneat; in nostro autem casu, non tantum virtute, sed actu, & formaliter semper manet, cum semper qui verè consensit, æstimet valere matrimonium, & alterum habeat coniugem, petens, & reddens debitum. Nec opus est, vt iterum coram Parocho, & testibus celebretur hoc matrimonium, quia id est necessarium, quando omnino celebratur matrimonium, hinc autem tantum suppletur defectus interni consensus, vel alius defectus occultus, & iam externo contractui asserterant Parochus, & testes. Ergo, &c. Ita Sanchez, & alij penes ipsum, quibus ego addo Gutierrez *de matrim. c. 46. n. 14.*

Notandum est tamen hinc obiter, quòd licet in contrahendo matrimonio non sit necessarium consensum vtriusque coniugis simul tempore præstari, tamen exigitur simultas moralis, ita vt non magnum interuallum inter vnus, & alterius consensum distet, magnum verò interuallum Bartholomæus Ledesma *de matr. dub. 15.* putat esse, quando vnus intercedit. Henriquez *lib. 1. c. 3. n. 6.* quando biennium intercedit. Sotus verò *in 4. sent. dis. 27. q. 1. art. 3. vers. sed alia hinc nascitur,* & Lopez *in instr. p. 2. c. 39. §. quando septennium.* sed melius Petrus de Ledesma *de matr. q. 45. art. 3. dub. 2.* asserit hoc prudentis arbitrio relinquere, attentis particularibus circumstantiis. Verum super hoc vide, si libet Ægidium Coninch *de Sacram. disp. 24. dub. 7. per totum.*

Vtrum sit validum matrimonium contractum cum falso errore alicuius impedimenti?

R E S O L. CCXCIII.

Difficultas huius quæstionis est, quando adest error facti, & scientia iuris, vt quando coniuges falsò credunt adesse impedimentum, & existimant hoc stante non posse consistere matrimonium, & tamen contrahunt. Et de hoc casu olim interrogatus fui, nam quidam contraxit existimans coniugem mortuum, esse viuum, & tamen sciebat matrimonium esse nullum, contractum superstitute coniuge. Prima opinio negat, & ita docet Coninch *de Sacram. disp. 24. dub. 6. n. 53.* & alij; penes ipsum, quia impossibile est talem habere veram intentionem contrahendi, quia nemo potest seriò intendere id, quod omnino credit impossibile; quare non est verum talem posse intendere contrahere, quantum potest, cum omnino credat se nullo modo posse, leuis esset, si de altera parte, vel leuissimè dubitaret, ita vt concipere posset fortasse fieri

posse, vt validè contrahat, tunc enim posset hoc intendere. At verè contraheret, quamuis communiter grauior peccaret ob periculum inualidè contrahendi, cui suo iudicio se exponit. Ita Coninch.

Secunda opinio affirmat, quam tuetur Sanchez *tom. 1. lib. 2. disp. 33. n. 2.* cum alijs penes ipsum, quibus ego addo Gutierrez *de matrim. c. 47. n. 1.* nam contrahentes intendunt quantum in seipsis est consentire, quia hæ personæ sunt reuera habiles ad contrahendum, & intendunt quantum possunt contrahere. Ergo validè contrahunt. Secundò, quia hæreticus, etsi credat Baptismum esse rem irritoriam, & nihil valere, verè baptizat, si verè intendat facere, quod potest, & intendit Ecclesia. Ergo, &c.

Verum Basilius Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 23. n. 1. & sequent.* existimat non esse inter has sententias discrimen reipia, si distinctè explicentur. Duobus enim modis potest se habere contrahentium animus in prædicto casu. Primus est, si eliciant duos actus, vel iudicia, quorum vnum feratur in impedimentum, quod falsò subesse putant, & in scientiam, & supposita ea volunt adhuc contrahere, quamuis ius resistat. Secundus est, vt quamuis habeant eam cognitionem circa factum, & ius & aliam habeant, qua ipsis occurrat fortasse non teneri eo impedimento, &c. consensus sit quasi conditionatus, qui sic explicari potest. Etsi nos teneamur impedimento, & ius resistat, attamen si fortè potest iniri inter nos matrimonium, consentimus in illud. In primo casu impossibilis est intentio contrahendi, & si oppositum sentit Sanchez non est sequendus, & in hoc casu procedit prima opinio Coninch. In secundo autem casu bene potest esse consensus sufficiens ad matrimonium, quia consensus ille est quasi conditionatus, si possum; cumque conditio sit de præsentibus, si non teneor fortè aliquo impedimento, & re vera non teneatur illo, statim consistit contractus matrimonij, & in hoc casu vera erit opinio Sanchez; sin aliter, non erit admittenda, & ad primum eius argumentum patet responsio ex dictis. Ad secundum respondeo, negando consequentiam, quia ita baptizans, scit se posse facere id quod intendit, scilicet facere, quod facit Ecclesia, sed contrahentes in nostro casu, putant se nullo modo posse contrahere, quare non possunt hoc seriò intendere Ergo, &c.

An Parochus teneatur sub mortali interrogare sponsos de mutuo consensu.

R E S O L. CCXCIV.

Respondeo quòd debet Parochus vtrumque sponsum interrogare de mutuo consensu ante contractum, an scilicet liberè consentiat, vt præcipit Concil. Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* eius tamen ommissio, quando aliàs Parocho constat eos liberè consentire, est leuis, & tantum culpa venialis. Et ita docent Coninch *de Sacram. disp. 27. dub. 8. concl. 4. n. 74.* & Sanchez *tom. 1. lib. 3. disp. 38. n. 8.* Gutierrez *vbi infra.*

Notandum est etiam hinc contra Veracruz *in speculo in append. dub. 2. concl. 1. & 2.* non teneri Parochum interrogare contrahentes, an aliquod impedimentum habeant, ne contrahere possint, & ita tenet Gutierrez *de matrim. cap. 69. n. 17.* & Sanchez *vbi supra num. 10.*

An qui bona fide contraxit, postea dubitans de valore matrimonij, & adhibita diligentia non constet veritas, possit adhuc non solum reddere, sed etiam petere debitum?

R E S O L. CCXCV.

Negatiuam sententiam docet Rebellius *part. 1. lib. 2. q. 16. sect. 2. num. 11.* Gutierrez *de matrim. cap. 49. num. 28.* & alij, quia canones absolutè decernunt non esse petendum debitum cum dubio absque illa distinctione diligentiae, antea, vel post adhibitam: quæ etsi in tali dubio

dubio locum haberet, necessariò fuerat adhibenda, tanquam ad rem magis pertinens, quam distinctio de credulitate à Pontifice in canone adducta. Deinde ubi iura non distinguunt, nec nos distinguere debemus; hæc sententia est probabilis.

Sed magis probabilem contrariam æstimo, quam tuentur Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *tom. 1. lib. 2. disp. 41. n. 46. & 47.* quibus ego addo Coninch *de Sacram. disp. 34. dub. 10. concl. 4. n. 105.* Filliuc. *tom. 1. tract. 10. p. 1. c. 9. n. 343.* Valent. *tom. 4. disp. 10. q. 6. punct. 2.* Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 3. c. 39. n. 299.* Et ratio est, quia possessor bonæ fidei, si dubitat rem esse alienam, & factò sufficienti examine nequit dubium vincere, potest non tantum rem retinere, sed etiam illa uti; ergo coniux dubitans si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit uti matrimonio, reddendo, & etiam petendo. Et hanc sententiam docet etiam nouissimè Villalob. *in sum. tom. 1. tr. ...*

Notandum est tamen etiam hic, quòd coniux non tenetur regulariter credere alteri asserenti etiam sub iuramento, se vel non consensisse ab initio, vel aliud dirimēs impedimentum subesse, atque aded dubio deposito potest petere debitum. Ita Doctores citati, nisi adsint aliæ sufficientes circumstantiæ, & coniecturæ, ut asserentis probitas, &c. nam tunc nec reddere, nec petere potest.

Vtrum coniux teneatur reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali, v. g. quoad situm, &c.

R E S O L. CCXCVI.

Martin. Bonacina *de matr. q. 4. punct. 3. n. 9. & 10.* negatiuè respondet, docet enim coniugē non debere reddere debitum alteri cōiugi, qui petit modo indebito, quoad situm, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo; nam petit illicitè ex circumstantia actus.

Verum ego puto contrarium asserendum esse cum Sanchez *tom. 3. lib. 9. disp. 16. n. 8.* qui ego addo Basilium Pontium *de matr. lib. 10. cap. 11. n. 4.* & Filliucium *tom. 1. tract. 10. p. 1. c. 9. n. 308. & 328.* quia peccatum veniale petentis sic debitum in hoc casu nascitur ex ipso affectu petentis, & vehementi appetitu voluptatis, cui appetitui, & affectui non cooperatur alter coniux reddens, sed exercet actum licitum coniugibus, & ordinatum ad generationem; adhuc enim, & ille modus posset exerceri sine eo appetitu, & affectu. Ita Pontius; vnde contra Henriquez *lib. 11. c. 16. n. 6.* assero non vix, sed absolute, & sine

ullo scrupulo, posse vxorem reddere debitum viro petenti, qui inuerso modo seu præposterè succumbens vult illam intra naturale vas cognoscere.

Notandum est etiam hic a confessariis, quòd vir habens votum castitatis, si petit, vxor tenetur reddere debitum, quia per votum non amisit dominium corporis alterius coniugis, sed tantum peccat exigens; ergo coniux exactus tenetur reddere. Nota etiam probabile esse, non peccaturam coniugem reddendo debitum incestuoso, qui scilicet peccauit cum ipsius vxoris consanguinea ante dispensationem, quia non cooperatur peccato alterius; alter enim peccat tantum petendo actum sibi prohibitum, ac coniux non cooperatur petitioni, sed hac supposita cooperatur actui ex se licito. Et hæc omnia ex Sanchez notat Filliucius *ubi supra, n. 309. & 310.* quidquid in contrarium etiam probabiliter, quoad redditionem debiti incestuoso, asserat Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 13. diff. 47. n. 4.* & alij.

An contrahere cum impedimento dirimente sit duplex peccatum mortale?

R E S O L. CCXCVII.

Affirmatiuam sententiam docent viri grauissimi, & cum magna probabilitate, ut ait Petrus Ledesma *de matr. q. 50. art. 1. diff. 3. post concl. 2.* quia vltra culpam transgressionis iuris naturalis, aut Ecclesiastici, secundum quod est impedimentum, reperitur sacrilegium irrationis sacramenti matrimonij.

Verum mihi contraria sententia placet, quia cætera Sacramenta habent iure diuino præscriptam materiam, & formam certam, ac determinatam, & solam sacramenti rationem subeunt, ac proinde materia, & forma non possunt adhiberi, quin sint ex se materia, ac forma Sacramenti; quare si sit indebitus vsus, ita ut Sacramentum irritetur, est sacrilegium. At matrimonium vltra Sacramenti rationem est contractus quidam naturalis, nec habet præscriptam materiam & formam determinatam, sed consensus contrahentium legitimis verbis, nutibus, aut literis, aut per procuratorem expressos. Vnde Ecclesia, aut iure naturali irritante consensus inter aliquos, qui matrimonio copulantur, non ipsi irritum sacramentum efficiunt. Quantum enim ex sua parte est, validè contrahunt, sed ius Ecclesiasticum aut naturale statuens id impedimentum, illud irritat. Hæc omnia Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 5. num. 1.* & post illum Filliucius *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 1. num. 21.*

TRACTATUS QVINTVS
MISCELLANEVS.

An in rebus venereis detur paruitas materia?

R E S O L. I.



AFFIRMATIVE respondet Sanchez *de matr. lib. 9. disp. 46. n. 9. 27. & 40.* Zanardus *in direct. Confes. p. 1. de sacram. matrim. c. 41. q. 28.* & Salas *in part. 2. disp. 6. sect. 21. n. 149.* quia, ait ille, cur in cæteris præceptis detur paruitas materiæ, & non in hoc? Hanc etiam sententiam docet Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 40. dub. 9. n. 8.* ubi sic asserit. [Tambien se ha de aduertir que se puede hallar en este pecado paruidad de materia como en otros, quales son los tocamientos leues, como de la mano de vna muger; y del pie, con torcerle los dedos, o pisarle el pie, como dizen Nauarro, y Caietano, no ob-

stante, que algunos no admiten à qui paruidad de materia.] Ita ille. Vide etiam Seraphinum Freitam *in addit. ad tract. de Confess. sollicit. q. 7. num. 33.* & Sancium *in selectis, disp. 11. n. 22.* & hanc sententiam speculatiuè esse probabilem, docuit Malderus *in part. 2. q. 74. art. 10.*

Verum his non obstantibus prorsus negatiuam sententiam sustinendam esse puto, quam tuetur Tannerus *in part. 2. disp. 4. q. 8. dub. 6. n. 109.* Castrus Palaus *in opere morali, tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 19. §. 2. num. 4.* Basilium Pontius *de matr. lib. 10. cap. 16. §. 2. n. 8.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 109.* Rebellius *part. 2. lib. 3. q. 19. sect. 3.* & hanc sententiam docendam à Theologis Societatis IESV, decreuit Claudius Aquaniua die 24. Aprilis 1612. Probat hanc sententiam Rebellius, quia cum nulla sit tam exigua fornicatio, quin sit peccatum mortale, & delectatio sortiatum morem actus, videtur omnis delectatio morosa

morosa in ista materia esse mortalis. Deinde omnis delectatio venerea, secundum Galenum, est inchoatio quædam pollutionis, itaque sicuti inchoatus actus pollutionis est mortalis, ita etiam quæcumque eiusmodi delectatio. Et ideo Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 12.* de contraria sententia se retractavit. Non datur igitur in rebus venereis paruitas materiæ, & contrarium asserere puto periculosum esse.

An si vidua, vel sponsa de futuro carnaliter delectetur de copula præterita & futura, peccet mortaliter?

R E S O L. II.

Negatiuè respondet Alphonsus Curiel in *p. 2. D. Thoma 9. 74. art. 8. dub. 3. §. 2.* Hertera de peccatis *disp. 33. q. 13.* Victoria, quem refert, & sequitur Medina in *part. 2. q. 74. art. 8.* Zumel *ibid. disp. 4. dub. 3.* & alij recentiores. Et ratio est, ait Curiel, quia delectatio carnalis in vidua consequitur ad actum, qui fuit licitus, & delectatio sapit naturam actus, ad quem consequitur. Ergo, &c. Deinde, vidua non delectatur de libidine præsentis, sed de libidine in memoria, hoc est, de præterita, vt præterita; similiter sponsa, non de libidine præsentis, sed de futura copula delectatur. Ergo, &c. Et hanc sententiam probabilem esse docuit Corduba in *99. lib. 1. q. 23. dub. 19.* & alij; vide etiam Valentiam *tom. 4. disp. 6. q. 4. punct. 4.* Sà ver. *luxuria, n. 13.* & Syluestrum *ver. delectatio, q. 3.* cum Salas in *part. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 30. num. 201.*

Ego tamen contrariam sententiam teneo cum DD. quos citat & sequitur Bonacina de *matr. quest. 4. punct. 8. num. 3.* quibus ego addo Emanuelem de Vale de Moura *opusc. 1. de Enfal. & Incant. sect. 2. c. 18. n. 14.* Castrum Palaum *tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 10. §. 2. n. 7.* Malderum in *part. 2. q. 74. art. 10.* Montefinum in *p. 2. tom. 2. q. 74. art. 8. q. 6. n. 103.* Martinez in *part. 2. tom. 2. q. 74. n. 8. part. 1. tract. de Elect. dub. 3. concl. 7.* Villalobos in *sum. tom. 2. tract. 40. dub. 17. n. 3.* Philiarcum de *offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. c. 18.* Fillucium *tom. 1. tract. 10. c. 9. n. 359.* Layman in *Theol. mor. lib. 1. tract. 3. c. 2. n. 14.* Tannerum in *part. 2. disp. 4. q. 8. n. 13.* & Basilium Pontium de *matr. lib. 10. c. 16. §. 2. n. 10. & 11.* Et ratio est, quia sicut actus externus venereus, respectu sponsæ, aut viduæ, non est licitus, ita neque est licita delectatio, quæ de illo actu capitur non constanter matrimonio. Et ita etiam hanc sententiam præter DD. citatos, tenet Lessius *lib. 4. c. 3. dub. 15. n. 120.* & Valquez in *part. 2. disp. 114. num. 3.*

Notandum est tamen, quod multi ex DD. citatis docent, viduam non peccare mortaliter, si oborta cogitatione copulæ carnis cum marito defuncto, eam approbet voluntate, & sic dicendum putant de sponso circa copulam coniugalem futuram, si eam vel desideret, vel simplicis voluntatis affectione approbet, quod Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 1. c. 2. n. 33.* & alij extendunt ad omnem voluntatis affectionem etiam simplicis complacentiæ, conceptæ ex cogitatione concubitus cum muliere, si vxor esset; sed hanc sententiam in praxi non audet consultare Layman in *Theol. mor. lib. 1. tract. 3. c. 2. n. 13.* & ego similiter; & illam nouissimè reprobatur Castrus Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. punct. 10. §. 2. n. 6.*

Dicendum est igitur absolute non esse licitam viduis delectationem ortam ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij, neque sponsis de futuro delectari de copula habenda tempore coniugij, vt licet Valentia *ubi supra, tom. 4. disp. 6. q. 4. punct. 4.* per se loquendo, teneat primam sententiam, attamen postea sic asserit. Quoniam motus saltem concupiscentiæ facile excitatur, cum illa delectatio in animo hæret, crediderim propter periculum consentiendi directè, aut indirectè, in aliquam concupiscentiam mortalem, plerunque talem delectationem de actu præterito coniugali in vidua esse mortale peccatum; aut enim grauis mulier est, & pia, aut leuis. Si est

gravis, & pia, non admittet, vel certè non fouebit eiusmodi delectationem in animo; sin autem leuis est, magno periculo sese exponit propter rationem dictam, itaque peccat mortaliter. Hæc Valentia.

An Chirurgus expertus, dum medetur pudendis faminarum in pollutionem consentire, poterit se tali periculo obuiere, cum determinatione tamen non consentiendi. Idem queritur de Parocho in confessionum auscultatione?

R E S O L. III.

Affirmatiuam sententiam docent nouissimè ex Societate IESV Castrus Palaus in *opere mor. tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. n. 11. & 13.* vbi sic ait. Chirurgus potest verenda scemina curare cum periculo contentus, nec Parochus est obligatus deserere officium, etsi experiat voluntariè pollui occasione desumpta ex auditis in confessione; sufficit enim si proponat amplius non consentire. Ita ille, & ante illum Ioan. Sancius in *selectis, disp. 2. n. 9.* vbi ita asserit. Parochus qui ex auditis in confessionibus expertus est in pollutiones consentire, non peccat confessiones auscultando, dum determinatus sit non prolabi, quamuis eas auscultet. Deinde Chirurgus qui pudenda sceminarum causa medendi videt, vel tangit, expertus illas concupiscere, vel voluntariè pollui, ob illud periculum à curatione non tenetur cessare, nec peccat illi se committendo, dum determinat, sic non peccare, quando partes illas videat, vel tangat. Vltèrius qui pedester ambulare non potest, aut equitare, & ad eius honorem conducat, expertus tamen pollutioni ex eo obuienti consentire, non tenetur ab equitatione abstinere, nec peccat periculo illi consentiendi se tradendo, dum semper determinatus sit non consentire, quando equester agat. Et ratio horum omnium est, quia quoties aliquis ex causa necessaria, vel urgente se exponit periculo peccandi, non ob id delinquit, dum quando se obicit tali periculo, determinatam habeat voluntatem non peccandi, cum in tali casu inuoluntarium sit periculum. Ita Sancius.

Sed contrariam sententiam, & meritò docet Villalobos in *summa, tom. 2. tract. 45. diff. 16. num. 3.* Leone de *offic. Conf. sp. 1. recollect. 20. num. 73.* Megala in *1. part. lib. 4. c. n. 6.* Lessius *lib. 4. c. 3. dub. 14. n. 98.* Io. de la Cruz in *direct. conf. part. 1. præcept. 6. art. 8. dub. 9. concl. 1.* & alij. Et ratio est, quia ob nullam rem potest quis se exponere formali periculo peccandi; nam qui amat periculum, peribit in illo.

Non desinam tamen hinc adnotare D. Thomam in *2. 2. q. 10. art. 9. in fine corporis.* Salas in *part. 2. tract. 8. disp. unica. sect. 5. n. 60.* & *tom. 2. tract. 13. disput. 6. sect. 17. n. 105.* & *106.* Sotum de *instit. lib. 5. q. 1. art. 6. in fine 2. concl.* & alios docere posse aliquem accedere ad infideles gratia illos conuertendi cum periculo subuersionis, & ad prædicandum meretricibus cum periculo peccandi; quod etiam docuit Castrus Palaus *num. 10.* qui etiam addit, posse, imò teneri parentem alere filios ex concubina, qui nec separari possunt à matre, neque alia via possunt victum querere, etsi periculum habeat lapsus cum concubina; & faciunt pro hac sententia Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 1. cap. 8. n. 3.* Basilium Pontius de *matrim. lib. 5. c. 35. num. 4.* Freitas in *addit. ad tract. de confess. sollicit. q. 19. num. 17.* Sà ver. *peccatum n. 6.* & alij asserentes, quod exponens se periculo peccandi causa urgente non peccat, & ponunt multa exempla.

Verùm Lopez in *instruct. v. 1. c. 21. §. ad tertiam rationem,* & Petrus Lorca in *2. 1. D. Thoma, sect. 3. disp. 28. n. 9.* & alij, asserunt non licere exponere se periculo peccandi certo, nec probabili ob bonum spirituale proximi; & ideo Suarez de *charit. disp. 9. sect. 2. n. 8.* sic asserit. Sequitur contra Sotum, nemini licere propter aliorum salutem exponere se mortali periculo peccandi mortaliter, ex illa regula

regula Eccles. c. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*; nam in moralibus idem est committere, & exponere se morali periculo committendi. Quod maxime verum est, quando periculum est in determinata materia, in qua aliquis fragilem se expertus est. Si verò in confuso, non potest certa regula tradi, sed pro ratione necessitatis, & periculi, pensanda res erit. Ita Suarez, quem ego sequor; unde cogita si opinio Basilij Pontij, quam *suprà in tract. 4. de Sacram. resol. 269.* adduxi, sit probabilis.

An sit peccatum mortale falsum crimen obiicere testi falsum, aut contra ordinem iuris testantis?

RESOL. IV.

Negatiuam sententiam esse probabilem testatur Ioan. de la Cruz *in direct. conf. part. pr. 8. art. 4. dub. 17. conclus. 1.* vbi sic ait. Bannez, & Ledesma cum Orellana probabiliter sentiunt esse solum peccatum veniale obiicere testi iniquo crimen falsum secluso periurio in obiiciente, & testibus ad hoc inducendis. Ita ille. Et nota quòd si reus, & testes in tali casu falsò iurarent, licet peccarent contra Religionem, non peccarent tamen contra iustitiam, & ideo non tenerentur ad restitutionem, & sic docet Ledesma *in summa, tom. 2. tract. 8. cap. 35. concl. 21. in fine*, vbi ita asserit. [Puede el reo cometer pecado mortal contra religion, si induze los testigos para que testifiquen con iuramento la obiecion falsa, y los mismos testigos aunque son perjuros no pecan contra iusticia, ni estan obligados à restituír hablando de si; y la razon es, porque el reo que los induze y es causa principal, no peca contra iusticia, ni esta obligade à restitucion, luego tan poco los tales pecan contra iusticia, ni tienen obligacion de restituír.] Sic Ledesma.

At his non obstantibus communiter DD. asserunt, cum etiam in casu, de quo loquitur Ioan. de la Cruz *vbi supra*, peccare mortaliter, nam non habet ius defendendi se illo medio, cum mendacium sit intrinsecè malum, nec ordinabile in finem bonum. Ergo, &c. & ita docet Malderus *in 2. 2. D. Thom. tract. 6. c. 3. dub. 3.* & alij.

An si quis in die Veneris delectatur sensibili delectatione de esu carnis, mente concepto, perinde ac si eas reipsa comederet, peccet mortaliter?

RESOL. V.

Affirmatiuè respondet Medina *C. de restit. q. 21.* & alij. Sed negatiuam sententiam omnino amplectendam esse affirmo. Dico igitur, quòd delectari de rebus, positiuo solum præcepto, aut voto voluntario prohibitis (non quia prohibita sunt) non esse peccatum mortale. Et ratio est, nam præceptum positiuum humanum per se non prohibet actus internos, sed solum externos; ergo, &c. Et ita docet Tannerus *in part. 2. D. Thomae disp. 4. q. 8. dub. 7. n. 137.* Layman *in Theol. mor. lib. 1. tr. 13. cap. 2. n. 9.* Villalobos *in summa, lib. 1. tract. 3. dub. 3. num. 5.* Malderus *in part. 2. D. Thomae, q. 74. art. 10.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 15. n. 114.* & alij cum Vasquez *in part. 2. disp. 110. c. 1.*

An comedentes, vel bibentes absque necessitate ob solam voluptatem captandam, peccent venialiter?

RESOL. VI.

Ponam hinc opinionem dictissimi Ioannis Sancij, vt illam studiosi legant, & iudicent; sic itaque ait *in selectis, disput. 2. n. 14.* Deficiente nocumento corporis, & salutis, comedere, vel bibere absque necessitate solum ob delectationem capiendam, scilicet ob frigiditatem potus vel suauitatem cibi neutiquam contra rationem erit; sed talis comestio, aut potio liberè fit, vt appetitus naturalis suis fruatur actibus. At velle appetitum delectari suis opera-

tionibus, quæ contra rationem non sunt, nullatenus peccatum est, cum scelus reperire sit impossibile, nisi contra rationem tendat operans. Dicas quæso, quare contra rationem operatur edens, aut bibens, absque fame, dum aliàs esus, aut potus nocumento salutis non inferant? Nam si ob solam cibi delectationem gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumento, peccatum etiam esset odorari res aromaticas ob solam delectationem capiendam boni odoris. Et esset scelus res inspicere pulchras ob solam delectationem, quam visus in visione capit, & esset crimen audire musicam, ob capiendam auditus delectationem. Quis autem damnet hæc? Igitur nec gustus sensum ex eo quòd appetat cibum ob solam eius delectationem, damnari erit fas, & cui peioris erit conditionis quàm alij? Ita ille, qui etiam illum versiculum, quem adducit D. Thomas *2. 2. q. 184. art. 4.* propter, lautè, nimis, ardentè, studiosè; non sic absolutè esse intelligendum arbitratur, sed in certis quibusdam casibus, quos ipse latius explanat, & sic ipse ait. Propter edit quis, quando tempore ieiunij ante horam comedendi fit comestio. Ardentè, quando ex modo comedendi læditur modestia. Lautè, quando perquisitione ciborum læditur modestia, quærens tanta sollicitudine, & cura, quòd in illis felicitatem esse sitam ostendatur. Studiosè quærens cibos nimis accuratè præparatos. Nimis, quando ex nimio cibo, & potu, damnum aduenit salutis. Hæc omnia Sancius.

An peccet venialiter, si quis ob vitanda grauiora tormenta, sibi falsum crimen imponit, etiam cum iuramento æquiuocatione vtens?

RESOL. VII.

Non peccare mortaliter in tali casu docent communiter. Ita Nauarra *de restit. lib. 2. c. 4. n. 21.* & alij.

Difficultas consistit an peccet venialiter; affirmatiuè respondet Lessius *lib. 2. c. 11. dub. 7. num. 4.* & alij. Sed mihi placet opinio Ioannis Sanchez *in selectis, disp. 46. n. 16.* vbi sic asserit. Ad vitanda grauiora tormenta excusatur, quispiam etiam à veniali labe, falsum sibi imponendo, licet ob illius confessionem esset morte plectendus; quia vita non est digna tanto dolore, & mendacium excusatur, æquiuocatione in mente retenta, scilicet crimen commississe, non re, sed solum vt fateatur iudici ad euitanda tormenta. Quod verum etiam iudico, licet falsam sibi impositionem iurent, nam eadem causa, quæ adest ad excusandum mendacium æquiuocatione retenta, sufficit etiam ad excusandum iuramentum. Ita ille, quidquid in contrarium asserant Vega *in summa, p. 2. c. 8. cas. 1.* Ragucius *in Lucerna Parochorum, de restit. q. 167.* & alij, quando adest iuramentum; sed tu tene cum Sancio, & vide Azorium *to. 1. lib. 1. c. 4. q. 5. reg. 3.* Valent. *to. 3. disp. 6. q. 7. punct. 4. & tom. 4. disp. 7. q. 13. punct. vlt.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 3. c. 6. n. 15.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 3. c. 10. num. 5.* Delrium *in disquis. mag. lib. 6. c. 1. sect. 2.* & alios penes ipsos.

Notandum est etiam hinc obiter, posse delinquentem occultum, prodere se iudici, vt in eo debitam exequatur punitionem, cum id efficiat ob virtutem iustitiæ volendo potius in hoc mundo peccati pœnam sustinere, quàm in alio luendam seruare. Ita Sancius *vbi supra, n. 19.* cui adde Nauarrum *de restit. lib. 2. c. 4. n. 20.* Sanchez *in summa, tom. 2. lib. 6. c. 18. n. 43.* & Sà verb. *infamare, n. 1.* nisi esset persona maximæ auctoritatis, & reipublicæ utilis, quæ se prodens, & tradens puniendam, maximum pateret scandalum, occasionem alijs ad delinquendum offerens.

An sit peccatum mortale, si in omnibus diebus festiuis quis exerceat, v.g. per mediam horam aliquando opus seruale?

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam docet Toletus *lib. 4. c. 25. n. 1.* & nouissimè Fagundez *prac. 1. lib. 1. c. 17. n. 3.* nam in

in opere seruilium cum sit opus materiale, datur continuatio, & extensio materiae, licet detur discontinuatio in ipsis diebus.

Sed si haec opinio esset vera, vae, vae operariis; ideo negatiuam sententiam affirmandam esse puto, quam docet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 1. c. 4. n. 12.* vbi sic ait. Si quis distinctis vicibus eademmet festi die seruilium exerceat, ita vt singulis vicibus parum temporis insumat, ac totum tempus sit notabile, peccabit lethaliter. Secus si in diuersis diebus, etiamsi habeat propositum singulis diebus paruo tempore laborandi. Ita ille. Vnde ego puto, quod si aliquis singulis diebus festis laboraret per spatium duarum horarum, non peccaret mortaliter, quia dictae materiae paruae, non continuantur, neque coalescunt in vnum; sicuti si in diebus diuersis ieiunij parum quispiam singulis diebus comederet, etsi simul haberet propositum, sic singulis illis diebus comedendo non peccaret, neque ieiunium frangeret.

Notandum est etiam cum Sanchez *vbi supra*, non esse similiter peccatum mortale, si quis efficiat, vt multi eodem, vel diuersis festis, magna temporis parte laborent, si omnium labor vniatur, & singuli tantum modico tempore: quia illa modica singulorum tempora minimè vniuntur, & cuiuslibet culpa non est nisi venialis. Ergo, &c. Sed post haec scripta inueni omnia supradicta docere cum Sanchez Martinum Bonacinam *tract. de legib. disp. 5. quest. vnic. punct. 3. num. 3. & 4.* vnde non est audiendus Fagundez, nam eius opinio esset laqueus omnium operariorum.

Notandum est etiam hic obiter, quod puella laborans in diebus festiuis ob euitandum otium, excusatur ab Emanuele Sa *ver. festum n. 6.* Ioanne de la Cruz *in direct. conscient. part. 1. prec. 3. art. 1. dub. 1. conc. 4.* Villalobos *in manuali Confessar. c. 22. n. 99.* vbi etiam haec verba asserit. [Las obras seruilium que se pueden hazer secretamente, como cofer, &c. son licita en fiesta, quando se hazen por limosna.] & idem docuit *in summa tom. 2. tract. 32. dub. 4. n. 10.* vbi citat pro hac sententia. Angelum, Syluestrum, & D. Antoninum. Sed an probabiliter, iudicent viri docti, nam aliqui hoc non admittunt, & quia de operibus seruilibus in diebus festiuis incidit sermo, ponam hic dubium, de quo ipso die interrogatus fui.

An qui templorum parietes tapetibus, & auleis ornant, possent hanc artem exercere sine peccato mortali in diebus festiuis. Respondeo (quidquid asserant Conradus *in resp. part. 2. q. 233.* & alij) facientes non peccare mortaliter, etiamsi antecedentibus diebus talia ornamenta ponere possint, & ita docet Bonacina *de legibus, disp. 5. q. unica, punct. 3. n. 3.* citans Suarez, Caietanum, & Toleum, quibus ego addo Fagundez *prac. 1. lib. 1. c. 4. num. 4.* cum aliis penes ipsum.

Nota etiam quod *in 2. part. tract. 1. miscellan. resol. 36.* cum Filliucio docui, quod si aliquis in diebus festiuis laboraret per spatium duarum horarum, non peccaret mortaliter. Et hanc sententiam praeter Filliucium, tenet etiam ex eadem Societate Iacobus Granado *in part. 2. D. Thoma, contr. 6. tract. 2. disp. 2. sect. 6. n. 54.*

An Episcopus possit instituere diem festum alicuius Beati nondum canonizati?

RESOL. IX.

Negatiuam sententiam docent Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 42. num. 9.* Azorius *tom. 2. lib. 1. c. 26. q. 4.* Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 2. tit. 9. c. 5. n. 24.* Villalobos *in summa, tom. 2. tract. 32. dub. 1. n. 3.* & alij.

Non reticeam tamen affirmatiuam sententiam docere Suarez *de relig. tom. 1. lib. 2. de diebus festis, c. 11. n. 4. & 5.* & post illum Fagundez *prac. 1. lib. 1. c. 3. n. 14. & 15.* quia nihil aliud est Beatificatio, quam quaedam canonizatio minorum apparatu celebrata. Sed his non obstantibus negati-

uam sententiam tenendam esse puto, quam nouissime docet etiam Lucas Castellinus *de Canon. sanct. c. 1. pun. 34. §. 7.* & ideo tempore Pauli V. humiliter petiit Respublica Veneta, vt festum Beati Salonij in eadem ciuitate coleretur, & idem euenit tempore Gregor. XV. pro B. Alberto Magno, id petente Archiepiscopo Ratisbonensi. Nota etiam hic obiter, quod quando Pontifex concedit Sacerdotibus certae Religionis, vt certo die dicant Missam de aliquo Sancto Beatificato, non possunt facere octauam, neque in illa dicere officium, & Missam de dicto Beatificato, vt apparet apud Turrianum *in 2. 2. tom. 1. disp. 17. dub. 28.* caute enim in his materiis procedendum est.

Vnde neque licet etiam Sanctum Beatificatum inuocare in publicis litiis, quidquid aliqui recentiores asserant, & ita docet Portel *in addit. ad dubia regul. vel Reliquiae Sanctorum, n. 11.* Lucas Castellinus *de Canon. sanct. c. 2. pun. 6. §. 2. & seq.* qui etiam optimè *punct. 51. §. 2.* docet facultates summorum Pontificum in his materiis esse potius restringendas, quam dilatandas. Et tandem non sunt audiendi recentiores cum Molfesio *conf. 45. n. 31.* qui asserunt licitum esse depingere imagines viri sancti nondum beatificati cum radiis, vel diademate. Contra quos, & merito insurgunt Bellarmin. *tom. 1. lib. 1. de Beat. sanct. c. 7. tom. 2.* Azorius *lib. 5. c. 6. q. 8.* Fagundez *praecip. 1. lib. 1. c. 4.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disp. 17. dub. 11. & alij.*

An compensatio in foro conscientiae sit valida, etiam si adsint alij creditores anteriores?

RESOL. X.

Hic casus multum practicabilis est, & his diebus praeteritis accidit in morte cuiusdam Argentarij, & tunc multi viri docti negatiue responderunt, quia debitor in tali casu accipit rem alteri obligatam, & ita docent communiter Doctores.

Sed ego contrariam sententiam probabilem existimo, quam docet Comitulus *in respons. mor. lib. 3. quest. 39.* quem postea sequuti sunt Homobonus *in exam. Eccles. part. 2. tract. 10. cap. 3. quest. 6. casu 7.* & Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 4. c. 5. §. 13. n. 4.* vbi sic asserit. Habeo apud me res Petri vita functi mihi debentis aureos, scio illum e vita migrasse cum aliis debitis antiquioribus, rogo an possim retinere res, quas habeo in compensationem mei debiti? scio responsionem posse retardari ex eo, quod Petrus viuus teneretur prius priora debita persolvere, si non posset omnibus simul soluere: Dico tamen, potes eam facere compensationem, ratio est, quia non teneris ita rebus alienis prouidere, vt tuarum facias iacturam, & e manibus finas labi, quod pra illis habes, neque est lex, quae illum ordinem in compensatione praecipiat. Ita Fernandez.

Notandum est tamen, quod Comitulus *vbi supra*, limitat hanc sententiam, nisi creditor possideret rem debitoris iure depositi, quia depositum compensationem non admittit, vt habetur *in l. postrema, C. de compens.* & docent Doctores communiter.

Sed ego puto probabiliter cum Tannero *in 2. 2. D. Thoma, disp. 5. q. 6. dub. 14. n. 141.* qui citat Nauarrum, & Lessium, illam legem & alias, spectare solum ad forum externum, vel certe intelligendas, si aliter obtineri possit compensatio. Vnde in nostro casu non solum creditor iuste faceret compensationem existentibus creditoribus anterioribus, vt dictum est, sed etiam contra Comitolum licet possideret rem iure depositi.

Notandum est etiam, quod quando debitor soluit debitum posteriori creditori, cum solui deberet priori, in tali casu creditor non tenetur ad restitutionem, sed potest retinere pecuniam illam contra ordinem restitutionis sibi solutam. Et ita probabiliter docent Ioan. de la Cruz *in direct. part. 1. pr. 7. art. 8. dub. 2. concl. 3.* Molina *de iust. tom. 2. tract. 2. disputat. 536. numer. 46.* quidquid in

in contrarium etiam probabiliter asserant Faber *de pœn. in 4. sent. dist. 15. quæst. 2. disp. 50. c. 7. num. 222.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disp. 19. dub. 4. n. 6.* & Azorius *tom. 3. lib. 4. c. 36. quæst. 8.*

Notentur hæc omnia in præfenti resolutione posita; nam ex illis Confessarij à multis perplexitatibus, & scrupulis immunes erunt. Nam in praxi moraliter impossibile erit, vt creditores posteriores habentes debitum in manibus solum, illud restituant creditoribus anterioribus, licet, vt diximus ex communi sententia ad id tenerentur. Sed nostra sententia negatiua est satis probabilis, & tuta, ideo illam sequere. Quæ omnia superius dicta intelligenda sunt de debitis tantum personalibus, & non habentibus specialem hypothecam, aut pignus.

An liceat procurare abortum ad euitandum periculum vitæ, & infamiae alicuius puellæ prægnantis?

R E S O L. XI.

Negatiuam sententiam docent Tannerus *in 2. 2. D. Thoma, disp. 4. q. 8. dub. 4. n. 58.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 20. n. 10.* Syluius *in 2. 2. D. Thoma, q. 64. art. 7. queritur 4. concl. 3.* Finellius *tract. de cas. res. part. 2. cas. 5. v. abortus, §. 1. n. 3.* Azorius, & Zanardus *vbi infra,* Bellochius *in praxi Theol. mor. part. 2. q. 8. n. 78.* Filliucius *tom. 2. tr. 29. c. 6. n. 130.* & alij. Et ratio est, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, & vnde nullo bono fine honestari potest abortus.

At his non obstantibus aliqui, vt notat Zanardus *in direct. conf. part. 1. de sacram. matrim. c. 41. q. 17.* & Azorius *tom. 3. lib. 1. cap. 4. q. 1.* docent in tali casu licitum esse procurare abortum, quia cum fœtus non sit animatus, nulli fit iniuria, si procuretur remedium, ne concipiatur. Deinde probabiliter asserunt Aragon, Sayrus, Lessius, Henriquez, & Reginaldus, Sanchez, & alij, quos citant, & sequuntur Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. c. 4. n. 4.* & Homobonus *tract. de cas. reser. part. 3. c. 4.* quod quando aliud non suppetit remedium pro salute infirmæ matris, potest quis licitè procurare abortum, si fœtus nondum est animatus. Ergo etiam facere licitum erit in nostro casu. Negat hanc consequentiam Sanchez, & adducit disparitatem rationis.

Sed illum impugnat doctissimus Pontius *de matrim. lib. 10. c. 13. n. 2.* vbi sic ait. Si licet euacuatio fœtus nondum animati ad vitandam mortem matris, & restituendam sanitatem, liceret etiam procurare abortum nondum animatum, cum ad famam, & statum conseruandum opus erit; casus enim sese offerre potest aded premens, vt nullo alio medio possit mulier eripi, nisi abortum fœtus nondum animati, quod tamen Sanchez non vult admittere, sed nullo conuenienti assignato discrimine. Ita Basilius. Vnde vel negandum in vtroque casu licitum esse procurare abortum, vt negat Basilius, vel concedendum est in vtroque casu licere; & hoc vltimum nouissimè docet Franciscus Torreblanca, *de magia lib. 2. cap. 43. n. 10.* vbi sic ait. Quando ex partu concepto euidens periculum apparet, vel quod puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut fama eius lædatur, aut aliter vitæ discrimen, vel existimationis possit subire, bene poterit poculum abortionis præberi, dum fœtus tamen non erit animatus. Ita Torreblanca, qui vt vides, apertè docet licere procurationem abortus ad tuendam vitam, vel honorem puellæ prægnantis. Sed an hæc opinio sit probabilis, iudicent viri docti, mihi enim omnino non placet. Sed quia incidit sermo de abortu.

Notandum est hîc obiter, quod si mater in aliqua infirmitate post fœtus animationem periculosè laboraret, & nullum aliud remedium sit, possunt præberi medicamenta directè tendentia in curationem, vt sectio venæ, contra Pontium *de matrim. lib. 10. cap. 13. n. 6.* & Vasquez *opusc. de restit. cap. 2. §. 1. dub. 7. n. 28. & c. 5. §. 2. dub. 6. n. 23.*

etiam balnea, & pharmaca ad purgationem ventris; quia mater habetius ad talia medicamenta, licet indirectè, & per accidens ex illis sequatur mors fœtus. Ita communiter DD. Sed difficultas est, quando medicamenta æquè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, vbi salus infirmæ omnino desperata est, & fœtus etiam periret; an, inquam, in tali casu liceat supradicta medicamenta præbere. Negatiuè respondent Corduba, Lopez, Rodriquez & Vega apud Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disput. 20. n. 19. & 20.* at ipse affirmatiuam sententiam docet etiam in casu dubij.

Et hanc sententiam docent etiam Ioan. de la Cruz *in direct. part. 1. præcept. 5. q. 1. dub. 7. concl. 3. & 4.* & Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 12. dub. 13. n. 2.* vbi sic asserit. [Quando la medicina yualmente se ordena a la salud de la madre, y a la muerte de la creatura, no hauiendo otro remedio para librar la madre, es licito tomarla; porque se ha de preferir la vida de la madre, y muerta ella à marauilla viuira la creatura, y lo mismo digo, quando el medicamento es dudoso.] Si igitur de vita matris, & fœtus omnino desperatum sit, licitum erit medico, & ad id tenetur, ait Sanchez, applicare medicinas ad matris salutem, & ad fœtui nocendum eiusque abortum; imò etiam si medicamenta sint dubia an auxilium, vel mortem potius sint illatura, in tali euentu melius est anceps auxilium experiri, quàm omne spe destitutam, sinere infirmam perire.

Notandum est tamen cum Lessio *lib. 2. c. 9. dub. 10. n. 63.* & aliis communiter, quod quando proles est animata, illicitum erit præbere matri medicamentum directè curatiuum cum notabili periculo proles, si certum erat, vel valde probabile, prolem sine illo viuam edendam. Sed Sanchez *vbi supra de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 20. n. 17.* existimat casum hunc rarissimum esse, ac moraliter impossibile; matris enim morbo laborantis lethali, corrupti humores alimentum, quo puer nutriendus est, ita inficiunt, vt penè miraculum sit, matre percunte fœtum incolumen euadere. Sed ad alia procedamus.

Quis scienter accessit ad consanguineam uxoris sui, ignorabat tamen prohibitionem, & penam iuris; queritur an stante dicta ignorantia egeat dispensatione ad petendum debitum?

R E S O L. XII.

In tali casu posse sine dispensatione petere debitum existimo contra Cordubam *in qq. lib. 1. q. 12. art. 1.* & Rodriquez *in sum. tom. 1. c. 242. n. 11.* & ita docet Portel *in add. ad dubia regul. ver. Ignorantia, n. 29.* Basilius Pontius *de matr. lib. 10. c. 6. n. 10.* & Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n. 49.* cum Henriquez *lib. 11. c. 15. n. 11.* vide etiam Suarez *in 3. par. tom. 3. q. 67. art. 8. §. maius verò, dub. Syluestrum ver. matrimonium 8. q. 7. d. 2.* & Paludanum *in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. concl. 2.* & hæc opinio erit multum plausibilis Confessariis sæcularibus, qui non habent priuilegium Regularium, vt possint dispensare cum pœnitentibus incestuosus ad petendum debitum.

Sed difficultas magis est quando coniux habet tantum ignorantiam solius pœnæ impositæ, videlicet ne peratur debitum, scit tamen prohibitum esse à iure: & tunc etiam respondet Portel *vbi supra* non egere dispensatione. Et ita tenet nouissimè Castrus Palaus *tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 17. n. 8. in fine,* & hanc sententiam probabilem vocat Sanchez *vbi supra, n. 20.* licet contrarium doceat Basilius Pontius *vbi supra, n. 12.*

Notandum est etiam omnia supradicta maiori ratione procedere in pœna excommunicationis, suspensionis, irregularitatis. Et ideo asserit Portel *vbi supra, n. 21.* ad incurrendam excommunicationem non sufficere, quod sciam, opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione, ita de cæteris

cæteris pœnis, suspensione, interdicto, irregularitate dicendum; quod ut incurrantur, non sufficit me scire opus esse prohibitum, sed requiri ut sciam esse prohibitum, sub pœna suspensionis, irregularitatis, inhabilitatis, &c. Ita ille, qui citat pro hac sententia Nauarrum, & Rodriquez, quibus adde Curiel *in par. 2. q. 76. art. 4. dub. 5.* Valentiam *tom. 2. disp. 6. q. 6. punct. 1. coroll. 9.* Henriquez *lib. 1. c. 2. 3. n. 2.* Suarez *de cens. disp. 4. sect. 9. n. 19.* Auilam *de cens. part. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 7.* Sayrum *de cens. lib. 1. cap. 18. n. 37.* ex quibus infertur, quàm frequenter Confessarios posse ab excommunicatione laicos excusare, quoniam sæpe illam inuicibiliter ignorant. Sanchez verò putat hanc doctrinam procedere tantum in excommunicatione, non autem in aliis pœnis. Sed tu tene nostram sententiam, quam ipse *in num. 21.* vocat probabilem, & illam amplectuntur Coninch *de Sac. disp. 18. dub. 4. n. 31.* Duardus *in Bull. Cœn. lib. 1. c. 2. q. 5. n. 27.* Bonacina *de cens. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 13.* at de hoc infra latius dicemus. An tamen hæc omnia vera sint, etiam quando operans laborat ignorantia vincibili, dicendum est sequenti resolutione.

An ignorantia vincibilis, iuris vel facti excuset ab incurfione censurarum, & aliarum pœnarum?

R E S O L. XIII.

Hæc resolutio erit plena magnæ consolationis, quia respondeo affirmatiuè, & ita docet Portel *in addit. ad dubia regul. ver. ignorantia. n. 25.* & Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n. 31.* vbi sic ait. Existimo ignorantiam etiam mortaliter culpabilem, siue iuris, siue facti, modò non sit crassa, excusari à censuris, & pœnis, & idem dico licet adsit scientia legis, si adsit ignorantia non crassa censure. Ita ille, qui validis rationibus confirmat hæc omnia, & intelligenda esse docet de quibuscunque pœnis, siue latis à iure communi Papæ, siue à particulari Episcoporum. Si tamen scire cupis, quænam dicatur ignorantia crassa, & supina; respondet illam dicendam esse, quæ ex lata culpa in adhibenda diligentia procedit, culpa verò lata est, quando ignorans aut nullam aut valde modicam adhibuit diligentiam. Et Graffius *decis. part. lib. 4. cap. 8. num. 20.* & alij, asserunt culpam latam, seu ignorantiam crassam esse illam, quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Imò Anton. *cap. 2. de const. n. 9.* ampliùs videtur petere: explicat enim eam ignorantiam esse, quando est latissima culpa, quæ dolo æquiparatur. Et hæc omnia Portel, & Sanchez *vbi supra*, quidquid in contrarium asserant Sotus *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2.* Graffius *part. 1. decis. lib. 4. disp. 4. c. 9. n. 20.* Suarez, & alij, quos citat & sequitur Villalobos *in summ. tom. 1. tr. 16. dub. 12. n. 6.* vbi ait. [La ignorancia vincibile ora sea del echo, ò del derecho, no escusa de la censura. Assi lo tiene Suarez, porque como no escusa de pecado, tan poco excusa de la censura.] Sed tu tene nostram sententiam ex *cap. 2. de const. tit. in 6.* vbi habetur ignorantiam, quæ non est crassa, & supina, excusare ab omnibus sententiis Ordinariorum. Et ita etiam hanc sententiam docet Bonacina *de cens. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 10.* & Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 1. sexti Decretal. tit. 2. c. 2. n. 8.* vbi *n. 7.* optimè impugnat Suarez asserentem ignorantiam crassam & supinam, idem esse cum ignorantia vincibili.

Notandum est etiam hic obiter; Primò ignorantiam quantumcumque crassam, nisi esset ingens temeritas, & latam culpam excusare à pœna imposita scienter aliquid facienti. Secundò idem dicendum est, cum lex pœnam inducit præsumenti aliquid facere, quia non verè dicitur præsumens, si quis aliquid ignorantia culpabili, & crassa efficeret, præsumptio enim dolum importat, & temeritatem. Ita Basilius Pontius *de matrim. lib. 10. c. 6. num. 10.* Sanchez *vbi supra*, Curiel *in par. 2. quest. 76. art. 4. dub. 4.* Henriquez *lib. 13. c. 23. n. 3.* Auila *de cens. p. 2. c. 6. disp. 10.*

dub. 6. Molina *tract. 5. disput. 7. n. 13.* quidquid in contrarium asserat Toletus *lib. 1. c. 48.* Alterius *de cens. disp. 11. de suspens. cap. 5. §. hoc autem.*

Imò Bonacina loco citato *de cens. disp. 1. quest. 1. punct. 1. num. 11.* contra Suarez docet hanc sententiam procedere, non solum quando quis operatur cum ignorantia crassa, sed etiam cum ignorantia affectata, si, ut dictum est, verba censure hæc essent, *Qui scienter hoc fecerit, vel qui presumpserit*, &c. Et hæc omnia Confessarij in mente habeant: nam ex illis non pauci ab incurfione censurarum iuniones erunt.

In quadam ciuitate huius Regni quidam percussit Clericum publicè, & notoriè; quaesierunt statim à me, an esset vitandus?

R E S O L. XIV.

Hic casus erit multum practicabilis, & prima facie affirmatiuè aliquis poterit respondere, quia ex Concilio Constantiensi, ut communiter DD. docent, tenemur vitare publicum Clerici percussorem; sed in casu proposito ille percusserat Clericum in publica platea coram omni populo. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus, tunc negatiuam sententiam consului; ut quis dicatur publicus percussor Clerici, ut illum vitare teneamur, necesse est, ut talis percussio nulla possit tergiuersatione celari, & nullo iuris remedio niti. Cum igitur in hoc casu, & ferè in omnibus similibus possit percussor Clerici notorius dicere, se fuisse ebrium, aut in suam iustam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem percussioni esse annexam, & alia tergiuersatione celari, allegando in iudicio rumoris falsitatem; ideo quandiu non constat per iudicis sententiam, illum iuris remedio non posse excusari, nunquam dicitur notorius Clerici percussor. Et ita hanc sententiam docent Couarruias *in cap. alma mater, part. 1. §. 2. num. 7.* & Fagundez *precept. 1. lib. 2. cap. 5. num. 12.* vbi sic asserit. Ut quis dicatur publicus percussor Clerici, ut illum vitare teneamur, requiritur, quod nulla tergiuersatione celari possit; vnde licet ea percussio notoria sit, & patens multis, si tamen non sit notorium iis, qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, quia in eo facto à peccato excusaretur, adhuc non censetur vitandus. Opus est ergo, ut constet percussorem nullam habuisse causam percutiendi, ut euitetur. Nam si potest probabiliter aliquam allegare veram causam, quæ à peccato excusaretur, quandiu non constiterit non ita esse, non erit vitandus. Hoc autem constare non potest, nisi per iudicis sententiam, vel per facti notorietatem. Quamobrem rarò continget percussorem Clerici ita esse notoriam facto, ut non possit aliquo iuris remedio probabilitate aliqua excusari. Ita Fagundez, & ante illum Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 12. num. 18.* Igitur ex superius adductis censui consulentes non fuisse astrictos vitare supradictum publicum Clerici percussorem, & hæc notentur à Confessariis, quia passim erunt obuia, & à multis scrupulis liberi erunt.

An mulier peccet mortaliter mingendo statim post copulam ad emittendum semen?

R E S O L. XV.

Affirmatiuè respondet Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 20. n. 3.* & Bonacina *de matr. quest. 4. punct. 9. num. 10.* vbi sic ait. Virum verò vxor grauitè peccet emittendo semen è vase statim post copulam, ne filios concipiat, patet ex supradictis, hoc enim est contra naturæ, & generationis ordinem, cum prodigatur semen à natura institutum ad prolem suscipiendam. Sic Bonacina & hoc solent facere sæpius meretrices.

Attamen contrarium docet Petrus Bellochius *in praxi de*

de cas. refer. p. 2. q. 4. n. 365. vbi ita asserit. Quia sæpè solet mulier mingere post coitum, vel se erigere vt semen emittat, ne concipiat, saluo meliori iudicio, credo quòd non peccat saltem mortaliter, nam ex hoc, vt liquidò patet, non impeditur prolis generatio, quandoquidem aiunt Syluest. *ver. debitum. num. 6.* & Conradus p. 2. q. 315. matrix mulieris habet vim attractiuam, & retentiuam seminis, vnde frustra post coitum mulier mingit, vt illud foras emittat. Ita Bellochius. His tamen non obstantibus, puto dictas mulieres sic facièntes peccare contra conscientiam erroneam, si crederent ita mingendo peccare.

An si aliqua tentatio carnis nimis notabilis sit, quis teneatur tunc orare; vnde hoc minimè facièns duplex peccatum committat, si venere, v. g. delectetur?

RESOL. XVI.

Affirmatiuam sententiam docet Ioannes Sancius in *selectis disp. 21. n. 19. 20.* sic asserens. Si venerea delectatio notabilis esset, & periculum in illam consentiendi interueniret, sub mortali peccato tenebitur auxilium Dei implorare. Et quamuis tunc oratio non obliget per se, sed per accidens, erit tamen duplex peccatum, omittere orationem, & venere delectari. Et sic delinquet contra Religionem, & castitatem omittens orare tempore grauis tentationis carnalis. Idem in casu simili sentit Faber *de pœn. in 4. sen. dist. 14. q. 2. disp. 18. n. 68.*

Sed mihi opinio contraria placet. Nam actus amoris Dei, per accidens obligat in multis casibus, & tamen vt benè aduertit Tannerus in 2. 2. *D. Thoma, disp. 2. q. 4. dub. 4. n. 83.* omissio huius actus in his casibus non est peccatum speciale, & distinctum ab eo peccato, ad quod vitandum requirebatur, secus est in his casibus, in quibus tale præceptum obligaret. Sed hoc accidit in casu nostro. Ergo. Et certè si opinio Sancij esset amplectenda, multi ex illa scrupuli orientur.

An sit peccatum mortale saltem contra charitatem, detegere peccatum notorium facti, vel iuris in alio loco, vbi ignorabatur, & in quem facile eius fama non erat peruentura?

RESOL. XVII.

Multum practicabilis est quæstio ista, & in explanatione illius plurimos, & fortissimos aduersarios habemus; ideo sententiam affirmatiuam docent communiter DD. Ita Lessius *lib. 2. c. 11. dub. 13. n. 78.* Sotus *de iust. lib. 5. q. 10. art. 2.* Villalobos in *summa tom. 2. tr. 11. diffic. 36. n. 13.* Fabrus *de restit. in 4. sen. dist. 15. q. 3. disp. 53. c. 4. n. 130.* Salon in 2. 2. *D. Th. q. 62. art. 2. contr. 18.* Nauar. *lib. 2. c. 4. n. 288.* Sayr. in *clauis Regia lib. 11. c. 6. n. 25.* & 26. Malder. in 2. 2. *tr. 7. c. 1. dub. 6.* & alij quamplures penes ipsos. Probat hęc opinio, quia in tali casu læditur proximus in re magni momenti, quod meritò ægerrimè ferrem mihi fieri. Nec valet dicere, quòd taliter infamatus ius ad famam non habet, quia sine cuiusquam iniuria, & absque fraude eam possidebat, eaque adhuc diu fuisset fruitura. Ergo contra charitatem est, illum bono nomine spoliare, præsertim si nihil commodi proueniat de detractioe. Ita Lessius, qui limitat hanc sententiam. Primò, si ille parum curet se alibi infamari, quod sæpè fieri solet, præsertim si procul absit. Secundò, si quis ob graue crimen fuerit publicè punitus; tunc enim sæpè expedit talia ad ædificationem narrari.

Sed ad tollendos omnes scrupulos, his non obstantibus existimo probabiliter sic detrahentes non peccare, neque contra iustitiam, neque contra charitatem. Et ita docet nouissimè Fagundez *præc. 2. lib. 5. c. 3. n. 14.* vbi sic Anton. Diana *Ref. Mor. Pars III.*

asserit. Vera sententia docet non esse peccatum mortale neque contra charitatem, neque contra iustitiam, detegere notorium crimen facti, vel iuris, hoc est, vel per rumores, & famam publicam, vel per sententiam iudicis in alio loco, & regione, vbi ignorabatur, & personis quæ nihil de illo sciebant, siue fama illuc breui, siue post longum tempus, siue nunquam peruentura sit. Sic ille, qui validissimis rationibus probat hanc sententiam, & citat pro illa Caiet. *tom. 2. opusc. 31. respons. 9.* Nauarum in *summa, c. 18 n. 26.* & Maiorem in 4. *dist. 21. q. 2.* Hanc opinionem docet etiam Azorius *part. 3. lib. 13. c. 8. dub. 8.* & Filiucius *tom. 2. tr. 32. c. 9. n. 235.* qui se remittit ad Nauarum, & Caietanum *vbi supra.* Et illam probabilem esse putat Nugnus in 3. *part. tom. 1. q. 80. art. 6. diffic. 3. §. hæc difficil a,* nam opinionem contrariam, quam ipse tenet, vocat probabiliorē.

Fundamentum verò contrariæ sententiæ, quod adducit Lessius, reprobat solidè à Fagund. *vbi supr.* Igitur viatores abstineant à similibus detractioibus, sed si detrahant non peccabunt mortaliter, vt patet ex dictis, neque contra charitatem. Sed ad alia deueniamus.

An peccet offerens alicui occasionem peccandi propter aliquem bonum finem?

RESOL. XVIII.

Clarum est licere, v. g. viro suspicanti adulterium vxoris, illam obseruare cum testibus, vt eam possit de adulterio conuincere; nec peccare parentes, vel heros, qui filijs, vel famulis non auferunt occasionem aliquam furandi, cum eos ad furandum propensos norunt, vt sic in furto deprehensi respiscant. Ita docent Valentia *tom. 2. disp. 5. q. 6. punct. 5. dub. 7. in fine,* Molina *tom. 3. part. 2. tr. 2. disp. 739. n. 8.* Vega in *summa. tom. 1. c. 120. cas. 1.* Sanchez *vbi infra,* & alij penes ipsum; nam hoc non est cooperari ad peccatum, sed permittere vnum committi, vt plura alia euitentur.

Difficultas consistit, an licitum sit in his casibus non solum non auferre, sed apponere occasionem vxori, v. g. vt adulteretur, aut famulis vt furentur. Negatiuam sententiam docet Sanch. *tom. 3. de matrim. lib. 10. disp. 12. n. 13.* cum Emmanuele Sà *ver. peccatum, n. 7.*

Sed Petrus Nauarra *de rest. lib. 3. c. ult. in noua edit. num. 104.* affirmatiuam sententiam tenet, quàm nouissimè sequuntur Layman in *Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 13. n. 5.* & Sancius in *selectis, disp. 35. n. 12.* vbi sic ait. Adhæreo opinioni, asserentium, offerentem alicui occasionem ad peccatum, vt deprehensus in illo respiscat, vel ob alium bonum finem, non peccare. Ita ille. Et ratio est, quia id non est formaliter cooperari ad peccatum, sed materiam, & occasionem peccati ministrando, illud permittere: non quòd permittens intendat malum peccati fieri, sed potius graue aliquod malum impedire.

Aliqua notabilia, & practicabilia circa crimen incestus,

RESOL. XIX.

An si quis habeat rem cum muliere in tertio, & quarto gradu cum sua vxore coniuncta, sibi que eodem gradu affini impediatur à petitione debiti.

Affirmatiuè respondet Comitulus in *respons. lib. 1. quæst. 138. n. 2.* Sed tu tene contrariam sententiam, quia huiusmodi impedimenta sunt de iure Ecclesiastico, sed nullum ius Ecclesiasticum statuit incestum in tali casu à petitione debiti impedire; ergo. Et ita docet Nauar. quem sequitur Basilius Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 33. num. 6.* qui etiam *num. 2.* ait. Nota quòd si quis extraordinariè polluat sceminam aliquam, emittens semen post extractum è vase naturali membrum, quamuis postmodum casu illabitur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas, licet contrarium videatur

docere Floronus *de casib. referu. part. 2. cas. 6. num. 18.* citans Graffium.

Nota etiam cum dicto Basilio Pontio contra Sanch. *lib. 2. disp. 21. n. 2.* quòd si semen alicuius viri ope dæmonis deferatur in vterum fœmineum, non contrahitur affinitas, quia illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhaerent.

Difficultas est, an contrahatur affinitas, si vir seminet, fœmina verò non seminet. Affirmatiuè respondent Syluester *infra*, Floronus *vbi supra de cas. n. 28.* Finellius *de cas. refer. cas. 10. n. 9.* Pontius *vbi supra*, vbi sic asserit. Parum autem refert ad affinitatem contrahendam, quòd fœmina seminet, vel non; cum eius semen ad generationem necessarium non esse sit constans opinio. Sed aliqui, vt notant Finellius, & Floronus *vbi supra* contrariam sententiam docent, putantes ad contrahendam affinitatem requiri concursum seminum, scilicet tam viri, quàm mulieris; & Syluest. *ver. Matrimonium. 8. q. 15.* pro hac sententia citat Innocentium, Hostiensem, & Vgonem, quibus adde Caietanum *in 2. 2. q. 154. art. 12.* & hanc sententiam probabilem putat Sanch. *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 21. n. 11.* & Ioannes Suar. *in Enchiridio casuum conscientia lib. 5. ver. affinitas, §. ad contrahendum.* Ad rationem verò Basilij Pontij posset quis respondere, quòd non est ita constans opinio illa, vt semen fœmineum non requiratur ad generationem, quin sententia contraria non sit probabilis, & illam acerrimè contra Aristotelem, non solùm tuentur medici, duce Hippocrate *lib. de genitura*, & Galeno *lib. 6. de locis affectis, c. 5.* Vallesio *lib. 2. contr. Medic. c. 6.* Vega *lib. 1. de arte medendi c. 3.* Petr. Meta. *tr. de semine, §. iam verò.* sed etiam præstantissimi Theologi, vt Sotus *in 3. dist. 4. q. unica*, Bonauentura *q. 1. n. 31.* Maior *q. 3. art. 4.* & alij, quos citant Comnimbrienses *de generat. lib. 1. c. 4. quest. 27.* Sed tu tene communem sententiam.

An solus metus reuerentialis sine minis, aut alicuius grauis mali timore, censeatur cadere in virum constantem, & idem queritur de precibus importunis?

RESOL. XX.

HÆc quæstio deseruiet ad rescindendos contractus vxorum, & filiorum familias. Negatiuam sententiam docet Sanch. *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 6. n. 7.* & alij penes ipsum. Fundamentum huius opinionis est, quia *in c. quamuis pactum, de pact. in 6.* disponitur, quòd renunciatio facta à filia in fauorem patris, vallata iuramento est valida, nisi metu, vel dolo sit inducta. Ergo cum textus non excipit reuerentiam, sicut metum, & dolum, sequitur metum reuerentialem minimè in constantem virum cadere. Et ita hanc sententiam ex Iuriconsultis docent inter alios Molin. *de primog. lib. 2. c. 3. n. 9.* Donellus *lib. 15. comment. c. 39.* Fachineus *lib. 2. cont. iuris c. 96.* & triginta Doctores, quos adducit, & sequitur Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 2. sexti Decretal. tit. 18. c. 2. n. 18.* cum aliis, quos etiam adducit, & sequitur Farinacius *in fragment. crim. part. 2. n. 125.*

Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem, & in praxi tutam existimo, quam nouissimè docent doctus Basil. Pont. *de matr. lib. 4. c. 5. n. 6.* & alij penes ipsū, & penes Menoc. *lib. 1. conf. 491. & de arbit. ind. lib. 2. cas. 136. n. 7.* & Farinac. *vbi sup. n. 126.* Limitat tamen hanc opinionem Pontius, nisi metus reuerentialis dederit ansam, & occasionem contractus, non verò causam. Potest enim contingere, vt vxor, filius, & c. metu reuerentiali inducatur ad contrahendum, & tamen postea iam libens contrahat. Secundo, suam sententiam Pontius transeat, sed de indignatione leuis, & quæ facillè amittitur, & diuturna, semotis tamen minis, & verberibus, vt perperā volūt Iuriscōsulti,

Sed aliqui plus addunt, dicendo sufficere solam præsentiam eius, cui reuerentia debetur, absque minis, & verberibus, vt metus inducatur. Ita plures Doctores, quos citat Mongollon *tr. de his, quæ vi, metu, & c. c. 3. §. 1. n. 3.* qui *num. 5.* suam sententiam in hac quæstione sic aperit. Ego (ita ille) vt hanc controuersiam definiam, sic distinguo. Aut interuenit mandatum eius, cui reuerentia debetur, sine minis, vel verberibus (quod mandatum inducitur etiam per verbum *rogo*, vt *l. 1. ff. mandati*, quam ad hoc allegat Barbarius *in conf. 46. n. 11. scol. 47.* & in isto casu sufficit sola præsentia, & hoc habetur *in l. velle. ff. de reg. iur.* cuius verba hæc sunt, *Velle non creditur, qui obsequitur alterius imperio: aut non interuenit mandatum, sed sola presentia;* & tunc iterum distinguo, quòd duplex est reuerentia, vna simpliciter & in gradu positiuo; altera nimia, & sic in gradu superlatiuo. Primo casu, quando est talis persona, cui solùm debetur reuerentia simpliciter, vt pater, si ita est ignauus, aut vilis, quòd filius audeat dicere, Nolo, tunc procedit, quòd non sufficit sola præsentia, sed quòd præcedant minæ, vel verbera. Secundo casu, quando est persona ita grauis, quòd ei debeatur reuerentia nimia, tunc procedit altera opinio; & sic quòd sufficit sola præsentia absque mandato, & absque minis, vel verberibus. Ita Mangollon qui doctè hanc sententiam validissimis rationibus firmat, vbi Fagundez *vbi infra.*

Ex his omnibus possunt Confessarij sine vllò scrupulo infinitos vxorum, & filiorum familias contractus rescindere; nam vt plurimum ex metu reuerentiali efficiuntur, qui, vt diximus, cadit in constantem virum, etiam si sit sine minis, & verberibus. Hinc Basil. *vbi supra de matrim. lib. 4. c. 11. n. 5. 6. & 7.* probat, renuntiationem hæreditatis paternæ ex metu reuerentiali factam nullam esse; sicut etiam fideiussionem vxoris pro marito, vel promissionem de soluendis debitis factam à filio, vel vxore, quando vir, aut pater est in periculo mortis. Hinc ego etiam cum Basilio *vbi supra num. 15. & 16.* existimo contra Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 4. disp. 6. q. 2. n. 18.* Riccium *in praxi, tom. 1. resol. 599. n. 4.* & alios professionem religionis metu reuerentiali factam non valere, idèoque rescindendam, & declarandam irritam. Vide Fagundez *prac. 2. lib. 6. c. 1. num. 21.* & idem etiam puto cum Rodriquez *qq. regul. tom. 2. q. 52. a. 1.* electionem factam metu reuerentiali esse nullam.

Notandum est tandem, id quod dictum est de metu reuerentiali, dicendum esse de precibus importunis, etiam si cum ipsis non adsit metus reuerentialis; & ita contra Sanch. *vbi supra disp. 7. n. 7.* Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 9. n. 5.* & alios penes ipsos, assero preces importunas seorsim consideratas, & sine metu reuerentiali efficere metum iustum, & cadentem in constantem virum, dummodo non inducant tantùm ad contrahendum, sed faciant non libenter contrahere. Ita glossa *in cap. tue fraternitatis, ver. importunitatem. deprehendis;* vbi Hostiensis *in principio*, Imola *n. 2.* Rebuffus *tom. 2. conf. reg. tit. de rescript. art. 2. glossa 3. ver. item non valet electio.* Peralta *in l. si quis, num. 93. ff. de legat. 3.* Naldus *in summa ver. metus, n. 4.* & Basilius Pontius *vbi supra de matr. lib. 4. c. 5. n. 17. & c. 12. per totum;* adi illum, & non pigebit, est enim vir eminentissimi ingenij. Preces verò importunas voco eas, quæ sunt instantissimæ, & sæpiùs repetitæ, & inculcatæ, iuxta *l. 1. C. de petitionib. bonorum, ibi, inuerecunda petentium inhiatione.*

Si igitur patres cum filiis, & viri cum vxoribus præter metum reuerentialem, qui solus sufficeret, adhibeant sæpiùs etiam preces importunas, dicendum est, vt plurimum contractus in gratiam ipsorum initos esse nullos, & rescindendos, maximè si sint contractus lucratiui, & qui à liberalitate proficiantur. Nam contra Sanchez *vbi supra de matrimonio lib. 4. disp. 8. n. 4.* Lessium *lib. 2. c. 7. dub. 6. n. 37.* Henriq. *lib. 11. c. 9. n. 4.* & alios puto dictos contractus metu graui, vt est in casu nostro, celebratos

celebratos esse inualidos omnino, non solum iure natura, ita ut neque naturalis obligatio ex illis sequi possit, sed etiam iure positivo; & ita docet Basilius Pontius *de matr. lib. 4. c. 6. num. 4. & c. 8. n. 3.* qui citat Rebellium, Molinam, & alios; vide Pontium, qui ad omnia argumenta, quæ adducit Sanchez, solidè respondit. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, quæ sine vlla controvertia vera sunt, quando cum metu reuerentiali coniungitur etiam læsio; unde metus præsumitur in donatione facta per filiam patri, quando in ea filia est enormiter læsa. Et ita tenent 24. Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius *in frag. crim. part. 2. n. 130.*

Ex quibus omnibus infertur contra Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 6. c. 5. n. 7.* Henriquez *lib. 1. cap. 9. num. 5.* Tapiam *decif. 16. n. 33.* Rolandum *vol. 3. conf. 83. n. 27.* & alios, preces importunas cum metu reuerentiali coniunctas inferre metum, ut diximus, & ita tenent Afflictus *decif. 69.* Socinus senior *vol. 2. conf. 263. n. 8.* Mandellus *conf. 77. n. 10.* Gutierrez *qq. can. lib. 1. c. 37. n. 17. & 18.* Garfias *de nobil. glossa. 17. n. 15. & 23.* Barbatius *vol. 1. conf. 60. n. 3.* Paulus de Castro *vol. 1. conf. 74. & alij.*

An pollutio, quæ incipit in somnis, sit reprimenda in vigilia sub onere peccati mortalis?

RESOL. XXI.

Affirmatiuam sententiam docet Toletus *lib. 5. c. 13. n. 1.* tunc enim quis non tenetur reprimere pollutionem, quando potestatem habet imperfectam, quia semisomnis est, sed in nostro casu patiens pollutionem perfectam habet potestatem, quia in vigilia est: ergo tenetur illam reprimere.

Sed negatiuam sententiam docet Emanuel Sà *ver. luxuria, n. 10.* vbi sic asserit. Cæptam in somno pollutionem non tenetur euigilans reprimere, sufficit enim non placere; ita ille. Et ratio est, quia dicta pollutio incipit in somnis sine peccato, & inuoluntariè; effusio verò illius in vigilia, est effectus naturalis illius causæ inculpabilis; Ergo. Et ita hanc sententiam docent Ioan. de la Cruz *in direct. par. 1. prac. 6. a. 8. dub. 10. concl. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 30. cap. 8. num. 147.* & probabilem putat Fagundez *prac. 3. lib. 3. cap. 6. n. 11.* in casu quo quis certus est, quòd non adhibebit consensum; nec in alio casu ego puto illam docuisse Doctores citatos.

Notandum est hic etiam, quòd gaudere de supraddicta pollutione in somnis cæpta, non ob delectationem carnalem, sed ob sanitatem, & illam optare, non est peccatum, neque veniale. Scio contrarium docere Sotum *in 4. sent. dist. 13. a. 7.* Medinam *in part. 2. q. 74. art. 6.* Zumel *ibidem, art. 8. disp. 4. dub. 4.* Ledesnam, Lopez, Angles, Rodriquez, & alios; sed tu tene nostram sententiam, quam docent Doctores, quos citat, & sequitur Tanneus *in 2. 2. D. Tb. disp. 4. q. 7. dub. 7. num. 144.* quibus ego addo Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 40.* Sancium *in selectis, disp. 21. n. 35.* Sanchez *in summ. tom. 1. cap. 2. num. 17.* & alios penes ipsos, & nos *infra.*

Quidam vir nobilis comedens quosdam cibos calidos, & accumbens in lecto incidebat in pollutionem, quasiuit à me an teneretur aliter decumbere, & cibos illos non comedere, poterat enim sine aliquo damno, à supraddictis abstinere?

RESOL. XXII.

Quidam Theologus affirmatiuè tunc illi respondit, & hanc opinionem docet nouissimè Fagundez *prac. 3. c. 6. n. 13.* vbi sic asserit. Non probo opinionem asserentem non esse mortale comedere illa, ex quibus creditur sequutura pollutio; modò illa in se non intendatur.

Anton. Diana. Ref. Mor. Pars III.

tur, nisi fortè loquatur, quando dubiè id credatur, aut quando non ita facillè possit eam causam auferre, ac remouere; nam si aliter dormire non possit, quàm taliter accumbendo, si alios cibos non habeat nisi illos, unde pollutio solet moraliter contingere, aut si habeat, sunt tamen tales, ob quos dolorem capitis, aut ægritudinem contrahat, profectò in meliori opinione non tenetur abstinere ab illis, aut à tali modo accumbendi, Ita ille, citans alios Doctores, & alia exempla, vide etiam Azorium *part. 3. cap. 24. quæst. 7.*

Sed contrariam sententiam etiam probabilem esse puto, quam in terminis docet Sancius *in selectis, disp. 21. n. 12.* sic asserens. Accubantem sic vel aliter, & sentientem se ex tali situ in pollutionem venire in somno, vel in vigilia, dum absit periculum consensus, & determinatus sit non consentire, & experientiam consentiendi non habeat (ut erat in casu dicti viri nobilis, de quo ego interrogatus fui) non teneri aliter decumbere, licet illi minimè utilis esset talis modus decumbendi, sed solum ad commodiùs quiescendum in lecto, intenderetur. Ita Sancius, & loquens de comestione ciborum idem docuisse Lessius *lib. 4. c. 3. dub. 54. n. 100. & 101.* Villalobos *in summa, tom. 2. tract. 40. dub. 16. n. 6.* Ioannes de la Cruz *in direct. part. 1. præcept. 6. art. 8. dub. 9. conclus. 2. & alij.* Ratio verò huius opinionis hæc est; quia aliquis non tenetur vitare causam per accidens influentem in pollutionem, dum tamen absit periculum consensus.

Hinc infert Sancius, quòd Confessarius ex deuotione solum audiens confessiones expertus pollui, non tamen consentire, non peccabit confessiones excipiendo, quia cum audire confessiones causa per accidens sit pollutionis illas non tenetur vitare ob solam pollutionem, quæ voluntaria illi non est, nec in se, cum illam non velit nec in causa, cum illa sit per accidens; similiter qui sine damno aliquo pedester posset ambulare, & nollet, expertus tamen pollutionem pati, sine tamen consensu, equitatio minimè peccaret, cum equitatio causa sit per accidens illius pollutionis, & ideo nec in se, nec in causa esset illi voluntaria.

Et tandem fœmina, vel vir, quæ ob superpositionem vnius femoris in aliud, motum sensualem sensit, non tenetur modum situs mutare, dum determinati sint non consentire; neque sit periculum consensus, quia per accidens actus influentes in pollutionem vitare non tenemur. Et hæc omnia docet Sancius *vbi supra* contra opinionem Fagundez. Notandum est etiam hic, quòd mundans à sanguine verenda, vel femina à sanguine menstruo, etsi præuideat pollutionem, & sequatur, si non gaudeat de illa, non peccabit. Vnde ex his omnibus apparet me olim rectè consuluisse, quandam iuuenem, cui necessè erat interuenire in quibusdam festis nuptiarum, non peccasse, dum ex tactu manus mulieris in ballo in pollutionem incidebat, sine tamen vllò periculo in illius consensus, & tunc adduxi doctrinam Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 45. n. 8.* vbi sic ait. Secundò deducitur, pollutionem præter intentionem subsequutam ex tactu licito, & in eo præuisam, quando tactus ille est necessarius, & cessat consensus periculum, carere omni culpa, ut ex amplexu iuxta patriæ consuetudinem, quo euitato in notam inurbanitatis incideret. Ita Sanchez, quem postea sequuti sunt Villalobos *in summa, tom. 1. tr. 40. diffic. 16. n. 5.* Filliucius *tom. 2. tr. 30. c. 8. num. 150.* & Bonacina *de matrim. q. 4. punct. 10. num. 8.* quæ omnia procedebant in casu nostro.

Notandum est etiam hic obiter, quòd si aliqua mulier in choreis publicis sciat se tangi ab aliquo intentione mala, si tactus sunt ex suo genere liciti, ut consortio manuum in choreis, non peccat illos admittendo coram aliis. Ita Filliucius *vbi supra tom. 2. tract. 30. cap. 10. n. 198.* qui citat multos alios.

An Episcopus iure ordinario possit dispensare in lege Concilij, seu Summi Pontificis, quoties facultas dispensandi non adimitur?

RESOL. XXIII.

Negatiuam sententiam docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 40. n. 1. & tom. 2. lib. 7. disp. 7. n. 6.* vbi sic asserit Eo ipso quod lex editur à Pontifice, vel concilio, nec conceditur dispensatio, nequit Episcopus dispensare, sed censetur referuata dispensatio, propter id principium generale, quod inferior nequit in lege superioris dispensare. Ita Sanchez, & nouissimè Vgolinus de *potest. Episc. c. 57. §. 1. Alterius de censuris tom. 2. disp. 8. c. 3. ver. sed controuersa.* Barbosa de *potest. Episc. part. 2. alleg. 33. n. 18.* Reginaldus in *praxi tom. 3. lib. 31. cap. 27. n. 202.* Molinus de *ritu nupt. lib. 2. differ. 11. n. 145.* Gutierrez in *can. 99. lib. 1. c. 5. n. 10.* Gratianus in *discept. forens. cap. 397. n. 33.* & alij penes ipsos.

Non reticeam tamen aliquos contrarium docere, & quia apud me Basilius Pontius instar multorum est, ponam eius verba *lib. 6. de matrim. c. 8. n. 11.* vbi sic asserit. *Quæritur an Episcopus dispensare possit, vt adhibeatur solèntas nuptialis temporibus prohibitis.* Equidem olim iure ordinario potuisse Episcopum dispensare, indubitatum est. Deinde extraordinario iure planum videtur dispensare posse, scilicet, si aliquis casus vrgeat, & non sit facilis aditus ad Pontificem, sicut in multis aliis iudicandum est. An autem extra hunc casum post legem latam à Concilio vniuersali dispensare possit Episcopus, ex eo pendet an inferior Ordinarius in lege lata à Superiori possit aliquando dispensare, quod nonnulli negant, quos refert, & sequitur Sanchez, alij è contra affirmant posse, sequuti Sotum in *4. dist. 32. q. unic. art. 3. in fine*, qui nec sunt numero pauci, nec auctoritate inferiores; quorum accedo sententiæ. Dispensare itaque Episcopum posse assero, interim dum illi non adimitur facultas dispensandi. Ita Pontius, qui magnam tribuit Episcopis auctoritatem, vnde etiam si facilis esset aditus ad Summum Pontificem, possent ex iusta causa, & de iure ordinario super leges Concilij generalis dispensare. Sed his non obstantibus, ego à negatiua sententia non discederem.

Notandum verò hinc obiter, quod stando in prima sententia, quam ego teneo, quando Concilium, seu Summus Pontifex censuræ absolutionem non referuat, potestatem Episcopis absoluendi ab illa videtur concessisse. Ita Miranda in *manuali Pral. tom. 2. q. 30. a. 10. concl. 2.* Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 61. n. 3.* Suarez de *legibus, lib. 6. cap. 14.* Henriquez *lib. 10. cap. 35. n. 2. in glossa littera D.* Sayrus de *cens. lib. 2. cap. 19. à num. 2.* Gutierrez *can. 99. lib. 1. cap. 5.* & alij communiter.

An si quis vouit se quotidie recitare B. Virgini Patris, & Aue, vel vnum Salue Regina, & per annum, v.g. non recitet, peccet mortaliter?

RESOL. XXIV.

Affirmatiuè respondet Zumel in *part. 2. quest. 88. ar. 4. dub. penult.* Sayrus in *Clauis Regia, lib. 2. c. ult. num. 21.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quest. 6. punct. 4.* Malderus in *2. 2. tr. 10. cap. 5. dub. 4. quest. 1. in fine*, & Tannerus in *2. 2. disp. 5. dub. 3. num. 38.* est enim hæc vna quædam vnius voti materia, eaque grandis.

Sed contrariam sententiam esse probabilem docet idem Tannerus, & illam tenet Sotus de *inst. lib. 7. q. 2. art. 1.* Aragón in *2. 2. q. 88. art. 3.* Ioan. de la Cruz in *direct. part. 1. præc. 2. art. 2. dub. 4. concl. 2.* & nouissimè Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 34. diff. 3. n. 3.* vbi sic ait. [Se infiere, que el que dexo de razar todo el año vna Aue Maria, que hauiá prometido de rezar cada dia, no

llego à pecar mortalmente, porque muchos pecados veniales, no hazen vn mortal.] Igitur illa parua materiæ non possunt coalescere in vnum, & efficere notabilem quantitatem materiæ magnæ. Notandum est etiam, quod in tali casu vouens materiam istam paruam, non potest se obligare sub mortali in recitatione dictæ materiæ leuis. Sic Villalobos *vbi supra*, cui addit Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 4. c. 12. n. 16.* & alios penes ipsum, sicuti legislator non potest se obligare sub mortali in materia leui. Et ita docet Ioannes de la Cruz *vbi supra*, vnde infert præceptum Prælati in re leui, & in ordine ad bonam gubernationem obligare sub solo peccato veniali, nam esset intolerabile, posset prælatus in omni materia, etiam leuissima obligare sub peccato mortali. Ita ille, quod tene mente. Notandum est tamen doctrinam superius adductam non procedere in casu quo vouisti singulis dare paruam eleemosynam, nam si plures omittendo istam paruam eleemosynam, deuenisti ad materiam grauem, teneris illam restituere. Sic Tannerus in *2. 2. disp. 5. dub. 3. n. 50.* Io. de la Cruz, Villalobos, & omnes DD. *supra* citati. Sed circa præsentem quæstionem vide etiam Valquez in *p. 2. disp. 146. c. 2.* Azorium *to. 1. lib. 11. c. 5. q. 3.* Suarez de *Relig. 1. 2. l. 5. c. 5. n. 10.* & alios penes ipsos, & nos *infra*.

Aliqua practicabilia, circa votorum dispensationem, & communicationem.

RESOL. XXV.

Primò puto contra Tannerum in *2. 2. D. Th. disp. 5. q. 4. dub. 5. n. 81.* Layman in *Theologia mor. lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 9.* Filiucium *tom. 2. tr. 26. c. 10. n. 285.* Azorium *to. 1. lib. 11. c. 18. q. 2.* & alios, posse vouentem sine Confessario commutare suum votum in materiam æqualem. Ita probabiliter Sancius in *flectis, disp. 14. n. 3.* Henriquez *lib. 2. de pæn. cap. 20. n. 5.* Medina *lib. 1. instit. c. 4. §. 7.* cum aliis, quorum sententiam probabilem vocat. Ioan. de la Cruz in *direct. par. 1. præc. 2. a. 2. dub. 11. concl. 4.* Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 34. d. ffic. 31. n. 5.* & Portel in *addit. ad dubia regul. ver. voti commutatio, num. 88.*

Secundò, qui potest commutare, seu dispensare in votis, potest etiam in iuramentis; quia arctius est vinculum voti, quam iuramenti; & priuilegia, quæ cedunt in fauorem animarum, non est restringenda, sed amplianda sunt. Ita contra Nauarram *cap. 27. n. 257.* Azorium *tom. 1. lib. 11. c. 10. q. 2.* alios docent Arogonius, & Sà, & probabiliter vocat hanc sententiam Tannerus in *2. 2. D. Th. disp. 5. quest. 5. dub. 1. n. 36.* & 37. qui in *quest. 4. dub. 5. n. 95.* docet etiam probabiliter, quod qui habet potestatem delegatam dispensandi vota, potest etiam illa commutare, quia multo minus est commutare, quam dispensare, & ita etiam tenet Sotus de *inst. lib. 7. q. 4. art. 3.* Syluester, *ver. votum. 4. q. 3.* Villalobos in *summa tom. 2. tract. 34. diff. 32. num. 2.* licet contrarium etiam probabiliter multi Doctores asserant, quos citat & sequitur Sanchez *tom. 2. lib. 8. disp. 1. num. 15.* sed nostram sententiam præter DD. citatos, tenet etiam Layman in *Theol. mor. lib. 4. tr. 4. cap. 8. n. 20.*

Tertiò quando quis commutat votum suum propria auctoritate in melius, non eget iusta causa; & ita etiam puto quando commutatio efficitur in materiam æqualem, etiam propria auctoritate, quod est valde notandum, quia nouum, & illud docet Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 34. diff. 31. n. 8.* quidquid asserat Layman in *Theolog. mor. lib. 4. tr. 4. cap. 8. num. 22.* in contrarium; vnde quidam vir nobilis affectus voto audiendi Missam, detentus in colloquiis amicorum, ne frangeret votum, rectè illud commutauit in opus melius, vel saltem æquale sine iusta causa, vt suppono, & ego illum non peccasse de hac re interrogatus his diebus consului. Er quidem si hanc doctrinam multi scirent, haberent quidem remedium satis promptum pro liberatione fractionis voti &

& peccati mortalis, sine consultatione Confessoriorum, nam propria auctoritate, vt dictum est, commutare possent votum, quod pro illa vice nollent adimplere, in opera æqualia, vel vt docet etiam Portel *in dubiis Reg. ver. voti dispensatio, num. 58.* securius in meliora.

Quartò, Regulares Confessarij possunt dispensare in omnibus votis, in quibus potest Episcopus, excepto voto peregrinationis vitra duas diætas. Ita ex communi Tannerus *in 2. 2. disp. 5. q. 4. num. 92.* quæ quidem dispensatio votorum potest fieri extra sacramentum Confessionis, vt alibi, contra Peregrinum, satis firmatum est, & idem dicendum est de absolutione censurarum, & de dispensationibus super irregularitate, iuramento, petitione debiti, &c. Item contra Rodriquez *in addit. ad Bull. Cruc. §. 9. num. 120.* dicta dispensatio est applicanda cum omnibus ad ipsos confluentibus, & non ad subditos tantum illius diœcesis, in qua manent. Ita Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 44. n. 15. & de matrim. lib. 8. disp. 16. n. 10.* cum Villalobos *vbi supra.* Et quando supradicti Regulares commutant vota, ex priuilegijs quæ habent, possunt illa commutare in opus minus; ita probabiliter Medina *in summa, lib. 1. c. 14. §. 7. reg. 3.* Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 16. num. 109.* & alij contra Azorium *tom. 1. lib. 1. cap. 18. quest. 6.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 50. num. 4.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 19. n. 7.* Toletum *lib. 4. c. 18.* & alios asserentes, vota commutanda esse in opus æquale. Sed stando in hac opinione, non oportet Confessarios scrupulis agitari, num opus, in quod votum commutatur, sit omnino æquale, hæc enim æqualitas non debet esse mathematica: & moraliter loquendo, omnimoda æqualitas non est cognoscibilis. Sufficit ergo æqualitas ad arbitrium boni viri, secluta fraude, & ignorantia; maximè si commutatio fiat virtute priuilegij. Ita Portel *in dubiis regul. ver. voti dispensatio, num. 43.* qui citat Syluestrum, & Rodriquez. Imò ait Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 12. n. 6.* quòd quando conceditur commutatio in æquale, extenditur ad commutandum in dubio, an sit melius id, in quod fit mutatio; imò, & etiam quamuis dubium sit, an sit minus, dummodo non sit certum; credibile enim est Papam delegantem, aliquam voluisse concedere benignitatem. Et hæc omnia docet etiam Portel *vbi supra.*

Quintò, commutatio, aut dispensatio votorum, facta bona fide, tempore Iubilæi valet, & est tuta etiam si postea non impleantur requisita pro obtinendo Iubilæo. Ita contra Ioan de la Cruz *in direct. consc. part. 1. pr. 2. a. 2. dub. 11. concl. 7.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quest. 88. art. 12. disp. 5.* & alios, docet Portel *in dubiis Regularium, ver. voti dispens. num. 52.* Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 11. num. 4.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 53.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 10.* Prost *de Iubilæo, c. 12. dub. 3.* & alij. Sed an postea pœnitens, qui bona fide obtinuit dispensationem votorum, si voluntariè omittat opera præscripta in Iubilæo, peccet mortaliter? affirmatiuè respondet Portel *vbi supra,* & Suarez *num. 11.* Sed mihi placet opinio Sanchez negatiua, quam probabilem putat Filliucius *tom. 1. tr. 26. cap. 10. num. 301.*

Sextò, si commutatio fuerit facta in melius, negant aliqui posse vouentem redire ad prius votum. Ita Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 20. n. 1.* & alij. Sed contrariam sententiam Sanchez probabilem esse putat Filliucius *tom. 2. tr. 26. cap. 10. num. 289.* & ego tutam in praxi esse existimo, quia talis commutatio efficitur in fauorem vouentis. Ergo, &c.

Septimò, si vnus Confessor inueniat pœnitentem, cui alius Confessor commutauit votum in rem minus æqualem, & ambo Confessores sint viri docti, poterit vltimus Confessor, quiescere & stare opinioni Confessoris prioris, qui fortè aliquam circumstantiam meliùs considerauit. Ita Portel *in addit. ad dubia Regul. ver. voti commutationem, num. 92.* quòd si Confessarius sit idiota,

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

pœnitentem moneat, si spes sit, acquiescat, sin illum relinquat in bona fide.

Octauò, puto quoad vota conditionalia castitatis, Religionis, &c. etiam post adimpletam conditionem, posse illa Episcopum, & Confessarium Regularem, & priuilegiatum commutare; quidquid in contrarium asserant Lessius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 131.* Sotus *de iust. lib. 7. q. 2. a. 1. ad 4.* Nauarr. *c. 12. n. 43.* Azor. *t. 1. lib. 11. c. 19. q. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 7.* & alij. Sed tu tene nostram sententiam, quam tuentur Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. c. 40. n. 99. & de matrim. to. 2. lib. 8. disp. 11. n. 13.* & alij, quos nouissimè citat, & sequitur Layman *in Theol. mor. lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 10.* quia supradicta vota non emittuntur ex directo affectu ad rem votam, sed ad beneficium, quod à Deo expectamus, vnde etiam post adimpletam conditionem non videntur vota absoluta, & perfecta; quia eorum radix est imperfecta, quæ in illis intrinsecè semper imbibitur, quæ est affectus ille indirectè, ex quo votum processit. Et hæc magis practicabilia decerpsi in materia commutationis votorum; nunc ad alia transeamus.

An vouens omnibus circumstantiis attentis dubius manens, an votum emissum sit intuitu temporis, teneatur illud adimplere?

RESOL. XXVI.

Hæc questio est satis practicabilis, v. g. vouit quis certa die ieiunaturum pro animabus Purgatorij, atque eo die impeditus fuit, an teneatur altero die ieiunare? Respondent aliqui negatiuè, si vouendi intentio fuit cum dependentia à tali die ob peculiarem rationem; seclus autem si fuit simpliciter propter ieiunium, & deinde speciatim tali die. Difficultas verò est, quando vouens dubitat, an emiserit votum cum hac, vel illa intentione; & in tali casu teneri ad votum putat Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 15. q. 21.* quem sequitur Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. c. 14. n. 31.* & rationem adducit, eo quòd obligatio voti sit, & sic votum est in possessione.

Sed, mihi contraria sententia placet, quam tuentur Caietanus *in 2. 2. q. 88. art. 12. in fine,* & nouissimè Paulus Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. c. 2. n. 3.* nam votum in dubio strictè interpretandum est.

Ad argumentum verò Sanchez respondetur, quòd licèt ira vouens sit certus, se, v. g. ieiunium, vel Missam vouisse tali die, dubius tamen est an absolutè, seu independenter à tali die ieiunium, vel Missam vouere intendit. Ergo in tali dubio pro libertate ipsius vouentis præsumendum est.

An Sacerdotes in domibus suis priuatim audientes lectorem legum incidant excommunicationem?

RESOL. XXVII.

Affirmatiuè videtur respondendum ex auctoritate Filliucij *tom. 1. tract. 14. cap. 7. n. 103.* & Suarez *in cens. disp. 23. sect. 3. n. 19.* & aliorum.

Sed tu contrariam sententiam tene, quam docent nouissimè Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 50. cap. vltim. num. 3.* Squillante *de obligat. cler. part. 2. dub. 8.* Homobonus *de statibus p. 1. cap. 18. n. 6.* Gambarupta *de casibus reser. c. 9. n. 6.* Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 17. diff. 28. n. 4.* & Sanctarellus *tract. de Apost. c. 2. dub. 3. num. 21.* & alij penes ipsos. Dico igitur, in excommunicationem latam *in cap. super specula, ne Clerici, vel Monachi, &c.* non incurrere Sacerdotes sæculares, & Regulares habentes priuatim in domibus suis lectorem legum, vel medicinæ, qui eos doceat priuatim has facultates.

Imò nec incurrunt hanc excommunicationem prædicti, si studeant legibus ciuilibus in scholis publicis, quatenus conducunt, vel possunt conducere ad notitia

tiam Canonum. Ita Sanctarellus loco citato, & Barbosa num. 7. Squillante de oblig. cler. part. 2. dub. 18. n. 57. & alij penes ipsos.

Sed nota hoc verum esse in foro interiori; nam in foro exteriori prælumerentur excommunicati. Notandum est etiam, quòd Diaconi, & subdiaconi non comprehenduntur sub dicta prohibitione, & excommunicatione, licet beneficium habeant, nisi sit personatus. Ita DD. citati.

Aliquis narrat peccata alterius audita, & expresse asserit se nihil certò scire, sed tantum recensere, quæ audit; queritur an peccet mortaliter?

RESOL. XXVIII.

Hic casus sæpissimè accidit. Affirmatiuam sententiam docent Sotus de inst. lib. 4. quest. 6. art. 3. ad 3. Nauarrus c. 18. num. 50. Villalobos in suum. tom. 2. tract. 11. dub. 36. n. 6. Tannerus ubi infra. Malderus in 2. 2. tr. 7. c. 1. dub. 13. Syluius in 2. 2. D. Thom. q. 63. art. 2. queritur 16. concl. 3. Turrianus in 2. 2. tom. 2. d. sp. 53. dub. 10. n. 8. & alij; quòd si referunt peccata aliorum, eo ipso sunt causa, vt alij talia peccata nouerint, & per consequens sunt causa, vt fama alterius apud plures amittatur. Et hanc opinionem multi recentiores, vt Azorius part. 3. lib. 13. c. 6. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 5. Layman in Theolog. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. c. 3 n. 7. Ioan. de la Cruz in direct. pr. 8. q. 2. art. 2. dub. 3. concl. 4. & alij tenent, quando qui refert, sit vir tantæ auctoritatis, vt ei credatur, etiam si tantum audita referat; vel quando eo modo narret, vt aliquos ex leuitate quidem credituros putet, sed nulla per se data causa sufficiente.

His tamen non obstantibus, licet supradictæ opiniones sint probabiliores, & amplectendæ, contrariam probabilem etiam esse puto cum Tannero in 2. 2. D. Thomæ, disp. 4. q. 8. dub. 7. n. 139. & illam docent Caietanus 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 2. Sotus in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. Syluester ver. detractio, q. 4. except. 5. Armilla ver. restitutio, num. 4. except. 7. Sà ver. informare; post Gabrielem Adrianum, & alios. Dico igitur auditum crimen simpliciter sine noua assecutione, vel confirmatione narrare, etiam si quis animaduertat aliquos ex audientibus temerè credituros, non esse peccatum mortale. Et ratio est, quia damnificatio famæ in tali casu, non tam est dicentium, quàm credentium. Et ita hanc sententiam nouissimè docet Faber de restit. in 4. sent. dist. 15. quest. 3. disp. 53. cap. 1. c. 29. Nisi ergo, qui sic narrat, addat aliquam maiorem certitudinem quàm sit, quæ ex communi relatione habetur, non tenetur ad restitutionem, etiam si sinistra opinio non tam generetur ex relatione, quàm ex leuitate audientium, vel infirmitate, aut malitia.

An qui falsum dicendo alterum infamauit, teneatur, si opus sit, iurare se falsum dixisse.

RESOL. XXIX.

Affirmatiuam sententiam docet Caietanus, & Aragon. in 2. 2. D. Thomæ, q. 62. art. 2. Sotus de inst. lib. 4. q. 6. a. 3. Faustus in speculo confess. disp. 21. quest. 21. Syluius in 2. 2. D. Thomæ, q. 62. a. 2. queritur 22. tr. 32. c. 10. n. 245. Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 53. dub. 1. num. 9. Nauarrus caq. 18. n. 45. Nauarra lib. 2. c. 4. num. 137. Salonius de inst. tom. 1. q. 62. art. 2. contr. 13. Carbo de rest. q. 18. Villalobos in summa, tom. 2. tract. 11. diff. 37. n. 2. & Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disp. 4. q. 6. dub. 6. n. 141. vbi sic ait. Qui falsum dicendo alterum infamauit, tenetur (si alia via commodiori fama restitui non possit) fateri falsitatem & cum id scienter fecit, ac si opus sit, iuramento retractationem suam confirmare: Ita ille, & ego.

Nota etiam, quòd Molina tomo 5. d. 41. Io. de la Cruz in direct. part. 1. pr. 7. a. 2. dub. 5. concl. 3. Sotus, Aragona,

& Salonius asserunt esse, etiam si opus fuerit, testes adhibendos.

Sed his non obstantibus Philippus Faber lector publicus in Academia Patauina de restit. in 4. sent. dist. 15. quest. 3. d. 53. cap. 3. num. 32. contrariam sententiam docet, & ita asserit. Ego puto solum sufficere ad restitutionem famæ in conscientia, quòd diffamans se retractet seridè coram illis, apud quos proximum diffamauit absque iuramento, & multo magis absque testibus & aliis sumptibus, ad faciendum, vt ij, qui ex causa detractiois malam opinionem acceperunt, illam deponant, antiqui enim Doctores, vt Alensis part. 2. quest. 129. membr. 6. D. Thomas 2. 2. quest. 82. art. 2. ad 2. Scotus hic, aperte nihil aliud requirunt. Nam D. Thomas loco cit. declarando quomodo huiusmodi diffamator teneatur restituere, habet hæc verba. Alio modum falso dicendo, & iniuste, & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Ita Faber, qui hoc probat ex verbis Alexandri de Ales, & ex multis aliis rationibus, & respondet ad argumenta contraria. Non esse etiam testes adhibendos docet vterque Nauarrus ubi supra cum Tannero.

Notandum est etiam, quòd stando in prima opinione, excipiuntur viri magnæ auctoritatis, vt notant Doctores citati, & inter illos Syluius in 2. 2. quest. 62. art. 2. queritur 10. in fine, & Villalobos in summa, tom. 2. tract. 11. diff. 37. numer. 3. sic asserens. [Hæc de entender esta doctrina regularmente, porque si el fuesse Obispo, Prelado, ò Cende, ò otra persona de gran autoridad, no estara obligado con tan gran perdida de su honor à confessar que mentio, y anti estara obligado à restituir con el maior modo que pudiera, que sera como diremos luego del que restituie, quando dixo verdad.] Sic ille. Ideo queritur.

Ad quid teneatur, qui verum dicendo, occultum crimen alicuius propalauit, illum infamando?

RESOL. XXX.

Quia in praxi pœnitentes difficulter famam restitunt, probabilis mihi videtur opinio Caietani in 2. 2. q. 72. a. 2. & Soti de inst. lib. 4. q. 9. art. 3. ad 4. quam asserit, & approbat Villalobos in summa, tom. 2. tr. 11. diff. 37. n. 4. vbi sic asserit. [Otro modo ay mas vñado entre los Doctores, y ponelo Cayetano, Soto, Nauarro, y otros, y es que el que infamo descubriendo pecado secreto no hable mas del, sino que procure tomar ocasion de tratar del disfamado con las personas, cerca de lasquales le infamo, y hable del honorificamente, y trate familiarmente al disfamado en algun caso, que con esse honra, si el es honrado.] Ita ille. Et hic modus susuius est, & illum facile pœnitentes obseruabunt; secus autem asserendo se perperam loquutos, vel iniuriam fecisse, vel fuisse deceptos, vel quod aliqui volunt, se falsum dixisse, vel fuisse mentitos. Ergo ad nihil aliud tenetur diffamator, quàm laudare eum, quem prius diffamauerat, nec amplius de illa re coram illis, apud quos eum diffamauit, loqui. Et hunc modum restituendi famam approbant etiam Tannerus in 2. 2. D. Thomæ, disp. 4. q. 6. dub. 4. num. 143. Valentia tom. disp. 5. quest. ... punct. 5. & quest. 17. punct. 2. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 10. Aragon. in 2. 2. quest. 62. art. 2. Faustus in speculo confess. disp. 21. quest. 74. num. 6. quidquid in contrarium asserat Layman Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 7. num. 2. Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 370. Faber. de rest. in 4. sent. dist. 15. quest. 3. disp. 53. cap. 2. num. 46. Seluius in 2. 2. D. Thomæ, q. 62. art. 2. queritur. 22. Filliucius tom. 2. tract. 32. cap. 10. num. 246.

Notandum est tamen primò, quòd si infamator non possit famam restituere, non tenetur famam pecunia compensare. Ita Layman, in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2.

par. 2. cap. 7. num. 3. Filiucius *tom. 2. tract. 32. c. 10. nu. 239.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disp. 53. dub. 7. n. 3.* Faber *de rest. in 4. sent. dist. 15. q. 3. disp. 53. cap. 4. num. 122.* Malderus *in 2. 2. tract. 7. cap. 7. dub. 8.* Nauarrus *cap. 17. n. 19.* Bannez *in 2. 2. q. 62. art. 2.* Syluester *ver. detractio, quest. 4.* Nauarra *lib. 2. cap. 4. nu. 416.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 11.* & alij. Sed quia contraria sententia est probabilis, quam tenet Villalobos *in summa tom. 2. tract. 11. diff. 39. num. 5.* Sotus *de iust. lib. 4. c. 6. art. 3. ad. 4.* Aragon *in 2. 2. quest. 62. art. 2.* Valentia *tom. 3. disp. 5. qu. 6. punct. 5.* Couar. *lib. 1. var. c. 2. n. 8.* Molina *tract. 4. disp. 45. nu. 3.* Sà *ver. infamia, num. 7.* Syluius *in 2. 2. D. Thom. quest. 62. art. 2. queritur 22.* post Rebellium, Sotum, Richardum, Adrianum, Caietanum, & alios; cum, inquam, hæc opinio sit probabilis, puto cum Ioan. de la Cruz *in direct. part. 1. præc. 7. art. 2. dub. 6. conc. 2.* Tannero *in 2. 2. D. Thom. disp. 4. q. 6. dub. 6. nu. 150.* qui citat Lessium, & Aragon. posse infamatum sibi ipsi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si is alia ratione satisfacere nolit, aut non possit; quod est valde notandum, quidquid in contrarium dicat Malderus *in 2. 2. D. Thom. tract. 7. cap. 2. dub. 14.* licet, vt dixi, contraria opinio sit etiam probabilis, nempe non debere famam pecunia compensari, quando aliter compensari nequeat.

Notandum est secundò contrà Turrianum *in 2. 2. D. Thom. tom. 2. disp. 53. dub. 5. n. 7.* Tannerum *in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 6. num. 155.* & alios, qui se mutuò infamauerunt, posse vti compensatione, dummodo infamia non sit inæqualis, & non oriretur scandalum, vel si vnus vel alteri famam reddere: tunc enim etiam alter tenetur ipsi restituere, & tandem compensatio non potest fieri reddendo maledictum pro maledicto. Exceptis igitur his casibus admittenda est contra præfatos DD. compensatio famæ, & ita docent Syluius *in 2. 2. D. Th. q. 62. art. 2. queritur 10.* Malderus *in 2. 2. tract. 7. cap. 2. dub. 14.* & alij penes ipsos.

Notandum est tertio secundum opinionem Fabri *de rest. in 4. sent. dist. 15. q. 3. disp. 13. cap. 2. num. 56.* quòd etiam quando reus est accusatus, & interrogatus iuridicè de crimine vero, & negat, non tenetur ad restitutionem famæ, quod est valde notandum contra Caietanum *in 2. 2. qu. 68. art. 2.* Sotum *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4.* Azorium *tom. 3. lib. 5. cap. 9. quest. 8.* Molinam *tract. 4. disp. 43.* & alios.

Notandum est quartò, quòd non adest obligatio restituendi famam, quando detractio effecta est cum verbis generalibus, videlicet aliquem esse mendacem, ambitiosum, &c. nisi ratione dignitatis personæ, vt si de Prælato, aut Religioso ex grauioribus talia dicta essent; quamuis Filiucius *tom. 2. tract. 32. cap. 9. num. 229.* notet Syluestrum & Nauarrum vniuersaliter asserere detractioem, vt obliget ad restitutionem, debere esse de peccatis mortalibus.

Notandum est quintò, quòd licet Sotus *de iust. lib. 4. quest. 6. a. 3. ad 4.* Couar. *in regul. Peccatum. part. 1. num. 76.* & Rebellius *lib. 4. q. 13.* dixerint vitam alicuius plebeij reputari posse vliorem fama alicuius nobilis, eoque casu plebeium debere reparare nobilis famam cum periculo propriæ vitæ; tamen contrariam sententiam in tali casu tenendam esse existimo, vide Caietanum *in 2. 2. q. 62. art. 6.* Syluestrum *ver. detractio, q. 4.* Nauarrum, & Nauarram, quos citant, & sequuntur Tannerus *in 2. 2. disp. 4. quest. 6. dub. 6. num. 149.* Malderus *in 2. 2. tract. 7. cap. 2. dub. 9.* & cum aliis penes ipsos; nam bona inferioris ordinis non sunt restituenda cum detrimento boni superioris ordinis. Sed vita est bonum superioris ordinis, quam famæ. Ergo, &c. Et hoc etiam procedit, etiam si infamia esset maxima, vtpote de hæresi, de crimine læsæ maiestatis, &c. vt notat Faber *de rest. in 4. sent. dist. 15. quest. 3. dis. 53. cap. 4. num. 121.* vide etiam Ioannem de la Cruz *in direct. pr. 7. q. 5. art. 6. dub. 6. concl. 1.* Ex his adultera etiam infamæ fortis, & nupta viro nobili, cui sup-

ponit filium alterius pro successione maioratus, omissis filiis legitimis, non se prodat etsi sciat profuturum, nec tenetur adultera hoc reuelare filio spurio, nec filius tenetur credere; tenebitur tamen adultera in tali casu, si potest, ex iustitia satisfacere, aut conferendo bona libera filiis legitimis, aut consulendo spurium intrare Religionem. Ita communiter DD.

An quando ex leuibus iudiciis quis temerè, & voluntariè de proximo suspicatur, peccet mortaliter?

RESOL. XXXI.

Affirmatiuè respondet Angelici Doctoris doctissimus interpres Franciscus Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 60. art. 3.* qui citat Bannez, Aragon. & Salonium, & hanc sententiam sequuntur Sotus *de iust. lib. 3. q. 4. art. 3.* Molina *de iust. tract. 4. disp. 17. n. 10.* Medina *de instruct. confess. lib. 1. cap. 14. §. 37.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 14. diff. 19. num. 3.* Turrianus *in 2. 2. D. Thoma, tom. 2. disp. 4. dub. 3. n. 7.* & alij quando suspicio esset de graui scelere circa personam honestam, vt de hæresi, de incestu cum matre, de prodicione ciuitatis, &c.

At contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Ioan. de la Cruz *in direct. pr. 8. qu. 1. dub. 2. concl. 3.* qui citat Caietanum, Rosellam, Armillam, & Lopez. Idem tenent Faber *de rest. in 4. sent. dist. 15. qu. 3. disp. 54. cap. 1. num. 10.* Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 2. num. 6.* Nauarra *de rest. lib. 2. cap. 4. n. 454.* Caietanus *in 2. 2. qu. 60. art. 3.* & *in summa ver. iudicium,* cum aliis. Et ratio est, quia nullum iudicium citra certitudinem, est peccatum mortale, vt ait D. Thomas, sed ista certitudo tollitur non solum per dubitationem, quæ in neutram partem declinat, sed etiam per suspensionem, & opinionem, quia etsi suspicio, & opinio vni parti magis adhæreant, non tamen id fit sine formidine alterius; ergo, &c. Igitur suspicio de re graui si non habet assensum firmum, nunquam erit peccatum mortale. Vnde ex his ego puto multos pœnitentes falsò, sed ignoranter se accusare de iudiciis temerariis; nam vt iudicium temerarium sit peccatum mortale, opus est vt efficiatur sine iudiciis sufficientibus. Secundò, ex plena deliberatione. Tertio, certò, & sine vlla formidine, quæ omnia rarò simul concurrunt in homine malè de proximo iudicante, & præsertim tertium requisitum, nam multi iudicant cum formidine alterius partis, & tunc non est iudicium temerarium mortale. Sed circa præsentem questionem vide præter DD. citatos Tannerum *in 2. 2. D. Thoma disp. 4. q. 3. dub. 2. n. 39.* Filiucium *tom. 2. tr. 40. c. 1. n. 12.* & seq. Lessium *lib. 2. cap. 29. dub. 3. n. 16.* Valentiam *tom. 3. disp. 5. qu. 4. punct. 3.* Reginaldum *in praxi tom. 2. lib. 24. c. 2. num. 26.* & seq. & Ledesmam *in summa tom. 2. tract. 8. cap. 2. concl. 5.*

An si quis narret alicui amico iniuriam sibi ab aliquo secretò illatam ad leniendum dolorem, peccet mortaliter?

RESOL. XXXII.

Negatiuè respondeo, nimis enim durum est, & præter humanam consuetudinem, vt quis cogatur acceptas iniurias solus ferre, nec possit eas amico communicare, non animo detrahendi, sed ad suam commoditatem, & vt eas leuius ferat. Ita Syluius *2. 2. D. Thoma, q. 62. art. 2. queritur 15.* Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 12. n. 72.* Nauarra *lib. 2. cap. 4. num. 345.* Molina *tract. 4. disp. 29. num. 5.* Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 3. num. 6.* Tannerus *in 2. 2. D. Thoma disp. 4. b. 8. dub. 7. num. 145.* & alij Doctores communiter. Sed plus addit Ioan. de la Cruz *in direct. confess. part. 8. quest. 2. art. 2.*

dub. 3. concl. 1. ubi sic asserit. Si persona secretò grauius iniuriata non valens se à dolore cohibere, in querimonias prorupit publicas, non illico de culpa mortali damnatur, si iniurians infametur: durum enim videtur, sic afflictum animum cohibere, ne in querimonias prorumpat, cum hoc naturalissimum sit. Ita ille, qui citat etiam pro hac sententia Ludouicum Lopez.

An qui occultum crimen sine iusta causa manifestat vni, vel duobus viris prudentibus, quos scit non euulgaturos, peccet mortaliter?

RESOL. XXXIII.

Hanc quæstionem alibi, sed breuiter tetigimus, nunc verò fufius illam explicabo. Affirmatiuam sententiam docent Turrianus in 2. 2. *D. Thoma*, tom. 2. disp. 53. dub. 8. n. 2. Sotus de iust. lib. 7. quæst. 10 art. 2. concl. 4. Molina de iust. tract. 4. disp. 29. n. 7. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 11. num. 70. Bannez in 2. 2. quæst. 62. art. 2. Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 9. Filliucius tom. 2. tract. 40. cap. 4. num. 91. Suarez tom. 4. disp. 34. sect. 1. num. 2. Villalobos in summ. tom. 2. tr. 11. d. ffic. 36. num. 8. Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 17. punct. 2. Malderus in 2. 2. tract. 7. c. 1. dub. 4. Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 2. cap. 3. num. 6. Ioan. de la Cruz ubi infra, & Salonius in 2. 2. quæst. 62. art. 2. qui asserunt hanc opinionem esse communem inter recentiores Thomistas. Et ratio videtur clara, quia si consideretur famæ detrimentum iudicio prudentis, maius erit reuelare illud crimen vni graui viro, quàm si decem infimis hominibus reueletur, & tamen hoc esset peccatum; quod explicatur ex eo, quòd quilibet maius bonum putat virum aliquem grauem habere rectam opinionem de alicuius moribus, quàm illud iudicium habeant homines plures abiectæ conditionis. Secundò, iudicium temerarium, est ex suo genere peccatum mortale, vt patet, etiam si illud non producat exteriori, neque frater amittat bonum nomen apud alios, quàm apud iudicantem; ergo nec detractio desinet esse mortalis, ex eo quòd fratris existimatio tantum lædatur apud vnum. Tertio, prudens cui reuelas, & à te prudenter audit, poterit etiam alios similes prudentes inuenire, atque ita apud plures prudentes periculum infamiæ subibit frater. Quarto, ex ista opinione sequitur aliquod oppositum communi doctrinæ DD. & Sanctorum, nempe auditorem detractiois quando ipse solus detractorem audit, non debere detestari detractioem tanquam lethale peccatum, sed propter prudentiam suam, qua celaturus est, posse tolerare tanquam veniale.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam docet Caietanus in 2. 2. quæst. 62. art. 2. Nauarra de rest. lib. 2. cap. 4. num. 334. Grassius lib. 2. c. 137. & alij. Et hanc sententiam probabilem esse docent multi ex DD. contrariis, vt Tannerus in 2. 2. *D. Thoma*, disp. 4. quæst. 8. dub. 7. num. 138. & Ioan. de la Cruz in direct. consc. pr. 8. q. 2. ar. 2. dub. 3. concl. 3. & alij. Et ratio est, quia talis non lædit famam notabiliter, cum reuelet occultum delictum apud vnum, vel duos, qui non sunt alij reuelaturi; ergo non peccat mortaliter, & sicuti non est fama vno dicente, ita nec erit infamia nisi pluribus dicatur. Et hæc sententia videtur mihi etiam probabilis, sicut etiam visa est Filliucio; qui suam sententiam vocat tantum probabilioem.

An infamator criminis occulti teneatur restituere famam tantum apud suos auditores, licet ipsi auditum crimen alijs notum fecerint?

RESOL. XXXIV.

Affirmatiuè respondent aliqui. Sed Philippus Faber de restit. in 4. sent. dist. 15. quæst. 3. disp. 35. c. 1. n. 37. contrarium docet, sic enim asserit. Dubitant alij, an suf-

ficiat retractare impositionem criminis coram his tantum, apud quos ille diffamauit, an etiam apud alios, quibus illi audientes retulerunt. Aliqui asserunt, sed hæc opinio est irrationabilis. Cum enim verba ex ore prolata in infinitum crescant, est impossibile diffamatorem posse se retractare apud omnes, ad quos talis diffamatio perueniet. Proinde Alensis innuit sufficere, vt se retractet coram iis, apud quos ipse detraxit. Ita Faber; & ratio etiam potest esse, quia posterior infamia fortuitò quasi sequitur, & ex propria malitia audientium, qui proinde vtique tenentur ad restitutionem. Sicut qui indirectè scandalum præbet, non contrahit specialem illam malitiam, cui per accidens causam dedit.

Sed ego sine metu, hanc sententiam amplectendam esse puto, in casu, quo, vt ait Villalobos in summ. tom. 2. tr. 11. diffic. 37. num. ... [el peccado del proximo se descubrio à vn hombre de confiança de quen se entendiera, que de ninguna manera lo dixera à nadie, vel lo dixo, con esse solo se aura de hazer la diligencia para la restitucion y esse con los demas.] Ita ille sed circa præsentem quæstionem vide Tannerum in 2. 2. *D. Thoma*, disp. 4. q. 6. dub. 6. n. 146 & alios penes ipsos.

An qui audit detrahentem de aliorum criminibus peccet mortaliter?

RESOL. XXXV.

Respondeo vt plurimum minimè; & sic ait Ioan. de la Cruz Dominicanus in direct. conscient. pr. 8. quæst. 1. a. 2. dub. 5. conc. 1. qui ob timorem, verecundiam, negligentiam, aut animi leuitatem, non resistit detractori, peccat venialiter. Et hanc sententiam tenet ex Societ. Iesu Adamus Tannerus in 2. 2. *D. Thoma*, disp. 4. q. 8. dub. 7. n. 151. ubi sic asserit. Est peccatum contra iustitiam, si quis directè iniustitiam, & detractionem approbet, aut, quod deterius, ad eam inducat, vel contra charitatem, si quis merè negatiuè se habeat, non impediendo, nisi ex officio teneatur, aut detrahentem corrigere, aut famam alterius defendere; nempe quia huius, vel illius superior est. Communiter tamen ex negligentia, timore, aut verecundia non repellere detractionem, solum censetur peccatum veniale, nisi vel audiens superior sit, vel graue damnum ex detractione sequitur anidmaduertatur, vel timor ipse adeò peruersus sit, vt propter eum peccare aliquis mortaliter non curet. Ita ille, & hanc sententiam nouissimè docet etiam Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 24. cap. 4. num. 95. & Faber de restit. in 4. sent. disp. 15. q. 3. disp. 53. cap. 3. n. 127. ubi sic asserit. Si omittat corripere detrahentem vel ex timore, vel ex negligentia, vel etiam ex verecundia, est peccatum veniale. Non igitur, vt aliqui scrupulosi putant, est semper peccatum mortale audire, & non corripere detrahentem, vide etiam nostram resol. 24. tract. 4. miscellan.

An Christiani remigantes in trivemibus Turcarum peccent mortaliter, & incidant in excommunicatione, ubi plures alios casus explanatos inuenies?

RESOL. XXXVI.

Affirmatiuam sententiam docuerunt Fernandez in exam. Theol. mor. par. 4. cap. 5. §. 4. num. 6. Vgolinus de cens. Papa, reseruat. p. 2. c. 3. §. 2. Suarez tom. 5. disp. 21. sect. 2. n. 60. 61. & 62. Paulus Comitulus in resp. mor. lib. 4. q. 8. Grassius p. 1. lib. 4. c. 18. n. 6. Sayrus de cens. 5. lib. 3. c. 7. n. 8. Beia p. 3. cas. 23. Salas in p. 2. tr. 3. disp. 11. sect. 1. de legibus. Nauarrus in man. c. 17. n. 63. Toletus in summa lib. 1. c. 24. & alij, sed si Turcæ corpora dictorum Christianorum affligunt, isti Doctores eorum animas laceffunt, quia si hæc opinio esset vera, væ, væ, væ Christianis captiuis. Ideo contrariam sententiam puto omnino sustinentam esse, quam docent 8. Doctores, quos citat, & sequitur

sequitur Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 1. cap. 7. n. 18.* quibus ego addo Tannerum in *2. 2. D. Thom. disp. 1. qu. 9. dub. 5. n. 144.* Villalobos in *summa tom. 1. tract. 5. diff. 10. num. 2.* Layman in *Theol. mor. lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 5.* Naldum in *summa ver. Christianus 2. n. 6.* Reginaldum *tom. 2. lib. 21. n. 119.* Turrianum in *2. 2. disp. 95. dub. 3.* Filiucium *tom. 2. tract. 2. 2. cap. 5. n. 147.* Benzoni in *tract. de fuga lib. 1. disp. 1. q. 4.* Soufam in *Bull. Cœne cap. 4. disp. 31. num. 6.* Valquez *opusc. de scandalo a. 8. dub. 7.* Ortiz in *sum. c. 17. n. 80.* Auilam de *cons. part. 2. c. 6. disp. 8. dub. 5.* Duardum in *Bull. Cœn. lib. 2. can. 3. q. 13. conc. 1. num. 1. & seq.* Vegam in *summa tom. 1. cap. 118. cas. 2.* Rebellium *part. 1. lib. 1. q. 14. sect. 7. n. 52.* Possunt igitur dicti captiui Christiani contra Catholicos remigare, vel propugnacula ædificare, sarcinas, machinas, & arma necessaria ad bellum asferre. Et ratio est, nam licet peccatum, ad quod materialiter cooperantur, perniciosum sit, tamen cooperatio illorum non tam propinqua est, vt sine illa damnum nihilominus inferretur, quia alij non desunt, qui hunc laborem obirent, & actiones supradictæ sunt indifferentes. Ergo, &c. Limitanda tamen videtur hæc sententia. Primo, si eo loco constituta res ita esset, vt captiui auxilium denegantes, magno periculo Christianos eriperent, vel victoriam illis conferrent; tunc enim bonum Reipublicæ Christianæ anteponendum erit propriæ vitæ. Secundo, etiam limitanda est in iis, qui tormenta in Christianos dirigunt, ignemque applicant, quia directè damnum inferunt.

Ex dictis deducuntur multi casus in praxi sæpius occurrentes; nempe licere famulis cibos condire, & ad mensam ministrare, & lectum sternere concubinæ heri, & ornare heram meretricem, secundum Azorium *tom. 2. lib. 12. c. ult. q. 8.* Sed malè addit, licitum esse adducere concubinam in domum heri, vel in alium locum, in quo peccaturus est, vel deferre internuntia, aut scripta, in quibus herus petit à concubina, vt ea nocte ad se veniat, et si norit velle, vt veniat ad fornicandum. Vnde in his duobus casibus, & optimè dissentit ab Azorio Rebellius *par. 1. lib. 2. q. 14. sect. 7. num. 53.* Sanchez in *summa tom. 1. lib. 1. c. 7. num. 25. & 26.*

Item deducitur ex prædictis, licere famulis sternere equum, & herum comitari, & expectare, quamuis norint ipsum ad fornicandum abire; item iussu heri portare aliqua munuscula, aut esculenta ad concubinam, vel aperire ianuam domus concubinæ, porrigere cibos, & mensam sternere, si ieiunare nolit, &c. ex eodem principio licitum erit domum meretrici, vel vsurario locare.

Item ex Caietano, Aragonio, & Bannez in *2. 2. qu. 78. art. 4.* & Salonio *quest. 62. art. 5. contr. 2. ad ult.* deponere pecunias apud eundem, licet hoc aliqui, & melius non admittant, vt Sotus de *ius. lib. 6. qu. 1. art. 5. ad 2.* Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 21. n. 184.* Azorius *tom. 2. lib. 1. 2. cap. ult. quest. 2.* & alij.

Item contra Valquez *opusc. de scandalo, art. 1. dub. 3.* & alios fas erit amico, qui violandi ieiunij causa ad cauponam diuertere cogitur, domum tecum abducere, & cœnam ministrare hospitalitatis, vel vrbانيتatis causa. Ita Layman in *Theol. mor. tract. 3. cap. 13. num. 4.* Caietanum in *2. 2. q. 147. art. 4.* & alij.

Item licitum erit cauponibus ministrare cibos soluturos illis ieiunium. Ita Ledesma in *summa tom. 2. tract. 27. cap. 2. concl. 6. diff. 4.* Salonius in *2. 2. q. 77. art. 4. contr. 6. post 3. concl.* Martinus Ledesma *2. p. 4. qu. 17. art. 6. dub. 3.* Faustus in *thes. Relig. lib. 1. qu. 178. n. 1.* & alij contra Fernandez in *exam. Theol. p. 2. cap. 8. §. 2. num. 22.* Gabrielem in *4. dist. 16. q. 3. art. 3. dub. 9.* & alios.

Et eandem contra aliquos recentiores docet Tannerus *2. 2. D. Thomæ, disp. 1. qu. 9. dub. 5. num. 144.* posse aliquem vendere infideli idolum, aut Iudæo in Synagoga ædificanda operam locare, si magna egestate prematur. Et ratio horum omnium est, quia præbere alteri proximam materiam peccandi ex se indifferentem ex iusta

causa non intendendo eius peccatum, sed ad aliud spectando, non est directè ad malum cooperari; neque verò indirectè; nam illa dicitur indirecta cooperatio, quando quis potest sine suo incommodo, & tenetur ab utentis peccatum euitare; quod non accidit in supradictis casibus, in quibus, vt supponimus, adest iusta causa, & necessitas; ergo, &c.

An licitum sit suadere minus malum ad euitandum maius?

R E S O L. XXVII.

Negatiuè respondet Valentia *tom. 3. disp. 5. quest. 21. punct. 4.* Emanuel Sà *ver. peccatum, n. 8.* Caiet. in *2. 2. q. 78. art. 5. notab. 3.* Azorius *tom. 2. lib. 1. 2. c. 16. q. 8.* Couar. in *4. decret. part. 1. cap. 4. n. ult.* Gabriel in *4. dist. 16. q. 11. art. 3. dub. 14.* & alij. Et ratio est, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, & sic non licet assumere prauum medium, ad obtinendum bonum finem; nec licet furari, vt des elemosynam, &c. Sed quando suades facere minus peccatum, inducis hominem quantum in te est hinc, & nunc in peccatum. Ergo. Ad te verò, quod asseritur, quod ex duobus malis minus est eligendum, respondent id locum non habere in peccatis, quæ voluntariè, ac liberè acceptantur, sed in his tantum malis, quorum vnum sustinendi necessitas incumbit. Hæc Doctores citati probabiliter.

Sed magis probabiliter contrarium sustinendum esse puto, & ita docent Syluius in *2. 2. D. Thomæ, q. 43. art. 4. quaritur 2. concl. 3.* Rebellius *part. 1. lib. 1. quest. 14. sect. 7. num. 54.* Becanus in *2. 2. c. 27. q. 4. num. 2.* Valquez *opusc. de scandalo, art. 1. dub. 1.* Sanchez de *matrim. lib. 7. disp. 11. num. 15.* Molina *tom. 2. disput. 335.* Medina in *p. 2. quest. 76. art. 4.* Sotus de *ius. lib. 6. q. 1. art. 4.* Molfesius in *sum. tom. 1. tract. 8. cap. 11. num. 67.* Nauarr. *cap. 14. num. 40.* Syluester *ver. vsura. 7. q. 1.* Angelus *ver. vsura. 2. quest. 2.* & alij, præsertim nouissimè Barbosa in *collect. tom. 4. p. 1. Decreti c. duo mala, dist. 13. num. 11.* Dicendum est igitur, quod si quis omnino decreuit facere magnum peccatum, licet ei suadere minus, quia tale consilium non fertur absolute in malum, sed in bonum, scilicet euitationem maioris mali, & non simpliciter in electionem mali, quod minus est, sed in electionem eius potius, quamuis, cui consulit, eligat maius, Vnde consulens non dicit ei absolute, Fac hoc malum, neque fac istud; sed conditionaliter, si omnino decreuisti malum facere, potius elige minus; quasi diceret, sufficit tibi facere minus, & abstinere à maiori.

Ex his apparet quod si viderem Petrum velle, & certò statuisse adulterium committere, & non possem aliter ab hoc proposito illum reuocare, nisi suadendo fornicationem loco adulterij, tunc licitum esse suadere fornicationem; non quatenus ipsa peccatum est, sed quatenus impedit peccatum adulterij, quod alias sequutum fuisset.

Sed hæc omnia limitanda sunt, vt tali suasionem nullum damnum, seu corporale, seu spirituale tertiæ personæ inferatur; vt v.g. volenti adulterium committere, suadere non licet, vt cum tertia persona fornicetur, & volenti à Petro furari 100. aureos, suadere, vt furetur 50. à Paulo. Ita Layman in *Theolog. mor. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 7.* Secus autem, vt aduertit Malderus in *2. 2. tract. 4. cap. 2. dub. 3.* si fur simul rem Petri, quæ valeat centum, & rem Pauli, quæ valeat solum quinquaginta, certò sit ablaturus alteram; sed dubitaret, vtrum auferre velit, si tu impedire eum nequeas aliter, potes sine obligatione restitutionis suadere, vt potius rem Pauli auferat, (si modò eam auferendam cogitabat cum re Petri,) suadere, inquam, id potes, in genere inculcando, auferendum potius illud quod minus est, & hoc esse minus; quia Paulo non facis iniuriam, docendo furem à maiori furto potius abstinere debere, aut hanc rem esse minoris

minoris pretij; neque enim fur tali iudicio proprie disponitur ad iniuriam inferendam, sed malitia sua inferit noxiam conclusionem, Paulum re sua esse priuandum. Hæc omnia Malderus ex Salonio.

An consentiente filio possit pater illum castrare, ut voce, & cantu Ecclesie deserviat.

RESOL. XXXVIII.

Affirmatiuam sententiam docet Salonius in 2. 2. m. 1. qn. 65. ar. 1. conr. 2. vbi sic asserit. Hinc legitur licere quidem parentibus, filiis, quos voce plurimum Ecclesis profuturos sperant, amputare virilia, & efficere Eunuchos, sed ita vt fiat sine periculo vite, & de eorum consensu. Quia licet huiusmodi Eunuchi vtilles etiam sint bono communi Ecclesiarum, non tamen necessarii: tum etiam, quia postquam sunt facti Eunuchi, non manet eis facultas ad quemcunque statum, cum de iure Clerici esse non possint, nec ex constitutione Sixti V. coniugati, electio autem libera est, quò fit neminem faciendum esse Eunuchum nisi consentiat. Ita Salon.

Sed illum impugnat nouissimè Tannerus in 2. 2. D. Thoma, disp. 4. qu. 8. dub. 5. n. 101. vbi ita ait. Non desunt quidam (in quibus Salon.) qui licere putent parentibus, filios suos voce, cantuque Ecclesie inseruituros, & in id liberè consentientes, intuitu boni publici castrare. Sed contrarium videtur verius, non solum ob varia animæ pericula, & incommoda, quæ hinc consequi solent, sed etiam quia bonum illud tanti momenti non est, vt ob id res tam per se à natura aliena suscipiatur, quando nec pro salute spiritali, aut periculo animæ vitando id licitum esse constabit infra ex sacris Canonibus; quæ tamen causa alioqui multo maioris momenti videri possit. Hoc certum repugnantes liberos ad hoc cogi non posse, cum libera illis manere debeat, quo ad vitæ statum, electio. Ita Tannerus, qui sententiam Salonij videtur probabilem putare, cum contrariam, quam ipse tenet, veriore tantum appellet. Sed an ita sit, iudicent viri docti.

An donatarius peccet, & teneatur ad restitutionem, quando scit donationem fieri cum damno creditorum, etiamsi ab ipsis intra annum non reparetur?

RESOL. XXXIX.

Affirmatiuè respondet Laym. in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 4. c. 17. §. 4. n. 30. qui citat Paludauum, D. Antoninum, Caietanum, Nauarrum, & Cordubam; quia ad talem donationem factam in fraudem creditorum, donatarius cooperatur contentiendo, & illam acceptando; vnde licet suadendo non impellat, & propterea non sit causa efficiens quo ad principium, seu propositum huiusmodi donationis, est tamen eius causa efficiens, quo ad executionem: hæc opinio est probabilis.

Sed contrariam non minus probabilem & tutam in praxi esse existimo cum ipso Layman vbi supra, & ideo hanc sententiam absolute docent Lessius lib. 2. c. 20. dub. 19 n. 168. Nauarra lib. 3. c. 4. nu. 218. Molina tom. 2. disp. 328. n. 14. Et ratio est, quia alienatio illa fuit in se valida accipiensque comparauit dominium rei ita acceptæ. Cum ergo ius positium solum intra annum à die scientiæ concedat rescissoriam actionem creditoribus aduersus accipientem, sequitur, vt si vel creditores rem non petant, vel illam petant elapso iam anno, accipiens reddere illam non teneatur. Ad rationem verò Layman respondet, quòd donatarius in tali casu vitur iure suo intra iustitiæ limites, accipiendo atque suam efficiendo rem in se liberam, hoc est, nulli alteri obligatam, vtendo peccato dantis in suum proprium commodum; non secus atque qui licitè accipit sub vsuris, vitur peccato dantis

in suum proprium commodum, neque etiam accipiens titulo lucratio in fraudem creditorum, contra charitatem aduersus illos peccaret; quia charitatis ordo non postulat vt donatarius postponat suum commodum, vt creditores ab æquali damno seruet indemnes. Dicendum igitur quòd opinio contraria, tunc procedit, quando donatarius sciens, & prudens incitaret debitorem ad alienandum in fraudem creditorum, nam tunc causa esset peccati iniustitiæ illius in creditores, & ideo ad restitutionem teneretur, secus autem in casu nostro; ergo, &c.

An si quis à fure emente pecunias furtiuas bona fide accepit, easque cum propriis commiscuit, teneatur ad restitutionem dictarum pecuniarum domino comparente?

RESOL. XL.

Affirmatiuè respondent Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 18. n. 57. ex autoritate l. Marcellus §. Pomponius ff. de rei vendicat. & §. si duorum, Instit. de rerum diuis. quibus locis habetur si duorum dominorum materiæ confusæ fuerint, ita vt discerni non possint; & ratio est, quia in tali casu non tenetur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, vel absorptionis, quia hoc actum fuit cum bona fide; neque ratione rei acceptæ, & possessæ, cum alienam pecuniam non possideat, cum vel eam consumpserit, vel cum propria miscendo eius dominium acquisierit, neque etiam ex hoc locupletior factus est, nam pretio iusto rem suam venderat; ergo, &c. Et ita docent hanc sententiam Nauarra lib. 3. cap. 4. n. 216. Sayr. in clau. Regia lib. 10. tr. 2. c. 3. n. 13. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. c. 23. n. 15. Medina de restit. qu. 10. post illos Vasquez opusc. de rest. c. 9. §. 2. dub. vlt. cum alijs.

An si quis rem alienam à fure bona fide emptam maiori deinde pretio vendidisset, teneatur restituere domino illud plus, in quo locupletior factus est?

RESOL. XLI.

Affirmatiuè respondent Nauarrus cap. 27. nu. 8. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 23. num. 28. & Lessius lib. 2. c. 21. n. 134. & ex autoritate l. si & rem. ff. de pet. hered.

Sed mihi contraria sententia, quam docet Molina de iust. tom. 3. tr. 2. disp. 721. nu. 20. probabilis etiam videtur, quia illud plus non est fructus rei, sed industriæ illam ementis iuste vno pretio minori, & vendentis etiam iuste alio maiori pretio; fructus autem industriæ ad possessorem bonæ fidei, & non ad dominum rei spectat; quòd autem id non sit fructus, rei industriæ, patet. Quia si fur ipse emeret iterum eandem rem ab vltimo possessore, eamque domino restitueret sine vlla proximi læsione, seruandoque omnino illum indemnem, neque res illa vlllos fructus habuisset, sanè qui ita esset lucratus emendo illam à fure, aut alio intermedio venditore, & vendendo illam maiori pretio iusto alicui alteri, non teneretur illud restituere, eo quòd esset fructus suæ industriæ, & non rei. Ceteras rationes inuenies apud Molinam, quem nouissimè etiam sequitur Laym. in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 3. nu. 25. qui respondit ad autoritatem l. si & rem, dicendo id esse speciale in distractione hæreditatis, seu iuris vniersalis, vt pretium succedat loco rei; secus autem se res habet in particularibus contractibus. vt docent DD. in l. mater, C. de rei vend.

Nota quòd idem Molina vbi supra, contra Sanchez docet furem vendentem rem furtiuam, & postea iuste minori pretio redimentem, non teneri excessum illum pretij domino restituere, sed satisfacere reddendo ei rem suam non deterioratam, & fructus ex ea debitos.

An vendens bona fide rem alienam eodem pretio quo emerat, teneatur pretium vero domino restituere?

RESOL. XLII.

Affirmatiuè respondent Vasquez *in part. 2. q. 96. art. 5. disp. 172. cap. 2. n. 4.* Ledesma *in summa tom. 2. tr. 8. c. 14. post. 4. concl. dub. 2.* Sayrus *in clau Regia lib. 10. r. 2. c. 2. n. 13.* Bannez & Aragon *in 2. 2. q. 61. a. 6. dub. 1. & alij.* Ratio est, quia pretium succedit loco rei *l. si rem, ff. de pet. hered.* Ergo tale pretium est alienum, sicut & ipsa res, vnde tenetur id restituere ratione rei acceptæ, vti rem alienam apud se haberet. Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariam etiam probabilem esse existimo, quod fateatur ipse Ledesma, & illam docent Molina *de iust. tom. 3. tract. 2. disp. 721. num. 6. 7. & 8.* Lessius *lib. 2. cap. 14. dub. 3. num. 29.* Vega *in sum. tom. 1. cap. 60. cas. 14. & 15.* Philiarachus *de offic. sacer. tom. 2. part. 2. lib. 6. c. 18.* Rebellius *part. 1. lib. 2. q. 3. n. 3. & part. 2. lib. 9. quest. 18. sect. 1. n. 9.* Sotus *de iust. lib. 4. q. 7. art. 2. & alij.* Et ratio est, quia sic vendens nil tenetur domino ratione iniustæ acceptionis, cum totum bona fide factum sit, nec ratione rei acceptæ, cum iam distraxerit; ergo, &c. Dices, tenetur restituere ratione pretij, quia, vt tradunt DD. contrarij, succedit loco rei. Respondeo, non esse vniuersaliter verum, succedere pretium loco rei, id enim in solis vniuersalibus iudiciis locum habet, cuiusmodi sunt hæreditas, fideicommissum, & dos, &c. Et ita docet glossa *in d. l. si rem, & pretium, ver. quia potest, ff. de pet. hered.* & ibi Bartolus *in fine,* & omnes scribentes.

An bona fide consumens res consumptibiles unico vsu, teneatur vero domino restituere, quatenus locupletior euasit fur non impotens ad restituendum?

RESOL. XLIII.

Exempli gratia, qui inuitatus edit bona fide cibos fartiuos, an teneatur restituere id, in quo locupletior euasit, nimirum quæ domi expensurus erat. Et affirmatiuè respondent Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 24. num. 34.*

Non reticeam tamen, contrarium docere Bannez *in 2. 2. quest. 62. art. 6. dub. 3. concl. 4.* Ledesmam *in sum. tom. 2. tract. 8. cap. 14. post. 14. concl. dub. 3. dicto. 4.* vbi asserit, ita sentire communiter Thomistas, Salonium *in 2. 2. tom. 1. q. 62. ar. 6. contr. 3. concl. 4.* Et ratio est, quia verus dominus non habet ius petendi à latrone ipsas numero res, si consumptæ iam sint, sed similes, vel eiusdem pretij. Sed similes, vel eiusdem pretij manent apud latronem, quas restituat, cum non sit redditus impotens ad restituendum; ergo recipiens ab illo non tenetur restituere, quamuis locupletior factus sit, sed poterit dominum remittere ad latronem, vt ab ipso recuperet res sibi furto ablatas. Prima opinio est probabilior.

An qui à minoribus per ludum, aut similem contractum aliquid acquisierunt, teneantur illud restituere?

RESOL. XLIV.

Resolutio huius casus pendet ex illa quæstione, an pupillus, & minor 25. annis sine tutoris autoritate contrahens, si non ciuilitè, saltem obligetur naturaliter, & in foro conscientiæ. Hanc quæstionem ad patres discutit Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 6. disp. 38. num. 20. & seq.* & affirmatiuam sententiam cum paucis limitationibus docet, quam post illum sequuntur nouissimè Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 9. n. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 8. num. 6.* Rebellius *par. 2. lib. 1. de contr.*

qu. 8. sect. 2. & Tannerus in 2. 2. D. Thom. disp. 4. qu. 6. dub. 11. nu. 3. 10. vbi sic asserit. Aliqui ex probabiliori docent impuberes, & pupillos pubertati proximos (vti est in puero decennium cum anno dimidio, in pullos nouennium cum anno dimidio) aut minores iam pauberes, etiam si curatorem habeant, contrahendo, aut pacificando circa res suas (non tamen immobiles, aut quæ seruando seruari possunt) contractu oneroso, per ludum scilicet emptionem, venditionem, locationem etiam absque tutoris, aut curatoris autoritate obligatos manere naturaliter, ac proinde in foro conscientiæ contractui stare debere, nisi fortè cum ipso tutore (cæteris casibus exceptis apud Sanchez *vbi supra*) contraxerint, quamuis postea beneficio restitutionis in integrum eiusmodi contractus, si velint, per iudices irritos reddere possint. Ita Tannerus; & ratio est, quia obligatio naturalis oritur ex consensu, *l. Stichum §. naturali, ff. de solut.* Sed pupillus si pubertati proximus sit, & maior 25. annorum, sufficientem consensum habent; ergo hæc sententia est probabilis, licet contraria sit etiam probabilis.

Vnde pro praxi Confessariorum dico primò, quòd si pupillus, vel minor ludendo perdidit, aut alio contractu promisit soluere, non tenetur, sed exceptione legis ciuilis defendere se potest, dummodo se soluturum non iurasset; quid enim opus est inani circulo, vt soluat quis, quòd ipsi restituendum erit?

Dico secundò, quòd si pupillus, vel minor creditori soluit, tunc potest in foro conscientiæ rem illam retinere, donec ab eo repetatur per beneficium legis ciuilis talem repetitionem concedentis. Ita Tannerus *vbi supra, n. 311.* Layman *n. 10. & alij contra Couarr. in c. quamuis pactum, part. 2. §. 4. n. 100.* & aliquos Iuriconsultos.

Dico tertio, si pupillus minor & eorum nòmine tutor, & curator rem aliquam indebitè solutam repetere velint, sed propter contradictionem aliquorum, qui cum ipsis contraxerunt, vel iudicis negligentiam, recuperare non possint, compensationem aliquam, seu pòlam, siue occultè facere non prohibentur. Et hæc omnia tradit Layman ex Molina, & Sanchez, ex quibus habent Confessarij satis ampla principia ad tollendos multos scrupulos: nã si minor nò velit soluere, & si soluerit, creditor nò velit restituere, potest Confessarius securè, neque minorem ad solutionem, neque creditorem ad restitutionem obligare.

An iudex peccet expediendo pecunia mediante vnus causam ante alios, si litigantes iure temporis equaliter gaudeant?

RESOL. XLV.

Ad hunc casum respondet Paulus Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 4. n. 9.* vbi sic asserit. Cauendum ne talia cum alterius iniusto damno coniuncta sint, vt si minister publicus propter oblatum sibi munus vnus causam citius expediat posthabitis alijs, qui diutius expectarunt, & ante alios expediri deberent. Sed ponamus plures adesse, qui æquali iure gaudeant, vt in iudicis arbitrio positum sit, quæ præponat; peccabitne iudex, si vnus causam ante alios expediat, ex pacto oblatis muneris? Res ista periculo non vacat, spectato tamen naturali iure non audeo hominem damnare, quia ea in re alijs iniuriam non infert; in gratiam verò Titij remuneratoris suscipit nouam obligationem, ante alios expediendi causam ipsius, quæ obligatio pretio æstimabilis videtur. Ita Layman.

Notandum est tamen hic obiter cum Lessio *lib. 2. c. 14. dub. 9. num. 64.* iudicem in rigore, & secluso scandalo, & periculo iniustitiæ posse accipere, nec teneri restituere id quod accepit à litigantibus, si datum sit instar muneris liberalis, vt maiorem quam solet, quamque tenetur diligentiam in causa adhibeat, vel vt loquitur Molina *de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 88. n. 6.* si antequam negotium expediat, munus ad eum mittatur, vt afficiatur ad diligentiam,

gentiam, atque in fauorem eius, qui munus mittit, negotium intra iustitiæ limites expediendum.

An hodie explicita fides Incarnationis Christi, & sanctissima Trinitatis sit adultis necessarium medium ad salutem?

R E S O L. XLVI.

Hic casus solet affligere Confessarios circa homines rudes. Affirmatiuam sententiam docent communiter, vt Lorca in 2.2. *quest. 2. art. 8. disp. 22. membr. 2. num. 4.* Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 2. concl. 6.* Valentia *tom. 3. q. 2. punct. 4. & 5.* Molina in 1. *part. quest. 1. art. 1. disp. 2.* Malderus in 2.2. *D. Thom. q. 2. a. 8.* Acofta de *procur. Indor. sal. lib. 5. cap. 3. & 4.* Becanus in 2.2. *c. 12. q. 3. concl. 3.* Tannerus, & Layman *vbi infra*; & alij penes ipsos. Et ratio est, quia alioquin sequeretur, vt obseruat Syluius in 2.2. *D. Thom. q. 2. a. 7. concl. 6.* posse tunc temporis aliquem saluari in lege Mosaïca, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euangelicam, & seruet legem Mosaïcam, quæ implicitè continet fidem Christi.

Sed mihi contraria sententia probabilis etiam videtur cum Tannero in 2.2. *D. Th. disp. 1. q. 7. dub. 2. n. 4.* & Layman in *Theol. mor. lib. 2. tr. 1. c. 8. n. 5.* & absolutè illam docent Sotus in 4. *disp. 5. quest. unica tract. 2.* Villalobos in *summa, tom. 2. tract. 1. diff. 3. nu. 6. & 7.* Medina in *instru. lib. 1. cap. 14. §. 2.* Sa *verb. fides, n. 1.* Turrianus in 2.2. *tom. 1. disp. 27. dub. 4. & 8.* & alij penes ipsos. Et ratio est, quia inter Christianos inueniuntur homines aded rudes, vt mysteria Incarnationis, ac Sanctæ Trinitatis vero conceptu non apprehendant, & consequenter non credant explicitè. Idem solet euenire cum mutis, & surdis à natiuitate. Ab iis verò mysteria Trinitatis, & Incarnationis vero conceptu apprehendi, & credi, vix credibile est, nisi ad miracula confugiendum sit; vnde Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 6. q. 6. ait.* Si quis ob ingenij hebetudinem Trinitatis articulum nequeat percipere, satis esse si credat explicitè alios clariores, nimirum Christum filium Dei natum ex Virgine, passum, cruci affixum, &c. Hofius in *confess. fidei, cap. 2.* sic asserit distinctionem personarum, & vnitatem substantiæ si qui sunt rudiores quamuis comprehendere possint, non est aded necessarium ad salutem omnibus explicitè credere, vt si quis minus hæc fuerit assequutus, de eius salutè dubitandum sit. Ita ille.

Notandum est tamen cum Tannero *vbi supra, num. 49.* stando etiam in prima opinione, & tenendo fidem explicitam nunc post promulgationem Euangelij esse necessariam necessitate mediij, quòd si aliqui sunt aded rudi intellectu, vt ea mysteria sub propria aliqua notione concipere nullo modo possint, tunc supradicti rudes, quoad hanc rem cum infantibus, ac fatuis comparandi erunt. Neque enim credibile est, Deum à quoquam exigere maiorem cognitionem, quàm per vim intellectus ipse consequi possit. Ita ille, vnde apparet, quàm bonus Deus iis qui recto sunt corde. Et ex his Confessarij à multis scrupulis immunes erunt, & multas conscientias afflictas sedabunt. Vide etiam Sanchez in *summa tom. 1. lib. 2. cap. n. 18. & 23.* vbi docet, quomodo dicantur rudes explicitè credere, etiam si substantiam articulorum percipere nequeant, & pro consolatione rudium Syluius in 2.2. *qu. 2. a. 8. concl. 8.* sic asserit. Si quis aded sit hebes, vt huiusmodi mysteria retinere non possit, excusabitur à præcepto, & si credat, quomodo potest ea, quæ diximus necessaria necessitate mediij, saluus esse poterit.

An si quis consilio suo confirmauit furem, vel hortatu suo causa fuit, vt citius furaretur, teneatur ad restitutionem?

R E S O L. XLVII.

Affirmatiuè respondent Nauarra *lib. 3. cap. 4. num. 15.* 35. & 67; Molina *tom. 2. disp. 736. num. 5.* Vasquez

opusc. de restit. cap. 9. §. 1. in fine, & dub. 2. num. 23. Malderus in 2.2. *tract. 4. aub. 2.* Villalobos in *sum. tom. 2. tract. 11. diff. 8.* Caietanus in 2.2. *qu. 62. art. 7.* Medina *C. de restit. quest. 7. & 8.* Sotus *lib. 4. q. 7. art. 3.* & alij.

Sed mihi contraria sententia probabilis videtur, sicut visa est Lessio *lib. 2. ca. 13. dub. 2. n. 8.* & Layman in *Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 5. num. 5.* Et ratio est, quia in tali casu non fuit causa substantiæ damni, sed modi, vel circumstantiæ, cum qua mandatur exequutioni, v. g. vt quòd fiat hoc tempore, hoc loco, hoc instrumento, hoc modo, vel cum hoc incremento. Ergo non tenetur substantiam damni restituere. Dicendum est igitur, quòd si aliquis iniustum damnum alteri inferre decreuerat, & tu magis consilio, vel hortatu etiam confirmasti, ad damni restitutionem non teneris; etiam si hortatu tuo causa fueris, vt citius, aut expeditius damnum inferretur: at si hortatu tuo causa fuisti, vt maius damnum inferretur, quàm alioquin illatum fuisset, teneris tantum de excessu, quidquid asserant Molina *dicta disp. 736. nu. 2.* & alij. Et à fortiori contra Vasquez *opusc. de rest. cap. 9. §. 1. dub. 2.* si furi furandi gratia ascendenti scalam teneas, quam etsi nemo teneret, tamen ascenderet; & si asportando rem furtiuam, adiuues aliquem, quam sine tuo subsidio auferret tamen, & furaretur; non teneris ad restitutionem. Hæc omnia Layman, & alij multum ad praxim conducentia, ex quibus multos scrupulos, & onera restitutionum prudens Confessarius tollet; vnde etiam Henricus *lib. 14. c. 7. num. 12.*

An fideles ordinarij teneantur explicitè scire, & credere mysterium Circumcisionis Christi, aduentus Magorum, missionis Spiritus sancti, communionis Sanctorum, & omnia Ecclesie Sacramenta?

R E S O L. XLVIII.

Per se loquendo mysteria Circumcisionis, aduentus Magorum, & missionis Spiritus sancti non esse explicitè credenda docent Tannerus in 2.2. *disp. 1. quest. 7. dub. 3. num. 68.* Suarez *tract. de fide disp. 13. sect. 4. num. 3.* & alij, quidquid in contrarium asserant Lorca in 2.2. *qu. 2. art. 8. disp. 33. membr. 1. n. 10.* & Syluius in 2.2. *quest. 2. art. 8. concl. 8.* cum aliis. Et ideo ignorantes supradicta mysteria non peccare mortaliter docet Coninch in 2.2. *disp. 14. dub. 10. num. 190.*

Quoad Sanctorum communionem, quia huius rei cognitio non videtur ita necessaria scitu, & videtur habere maiorem subtilitatem, cum etiam docti disputent in quibus rebus hæc communio consistat, negatiuè respondet Villalobos in *summa, tom. 2. tract. 1. diff. 4. n. 3.* & Coninch in 2.2. *disp. 14. dub. 10. n. 189.* licet affirmatiuam sententiam doceat Turrianus in 2.2. *to. 1. disp. 28. dub. 1.* & Tannerus etiam in 2.2. *disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 70.*

Quoad Sacramenta respondeo omnes explicitè scire decere substantiam, & rationem Sacramentorum non omnium, sed Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ; in cæteris verò idem opus erit, si quando ea suscipere quis voluerit. Ita Villalobos in 2.2. *tr. 1. diff. 4. n. 4.* Tannerus in 2.2. *disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 72.* Suarez *de fide, disp. 13. sect. 4. n. 12.* Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 2. c. 3. n. 9.* Malderus in 2.2. *q. 2. ar. 7. dub. 2. n. 51.* & alij contra Lorcam in 2.2. *q. 2. ar. 8. disp. 23. membr. 1. n. 19.*

Notandum est etiam cum Suarez *tract. de fide, disp. 13. sect. 4. num. 9.* esse probabilem opinionem multorum, asserentium non obligari fideles explicitè scire, & credere Matrem Dei Virginem post partum, ac perpetuò mansisse, licet contrarium probabilius sit; aduertit etiam Suarez *num. 6.* contra Bannez, quòd non tenentur fideles explicitè credere creationem mundi fuisse in tempore, & non ab aeterno.

Et tandem nota contra Syluium *in 2.2. q.2. a.8. concl.8.* Ioan. de la Cruz *in direct. part.1. a.1. dub.1. concl.2.* Palatium *in 4. dist. 15. disp.9.* Nider. *in summa, prac. 1. c.3.* & alios, non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, ad ultos Symboli Apostolici formam, sub verbis præceptis memoria non tenentes. Idem dicendum est de Decalogo, de oratione Dominica; dummodo eorum substantiam sciunt, & intelligant, & à fortiori de Ave Maria Ita Layman *in Theol. mor. lib.2. tract.1. c.9. n.4.* Suarez *sect.5. n.8.* Tannerus *n.67.* Coninch *n.194.* & alij DD. *vbi supra.* Et sic etiam non esse peccatum mortale, sed veniale nescire se signare signo Crucis, docet Sanchez *in sum. tom.1. lib.2. c.3. n.14.* licet contrarium doceat Angelus, Tabiena, Syluester, Armilla, quos citat, & sequi videtur Villalobos *in summa, tom.2. tract.1. diff.4. n.12.* sed non obstante, quòd supradicta sint probabilia, suadendi tamen sunt fideles, vt illa omnia explicitè sciunt, & memoria retineant.

Olim per epistolam quæ fuerunt à me, an in terris Turcarum si quis vtatur pileo Turcico cum tobalia alba, vbi securus pertransseat, peccet mortaliter?

RESOL. XLIX.

Affirmatiuam sententiam docent Caietanus *in 2.2. q.3. art.2.* D. Antoninus *part.2. tit.12. c.6. sub fine,* Syluester *ver. Apostasia, q.1. n.4.* Angelus *ver. infidelitas, num.9.* Nauarrus *in man. cap.11. n.27.* Philarchus *de offic. Sacer. tom.1. par.2. lib.3. c.9.* Toletus *lib.4. cap.2.* Valentia *tom.3. disp.9.3. punct.2.* & nouissimè Becanus *in 2.2. c.9. q.5. dub.6. n.35.* quia nunquam licitum est falsam sectam simulare; sed in tali casu Christianus simulat se Turcam esse. Ergo peccat mortaliter. Sed contraria sententia mihi videtur probabilior cum Sà *ver. fides. n.5.* Dico igitur id esse licitum ob periculum mortis, aut iustam ab hoste victoriam reportandam, vel ob aliam causam satis grauem, & necessariam. Et ratio est, quia huiusmodi vestes per se, & directè non sunt signa potestatiuæ falsæ Religionis, sed sunt res secundum se indifferentes: ergo, &c. Et ex his inferitur, posse aliquem Romæ gestare pileum cum signo flauo, more Iudæorum, vt dum ad necem quæritur, incognitus effugiat.

Et nouissimè hanc sententiam præter Doctores citatos docent Tannerus *in 2.2. disp.1. q.7. dub.5. n.110.* Bannez *in 2.2. q.3. art.2. dub.2.* Sanchez, & Coninch *vbi infra,* Layman *in Theol. mor. lib.2. tr.1. c.11. n.3.* Villalobos *in summa, tom.2. tract.1. diff.5. n.10.* Suarez *de fide, disp.14. sect.5. n.7.* & alij.

Ad argumentum contrarium respondetur, supradictas vestes non continere mendacium, nec falsam significationem, ac proinde, nec fidei negationem, sed occultationem tantum cum materiali simulatione. Et confirmatur, quia etiam in verbis, si habeant plura significata, licitum est vti verbo ambiguo in significatione, quæ ad occultandum secretum deseruit, etiam si ab audiente in alio sensu sint verba accipienda. Ergo in nostro casu licitus est vsus talium vestium in necessitate, sunt enim quasi ambigua, & æquiuoca signa, quæ possunt, vel ob solum vsum primarium, vel propter significationem sumi. Est igitur in potestate vtentis, vnum ab alio separare, et si aliquis fortasse decipiendus sit.

Sed plus addunt Sanchez *in summa, tom.1. lib.2. c.4. n.20.* & alij, ob grauem necessitatem, licere etiam in terris infidelium vti per materialem simulationem ad se occultandum vestibus per se primò deputatis ad superstitionis cultum alicuius falsæ sectæ, quæ non habent communem, & corporalem vsum, sed sacrum, vel quasi sacrum in tali secta; & ratio quia supradictæ vestes etiam in tali casu semper retinent aptitudinem, quam de se habent ad communem vsum tegendi, ac defendendi corpus. Ergo licitum est homini vti quacunque veste propter hunc vsum quasi intrinsecum, & naturalem, contempta

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

quacunque alia hominum institutione, & permittendo aliorum deceptionem; etiam si inde sequatur scandalum. Hæc opinio est probabilis, sed longè probabilior est contraria, quam tuentur Suarez *tract. de fide disp.4. sect.5. n.12.* & alij.

Notandum est etiam hinc obiter; primò aliquos etiam asserere licere falsam religionem, vtendo aliquibus ipsius cæremoniis; quibus illam cultu sibi proprio vtitur, non quatenus sunt cæremoniæ illius religionis, sed ob alium finem, & iustam causam. Ita Medina *in part.2. q.103. art.4.* & hanc sententiam nouissimè docet etiam Lorca *in 2.2. quest.6. disp.2. n.7.* vbi *num.9.* addit hoc verum esse, etiam si hæc ita fierent, vt videntes credant non illas cæremonias formaliter vsurpari, quatenus sunt cæremoniæ illius religionis, quia hæc est simulatio, aut potius dissimulatio, addit tamen idem Lorca huic sententiæ triplicem limitationem. Primò, vt actiones tales sint, vt ratio cultus ab iis separari possit; idèoque damnat adorationem externam Idolo factam cum iis circumstantiis, quibus nata est significare eiusdem internam adorationem. Secundò vt absit scandalum. Tertiò, vt illo vsu non obscuretur confessio fidei, quando hæc obligat, nec ex circumstantiis censeretur fides negari. Hæc omnia Lorca sed an probabiliter, iudicent viri docti, nam illum impugnat nouissimè Coninch *tract. de fide, disp.15. dub.3. num.28.*

Notandum est secundò contra Azorium *tom.1. lib.8. c.27. p.6.* & alios, licere vexilla signis consuetis Turcarum insignita in classe, vel exercitu erigere, etiam si esset signum Martis, Palladis, aut Iouis, Lunæ, Solis, & etiam Mahometis. Et ita docent Tannerus *in 2.2. disp.1. q.7. dub.5. n.117.* Layman. *in Theol. mor. lib.2. tract.5. cap.11. n.4.* & alij.

Notandum est tertiò contra Caietanum *in 2.2. q.3. a.2.* non semper præceptum de consistenda fide obligare ad respondendum infideli interroganti, an aliquis sit Christianus; sed regulariter tantum id verum est, quando alioqui dissimulatio fidei cederet in fidei iniuriam, aut nocuum proximo. Et ita docet Bannez etiam *in 2.2. q.3. art.2.* quem nouissimè sequitur Tannerus *ibidem disp.1. q.7. dub.5. n.120.* Coninch *tr. de fide, disp.15. dub.5. n.109.* Lorca *in 2.2. disp.24. n.21. & 22.* cum aliis.

Aduerte tamen cum Filliucio *tom.2. tract.22. c.3. n.65.* posse in tali casu aliquem eludere aliqua ratione interrogantem, non autem negare se esse Christianum.

Explicantur aliqui casus, an quis teneatur propter extremam necessitatem spirituales proximi exponere propriam vitam?

RESOL. L.

Primò quæritur, an Sacerdos teneatur audire, & absolvere cum discrimine vitæ propriæ illum, qui in articulo mortis timet non habere sufficientem contritionem, & ideo petit Confessarium ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Affirmatiuè respondent Valentia *tom.3. disp.3. q.4. punct.4. post. 5. assert.* Lorca *in 2.2. sect.3. disp.28. n.32.* Suarez *tract. de fide, disp.9. sect.7. n.3.* Syluius *in 2.2. q.26. art.5.* cum aliis, quia etsi talis per contritionem saluari possit, hæc tamen ei est difficilis, & ipse meritò timet, an sit contritus.

Sed hoc aliis (ait Coninch *tract. de fide, disp.25. dub.7. n.89.*) videtur difficile: vnde meritò (ait ille) Nauarr. *c.24. n.9.* hunc casum limitat ad existentem in peccato mortali, qui omnino ignorat sibi necessariam esse contritionem extra susceptionem Sacramenti, aut omnino ignorat quid sit contritio, & quomodo eam possit in se excitare, atque ita non cogit se ad eam habendam. Non est igitur absolute dicendum moriturum existentem in peccato mortali qui creditur, non esse contritus, esse in extrema necessitate; secus autem in casu Nauarri, vt supra.

Q

Sed

Sed ponam hęc pulchrum dubium. Obstetrix quędam fatetur plures infantes inualidę baptizasse, quibus postea a Parocho sine alio baptizate caremonia tantum adhibita fuerunt; personę autem istę non verę baptizata, etiam si adhuc viuant, sunt tamen per varias ciuitates, vel regiones dispersę, vt consideratis omnibus nullus modus excogitari possit, quo illis defectus baptismatis significetur, nisi mulier se prodat Magistratui, & vltimum supplicium subeat; difficultas est an hoc efficere teneatur, & quid confessarius facere debeat. Ad hanc quęstionem ita respondet Layman *in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 3. n. 3.* licet casum istum speculatiue considerando, probabilissimum videatur, quod hęc mulier teneatur se ipsam magistratui prodere; quia salus corporis ex lege charitatis postponenda est salutı animę, pręsertim non vnus, sed plurium personarum. Imo hęc obligatio ex iustitia esse videtur, quandoquidem ipsamet mulier homines illos innocentes in salutis suę discrimen per summam iniuriam coniecit. Tamen hic ipse discursus fortasse non tam certus est, vt a nemine in dubium reuocari possit, cum homines illi per contritionem saluari possint. Sed quidquid sit de hac responsione, saltem mulier, cui ponimus obligationem hanc se ipsam prodendi, & ad mortem offerendi, non agnoscit; edocere autem illam probabiliter ignorantem in re non omnino euidenti, consultum non est, si Confessarius arbitretur se non persuasurum, sed magis obfuturum, vt dicam *lib. 5. tr. 6. c. 13. n. 5.* Imo si Confessarius id mulieri explicauerit, & ab isto tam heroico facto plenę abhorrentem conspiciat, non illam vrgendam multum arbitror, dicendo, v. g. aliter salutem fieri non posse, ne omnino in desperatorem agatur: sed contentus esse debet, si mulier in posterum a peccatis, & sacrilegiis eiusmodi abstinere firmiter proponat. Ita Layman *ubi supra.*

Reprobantur etiam aliqui casus, in quibus homo non tenetur exponere propriam vitam pro salute spiritali proximi.

RESOL. LI.

Gregorius de Valentia eximius Theologus Soc. Iesu *om. 2. disp. 3. q. 4. punct. 6. post 5. assert.* ponit aliquos casus, in quibus putat quemlibet teneri exponere vitam propriam pro salute spiritali alterius. Primus casus est, si aliqui, v. g. seducantur ab heretico concionatore, ita vt illi vincibiliter ignorent veritatem, atque aded sint in peccato mortali, nec facillę pateat aliis aditus ad eos rectę informandos. Tunc si ij indocti aliqui sint, qui non videantur per se posse diiudicare veritatem, omnino censeri debent esse constituti in extrema necessitate spiritali. Quare si quis efficaciter possit subuenire illis, etiam cum discrimine proprię vitę, id tenebitur facere ex charitate. Secundus casus est, si quis exerceat aliquem iniustū contractum, quem vincibiliter ignoret esse iniustum, nec sit ita intelligens, vt videatur per se cogniturus iniquitatem contractus, nec adsit alius qui eum doceat; vt si omnes in aliquo loco probent talem contractum, &c. tunc censeri potest talis esse in extrema necessitate spiritali, quandoquidem est in peccato mortali propter vincibilem ignorantiam, vt suppono, nec potest ipse, moraliter loquendo, sibi consulere. Tertius casus est, si quispiam velit filiam prostituere, & tales sint circumstantię, vt, moraliter loquendo, videatur filia peritura spiritaliter, si prostituatur; nunc enim laborare extrema necessitate in spiritalibus censeri potest eiusmodi filia; itaque tenetur ei subuenire, qui potest etiam cum detrimento vitę proprię. Hęc omnia Valentia *ubi supra.*

Sed omnino in his casibus contrariam sententiam tenendam esse existimo cum Lorca *in 2. 2. sect. 3. disp. 28. membr. n. 34.* & Coninch. *tract. de fide. disp. 5. dub. 7. n. 92. vsque ad n. 95.* & quoad primum, & secundum ca-

sum, dico quod illę personę, vel laborant ignorantia vincibili, & sic non sunt in extrema necessitate, quia possunt se iuuare; vel laborant ignorantia inuincibili, & tunc in errore existentes non peccant. Ex alio autem capite quis in primo casu ad hoc teneretur, quod exponit Coninch *ubi supra, num. 91. & 92.*

Quoad tertium casum, illa filia etsi initio secundum quid in vita peccet, tamen absolute voluntarię id facit, vnde in hoc casu extrema necessitas non interuenit; non enim est talis femina in periculo inuitabilis prostitutionis, cum voluntarię resistere possit, sicut ait Lorca *ubi supra*, si adultera me admonente desistet ab adulterio, non teneor admonere, si ab adultero occidendus sum; nam in tali casu adultera non indiget extremę.

Notandum est tamen hic obiter, quod aliqui quærunt, an infans non baptizatus iam sit moriturus, teneatur quicumque potest, mortem subire si ab aliquo impediatur, vt illum baptizet. Negatiuę respondet Sotus *de regendo secreto, membr. 2. q. 2. post. 6. concl.* quia necessitas illa parua ab extrinseco inducta est. Et hanc sententiam probabilem putat Emanuel Sa correctus a magistro Sacri Palatii, *ver. charitas, membr. 6.* vbi sic asserit. Infantem alioqui sine Baptismo moriturum teneris cum tuę vitę periculo baptizare, secundum quosdam, quod alij probabiliter negant, nec enim cum tanto damno debetur ei tale officium, alioquin & mater grauida teneretur permittere se secari, vt fœtus baptizaretur, si alijs sine Baptismo moriturus esset, quod nemo docet. Ita Sa.

Sed contrariam opinionem docent Syluius *in 2. 2. q. 26. art. 5.* Suarez *de fide. disp. 9. sect. 2. n. 3.* Lorca *in 2. 2. disp. 28. membr. 2. n. 32.* qui citat Azorium, Syluestrum, & Maiorem, idem etiam docent Tannerus *in 2. 2. disp. 2. q. 3. dub. 4. n. 6.* Coninch *tract. de fide, disp. 25. dub. 7. n. 88.* & alij: non enim refert, vt assererat Sotus, quod necessitas induitur ab extrinseco, si verõ extrema sit, vt est in nostro casu; imò quantum plus est ab extrinseco, & violenter proueniens ab aliena malitia, tanto est maior necessitas.

An si reus iuridicę interrogatus neget delictum, ex cuius commissione pœnam pecuniariam teneretur soluere, sit restitutioni obnoxius?

RESOL. LII.

Affirmatiuę respondet Molina *de iust. tem. 1. tract. 2. disp. 9. prope finem.* Sotus *de iust. lib. 1. q. 1. art. 6.* Caltus *de lege pœnali. lib. 2. c. 12. §. ex his,* & alij: nam etsi iudex ante latam sententiam ius non habet exigendi pœnam pecuniariam a reo, habet tamen ius ad inquirendum de delicto ad dictam pœnam inferendam. Ergo si reus neget, iniuste impedit iudicem a dicta pœna consequenda, ac proinde restituere tenetur. Et hanc sententiam docent etiam nouissimę Layman *in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 1. cap. 7. num. 4.* & alij in casu, quo pœna illa sit ipso facto imposta a lege propter criminis admissionem, secus autem si pœna sit iudicis arbitrato crimini imponenda.

Sed absolute, & sine vlla distinctione mihi contraria sententia probabilior videtur, quam tenent Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 76.* Nauarr. *c. 18. n. 49.* Azor. *to. 1. lib. 5. c. 8. q. 5.* Valq. *in p. 2. disp. 175. c. 12.* Lessius *lib. 2. c. 3. dub. 8.* Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 2. c. 22. n. 22.* & alij. Et ratio est, quia reus in tali casu lædit iustitiam publicam, & vindicatiuam, non autem iustitiam commutatiuam, ex qua oritur obligatio restitutionis. Ergo non tenetur restituere. Hinc inferitur contra Layman *ubi supra.* vxorem adulteri ij accusatam, & falsis testibus se tuentem, aut opponendo, licet falsõ, simile adulterium viro, minimę teneri dotem, ac alia bona suo viro restituere, quę ille alioquin propter mulieris adulterium lucrari deberet, sed tenetur tantum restituere litis expensas, & famam iniuste ablatam, & ita tenet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 10. disp. 8. n. 14.*

Notam

Notandum est etiam hic obiter contra Syluestrum, Salonium, Carbonem. Vasquez, Layman in *Theolog. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 2. c. 5. n. 7.* & alios, iudicem iniuste reum non damnantem, non teneri ad restitutionem pœnæ pecuniariæ fisco, vel parti laesæ soluendæ. Ita probabiliter Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 81. & alij cum Azorio tom. 1. lib. 5. cap. 8. q. 5. ad 4. & Lessio lib. 2. c. 13. dub. 10. num. 73. vbi sic asserit. Neque procurator fiscalis non accusans, neque iudex non condemnans tenetur ad pœnæ compensationem.

An qui precibus, vel suasionem abducit collatorem Ecclesiastici beneficii iam determinatum ad conferendum Titio, vt sibi, vel alteri minus digno conferatur, teneatur ad restitutionem,

RESOL. LIII.

Affirmatiuè respondent Paludanus in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. Syluester ver. restitutio 3. q. 12. Caietanus in 2. 2. q. 62. art. 2. & Bannez dub. 12. conclus. 7. Nauarra de restit. lib. 3. c. 5. num. 10. Gasias de benef. tom. 2. part. 7. c. 16. n. 30. Ioan. de la Cruz in direct. par. 1. pr. 2. a. 2. dub. 8. concl. 3. & communiter Thomistæ cum Villalobos in sim. tom. 2. tr. 2. diff. 44. num. 9. vbi sic asserit. [El que haze que el beneficio, ò cathedra se de al digno dexando al mas digno, aunque lo haga con solo ruegos sin fuerça, esta obligado à restituir al mas digno. El fundamento es porque fuera de quebrar la justicia distributiva hizo daño al mas digno contra justicia commutativa, en cosa que estaua ya à cerca de tenerla; de manera que si el distribuydor estaua determinado firmamente de dar el beneficio, ò cathedra al mas digno, que si no fuera por la persuasion à restituir le todo ò casi todo, y sino estaua tan cerca como esso estara obligado à restituir conforme à la propinquidad el otro tenia.] Ita Villalobos, qui etiam citat Aragonium, & Couarruiam.

Sed ego contrariam sententiam probabilem etiam esse puto; etiam si hoc quis malo animo, vel ex odio faciat. Et ita docent Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 18. n. 128. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 7. punct. 2. Nauarrus cap. 17. num. 72. Sà ver. restitutio, num. 22. Sotus de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. Turrianus, & Layman vbi infra, Syluester in 2. 2. q. 62. art. 4. conclus. 2. cum aliis. Et ratio est, quia Titius, v.g. non habet ius nisi in libera voluntate collatoris: ergo si relinquitur collatorem in sua libertate, non censetur hoc ius violare. Igitur cum, v.g. preces, munera, blanditiæ, &c. non repugnent libertati (non enim collator inuoluntariè censetur facere, quod ita inductus facit) nullo modo Titio iniuriam infers. Ergo, &c. Malus verò animus non obligat ad restitutionem, quia non est peccatum contra iustitiam, sed contra charitatem.

Ex his inferitur etiam contra Sotum in 4. dist. 15. q. 2. ad ult. arg. Richardum art. 4. q. 4. ad 7. Paludanum q. 2. art. 2. Syluestrum ver. restitutio 3. q. 12. & alios; si alicui res ex iustitia debiti non erat, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, aut fraude collatorem suasionem, aut precibus mouet, vt officium legatum, hæreditatem, &c. non conferat ei, cui animo destinaret, sed sibi, vel alteri, is contra iustitiam non peccat, & ideo ad nullam restitutionem tenetur, etiam si totum ex odio efficiat, ex ratione supra allata. Ita Layman in *Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 7. num. 1.* Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 16. dum. 1. num. 5. & 7. & DD. citati; hinc ego his diebus liberaui ab onere restitutionis quemdam, qui suaserat domino, qui liberum seruum in testamento relinquebat, vt illum liberum non relinqueret; nam in voluntate domini erat, dimittere aut non dimittere mancipium, ex qua doctrina multa dubia solui possunt.

An custodes portarum, syluarum, &c. teneantur restituere pœnam pecuniariam, impositam contra eos qui certas merces exportant, vel ligna, &c. si eos manifestent, sed dissimulent?

RESOL. LIV.

Affirmatiuam sententiam docent Ioan. Valerius in differentiis vtriusque fori, ver. restitutio, diff. 39. Rebellius lib. 2. q. 16. n. 1. Graffius p. 1. lib. 2. c. 127. n. 41. Nauarra de rest. lib. 3. c. 4. n. 142. Salonijs tom. 1. q. 62. a. 6. controu. 5. Molina tom. 3. disp. 139. n. 5. Medina de rest. q. 12. & 15. Villalobos in summ. tom. 2. tr. 11. diff. 9. n. 3. vbi sic asserit. [Todas estas guardas y ministros publicos, que han cegido al que haze el daño ò passa las mercaderias vedadas, y los dissimulan estan obligados à pagar la pena à la persona, que lo auia de auer, no en quanto es pena, si no por ser daño, que se haze contra justicia contra el arrendador, ò la persona que lo auia de auer.] Sic ille.

Sed contrariam sententiam ipsèmet Villalobos putat probabilem esse, & illam tenent absolutè Lessius lib. 2. c. 13. dub. 10. n. 73. Nauarrus c. 25. n. 34. Syluester ver. restitut. 3. q. 5. §. 7. Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 83. & alij. Et ratio est, quia pœna non debetur ante sententiam; vel meliùs, quia custodes huiusmodi non tenentur ex iustitia accusare, vt dominus, vel respublica dicitur multis, sed solum vt damna impediatur, & vectigalia soluantur: ergo, &c. Et eadem ratione putat Tannerus publicos aestimatores rerum venalium, non teneri pecuniariam illam multam soluere, quam soluisent denunciati rei, etiam si eos deferre negligant.

Notandum est etiam hic obiter, quòd Lessius vbi supra, n. 68. Nauarra lib. 4. c. 4. n. 132. & alij notant; quòd si fur tibi aliquid det, ne impedias ipsius furtum, clamando, vel manifestando, teneberis, ad restitutionem. Sed contrarium docet Sotus libr. 4. q. 7. art. 3. & Nauarrus cap. 17. num. 21. & alij, dum hoc facere non teneris ex officio. Hinc notat Layman in *Theol. mor. lib. 4. sect. 5. tract. 2. cap. 5. n. 7.* Nauarrus cap. 24. n. 7. Lessius vbi supra, n. 74. & alij, quòd si aliquis ex domesticis furaretur res ex domo, non tenentur ad restitutionem alij famuli, qui hoc vident, sed ille tantùm cui cura domus, Sotus lib. 4. q. 7. art. 3. Nauarra lib. 3. cap. 1. n. 224. & alij, nisi fures extranei domum ingrediantur ad furandum, nam tunc ex iustitia ratione famulatus censentur obligari ad res domini ab iniuria externorum tuendas: & ex eodem principio docent Molina, & Syluester, quos citat, & sequitur Lessius lib. 2. c. 30. dub. 8. n. 59. quibus ego addo Tannerum in 2. 2. D. Thoma, disp. 4. q. 6. dub. 2. n. 79. testem quantumuis citatum præcisè ob denegatam testificationem, non teneri de tali damno partis, quia non ita certò constat talem ex officio, siue ex iustitia erga alteram partem astrictum teneri ad bonum eius procurandum vel eiusmodi damnum eius impediendum.

An acceptum pro eo quod ex charitate solum, aut alterius virtutis obligatione erat debitum, quis teneatur restituere?

RESOL. LV.

Affirmatiuè respondet Medina de restit. q. 27. Nauarrus cap. 17. nu. 33. Salonijs in 2. 2. q. 62. art. 5. contr. 3. Couarruias in reg. peccatum, pari. 2. §. 2. Carbo de rest. q. 5. & alij: vnde ex mente dictorum, si alicui detur aliquid ne fornicetur, ne blasphemet, &c. esset restituendum.

Sed contrariam sententiam puto probabiliorem, quam tumentur Sotus de iust. lib. 4. quest. 7. art. 2. Valentia in 2. 2. quest. 6. punct. 5. & Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 9. n. 71. qui num. 69. excipit ea, quæ nullam habent difficultatem, vt odium deponere.

Sed nec istud, vt obseruat Tannerus in 2. 2. disp. 4. quest. 6.

quest. 6. dub. 10. num. 291. caret difficultate, & voluntatis mortificatione. Ergo ita faciens, & aliquid accipiens non teneretur ad restitutionem. Notandum est tamen, stante iure naturali, quod si fortè circa litem aliquam ea est varietas sententiarum, vt iudici liberum sit, vtramlibet partem in iudicando sequi, esse contra iustitiam si iudex aliquid ab vna parte accipiat vt in eius potius fauorem iudicet, vnde in tali casu iudex tenetur ad restitutionem. Ita Tannerus *vbi supra*, num. 290.

Licet contrariam sententiam stando in solo iure natura doceat Lessius in editione Parisiensi apud Bolinum Theodoricum anno 1618. loco citato, num. 64. quia non tenetur ad alteram determinatè, sed liberum ei est, sequi quam maluerit: ergo si aliquid accipiat, vt hanc sequatur potius, quàm illam, non facit vlli iniuriam. Consequentia patet, quia cum res non est debita, non est contra iustitiam (si solum ius naturæ spectemus) exigere pro ea re pretium, si alioquin pretio sit æstimabilis. Deinde in tali casu non accipitur pretium pro iustitia sententiæ: sed quia in hac causa hæc opinio præfertur isti, ad quod nullo modo iudex tenebatur. Cæteras rationes vide apud Lessium, quæ omnia procedunt secluso iure positiuo, quod tamen id fieri prohibet, vt ipsemet Lessius loco ultimo citato, docet.

An aduocatus possit esse iudex in causa, cuius patronus fuit, & an heres non conficiens inuentarium teneatur soluere ultra vires hereditatis?

RESOL. LVI.

Negatiuè videtur respondendum propter affectionem, & præsumptionem, quæ est contra eum, iuxta *l. prater, ff. de iuris d. omnium ind.*

Sed quia dicta lex fundatur in præsumptione, puto procedere in foro exteriori, & in foro conscientiæ, si aliàs cessat omnis inordinatus affectus, dictum iudicem non peccare existimo, etiam altera parte inscia, dummodo sententiam proferat secundum leges, nullo habito respectu ad affectionem carnalem. Et ita docet Corduba in summ. quest. 259.

Et eadem ratione assero, quod hæres non conficiens inuentarium tenetur in foro exteriori ultra vires hereditarias, iuxta *cap. Rainaldum, de test. & l. fin. C. de liber. Secus autem in foro conscientiæ, nam non tenetur, nisi quatenus vires hereditariæ se extendunt, etenim, vt bene docet Abbas in c. quia plerique. n. 41. de immun. Ecclesiar.* prædictæ leges fundantur in præsumptione, quod scilicet hæres fraudauit bona, de quibus non confecit inuentariū. Ergo si contrarium constaret, non habent locum prædictæ leges. Quæ omnia vera esse puto contra Couarruiam, & alios non solum quoad solutionem legatorum, sed etiam quoad creditores hereditarios. Nec valet quod cum supradictis creditoribus hæres non conficiens inuentarium si adit hereditatem, quasi contrahit, iuxta *l. apud Iulianum, §. fin. ff. ad Trebell.* nam Respondetur, quod dicta lex intelligenda est quo ad forum exterius, non autem in foro conscientiæ, in quo nos loquimur. Et ita nostram sententiam docent Ioan. Valerus in *diff. vtriusque fori, ver. hereditas, diff. 2. n. 3.* & Ægidius in *l. 1. C. de sacros. Eccles. part. 5. §. 1. n. 6.* Vide etiam Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 30. diff. 24. n. 1. & 2.* & alios.

An legatum sub conditione, v. g. si non nupserit, vel si religionem non ingrediatur, sit validum in foro conscientiæ?

RESOL. LVII.

Dixi in foro conscientiæ, nam in foro exteriori dictas condiciones haberi pro non appositis habetur in *l. reprehendenda. C. de instit. & substit. & in l. quidam ff. de condit. instit. & in l. turpia de legat. 1. cum aliis citat.*

in gloss. penult. in c. final. post textum ibi, de condit. appof. vnde in foro exteriori dicta legata erunt valida, etiam si legatarius condiciones non adimpleat. Hoc supposito.

Aliqui asserunt in foro conscientiæ dicta legata non valere, quando constat voluntatem testatoris fuisse, vt conditio adimpleatur, & non aliter noluisse supradicta legata facere; vnde in conscientia non potest capere legatum legatarius, si non nubat, vel ingrediatur religionem contra voluntatem testatoris, vel donantis. Et ita docent Rebellius de *oblig. iust. part. 2. lib. 18. q. 26. n. 3. & 4.* Medina *Cod. de rest. q. 24.* Gutierrez *canon. lib. 2. c. 25. n. 13.* Caietanus, Nauarrus, & Angles, quos citat, & sequitur Lopez in *instr. consc. part. 2. c. 18. post principium in 1. & 2. concl.*

Sed contrariam sententiam putat veriolem Ioannes Valerus in *differentiis vtriusque fori, ver. Legatum, differ. 4. num. 1.* videlicet tam in foro interiori, quàm etiam exteriori, posse à legatario tuta conscientia capi prædictum legatum, etiam si deficient dictæ condiciones. Et ratio est, quia cum talis conditio à iure meritò reprobetur, & pro non scripta habeatur, non video cur in conscientia securus esse non possit, licet de contraria voluntate testatoris appareat, quia regulanda est eius voluntas secundum ius; nec potest facere, vt leges iustæ in suo testamento non valeant. Et voluntas testatoris non semper pro lege seruanda est, nisi quando est secundum, vel præter legem, non tamen quando talis voluntas à lege reprobatur, vt est in casu nostro. Cæteras rationes videbis apud Valerum *vbi supra.* Et hanc sententiam probabilem putat etiam Rebellius loco citato, & illam ante Valerum absolutè docuit Sanchez de *mar. tom. 1. lib. 1. disp. 33. n. 2.* cum aliis penes ipsum. Et licet aliqui limitent hanc sententiam in conditione apposita, nempe si religionem non ingrediatur, quando constat appositam fuisse, principaliter causa conferuandi familiam: sed tu in hoc casu etiam contrarium tene cum Valero *vbi supra in fine, & in verb. Hereditas, differ. 12. n. 3. & ver. testam. diff. 10. per totam.*

An legata incerta ratione incertitudinis persona in foro conscientia teneatur heres inter illos ea diuidere, si in id consentiant?

RESOL. LVIII.

Dixi in foro conscientia, nam legata incerta ratione incertitudinis persona, ex aliquo extrinseco accidente, quia, v. g. eiusdem nominis, & paris amicitia erga testatorem duo reperiuntur, non debentur in foro exteriori, vt in casu *l. in tempus, §. 1. ff. de hered. instit. l. si quis seruum, §. si inter duos, ff. de legat. 2.* quod adè verum est, vt etiam si alter eorum renunciaret alteri ius, nihilominus hæres non tenebitur ei legatum soluere; & idem dicendum est, si fortè inter se paciscantur, vt legatum inter eos diuidatur, quidquid in contrarium teneat Ægidius in *l. 1. in princ. n. 39. C. de sacros. Eccles. hoc supposito.*

Dicendum est in foro conscientia, quod hæres in tali casu tenetur illud legatum inter eos diuidere, si in id consentiant. Nam asserunt Sotus de *iust. lib. 4. q. 7. ar. 1. ad 3.* Caietanus in *2. 2. q. 62. tract. 5. ad 3.* cum aliis debitorem de debito quidem certum, incertum verò, vtrum Petri, vel Ioannis, teneri illis debiti quantitatem dispartiri. Et ita hanc sententiam in terminis docent Molina *disput. 197.* Ioannes Valerus in *differentiis vtriusque fori, ver. legatum, differ. 5. n. 2.* vide etiam Villalobos in *summ. tom. 2. tract. 30. diff. 29. n. 6.*

Notandum est tamen hic obiter, quod si testator legatum fecerit, v. g. Ecclesie D. Mariæ, vel alterius Sancti, & in eo loco plures sint Ecclesie eiusdem nominis, tunc in dubio cedit Parochiali, si tali nomine nuncupetur, alioquin cedit maiori, vel pauperiori: si omnes essent æquales, daretur Episcopo loci, vt distribuatur sicut ei videtur: si nulla verò Ecclesia sit talis nominis in illo loco cedit

cedit Ecclesie Cathedali. Vide Afflictum *decif. 244.* Mantivam *lib. 8. tit. 9. per totum*, & Tuscum *ver. legatum, conclus. 46.* cum aliis penes ipsos.

An hæres, seu testamentarius in foro conscientie habeat annum ad soluenda legata.

RESOL. LIX.

ALiquis affirmatiue potest respondere ex autoritate *Auth. hoc amplius, C. de fideicom. & gloss. in cap. si hæredes, de testam. & cap. nos quidem eod. tit. & vtroque Couarruias.*

Sed hæc omnia procedunt in foro exteriori, at in foro conscientie, in quo statim, & quam primum poterit, tenetur hæres soluere legata. Et ita docent Villalobos *in man. conf. c. 5. n. 16.* Carillo *in explic. Bullæ defunct. p. 2. c. 14. n. 16. & 17.* & Ioan. Valerus *in differ. vtriusque fori, ver. legatum, diff. 1. n. 2.* qui n. 3. addit vnum singulare, videlicet quod si hæres fuerit negligens per annum, à die monitionis factæ per Episcopum circa soluenda legata, & alia ordinata per testatorem, poterit priuari hæreditate, si est hæres extraneus, & etiam filius, salua ei legitima, per *dictam Auth. hoc amplius*, & transit ad substitutos, vel alios per ordinem, quod vtinam in praxi vbique seruetur. ita Valerus, vide etiam Syluestrum *ver. testam. 2. q. 6.* & Nauarrum *lib. 3. c. 4. n. 166.*

An in legatis soluendis sit seruandus aliquis ordo vt in debitis?

RESOL. LX.

AD hanc dubitationem sic respondet Ioan. Valerus *in differ. vtriusque fori, ver. legat. differ. 2. n. 2.* Vidi dubitari an in legatis soluendis sit seruandus ordo prioritatis, & dignitatis, vt prius soluantur legata magis pia, deinde alia minus pia, tertio loco prophana, & non pia, & an teneretur in conscientia qui prædictum ordinem non seruauerit, quando hæreditas non est ita sufficiens, & ampla, vt possit omnibus satisfieri. Et dubium hoc contingit potissimum, vbi testator reliquit in testamento, vt in quibusdam redditibus paulatim legata per se relicta soluerentur. Et sanè si testator nihil circa hoc disposuit, idem dicendum de legatis, quod de creditoribus chirographariis, nempe non esse locum gratificationi, sed pro æquis portionibus esse soluenda, seu pro rata bona esse restituenda. Ita Valerus, & alij penes ipsum, quibus ego addo Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. c. 5. n. 40.* & Bonacinam *de contract. disp. 3. q. vlt. punct. vlt. n. 27.* vide etiam Comitolum *in respons. mor. lib. 7. q. 10. n. 4.*

An si quis cum teneatur ieiunare in pane, & aqua, non possit nisi sumendo parum vini, aut obsonij, sit astrictus tali ieiunio?

RESOL. LXI.

Affirmatiue respondet Sancius *in selectis, disp. 5. n. 13.* vbi ita ait. Si alicui sub pœnitentia esset indictum vno die in pane, & aqua ieiunare, neque taliter posset, non etiam teneretur ieiunare modo consueto Ecclesie, cum illud ieiunium, vt quid indiuiduum præcipiatur. Sed tamen si posset ieiunium conficere sumendo parum vini, aut modicum quid obsonij, ad ieiunium fore deuinctum arbitror, cum per talem sumptionem vini, & obsonij non dissoluatur ieiunium in pane, & aqua.

Sed si illud modicum obsonij, & vini reducat ad paruitatem materie, quam etiam in die ieiunij in comestione carnis concedimus, cum Tannero *in 2. 2. D. Th. disp. 3. q. 3. dub. 5. n. 93.* veram puto Sancij opinionem; sed si parum illud obsonij, aut vini superet materie paruitatem, puto contra Sancium, aliquem in tali casu non tene-ri ad sic ieiunandum; quia non esset ieiunium in pane,

Anton. Diana Resol. Mor. Pars III.

& aqua, ad quod tenetur, & cum non possit, ab illo excusatur, & ad nihil aliud tenetur.

Hinc etiam contra dictum Sancium, *num. 6.* puto, videntem recitare septem Psalmos pœnitentiales, non potentem integros recitare non teneri ad partem, eo quod materia indiuidua sit, & ita docet Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 19. n. 4.* Nec in casu teneretur, ita vouens, si sciret tantum vnum Psalmum ex septem pœnitentialibus, illum septem vicibus recitare, præsertim si Psalmus septies recitandus esset ex maioribus; quia ita vouens, vouit tantum septem psalmos pœnitentiales, & si illos non possit recitare, ad nihil aliud tenetur, quidquid in contrarium asserat Sancius *vbi supra*, imponens onus vbi non adest, sed tu tene nostram sententiam.

An blasphemie, & iuramenta falsa inaduertenter prolata, certa tamen ex praua consuetudine blasphemandi sint peccata mortalia?

RESOL. LXII.

Hic casus passim Confessariis in praxi solet occurrere; affirmatiuam sententiam docet Raphael de la Torre *in 2. 2. D. Thoma. q. 98. a. 3. disp. 3.* Tannerus *in 2. 2. D. Th. d. 1. q. 8. dub. 7. n. 141.* Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 3. q. 3.* Sayrus *in clau. Regia, lib. 5. a. 5. num. 10.* Ledesma *in sum. tom. 2. tr. 1. c. 5. dub. 4 & 5.* cum aliis penes ipsos. Et ratio est, quia talia iuramenta sunt voluntaria in causa propter prauam consuetudinem iurandi ex graui negligentia non correctam.

Sed si hæc opinio esset vera, magnum onus pœnitentes, & Confessarij haberent, cum talia iuramenta maxime frequentia sint; ideo contrariam sententiam in praxi amplectendam esse puto. Sed quamuis aliquis habeat prauam consuetudinem peccandi, si tamen hic; & nunc ex inaduertentia naturali, & indeliberate peccaret, non committeret nouum peccatum mortale. Ita docent Reginal. *in praxi, tom. 2. lib. 18. c. 6. sect. 3. n. 85.* Pitigianus *in 3. part. sentent. tom. 2. dist. 39. q. unica, a. 7.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 3. c. 5. n. 28.* & Suarez *de relig. tom. 1. tract. 3. lib. 2. de irrelig. c. 6. n. 2. & tom. 2. de iuramento lib. 3. c. 7. a. n. 3. vsque ad 8.* cum aliis penes ipsos, & nouissime Ioannes Sancius *in selectis, disp. 20. num. 5.* qui docet blasphemias, & iuramenta indeliberata orta ex praua conditione iurandi, nec in se ipsis esse peccata, nec in sua causa; sicut contumelia præuisa ab ebrio in ebrietate, nec in se, nec in sua causa peccatum contumelie est, utpote ex sui natura requirens, quod à ratione vtente proferatur: vide etiam Filliucium *tom. 2. tract. 25. c. 10. num. 316.* & hanc sententiam docet Layman *in Theol. moral. libr. 1. tract. 2. c. 3. num. 6. in fine*, post prauam consuetudinem retractatam: sic enim ait. Postquam vero pœnitens prauam consuetudinem efficaci proposito retractauit, tunc consequentia falsa iuramenta, & verba blasphemie eadem consuetudine quasi naturali, & necessario impetu prouenientia, non imputabuntur, ad peccatum, cum neque sint voluntaria in se, vt suppono, neque in sua causa, puta consuetudine, quippe quæ ab ipso per propositum retractata, non amplius voluntaria cense-ri debeant. Ita Layman.

Ex his deduxit Sancius *vbi supra, num. 7.* quod DD. asserentes negandam esse absolutionem habenti consuetudinem iurandi, intelligendi sunt de habente consuetudinem iurandi ex aduertentia: non autem quando proferuntur iuramenta inaduertenter, cum tunc, vt diximus, non sint peccata, quantumcumque ex pessima consuetudine nascantur. Et hæc omnia prouidus Confessor in mente habeat, nam per illa ex multis interrogationibus, & scrupulis immunis erit; faciant tamen Confessarij in tali casu accusare pœnitentem de negligentia in extirpanda praua consuetudine iurandi, & de reliquo aliud non curent.

An testes priuilegiati de iure teneantur reuelare crimen occultum sui coniuncti, si non adsint alij testes, propter excommunicationem latam in aliquo monitorio?

RESOL. LXIII.

Affirmatiuè respondeo cum Nauarro *in manuali*, *cap. 24 num. 49.* Felino *in cap. 1. de testib. cogen.* Capella Tholosana *decis. 4.* & ibi Auferrius *decis. 412.* Lazario *de monitoriis, sect. 3. q. 11. n. 18.* & alijs afferentibus priuilegiatos esse strictos ad reuelandum, si alij non adsint testes.

Non reticeam tamen contrarium docere Gabrielem Pereira *tract. de manu Regia. cap. 10. num. 36.* vbi sic asserit. Plures sunt casus, in quibus testes à reuelatione excusantur, vt quando ille testis esset de personis à iure priuilegiatis: qui crimen sui coniuncti reuelare non tenebitur propter naturale debitum, quo inter se coniunguntur: & sic exploditur sententia Nauarri, & aliorum, dum existimant, quòd hi non excusantur à reuelando, quando alij testes non adsunt, non aduertens quòd tales coniuncti nullo modo possunt testificari ex *lege Iulia, ff. de testibus, & cap. iniustus. 4. distinct. 4.* ne tollantur inter coniunctos pietatis officia, quæ innituntur rationi naturali, illorumque opinio admitti potest in alijs priuilegiatis, de quibus agit *lex, inuiti, ff. de testibus*, qui non ob naturale fœdus, sed alias rationes minus iuri naturali consonas priuilegiati existunt, veluti miles, senex, valetudinarius, de quibus *in l. inuiti 1. & 2.* agitur. Ita Pereira, sed an probabiliter, iudicent alij, cum sententia contraria sit communis.

An si in eo tempore, quo debet fieri prouisio per concursum, non adsint examinatores synodales, de quibus loquitur Concilium Tridentinum, Sess. 25. Cap. 18. possit Episcopus deputare alios absque Synodi celebratione?

RESOL. XLIV.

Affirmatiuam sententiam docent Homobonus *de exam. Eccles. part. 1. tract. 2. cap. 3. q. 30. in fine.* Riccius *in praxi, tom. 1. resol. 355. per totum,* & Barbosa *de potest. Episc. part. 3. alleg. 60. num. 50.* stantibus decisionibus Rotæ in vna placentina Parochialis 29. Nouembr. 1593. in alia Archipresbyteratus 6. Iunii 1582. & in vna Pampilon. Parochialis 23. Ianuarij 1591. Et ratio est; quia vbi forma à lege inducta non potest præcisè adimpleri, tunc illa remittitur: sed cum Concilium Tridentinum loquatur cum præsupposito, quòd examinatores synodales existant: ergò cessante hoc præsupposito, cessare debet eius dispositio.

His tamen non obstantibus, negatiuam sententiam docent nouissimè Antonius Massobrius *in praxi habendi concursum requis. 12. n. 6. à n. 4. vsque ad n. 10.* & Doctores Melchior Lotterius *de re beneficiaria, tom. 1. libr. 2. q. 31. n. 71. & seq.* vbi notat affirmatiuam sententiam, & decisiones Rotæ procedere, quando concurrerit casus mortis, vel absentia deputatorum in Synodo infra annum à die celebrationis eiusdem Synodi, vt fuit decisum per Sacram Cardinalium Congregationem, in vna Panormitana Archipresbyteratus, 5. Iulij 1620. coram Illustrissimo Buratto: nam quemadmodum hoc casu, nihil possit imputari Episcopo, qui neque ex forma Decreti Concilij Tridentini, neque ex forma antiquorum Canonum, tenetur intra annum ultra quàm semel cogere Synodum: ita si annus iam esset elapsus, omnino imputari ei debet, cur non adimplerit formam, Conc. Tridentini, cum succedente vacatione, illicò possit indigere Synodum: & in prima eius sessione deputare exa-

minatores synodales, atque ita Decreti formam adhibere. Sic Lotterius: vnde patet responsio ad argumentum Riccij, Homoboni, & aliorum *vbi supra.* Et ita etiam hanc sententiam docet Garfias *de benef. tom. 2. par. 9. c. 2. n. 92.* vbi sic asserit. Magis conformis Concilio videtur sententia Sacræ Congregationis, nam elapso anno, defectus examinerum contingit culpa ipsius Episcopi non facientis Synodum, in qua illi deputentur, vt disponit Tridentinum, & sic defectus ille culpa sua, & negligentia contingens, non excusat eum ab obseruatione formæ, & sic cessat ratio Rotæ. Ita Garfias, & aduersus Riccium hanc sententiam tenet Venerus *in exam. Episc. lib. 4. c. 26. num. 12.* asserens beneficium sic collatum, posse ab alio impetrari, quia prouisio deuoluitur ad Sedem Apostolicam ex expresso Decreto Concilij Trident. *vbi supra,* & Bulla Pij V. in Bullario; 2. irritante prouisiones factas sine Examineribus synodalibus: & ego hanc sententiam probabiliorè esse existimo, quando verò infra annum Synodi examinatores mortui fuerint, tunc Episcopus alios eligat iuxta formam Decreti Clementis VIII. quam afferunt Massobrius *vbi supra. dub. 3. n. 2.* & Garfias *num. 73.*

Notandum est tamen hîc obiter, quòd declaratio Sacræ Congregationis à Cosimo Cardinali de Torres subscripta, sic asserit. An existentibus in Synodo Doctoribus Clerici non Doctores possint eligi in examinatores synodales? Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trident. respondit necessariò examinatores eligi debere, qui sint Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, si extant: alioquin alios Clericos esse eligendos, qui ad id videbuntur magis idonei.

Nota etiam, quòd si quotannis Synodus non fiat, examinatores semel deputati munus suum debent exercere, donec noua Synodus habeatur, vt refert decisum Francisc. Leo *in thesaur. fori Eccles. part. 2. c. 3. n. 25.* si anno autem elapso, aliqui ex eis mortui fuerint, officium omnium expirat? & ita decisum refert Galetti *in Margarit. cas. conscient. ver. Examinatores, n. 1.* Vide etiam Venerum *in exam. Episc. lib. 4. c. 25. n. 8. & 10.* & Barbosa *de potest. Episc. par. 3. allegat. 60. n. 48. & 49.*

An concursus alicuius beneficij vitietur ex eo quòd cum examineribus synodalibus adhibeantur alij examinatores non synodales?

RESOL. LXV.

Negatiuè respondet Homobonus *de exam. Eccles. part. 1. tract. 2. cap. 3. q. 30.* vbi sic asserit. Si tres examinatores synodales adsint, & alij duo non synodales ad maiorem, & abundantiorè cautelam adhibeantur, actus propterea vitari non videtur, præsertim cum is actus naturæ, vel formæ non repugnet, sed potius ad illius augmentum tendat, nec Concilium id vt superfluum prohibeat, neque vlla taxatiua dictione vtatur. Et ita etiam docet Naldus *in summa. ver. examinatores, num. 3.* qui adducit pro hac sententia quamdam Rotæ decisionem.

Sed contrariam sententiam tenendam esse puto, & ita docet Massobrius *in praxi habendi concursum. requisit. 13. dub. 1. numer. 2.* & Garfias *de beneficiis. tom. 2. part. 9. cap. 2. num. 83. 324. & 341.* vbi adducunt declarationes Sacræ Congregationis, ac Rotæ decisiones, per quas determinatum fuit collationes factas, habito concursu cum tribus examineribus synodalibus, vnà cum alijs notatis ab Archiepiscopo Toletano, absque eo, quòd à Synodo approbati sint, inualidas esse, easque ad Sedem Apostolicam deuolutas esse. Ad argumentum verò contrariæ sententiæ, respondet Massobrius *vbi supra* quem omnino vide.

An reus iuridicè interrogatus de homicidio commisso ob iustam sui defensionem, teneatur respondere? ubi & multos alios casus decisos inuenies.

R E S O L. LXVII.

AD hanc quæstionem respondeo cum Portel in *addit. ad dubia Regularia, ver. Iuramentum, num. 16.* sic asserente. Quotiescumque factum externum contra legem excusatur à peccato propter aliquam circumstantiam, potest rogatus iuridicè de illo, sub iuramento illud negare, intelligendo de crimine criminoso, seu de opere quod fuerit peccatum; vt si quis occidat hominem putatum feram, vel ob iustam sui defensionem, vel quodcumque aliud opus fecit ex ignorantia inuincibili, vel quid simile. Nam interrogatorium iudicis solum tendit ad opus, quod sit crimen, quale non fuit illud, legitime excusatum à culpa. Vnde colliges, quòd quando taxa alicuius rei est iniusta, si plurtis vendens, aut defraudans in pondere, vel mensura, vt sibi satisfiat pro iniustitia pretij, potest hic rogatus à iudice, an plurtis vendiderit, vel defraudauerit in pondere, vel mensura, id negare & asserere se vendidisse pretio taxato; videlicet pretio iusto, quæ ab ipsa iustitia debebat taxari, hæc enim est mens iudicis ibi iustè, & iuridicè interrogantis, videlicet quætere de pretio iusto. Et ex hoc multi decidentur alij casus, vt quando aliquis per iustam compensationem rem suam, vel sibi debitam clam abstulit, & de hoc rogatur à iudice. De illo etiam, qui nummos accipit mutuatos à Petro, còsque illi soluit, non tamen habet testes, neque chirographum solutionis; si enim rogetur à iudice, potest iurare, se illos mutuo non accepisse, intelligendo ita vt teneatur nunc iterum soluere. Hæc omnia Portel, multum à Confessariis adnotanda; quia multa practicabilia. Vide etiam Bannez in 2. 2. *quæst. 69. art. 2. dub. penult. & Azorium tom. 1. lib. 1. cap. 4. q. 5.*

Notandum est etiam hæc obiter cum Portel *ubi supra, n. 6.* quòd vt quis iuret licitè, & absolutè, satis est, si rem audiuerit à persona valde fida digna; secus autem in iudicio: nam ibi debet exprimere quomodo id sciat.

An irregularitas ex delicto incurratur; si delinquens noscat peccatum; sed ignorat ius positiuum, prohibens sub dicta pœna irregularitatis?

R E S O L. LXVII.

Affirmatiuè respondent Layman in *Theol. mor. lib. 2. tr. 5. part. 1. cap. 5. n. 8.* Auila de *conf. part. 2. c. 5. disp. 5. dub. 10. concl. 2.* Aluarez in *par. 2. D. Thom. disp. 1. 58. nu. 5.* Suarez *tom. 5. disp. 40. sect. 5. num. 10.* Azorius *tom. 1. lib. 1. c. 15. q. 7.* & alij, eo quòd talis irregularitas non contrahatur propter contumaciam, sed propter turpitudinem, seu maculam culpæ, qua criminofus secundum Ecclesiæ Canonem inhabilis redditur ad altaris ministerium: hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam existimo, quam tenent Sanch. de *matr. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n. 17.* Reginald. *tom. 2. lib. 30. cap. 2. n. 15.* Peregrinus de *duello, q. 8. n. 18.* & Portel in *addit. ad dubia Reg. ver. ignorantia, n. 21.* vbi sic asserit. Sicut ad incurrendam excommunicationem diximus non sufficere, quòd sciam opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione; ita de cæteris pœnis, suspensione, interdicto, irregularitate, &c. dicendum, quòd vt incurrantur, non sufficit, me scire opus esse prohibitum, sed requiri, vt sciam esse prohibitum sub pœna suspensionis, irregularitatis, &c. Ita ille; & ratio est, quia in *cap. 2. de constitut. in 6.* asseritur ignorantes non ligari sententiis, vbi non est sermo de sola excommunicationis sententia, sed de omnibus sententiis Ordinariorum. Ergo, &c. Vnde apparet me his diebus probabiliter ref-

pondisse cuidam consulenti in casu, vt *suprà* proposito, non incurrisse in irregularitatem, de hac quæstione vide *suprà* in *resolut. 20.*

An in casu necessitatis possit quis confiteri peccata reseruata, quæ habent annexam excommunicationem cum Sacerdote inferiori?

R E S O L. LXVIII.

Quis ad vitandum scandalum debet Missam celebrare, habet casus reseruatos cum excommunicatione annexa, existimat se non esse contritum, sed tantum attritum: quæritur an possit confiteri illa peccata reseruata cum annexa excommunicatione; ita vt per Sacramentum de attrito efficiatur contritus, & sic sine peccato celebrare. Respondent communiter negatiuè, quia excommunicatione non ablata, absolutio inualida est; sed in tali casu Confessarius non habet iurisdictionem circa excommunicationem: ergo inualida erit talis confessio. Et ita docent Paludanus in 4. *dist. 17. qu. 6. art. 1. concl. 2. & 4.* Syluester *verb. excommunicatio 4. n. 1. & verb. confessio 1. qu. 3. cas. 5. & verb. Confess. 3. num. 12.* Gabriel in 4. *q. 1. art. 3. dub. 2.* D. Antonin. *part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 4.* Sotus in 4. *dist. 22. q. 1. art. 1.* Ledesma 2. *part. 4. qu. 23. art. 1.* Vasquez in 3. *part. tom. 4. tract. de excommunic. dub. 4. num. 8.* Ledesma in *summa, tract. de poenit. cap. 20. dub. 2.* Toletus *lib. 3. cap. 8. §. tertius casus, & alij.*

Sed contrariam sententiam puto etiam probabilem esse, quam docent Nauarr. in *manual c. 9. n. 3.* Couarr. in *cap. Alma mater par. 1. §. 2. n. 5.* Caietanus in *summ. vers. absolutiois impedimenta, & in opusc. q. 1. de qualitat. confess. & ver. excommunic. minor.* Suar. in 3. *p. tom. 4. disp. 31. sect. 3. n. 6. & tom. 5. disp. 10. sect. 3. n. 9.* & nouissimè Villalobos in *summa, tom. 1. tr. 9. diff. 40. n. 7.* vbi sic asserit. [En el caso de la conclusion passada (nempe quando pœnitens ratione scandali debet celebrare, & habet casus reseruatos) es licito absoluer al penitente de los pecados no reseruados, aunque el pecado reseruado anexa descomunión: de la qual el inferior no puede absoluer. Esta sententia es de Angelo, Medina, y Suarez. El fundamento es, que la descomunión no haze inhabil a la persona para recibir el Sacramento, sino solo prohibe, que no se reciba, que puesta la deuida materia y forma, no se puede impedir el Sacramento, y assi si el confessor oluidasse de absoluer de la excomunión, y absoluiesse primero de los pecados, quedaria absuelto el penitente, y ay caso en que por alguna grande causa podra allegar al Sacramento de la Eucharistia estando descomulgado sin pecado.] Ita ille.

Notandum est tamen hic obiter, quòd habentem casum reseruatum sine excommunicatione annexa, urgente necessitate communicandi ad vitandum scandalum, ad summum asserunt aliqui solum teneri confiteri peccata non reseruata Confessario inferiori. Tunc enim cum certus sit pœnitens non posse se absolui à reseruato, ad aliud non erit vtilis confessio reseruati, quam ad se diffamandum coram tali Confessario. Ita docent Alexander de Alez *part. 4. qu. 18. membr. 4. art. 5. §. 2. ad vlt.* Petrus de Soto *lect. 10. de confess.* Angelus *verb. confessio 1. §. 7.* & hanc opinionem in *tract. de celebrat. Missar. resolut. 65.* probabilem putauit cum Filliucio *tom. 1. tract. 4. cap. 7. num. 213.* quamuis hoc formidet concedere Suarez *tom. 4. disp. 31. sect. 3. num. 8.* & necessariè esse omnia peccata confitenda tali casu doceant Vega in *speculo Parochorum, tom. 1. cap. 11. n. 273.* Chapeauilla de *cas. reseru. cap. 8.* & alij.

Sed plus addit Sancius in *selectis, disp. 32. num. 10.* cum Richardo in 4. *dist. 17. ar. 2. q. 8. ad 2.* Adriano *q. 4. de confessione.* Durando in 4. *dist. 17. q. 19.* quia liberat pœnitentem in tali casu à confessione etiam non reseruatorum.

Igitur pro praxi Confessariorum ex *supradictis* opi-

nionibus probabilibus Doctorum, pœnitens urgente necessitate communicandi ad vitandam infamiam grauem, habens calus referuatos, potest primò confiteri cum inferiori Sacerdote omnia peccata, tam non referuata, quam referuata, & celebrare; vel secundò potest confiteri tantum peccata non referuata, & reticere referuata: vel tertio si hoc etiam non velit, eliciat actum contritionis, & celebret sine præuia confessione. Si autem peccata referuata habeant annexam excommunicationem, primò conteratur, & celebret, vel secundò si est tantum attritus, confiteatur cum inferiori Sacerdote, & Missam dicat, vel communionem sumat. Notentur hæc omnia, quia in praxi erunt multum practicabilia.

An quis non incidat in excommunicationem ratione paruitatis materiae?

R E S O L. L X I X.

Respondeo affirmatiuè, & ita docet Graffius in *decif. part. 1. lib. 4. c. 8. n. 5.* sic asserens. Si excommunicantur colloquentes cum Monialibus, non comprehenditur, qui transeundo Monialem saluaret, vel parum cum ea loqueretur. Idem docet Finellius de *cas. res. c. 5. n. 10.* ubi sic asserit. Si paucis alloquaris Monialem, vel transiens illam salutes, aut saluatus respondeas, siue de statu eius ipsam interrogas, siue interrogatus respondeas, non incidis in excommunicationem propterea. Ita ille. Sed difficultas est in isto exemplo de excommunicatione contra colloquentes cum Monialibus, quod tempus dicatur breue, vt cum illis colloquentes non incidant in excommunicationem. Aliqui tenent esse quadrantem horæ, quod mihi non placet; sed si quis per spatium vnus miserere cum illis loqueretur, puto ratione paruitatis materiae in dictam excommunicationem non incidere.

Idem quod dictum est de excommunicatione, dicendum est de casibus referuatis, & si, v.g. modicitas rei subtracta in Ecclesia excusat à mortali, sic etiam excusabit à referuatione.

De priuilegio Bullæ Cruciatæ edendi carnes ex licentia vtriusque medici?

R E S O L. L X X.

Aliqui putant hoc priuilegium deseruire, quando causa est dubia: & se fundant in doctrina Lessij *lib. 4. 2. duob. 6. num. 45.* Vegæ in *summ. part. 1. c. 14. cas. 36.* Armillæ *ver. ieiunium, num. 6.* Syluestri *eodem verb. nu. 20.* Flliucij *tom. 2. tract. 27. c. 6. n. 128.* & aliorum.

sed contrarium asserit Sancius in *selectis, disp. 51. n. 9.* nam cum dicti Auctores fateantur existente causa manifesta non egere ieiunantem dispensatione; eod. in modo dubia causa existente, opus non erit dispensatione, cum idem ius habeat aliquis ad fugiendum damnum certò venturum, atque illud, de quo rationabiliter dubitatur an sit exoriturum: sicut qui probabiliter dubitat, quòd in extremam necessitatem deueniet, si extreme indigenti subueniat, non tenebitur subuenire. Dices, in hoc casu ius dubium vincit ius certum, sed hoc est absurdum: ergo, &c. Respondet Sancius, quòd quamuis præceptum abstinendi à carnibus sit certum, & in possessione obligandi. Attamen etiam ius ad conseruandam vitam in homine certum est, & antiquius, & antiquior etiam est possessio in illo ad conseruandam suam vitam, & à strictiore iure orta. Nam in homine non solum est illi ius certum ad certò conseruandam vitam, sed etiam est illi ius certum ad non exponendam vitam periculo dubio eam amittendi, & quamuis dubium sit homini, an ex abstinencia à carnibus sit detrimentum passurus in salute, non est tamen illi dubium, quòd ius habeat certum non se committendi tali du-

bio. Quando igitur virtute Bullæ Cruciatæ conceditur facultas edendi carnes ex licentia vtriusque medici; non intelligitur quando causa est manifesta, quòd noceat saluti abstinencia; nec quando dubitatur prudenter quòd nocebit, sed quando causa est solum sufficiens ad petendam dispensationem, non tamen ad comedendum carnes absque illa. Vnde fit, Doctores dicentes tunc recurrendum esse ad superiorem ad poscendum dispensationem in ieiunio, vel in esu carniū, quando causa est dubia, non intelligendos esse id asserere, quando fuerit dubium magnum nocumentum exoriturum ex obseruatione ieiunij, nam tunc necessaria non videtur dispensatio, vt probatum est, sed quando dubitaretur aliquale nocumentum promanaturum, quod quamuis actu existeret obligatio ieiunij, vel abstinencia à carnibus non cessaret; cum leges positivæ cum aliquali labore obligent, & detrimento: illa tamen causa dubia obiecta Pontifici sufficiens esset ad impetrandam dispensationem. Hæc omnia Sancius, quæ apud alios non inuenies.

Notandum est tamen hic obiter, quòd qui habet experientiam antiquam, sibi esse nocuum, carnibus non vti in Quadragesima, non tenetur in futuris Quadragesimis abstinere à carnibus ad experiendum, an nocumentum exoriatur: quia alias nunquam licitum esset carnibus vti ob præseruationem: nisi maximè dubitetur causam nocuenti cessasse. Ita Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. part. 1. pract. 3. art. 4. dub. 9. concl. 3.* Sancius *ubi supra. n. 23.* & alij.

Nota etiam, quòd ex iusta causa in Quadragesima comedentes carnes, nec peccant etiam contra temperantiam naturalem si ad excitandum appetitum parum piscatisumant. Nec in tali casu incurrunt in excommunicationem latam in aliquibus diocesis contra comedentes piscatum, & carnes in Quadragesima. Et piscis suavis (Hispanè *Turcha*) potest sumi in magna quantitate cum carne, quia ex esu illius non læditur salus. Ita Sancius *loco cit. n. 21.*

Quibus sumptibus soluenda sit elemosyna Prædicatori?

R E S O L. L X X I.

Hic casus frequenter solet accidere, & non ita facile apud Casuistas inuenitur; illum verò determinat Paponius de *iur. Franc. lib. 1. Arrest. 9. in glossa, littera A,* ubi sic asserit. In quæstione, quoniam salarium Prædicatori præstare teneatur, distinctione vtendum est, nempe vt si de vrbe agatur, in qua Archiepiscopatus, vel Episcopatus, eo calu officium pastoris est prædicare, vel prædicari curare, & verbum Dei annunciare gregi suo, idque expensis suis. Et ita iudicatum fuit aduersus Archiepiscopum Bituricensem 1. Iunii 1522. At si non de vrbe, sed oppido agatur, vbi sit Ecclesia Collegialis, vel Curia, tum omnes ij, qui decimas in prædicta parochia percipiunt, ad Prædicatoris salarium conferre debent: parochiam verò ad victus expensas. Ita ille, & ante illum Maynardus *decif. 34. 35. & 36.*

Sed quod dictum est de Episcopo, procedit etiam quando dubitatur, quorum sumptibus sit conducendus Prædicator, seu alendus: & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, ex Vgolino, & Galetti testatur Riccius in *praxi, tom. 1. resol. 468. nu. 3.* qui in *nu. 4. & 5.* limitat supradicta existente consuetudine in contrarium. Nam vbi consuetudo adesset, vt prædicator vel ab Episcopo eligeretur, vel ab alio: communitas, vel aliquis alius sumptus præberet, in tali casu Episcopus ad nihil teneretur. Quod etiam procedit, si populus eligeret, & nominaret concionatorem, & sumptus etiam faceret: nam tunc Episcopus hoc onere leuabitur. Igitur consuetudo consideranda videtur, & secundum illam determinandum, qua seclusa Episcopum obligabis.

An in dubio facti circa homicidium censendus sit aliquis irregularis?

RESOL. LXXII.

Affirmatiuè communiter DD. respondent, quos citant, & sequuntur Sanch. in *summa*, tom. 1. lib. 1. c. 10. n. 42. & seq. Auila de *conf. part. 7. disp. 2. dub. 5.* Villalobos in *sum. 2.*, tom. 1. tract. 1. diff. 22. num. 2. Coninch de *Sacram. disp. 18. dub. 2. num. 23.* Valent. tom. 4. par. 4. disp. 7. q. 19. punct. 2. Flores de *Mena variar. resolut. lib. 1. q. 9. num. 18.* Azorius *par. 1. lib. 2. c. 19. q. 10 & 11.* Salas in *par. 2. q. 21. tr. 8. disp. vnic. sect. 10. à n. 70.* Vgolinus de *conf. c. 4. §. 2. n. 3.* Sayrus de *conf. lib. 6. c. 2. n. 16.* cum aliis, & hoc non solum in foro externo, sed interno, vt patet *c. ad audientiam, de homicidio.*

Non reticeam tamen contrarium docere Henriquez lib. 14. c. 3. n. 3. & 4. & c. 14. n. 3. & hoc probabile esse putat Suar. de *conf. disp. 40. sect. 2. n. 14.* & ad *cap. ad audientiam*, respondent procedere quando homicidium est ita dubium, vt verisimilius sit fuisse perpetratum, idque sibi videri declaratum in *cap. significasti, ad finem*, nec ab illa communi regula, Odia sunt restringenda, discedendum nisi ratio conuincat, quod non adest in casu dubij; ergo, &c. Sed tu primam sententiam tene.

Dicendum est tamen contra Turrianum de *cenfuris*, lib. 8. disp. 57. dub. 5. Valq. in *p. 2. disp. 65. c. 3. & disp. 66. c. 1.* Couarruiam, & alios, in aliis dubijs facti præter homicidium, quis minimè censendus est irregularis in vtroque foro, & sic qui dubitat an legitimè natus sit, necne, potest legitimè cenferi, & sacros Ordines accipere, & qui dubitat vtrum vxor vnica accesserit virgo, potest ita præsumere, & Clericus fieri; & ratio horum omnium est, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus iure expressis, *cap. is qui, de sent. excomm. in 6.* sed in iure tantum pro dubio homicidij incurritur irregularitas, vt patet. Ergo in aliis dubijs præter homicidium standum est illis regulis iuris communis tam Canonici, quàm ciuilis, asferentibus in dubio neminem condemnandum, in pœnis benigniorem interpretationem faciendam. Et ita docet Henriq. lib. 14. c. 3. n. 4. Auila de *conf. par. 7. disp. 2. dub. 5. conc. 2.* Laym. in *Theol. mor. lib. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 39.* Coninch de *Sacram. disp. 18. dub. 2. n. 2.* Salas in *par. 2. q. 21. tr. 8. disp. 1. sect. 18. n. 168.* & alij.

Notandum est etiam quòd licèt, vt dictum est in dubio homicidij irregularitas præsumatur, tamen hæc doctrina non est extendenda ad dubium mutilationis, quia mutilatio non est homicidium; neque ad dubium homicidij iusti, v. g. in bello commissi, quidquid dicat Henriquez lib. 14. c. 3. n. 4. Nauarr. *cap. 27. dub. 206.* Auila de *conf. par. 7. disp. 2. dub. 5. concl. 2.* & Bonacina de *conf. disp. 7. q. 1. punct. 5. n. 4.* quia iura loquuntur de casu homicidij prohibiti, & odia sunt restringenda. Vide Sanch. in *summa*, tom. 1. lib. 1. c. 10. n. 49. & 50. Filliucium tom. 1. tr. 19. c. 2. q. 7. n. 47. & alios. Vnde ex his omnibus concludunt Confessarij, quòd in omnibus dubijs, iuris vel facti, numquam incurritur irregularitas; nisi in dubio facti homicidij prohibiti. Et hæc omnia procedunt in casu veri dubij, nempè quando intellectus in neutram partem inclinare potest, nam si aliquis probabiliter opinetur, non commisisse homicidium, irregularis minimè censensus erit.

An peregrini obligentur censuris locorum generali sententia, aut statuto decreti?

RESOL. LXXIII.

Affirmatiuè respondent glossa in *cap. à nobis, de sent. excom.* & ibi Abbas n. 7. Vgolinus de *conf. tab. 1. c. 9. §. 2. n. 4.* & DD. quos citat, & sequitur Barbosa in *colleç. tom. 2. lib. 5. c. 21. n. 4.* & hanc sententiam docet etiam Suarez de *conf. disp. 5. sect. 5. num. 12.* quando censura lata

est per statutum, quia cum territorio inhæreat, affici debent etiam peregrini. Et absolutè hanc sententiam docet Basilius Pontius de *matrim. lib. 5. c. 7. §. 2. n. 19.* siue excommunicatio sit lata per modum statuti, siue per modum sententia.

Sed ego contrariam sententiam teneo ex textu claro in *c. 1. nobis, el 1. de sentent. excomm.* nam potestas iurisdictionis tantum se ad subditos extendit, sed sicut sententia, ita & statutum manat à potestate iurisdictionis. Ergo solum ligat subditos, non autem aduenas, & peregrinos. Et ita nouissimè aduersus Suar. docet Layman in *Theol. moral. lib. 1. tr. 5. part. 1. c. 4. n. 5.* vnde contra Basilium vbi supra, excommunicatio lata contra eos, qui sciunt aliquod furtum, seu delictum esse commissum, non ligat transeuntes. Ita Coninch de *Sacram. disp. 13. dub. 7. conclus. 5. num. 60.*

An subditi incurrant excommunicationem latam per statutum in diœcesi, si contra illud agant extra diœcesim?

RESOL. LXXIV.

Respondeo negatiuè, subditus enim non incurrit excommunicationem latam per statutum propriæ diœcesis, si contra illud agat extra diœcesim, vel intra diœcesim in loco exempto existens; vt hîc panormi est Ecclesia sancti Cataldi. Et ita docet Couarruu. in *c. Alma, par. 1. §. 10. n. 12.* & alij communiter ex *c. 2. de constit. in 6. & c. l. vlt. ff. de iurisdic. omnium iudicium.*

Sed maior difficultas est, quando censura lata est per sententiam, affirmat Suar. de *conf. disp. 5. sect. 5. n. 9.* Laym. in *Theol. mor. lib. 1. tr. 5. par. 1. c. 4. n. 7.* Vgolinus de *conf. tab. 1. c. 9. §. 3. n. 4.* & alij. Et ratio est, quia statutum dirigitur ad territorium, & ideo neminem ligat extra illud, præceptum verò, & sententia immediatè tendit ad personas subiectas, & ideo illas ligat quocumque vadant.

Verùm mihi contraria sententia probabilis etiam videtur, quam tuentur Auila de *conf. par. 2. c. 3. disp. 2. dub. 5.* Coninch de *Sacram. disp. 13. dub. 7. concl. 6. n. 1.* Henriquez lib. 13. c. 26. n. 1. Sayrus de *conf. lib. 5. c. 6. n. 40. ex l. vlt. ff. de iurisdic. omnium iudicium.*

Dico igitur Episcopum non posse excommunicare etiam per sententiam suam subditum existentem extra suam diœcesim, nisi in ea aliqua ratione delinquat, quantumcumque extra eam delinquat, quia Episcopi iurisdictionis non extenditur extra suam diœcesim, *ex c. 2. de constit. in 6.* Hinc contra DD. citatos non potest Episcopus præcipere clerico peregrinato sub pœna suspensionis, ne ludat, ne arma prohibita ferat, ne dicat sacrum, vel, vt singulis hebdomadibus sacrificet, &c. nisi fortè quatenus ob iustam causam posset ei præcipere, ne diœcesim egrederetur, & tunc quidem non peccaret propriè dicendo sacrum, ludendo, &c. sed egrediendo diœcesim. Et hæc doctrina procedit etiam, vt benè obseruat Coninch vbi supra, n. 63. quando subditus delinquit in loco exempto, etsi intra diœcesim sit. Excipienda tamen sunt ex mente Suar. de *cenfuris, disp. 5. sect. 4. n. 6.* Monasteria Regularium, aut similia loca, quæ non sunt per se exempta, sed tantum ratione personatum inhabitantium; sed aduersus Suar. tenet Bonac. de *conf. disp. 1. q. 1. punct. 15. n. 8.* quem sequi videtur nouissimè Paulus Squillante de *privil. Cler. c. 2. dub. 6. n. 68.*

Notandum est tamen, quòd omnia supradicta procedunt quando delictum subditi perpetratur extra diœcesim; secus autem si illud commiserit in diœcesi, nam in tali casu potest Episcopus illum excommunicare, etiam si extra diœcesim commoretur. Non reticeam tamen (attende Lector) contrariam sententiam docere Basilius Pontius de *matrim. lib. 5. c. 7. §. 2. n. 20.* vbi sic ait. Ex eodem principio colligo contra nonnullos, Episcopum non posse sententiam excommunicationis ferre contra

contra subditum suum, existentem tamen in alio territorio; id quod etiam docuit Gabriel *in 4. dist. 18. q. 2. concl. 2.* Ita Pontius, qui tamen putat pro delicto extra territorium commissio, si ad suam dioccesim redeat, posse Episcopum subditum punire.

An pactum de retrouendendo appositum in fauorem emptoris census sit licitum.

RESOL. LXXV.

VSurarium esse docent Rebellius *part. 2. lib. 10. quest. vlt. diffie 4. num. 4. & 5* Sotus *de iustit. lib. 6. q. 5. art. 3.* Binsfeldius *in c. in ciuitate, qu. 12. concl. 10.* Arragon. *in 2. 2. q. 78. art. 3. & 4. concl. 4.* Rodriq. *de redditibus lib. 1. qu. 4. & 18. lib. 2. q. 3. & 13.* Couarru. *var. lib. 3. cap. 9. n. 4.* & alij; nisi pensiones solutæ sint computandæ in pretium. Et ratio est, quia vbiicumque datur pecunia cum pacto eandem recipiendi, & aliquid vltra sortem, illic vsura vel latet, vel patet. Sed sic est in tali casu: ergo.

Sed ego contrariam sententiam probabilem etiam esse existimo, quam mordicus ex neotericis tuentur Malderus *in 2. 2. D. Thom. tract. 5. cap. 5. dub. 11. per totam.* Tanner. *in 2. 2. D. Thom. disp. 4. quest. 7. dub. 4. a n. 128. vsque ad n. 131.* Azor. *tom. 3. lib. 10. c. 12. q. 4.* Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 18. n. 5.* Lessius *lib. 2. c. 22. dub. 10. per totum.* Salas *tract. de cens. dub. 30. per totum.* & Valentia *tom. 4. disp. 5. q. 2. punct. 6.* vbi sic asserit. Secundò sequitur, probabile esse, quòd possit etiam ex rei quidem natura (vbi nulla humana constitutio vigeat) licitè addi pactum de retrouendendo in fauorem emptoris, siue censualistæ, etiam non computatis fructibus census in partem pretij, id est, posse obligari venditorem, seu censuarium ab emptore census, seu censualista, vt quando is velit teneatur reemere censum, quem vendiderat, reddito eodem pretio, vel pretio, quod post valebit census; prout inter se conuenerint; nec debere tunc censualistam, siue emptorem census computare pensiones interim perceptas in partem pretij, modò tamen aliquo alio modo grauamen, quòd per hoc pactum imponitur venditori, iustè ad arbitrium boni viri ipsi ab emptore compensetur. Et ita Romæ anno 1581. in consultatione multorum, & doctissimorum Theologorum, nobis præsentibus, iudicata est hæc ipsa sententia probabilis, quamuis ob periculum vsuræ huiusmodi pacta minimè sint suadenda. Ita Valentia, & ante illum Maior *in 4. dist. 15. qu. 43. & 44. in fine.* Gabriel *ibidem, qu. 12. & art. 2. concl. 4.* Conradus *de contract. q. 84. post 5. concl. & corol. 1.* Medina *quest. vlt. de cens. quest. 15. de vsuro, dub. 2. & 5. cum aliis.*

Vnde ex his sequitur à fortiori non fuisse vsurarium pactum illud appositum in Parlamento Principis Philiberti, anno 1624. in fauorem subiugariorum huius Regni in illis verbis. [Di più de sudetto si dichiara, che hauendo effetto la sudetta prerogatione (come è la voluntà del Regno) hauendosi compito da parte di Sua Maestà nella forma sudetta, à non in altro modo, si hà di intendere fatta prorogatione in fauore delli detti fोगogatarij, alli quali si intende acquistato il ius stipulando per essi il spetabile Protonotario ad effetto di andar pagando le dette sugugationi secondo si anderanno maturando, e di quel che auanzerà il donatiuo sudetto di detti feudi 300. M. si vadano ricattando, e reluendoli capitali di dette rendite, &c.]

An requiratur expressus, seu personalis consensus legislatoris, quo approbet consuetudinem introductam?

RESOL. LXXVI.

Affirmatiuam sententiam docent duo viri docti Pontius, & Vasquez, hinc *in p. 2. disp. 177. cap. 2. & 3. ille lib. 6. de matrim. cap. 6. n. 7.* quia non omnis consuetu-

do approbatur à Principe, sed multæ consuetudines permittuntur tantum, aliæ approbantur. Ergo non potest ob vniuersalem illam doctrinam, *cap. fin. de consuet.* præsumi in quauis consuetudine approbatio. Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariam longè probabiliorem esse existimo, quam tenent Suar. *de legib. lib. 7. cap. 13. n. 6.* Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 4. num. 11. & 14.* Salas *de leg. disp. 19. sect. 3. n. 20. & 27.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 18. q. 1.* & alij penes ipsos. Et ratio est, quia *in d. c. vlt. consuet.* stabilitur consuetudinem rationabilem, & legitime præscriptam iuri positio derogare. Quòd autem sit rationabilis, non pendet ex scientia, & voluntate legislatoris, sed ex natura ipsius rei, cuius est consuetudo: esse autem legitime præscriptam habetur ex cursu temporis. Ergo cum nulla alia conditio ad stabiliendam consuetudinem requiratur iure canonico gratis, & sine fundamento expostulatur scientia Principis, & eius nouus consensus.

An Commissarij possint à singulis tantum exigere, quantum ab vno possent, si pro eo solo negotium facerent?

RESOL. LXXVII.

Hic casus frequens est in hoc Regno Siciliæ, & alibi etiam, & affirmatiuam sententiam docet Lessius *lib. 2. cap. 24. dub. 5. n. 28.* vbi sic asserit. Quando quis pluribus obligat operam suam; singulis in solidum, & illa æquè commoda est singulis, ac si pro illis solis fuisset exhibita potest à singulis tantum exigere, quantum ab vno possent, si pro eo solo præstitisset. Vt cum quis nomine diuersorum proficiscitur ad locum distitum, vt ibi illorum negotia tractet, vel testimonia, & probationes in eorum causis conquirat; porò ad bonam fortunam, vel industriam illius pertinet, quòd plura negotia concurrant, ita vt vno medio possit ad ea conficienda vti, vel eandem cautionem pluribus impendere, neque opus est, vt qui sua negotia ipsi committunt, sciant, illum etiam aliorum negotia gerere, sed sufficit vt tam viriliter, & opportunè ea gerere possit, ac si alia simul gerenda non haberet, & suam operam cuique seorsum impenderet. Ita Lessius, quæ omnia accidunt in casu nostro, nam Commissarij huius Regni accipiunt plura negotia per vnam, vel plures ciuitates, & stipendium ab omnibus eundi, vt dicunt, & redeundi accipiunt.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam docent Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 7. dub. 6. nu. 162.* & Ortiz *in sum. cap. 9. n. 3.* vbi sic asserit. Si vno lleua tres commissiones, y cada vna dellas dize que vaya à tal pueblo, y que por cada dia de yda y huelta lleue tanto y sin boluer de cada pueblo, puede hazer todas tres comissiones, porque estan todos tres pueblos juntos, y assi se ahorra de venir de cada pueblos, en el tal caso no deue de cobrar todo lo que se deuia si de cada pueblo bolueria à dar lo que auia cobrado.] Ita etiam docet Ioannes de Heuia *in labyrintho commerciorum, lib. 2. c. 2. n. 10.* sic asserens. [El salario de la persona que fuere à hazer dos, ò mas desta cobranças, de yda y buelta, assi à vn lugar como à dos, ò mas, se ha de repartir entre los deudores pro rata de los cobranças y de los lugares segun la distancia del os por no poder lleuar mas de vn salario desto en vn tiempo.] Sic ille. Vide etiam Fernand. *de instr. Confess. p. 2. cap. 14. n. 2. & c. 12. n. 22.* Bobadilla *tom. 2. lib. 5. c. 1. n. 3. fol. mihi 631.* Ad ea verò quæ adducit Lessius, dicendum est cum Tannero *vbi supra*, quòd res, vel opera iam vni iniustitia debita, non potest denuo altero nouo pretio vendi, quia sua non est, sed alterius; vel meliùs in casu nostro dicendum est, supradictam sententiam Lessij veram esse, secluso iure positio, sed in hoc regno adsunt Regiæ Pragmaticæ prohibentes Commissariis hoc efficere. Ergo, &c.

An laicus ratione consuetudinis, vel praescriptionis possit esse immunis à solutione decimarum?

RESOL. LXXVII.

DE hoc casu interrogatus fui nouissimè in casu decimarum vertente inter Excellentissimum Melchiorum Hieracensem, & Episcopum Cephaludensem; & respondi affirmatiuè, quia immunitas à soluendis decimis etiam praedialibus tam à laicis, quam à Clericis cum bona fide vsucapi potest cum titulo, annis quadraginta, sine titulo, vel tempore immemorabili, idque non tantum ex parte, videlicet, vt duodecima, aut vigesima soluatur, sed etiam in totum: modò interim Ecclesiae ministris sufficiens sustentatio ex aliis titulis, v. g. ampla Ecclesiae fundatione, fidelium oblationibus, & piis legatis, &c. suppetat. Et ita docent decem Doctores, quos citat, & sequitur Layman in *Theol. mor. lib. 4. tr. 6. c. 7. n. 9.* quibus ego addo Syluium in 2. *D. Thoma, qu. 87. art. 1. concl. 5.* Fagundez *praec. 4. lib. 3. c. 1. n. 24.* Reginaldum *to. 2. lib. 19. c. ult. sect. 3. q. 4. n. 97.* Monetam *tr. de decimis, c. 5. q. 6. concl. 4. n. 122.* & alios penes ipsos; quidquid in contrarium asserant aliqui Iurisperiti, vt Rebuffus *tr. de decimis, disp. 13. nu. 55.* Barbatius *volum. 2. conf. 35.* Ruynus *volum. 5. conf. 14.* Socinus *lib. 2. conf. 297.* Parisius *vol. 4. conf. 25. n. 17.* & alij penes Fagundez *vbi supra*, putantes neminem posse eximi praescriptione, seu consuetudine à solutione omnium decimarum praedialium, ita vt nullas omnino teneatur soluere decimas de aliquibus, vel de omnibus suis praediis, posse tamen decimas consuetudine ad vigesimam, trigessimamve partem reduci, ita vt loco decimae, soluatur vigesima aut trigesima pars fructuum; sed tu tene primam sententiam.

Imò notandum est, quòd in tali casu, sufficere ad praescribendum spatium quadraginta annorum, etiam sine titulo, docuit ex Societate Iesu Tannerus in 2. *D. Thoma, disp. 5. q. 3. dub. 2. n. 31.* & Henriquez *lib. 7. c. 27. n. 2.* sed contrarium docent DD. citati. At quidquid sit de hoc, nimis scrupulosè dicendum est loquutum fuisse Molfesium in *summ. tom. 1. tr. 6. 4. n. 46.* vbi inclinat, vt requiratur in nostro casu, praescriptio immemorabilis, nempe centenaria. Sed dicendum est cum supradictis Doctoribus, sufficere praescriptionem quadraginta annorum, licèt cum titulo iusto, seu probabili, qui causam possessori tribuat praescribendi.

Aliqua additamenta ad tractatum de Parlamento?

RESOL. LXXVIII.

In *resol. 1.* huius tractatus assero cum multis DD. donatiua ordinaria Regni Siciliae, & Neapolis nomine esse voluntaria; sed reuera esse necessaria, vnde impositiones dici possunt. Hæc opinio non placuit quo ad Regnum Neapolit. nostro Raphaeli Rastellio viro quidem docto, & Episcopo Caprensi *de regimine Principis, lib. 3. fol. 133.* sed nostram sententiam nouissimè tenet doctus Tassonus in *pragmat. de Antifato, ver. 4. obser. 3. n. 18.* vbi me citat.

In *resol. 11.* huius tractatus assero intrantes in Parlamento posse credere Regi attestanti se esse in necessitate, dummodo moraliter aliud in contrarium non constaret, & ita tenet Capiblanco *de offic. Baronum, to. 2. prag. 1. c. 1. n. 17.* & DD. quos citat, & sequitur Barbof. in *coll. tom. 4. p. 2. lib. 2. Clement. tit. 7. Clem. litteris, n. 7.* Sed modò non reticeam contrarium docere Franciscum Ferrer. doctissimum Iurisperitum. Hispanum *ad institutionem hac nostra euidet. 2. n. 42. fol. mibi 61.* vbi sic asserit. An autem de urgente Principis necessitate constare prius debeat, tanquam de causa praambula ad vectigalium impositionem, & vt necessarium antecedens, vidi apud interpre-

tes in dubium reuocari, ductos quòd requisitum, seu qualitas à lege inductiua, seu inductiuum alicuius actus, debet prius ante omnia constare, ex Ripa *lex factio, de vulgar. n. 30.* Valasco *consil. 74. n. 9.* Crauetta *conf. 322. nu. 4.* Lara *de anniuers. lib. 2. c. 4. n. 38.* cum aliis. Et quamuis sint ex interpretibus non leuis auctoritatis existimantes, solam Principis assertionem sufficere pro necessitate probanda: nihilominus non tantum deferendum esse voluntati Principis, multi consuluerunt; propter inconueniens resultans ex simili assertionem, vt possit per indirectum constitutionibus prohibitiuis vectigalium abrogari, cum pragmaticæ semper se in egestate Principis fundare possent, licèt hoc inconueniens cessare posset in praesenti ob religionem exactam potentissimi Regis nostri. Sed quia leges semper extirpare, & praecauere ea quæ duci possunt ad inconueniens, & quæ de facili induci possent in fraudem legis; idè non sufficere assertionem solam Principis super necessitate, tenuerunt Dec. *conf. 576. n. 13.* Ferdin. Loazes pro Marchione de los Velez in 3. *fundam. pro dicto Marchione, num. 60.* Calicius in *extranagatorio Cur. Regal. 191.* Pinellus in *rub. C. de rescindend. vendit. 1. par. c. 3. n. 3.* Ex quo enim versatur tantorum praedictum, & interesse; vltra Principis assertionem alia adminicula concurrere esse congruum putarunt Felin. *c. cum à nobis, n. 1. & 2. de test. Guttier. pract. lib. 4. qu. 11. n. 24.* Gessè *decif. 131. qua est 1. in ordine sub vol. 2. n. 12. ad n. 22.* Hæc omnia Ferrer. *vbi supra.*

In *resol. 7.* asserui exterminandum esse abusum, vt vnus qui ingreditur Parlamentum habeat plures procuraciones, & nunc addo, quòd illum exterminare curauit Excellentissimus Dux Ossunæ tunc Prorex per actum Viceregum registratum in officio Patrimonij, ann. 1615. die 17. Februarij, 13. Indiçt. per V. I. D. Ioannem Garlandum tunc Protonotarium. In quo actu dictus Dominus Protex testatur euenire multa absurda ex multis Procuris, in personam vnus intrantis in Parlamento, vnde hoc efficere per dictum actum sapienter, & prouidè prohibuit, quod vtinam nunc obseruaretur.

In *resol. 14.* adnotauì quòd quando Regnum est multum tributis oneratum, debet Rex non imponere nouum tributum, vel requirere nouum donatiuum, sed minuire, vel suspendere gratias, & pensiones aliquibus assignatas, & adduxi pro hac sententia Aponte, & Valenzuela ministros Regios, quibus nunc addo alios duos Scipionem Rouitum in *consultatione de Donatiuis, num. 4. & seq. post conf. 100.* & Carolum de Tappia *decif. 23. nu. 83.* Idem etiam docet Rastellius *de regimine Principis, lib. 3. de causa efficienti Parlamenti, n. 4.*

In *resol. 27. in fine,* adde hæc verba, & ratio est, quia vt clarè colligitur ex Gottifredo in *Archontologia Cosmica.* vbi agit de Regno Siciliae, *num. 8.* Brachium Ecclesiasticum in Parlamento positum est, vt resistat iniustis petitionibus, si fortè efficerentur, cum in tali Brachio adsint tot Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, Priores, & alij Prælati literis præditi, & qui loqui possint sine metu; quod non ita facilè accidit in personis aliorum Brachiorum, quia sunt sæculares: & ideo si aliquod donatiuum determinaretur à Brachio militari, & Dæmaniali tantum, facile illa determinatio populis esset suspecta, non autem si cum vno Brachio concurreret etiam Ecclesiasticum, ex ratione allata: & sic anno 1591. Brachium Ecclesiasticum cum Brachio Dæmaniali, non concurrente Brachio Militari, præbuerunt hoc non obstante, Donatiuum Serenissimo Regi.

In *resol. 29.* asserui esse prohibitum præbere in Parliamentis aliquod Donatiuum Domino Pro regi, & si esset licitum, deberent omnes, & singuli concurrere, & ita in facti contingentia accidit in Parlamento, anno 1600. celebrato, nam cum per tria Brachia fuisset conclusum quoddam donatiuum, præbendum Domino Pro regi Duci Machedæ, quia illustrissimus Marchio Sortini, Don Cæsar Caietanus, tunc Baro, & nunc Princeps Cassari,

Cassari, vir nunquam satis laudatus, noluit concurrere, ideo dictum donatium minimè effectum habuit. Vnde non est audiendus Tassonus in *prag. de Antifato, ver. 2. obser. 2. n. 126.* contrarium docens; sed nostram sententiam tenet Raphael Rastellius de *regimine Principis, fol. 146.*

An Sacerdotes ducentes reum ad furcam, incurrant irregularitatem, hortando illum ut scalam ascendat, vel accelerando executionem iustitiæ etiam notabiliter?

RESOL. LXXIX.

Hæc resolutio pulchra erit, & maximam consolationem legenti præbebit. Aliqui Doctores supradictas actiones ab irregularitate excusant, ratione indeliberationis, vel ratione paruitatis materiæ, & ita docet Henricus lib. 14. c. 12. n. 7. Auila de *cons. par. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 1. §. 8.* Reginaldus in *prax. tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 9. n. 103.* Molin. de *iustit. tom. 4. tract. 3. disp. 74. n. 4.* Laym. in *Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tr. 3. par. 3. c. 7. n. 2.* Villalobos in *summa, tom. 1. tr. 21. diff. 27. n. 13.* vbi sic asserit. [Ha se de aduertir, que si algunos de los que van acompañando al reo para consolarle (como suelen hazer los Religiosos) dixesse inaduertidamente, andemos hermano ò a caso picasse al jumento, ò le dixesse arte, no por esso quedaria irregular, no procurando que se acelerasse la muerte. La razon es, porque este acto no es planamente humano. En el segundo caso de otra razon Henriquez, y dize que *parum pro nihilo reputatur*, y lo mismo es quando dize al reo que suba otro escalon.] Ita ille.

Igitur secundum præfatos Doctores similia excusantur, vt dictum est, vel quia Sacerdotes inaduertenter illa faciunt, vel ratione paruitatis materiæ; vnde aiunt Layman, Molina, & alij communiter, quòd si cooperatio, vel acceleratio mortis in tali casu notabiliter facta sit, irregularitatem contraherent.

Sed ego ad tollendos omnes scrupulos putò probabilem esse contrariam opinionem sapientissimi ætatis nostræ Theologi P. Gabrielis Vasqu. qui putat etiam si notabiliter acceleretur, supradictos non incurrere irregularitatem. Et sequitur Turrianus de *cenfuris, lib. 9. disp. 66. dub. 3.* vbi sic asserit. Difficultas est de illis qui assistunt, & non sunt ministri iustitiæ necessarij ad ferendam sententiam, vel concurrentes ad executionem pœnæ; est dubium an incurrant hanc irregularitatem, si aliquid dicant, vel faciant, ex quo sequatur mors, vel acceleratio eius; aliqui enim Doctores seuerè loquuntur, existimantes esse irregulares, & sequitur P. Suarez. Sed oportet considerare, an isti sint causa homicidij iniuste, vt si sine causa facerent, vt reus citiùs occideretur, & ob peccatum possunt incurrere irregularitatem impostam ob iniustum homicidium, de qua modò non loquimur. Si verò sine peccato aliquid faciant, non videntur incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis. Ita sensit Pater Vasqu. & sequuntur multi viri docti hoc tempore; quia iura, in quibus supponitur hæc irregularitas, solum loquuntur de ministris iustitiæ, & his, qui concurrunt ad causæ probationem, sicut Aduocatus, & testes, & pœnæ executionem, vt ministri iustitiæ. Ita Turrianus ex Vasquez: qui etiam ad casum propositum in præsentis Resolutione sic respondet. Vtteriùs casus est frequens (hæc sunt eius verba) ex quo solent oriri dubia viris bonæ conscientiæ, an incurrat irregularitatem, qui aliquo modo facit, vel dicit aliquid, ex quo citiùs sequatur mors rei, quando illum comitatur, v. g. si dicat, pergamus citiùs, vel si dicat reo, ascende citiùs, quando ascendit scalam. P. Auila, & P. Henricus solum excusant hos actus ab irregularitate, quia non solent esse plenè liberi, quod necessarium est ad talem irregularitatem. Ego verò existimo distinctione opus esse, nam vel isti actus sunt peccata mortalia, quia qui illos facit iniuste, est causa, vt

mors citiùs fiat, & tunc incurritur irregularitas, quæ oritur ex delicto, de quo modò non agimus, neque tale peccatum fit à personis religiosis; in hoc euentu, vel non sunt peccata, & tunc existimo non incurri irregularitatem ex defectu lenitatis, nisi aliquid faciant, vt ministri publici iustitiæ. Hæc omnia Turrianus.

Igitur secundum Vasqu. & Turrianum nullum ius imponit irregularitatem priuatis personis ex defectu lenitatis, sed iura, in quibus supponitur hæc irregularitas, loquuntur tantum de ministris iustitiæ, & iis, qui concurrunt ad causæ probationem, vel pœnæ executionem. Vnde ex hoc principio deducitur. Resolutio multorum casuum contra præfatos Doctores, & sic non incurrit irregularitatem, si quis ei, qui plectendus est capite, dicat, vt supponat caput ad excipiendum ictum, & idè citiùs supponat. Item si quis dicat carnifici, vt aliquid aptet, quo citiùs is, qui morte plectitur, extinguatur. Item si quis, dum reus ad supplicium ducitur, consilium det capiendi viam breuiorem, quod illud subeat citiùs, aut sollicitet accelerari executionem iustitiæ: dicendo, v. g. horam esse tardam, vel populum nimis detineri. Item vendentes vel commodantes scalam, funes, enses, sagittas, & similia instrumenta ad mortis executionem. Et idem dicendum est de eo, qui fecit furem; quidquid in contrarium asserant in supradictis casibus Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. par. 2. de irregularitate, dub. 5. concl. 3.* Bonac. de *cenfuris, disp. 7. qu. 4. punct. 1. n. 9.* Nauarrus, Auila, Henriquez, Reginaldus, & alij vbi supra. Ratio verò horum omnium erit, quia in his casibus potest incurri irregularitas, vel ex homicidio iniusto, vel ex defectu lenitatis; non primum, quia suppono supradictos non peccare; non secundum, quia non operantur, vt ministri iustitiæ. Ergo nullam irregularitatem incurrunt.

Non grauabor tamen hic adnotare contra aliquos ignaros Sacerdotes, posse sine periculo irregularitatis, ministrantes infirmis vertere eos ex latere ad latus, vel transmutare de lecto ad lectum, vel eis cibum, & potum porrigere, licet ex his actionibus præter intentionem mors citiùs sequatur, dummodo hæc omnia, cum cautela, quæ communiter à prudentibus adhibetur, efficiantur ab ipsis. Et ita docent Reginaldus in *praxi. tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 9. n. 102.* Megala in *3. part. lib. 7. cap. 1. q. 5. n. 56.* Filiucius *tom. 1. tract. 19. cap. 10. num. 278.* qui citat Caietanum, Sotum, Nauarrum, Toletum, Armillam, & Suarez.

Vndè non benè Comitulus *lib. 6. qu. 52. n. 2.* vt optimè obseruat Filiucius, damnauit de irregularitate Sacerdotem pium, qui iacentem in via conspicius, & accurrentibus aliis consuluit, vt illum erigerent, qui dum sustolleretur, mortuus est.

Et hæc dicta sufficiant circa præsentem quæstionem, quam, vt in principio dixi, non parum gratam lectoribus fore existimo; sed ex dictis alia similis quæstio discutienda erit; quæro igitur.

An Confessarius, & responsor casuum conscientie sit irregularis, si interrogatus à iudice, an sit obligatus ad occidendum reum, respondeat esse obligatum?

RESOL. LXXX.

Esse in tali casu irregularem tenent Auila de *cenfuris part. 7. disp. 5. sect. 2. dub. 6. concl. 2.* & Henriquez de *irregular. lib. 14. cap. 16. n. 4.* vbi docent, quòd Clericus consultus de casu aliquo in particulari, ne dicat iure reum licitum occidere, sed respondeat consulendos esse Iuriconsultos. Aliqui verò, vt Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. p. 2. de irregularitate, dub. 5. conclus. 4.* Molina de *iust. tom. 4. tract. 3. disp. 74. n. 4.* & alij, quos citat, & sequitur Bonacina de *cenfuris, disp. 7. quæst. 4. punct. 1. num. 7.* asserunt

asserunt in tali casu Clericos interrogatos posse dicere, quid sentiant leges in communi, nil aliud præcipiendo, vel consulendo in particulari, vel dicendo quid ipsi sentiant.

Sed ego puto in tali casu Confessarium, vel alium Doctorem non incurrere irregularitatem, etiamsi respondeat in particulari adesse obligationem, occidendi eum. Et ita docet Vasquez, qui apud me instar omnium est, quem citat, & sequitur nouissimè Turrianus de censuris lib. 9. disp. 66. dub. 4. vbi sic asserit. Solet quæri, an incurrat irregularitatem vir doctus, qui interrogatus à iudice, an sit obligatus ad occidendum aliquem, respondeat esse obligatum? Ego censeo non incurrere, etiamsi expressè dicat iudicem obligari ad occidendum; quia non est ius, ex quo colligatur non incurri, si interrogatus respondeat esse obligationem seruandi leges eius materia; & incurrere, si expressè dicat esse obligationem occidendi; & hoc sentit P. Vasquez, & multi alij huius ætatis. Ita Turrianus.

Et reuera, vt ille etiam bene asserit in 2. 2. tom. 1. disp. 93. dub. 2. consideratis circumstantiis rerum, si quis euoluat illam inuolutam responsionem de obligatione legis in communi, planè intelliget sibi dari consilium de occisione iusta in particulari; neque apparet caput, vt dictum est, in quo liceat responsio illa confusa de obligatione seruandi legem in communi, & non expressa de obligatione seruandi talem legem in particulari imponentem pœnam homicidij. Et certè seuerè valde geretur cum Doctore, vel Confessario, si propter responsionem de obligatione exgressa in prædicto euentu imponeretur irregularitas. Adde etiam quòd, vt dictum est in superiori resolutione, illi solum incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, qui vel sunt necessarij ad causam iudicalem, vel vt ministri iustitiæ assistunt exequutioni mortis. Sed tales non sunt in casu nostro Confessarius, & Consultor casuum conscientia. Ergo non incurrunt irregularitatem, etiamsi expressè respondeant in illo casu particulari, de quo interrogati sunt, iudicem, seu alium esse obligatum ad aliquem occidendum.

Ex his infertur contra Bonacinam de censuris disput. 7. q. 4. punct. 1. n. 18. Nauarrum, Couarruuiam, Auilam, & alios, non esse irregularem eum, qui detegit malefactorem, vel clamat adesse latronem, vt comprehendatur, nisi quando qui manifestat, esset accusator, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel hoc faceret vt minister iustitiæ, & ita docet Turrianus vbi supra de censuris, qui respondet ad cap. tua nos, de homicidio. Notentur hæc à Confessariis, quia noua, practicabilia, & probabilia sunt; & in alijs libris minimè obuia.

An Clericus voluntariè percutiens se ipsum incurrat in excommunicationem Canonis, si quis suadente?

R E S O L. LXXXI.

Affirmatiuam sententiam docent 30. Doctores, quos citat, & sequitur Carolus de Grassis de effectibus Clericatus effect. 9. n. 82. quibus ego addo Suarez de cens. disp. 22. sect. 1. num. 59. Molinam de iust. tom. 4. tr. 3. disp. 51. num. 4. Layman in Theo. mor. lib. 2. tr. 5. part. 2. c. 5. num. 5. Filliucium tom. 1. tract. 15. cap. 1. n. 33. Reginaldum tom. 1. lib. 1. cap. 1. num. 209. Auilam de cens. p. 2. c. 5. disp. 3. lib. ... dub. 12. Bellettum in disquis. cler. p. 1. tit. de fauore Clericorum. Canon. §. 1. n. 11. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 2. c. 9. §. 20. n. 20. Sayum de censuris lib. 2. c. 26. n. 10. Gypium de cas. refer. cap. 3. n. 27. Guttierrez de iuram. confirmatorio part. 1. c. 16. num. 64. Raynerium in Catalogo censurarum cap. 9. excom. 1. not. 6. Villalobos in summ. tom. 1. tr. 17. diff. 22. n. 10. & alios penes ipsos. Probatum hæc opinio; primò, quia Canon, si quis suadente, non tam in fauorem personæ, quàm in fauorem ordinis clericalis effectus est, vt patet ex cap. contingit, de sent. excom. ergo Clericus, qui voluntariè percutit se ipsum, incurrit in excommunicationem, quia non nequit ad hoc consentire, cum iniuria fiat toti ordini clericali. Secundò, probatur ex can. si non licet 23. q. 5. vbi habetur, plus esse homicidam, qui se occidit, quàm qui occidit alium; ergo, &c.

Sed his non obstantibus negatiuam sententiam nouissimè putat esse probabiliorem Turrianus de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 2. Primò, quia prædictus Canon, si quis suadente, manifestè loquitur de persona distincta à percutiente Clericum. Secundò, quia oppositum nullo iure probatur, nam c. contingit, loquitur de actione iniuriosa, de qua loquitur Canon, si quis; & hic, vt dixi, de actione alterius personæ loquitur.

Neque est idoneum fundamentum in eo capite ad dicendum, talem censuram ligare Clericum se ipsum percutientem, aliud verò maioris momenti est; sed dico, quòd licet dicatur magis homicida, qui se ipsum interficit, quàm qui interficit alium; tamen hoc nihil refert ad probandum in prædicto canone, si quis suadente, sermonem esse etiam de ipso Clerico se percutiente, & hoc multi putant probabile. Hæc omnia Turrianus, & ante illum ex neotericis docet etiam hanc sententiam doctus Barbosa in collect. tom. 4. part. 2. decreti, causa 17. q. 4. n. 38. & 39. qui probat hanc sententiam ex ipsomet c. contingit, & respondet ad argumentum, quòd hoc priuilegium sit necessarium Ordini Clericali, & quòd non possit à Clerico renunciari; lege illum, & non pigebit.

Sed quidquid sit de hac opinione, non grauabor tamen hic obiter adnotare celebrem doctrinam Ludouici Molinæ de iust. tom. 4. tr. 3. disp. 51. n. 4. qui ex Caietano meritò affirmat Monialem, quæ potione, aut venæ scissione abortum intendit, non incurrere hanc excommunicationem, eo quòd ea manus iniectio in se ipsam sui comparatione violentia, iniuriosa, ac contumeliosa non sit, quippe cum volenti, & consentienti, violentia iniuriosa, ac contumeliosa non sit; neque item iniuriosa est statusi Ecclesiastico; ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter contra Duardum in Bull. Cæn. q. 8. n. 8. & q. 22. num. 2. Cardialem se ipsum percutientem, aut vulnerantem non incurrere in excommunicationem dictæ Bullæ, & ita probabiliter docet nouissimè Bonacina tom. 3. disp. 1. q. 12. punct. 3. n. 3.

An percutiens Clericum, qui non habet beneficium neque requisitum Concilij Tridentini, incurrat in excommunicationem?

R E S O L. LXXXII.

Affirmatiuè respondendum est, quia in tali casu Clericus amittit priuilegium fori, non autem canonis, vt declarauit sacra Congregatio, id testante Antonio Cardinali Caraffa in quadam Epistola directa ad Paulum Comitolum, vt habebatur in suis resp. lib. 6. q. 20. vbi sic ait. [Quanto al secundo, la Congregazione ha sentito, che i chierici, che mancato nelle cose contenute nel cap. 6. sess. 23. del Concilio, no godano il priuilegio del foro, no per questo s'intendono priuati del priuilegio del Canone, si quis suadente Diabolo.] Et ita etiam hanc sententiam docent Nauarrus lib. 5. conf. 24. de priuileg. edit. 2. Molina de iustitia, tom. 4. tract. 3. disp. 54. num. 9. Auila de cens. part. 2. cap. 1. disp. 2. dub. 9. concl. 3. & alij.

Sed non desunt Doctores, qui negatiuam sententiam tanquam probabilem admittunt, & ita tenent Bannez in 2. 2. q. 12. art. 1. circa, finem, Suarez disp. 22. sect. 1. d. 11. Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 15. num. 163. & nouissimè Layman in Theo. mor. lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 4. vbi sic asserit. Probabile est, nullum prima tonsura initiatum, aut in minoribus ordinibus constitutum gaudere priuilegio Canonis, nisi vel Ecclesiasticum beneficium habeat, vel Clericalem habitum, & tonsuram desere solitus alicui

R Ecclesiæ

Ecclesie ex mandato Episcopi deseruiat, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, cum licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines verferet. Ita ille, & rationem affert. Primò, quia priuilegium fori difficilius amittitur, quàm priuilegium canonis; ergo si Concilium auferat illis Clericis fori priuilegium, dicendum est etiam auferre priuilegium Canonis tanto magis, quia priuilegium Canonis ex humano iure inductum est, priuilegium verò fori ex diuino; at his non obstantibus tu primam sententiam tene, stante declaratione Illustrissimorum Cardinalium.

Quis consuluit homicidium cuiusdam Clerici, & postea serio tale consilium reuocat, queritur ex homicidio sequuto an incurrerit in excommunicationem, in irregularitatem, & obligationem restituendi?

R E S O L. LXXXIII.

Plura est hæc quæstio, & ex illa à Confessariis multi casus benignè si opus erit resolui possunt; ideo probabiliter negatiuè respondendum esse puto. Et ratio est, quia quando consulens fecit, quod potuit, vt prius consilium euertat, vel ostendat omnibus consideratis esse iniquum, & non amplectendum, non videtur in tali casu exequutor ipsius consilio moueri, sed potius sua malitia. Et ideo contra Nauarrum in *man. cap. 27. n. 253.* & alios, hanc sententiam quoad excommunicationem tenent Layman in *Theol. mor. lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 7.* Auila de *cenfuris part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 7. concl. 3.* & alij. Idem quoad irregularitatem contra Molinam *tr. 2. tom. 3. poster. disp. 731.* Toletum *lib. 1. cap. 85.* & alios tenent D. Antoninus in *3. p. tit. 28. c. 2. §. 2.* Syluester *ver. homicidium 2. n. 11. §. 3. & n. 12. in fine.* Petr. Nauarra de *rest. lib. 3. c. 1. n. 27.* & hanc sententiam probabilem vocant Lessius *lib. 2. c. 13. dub. 1. n. 17.* & Layman *loc. cit.* Et tandem quoad obligationem restituendi, liberant enim consulentem, qui serio consilium suum reuocauit, non ignobiles auctores, vt Tannerus in *2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 15. n. 394.* Salonius in *2. 2. q. 62. art. 7. contr. 6.* & expressius Petrus Nauarra de *rest. loco cit.* Emmanuel Sà *ver. restit. n. 11.* contra Malderum in *2. 2. tr. 4. c. 2. dub. 3.* & hanc sententiam cum Lessio probabilem etiam vocat Layman; vt reuera est.

Concludendum est igitur cum dicto Layman in gratiam Confessariorum ad tollendos omnes scrupulos, quòd qui alteri propositis rationibus homicidium iniustum persuasit, si eas postea serio, & quatenus potest efficaciter retractauit, sequuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, nec in irregularitatem, nec etiam probabiliter in obligationem restituendi incurrit.

An consulens furtum, aut homicidium, & dubitans an ex suo consilio sequutum sit furtum, aut mors, teneatur restituere?

R E S O L. LXXXIV.

Affirmatiuè respondent Salas in *p. 2. tom. 2. tract. 8. disp. 1. sect. 23. num. 249.* Naldus in *summa ver. consilium, n. 13.* Mascardus de *probat. tom. 1. concl. 419. n. 9.* Co-uar. in *Clem. si furiosus, p. 2. §. 2. n. 1.* Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 21. n. 17.* & Sancius in *select. disp. 41. n. 14.* vbi sic asserit. Ille qui consulit furtum, aut homicidium, vel aliter adiuuit, tenetur ad restitutionem damni, licet dubitet, num ex suo consilio fuerit sequutum homicidium, vel furtum? Nam cum constat de iniusta actione consulentis, quæ apta est ad effectum producendum, & ex natura sua illum assequitur, dum de effectu subsequuto constat, possessio est pro actione illa iniusta, quòd effectum assequuta fuerit. Ita Sancius, & multi alij, probabiliter quidem.

Sed probabilem contrariam sententiam etiam esse puto, quam tuentur Syluester *ver. rest. 3. q. 6. dist. 2.* Medina

C. de rest. q. 7. ante ver. si autem consilium. Filliuc. *tom. 1. pract. 2. c. 4. n. 167.* Rebellius *p. 1. lib. 2. q. 14. sect. 2.* Sayrus in *Clauis Regia lib. 10. tr. 2. c. 8. n. 1. in fine,* & Nauarra *lib. 3. cap. 4. dub. 4. in 2. edit. n. 48. vers. 58.* vbi sic asserit. Si dubium est, an positiuè, & efficaciter contulerim ad damnum, vel an fuerim causa sine qua non; respondeo, quòd non teneor, quoniam in dubiis maximè in materia iustitiæ melior est conditio possidentis, vnde solum tenetur, quando certus est saltem moraliter, quòd ab eo actio iniusta efficaciter processerit, quòd non obscurè docet D. Thomas in *2. 2. q. 52. art. 7.* dicit. Tunc solum tenetur, cum probabiliter æstimari potest, quòd ab eo actio iniusta sit subsequuta; quòd licet solum doceat de quatuor causis, tamen de omnibus esse accipiendum dicemus. Sic Nauarra, & post illum ex Societate IESV docent etiam hanc sententiam Tannerus in *2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 14. n. 395.* Emanuel Sà *ver. restitutio, n. 25.* & Henriquez *lib. 14. c. 3. n. 4. in fine,* & in glossa *litera B.* Dicendum est igitur probabiliter cum supradictis Doctoribus, quòd si quis dubitat, an fuerit damni causa, minimè ad restitutionem tenetur.

Notandum est tamen cum Molina *tom. 3. disp. 736. n. 6.* quòd etiam stando in prima opinione, ita consulentem non teneri restituere totum damnum, sed partem pro quantitate dubij, & Sayrus de *cenf. lib. 7. cap. 3. num. 2.* cum Henriquez *lib. 14. cap. 16. n. 3.* illum excusant à tota restitutione, si homicida ei asserat ad homicidium perpetrandum non fuisse motum eo consilio; licet Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 1. c. 10. num. 44.* doceat hoc esse verum, quando homicida est fide dignus, vel aliæ coniecturæ concurrant; sed ego, vt dixi, absolutè teneo in tali dubio consulentem post adhibitam diligentiam, si adhuc dubius remaneat, ad nullam teneri restitutionem.

Notandum est etiam hinc obiter contra Caienanum in *2. 2. q. 62. art. 7.* Medinam de *rest. quest. 7. & 8.* & Sotum de *iust. lib. 4. q. 7. art. 3.* quòd qui alterum certo proposito determinatum ad damnum inferendum suo hortatu magis adhuc confirmauit, non obligatur ad restitutionem: & hoc verum puto contra Vasquez *opusc. de restit. cap. 9. §. 1. dub. 2. n. 32.* Molinam *disp. 736. n. 3.* & alios; etiam si hortatu suo causa fuerit vt citius, aut expeditius damnum inferretur: quòd si contra Molinam *loco cit. n. 2.* & Adrianum in *4. de restit. vbi de concurrentibus cum fure dub. 1.* quòd si inquam, suasionem, vel hortatu causa fuerit, vt maius damnum inferatur, quàm alioquin illatum fuisset, tenetur tantum de excessu: & horum omnium rationem adducit Layman in *Theol. mor. lib. 2. sect. 5. tr. 2. cap. 5. n. 2.* & alij penes ipsum.

Ex his inferitur à fortiori, quòd qui furi ascendenti scalam teneat, quam etsi nemo teneret, tamen ascenderet vel si alicui obsequium præstet in asportando res furtiuas, quas sine cuiusquam subsidio auferret tamen, & furaretur, in his, inquam, casibus, & similibus, talis non tenetur ad restitutionem, quidquid in contrarium asserat Vasquez *opusc. de restit. c. 9. §. 2. dub. 2.* quia talis cooperatio fuit tantum materialis in effectum formaliter non influens: quia sine ea hoc numero damnum ab hoc damnificante iam illatum fuisset. Et ita docent DD. quos citat & sequitur doctus Layman *vbi supra.*

An liceat conari fricationibus ad semen corruptum expellendum, etiamsi inde sequatur veri aliqua seminis emissio?

R E S O L. LXXXV.

Affirmatiuam sententiam docuerunt multi viri docti Societatis IESV, quos citat, & sequitur Sanchez de *matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 17. n. 19.* & post illum docent etiam hanc sententiam Bonacina de *matrim. quest. 4. punct. 10. n. 11.* vbi sic ait. Secundò foeminam, quæ propter semen corruptum patitur accidentia venenosa, sequitur posse conari fricando, vel adhibendo medicamenta

ad expellendum semen corruptum, quod est noxium sanitati, etiamsi inde sequatur veri seminis emissio; nam illa emissio sequitur per accidens ad expulsionem seminis corrupti, quod est sanitati noxium, modò non sit periculum consensus in delectationem, vel in pollutionem, & modò constet semen illud corruptum esse. Sic Bonacina, & nouissimè hanc opinionem tenet etiam doctus Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 40. diff. 16. n. 4.* sic asserens. [Duda es, si semen est corruptum, ex quo in vase retento paritur mulier accidentia venenosa, an liceat conari illud expellere, vel fricatione partium, vel intromissione digitorum vsque ad os vteri. Alo qual se responde con distincion, porque quando procede que semen peccat in quantitate, non licet, quia est verè semen. Mas si verdaderamente esta corrupto, licito es procurar expelerle de las maneras dichas, y otros remedios, por que ya no es verdaderamente semen, pues esta corrupto, y no se hà de hazer caso de que de camino y pràter intentionem se figua juntamente veri seminis emissio, quia datur opera rei licitæ.] Ita Villalobos; cuius sententiam ex multis rationibus approbat Sancius *in select. disp. 21. n. 30.*

Sed si dubium esset, num in quantitate, an in qualitate peccaret, asserunt non licere, si dubium ita esset, vt docti medici neutri parti acquiescerent, quia tunc semen est in possessione, quod verum, & aptum generationi sit; cum hæc qualitas suapte natura illi insit. Si verò probabiliter opinarentur illud in qualitate peccare, quamuis cum alterius partis formidine, id putant licere; nam opinionem probabilem quis tutò amplecti potest. Et ita docent Sanchez, & Bonacina *vbi supra*, & Reginaldus *infra*.

His tamen non obstantibus Sanchez postea *in sum. tom. 2. lib. 5. c. 6. n. 12.* mutauit sententiam, & docuit non licere iuuare naturam fricationibus ad expellendam qualitatem morbidam, in quam semen iam corruptum transit; & hanc sententiam docuere etiam ex eademmet Societate Rebellius *par. 2. lib. 3. q. 19. sect. 3.* & Ioannes Salas *in part. 2. tom. 2. q. 74. tr. 13. disp. 6. sect. 15. n. 90.* vbi post multa, sic tandem concludit. Mihi magis placet illicitum esse semen quantuncunque corruptum cum venerea voluptate emittre, etiamsi de corruptione certitudo esset. Sic ille, & ego; concedit tamen Sanchez, & Filliucius *tom. 2. tract. 30. cap. 8. n. 150.* hoc fieri posse cum medicamentis, non autem fricationibus, vide etiam Zanardum *in direct. Theologorum, part. 2. de sacram. matrim. cap. 41. verb. 11.* & Reginaldum *tom. 2. lib. 22. cap. 3. num. 40.*

Notandum est tamen hic obiter quod Sancius *in selectis, disp. 21. n. 33.* Reginaldus & alij, *vbi supra*, docent non peccare mortaliter mundantem verenda à lanugine, & sanguine menstruo, ne pruritus, aut foetorem patiantur, quamuis inde præter intentionem subsequuta videtur pollutio, secluso consensendi periculo.

An omnes milites alicuius exercitus depradantes urbem teneantur in solidum ad restitutionem?

R E S O L. LXXXVI.

Affirmatiuè respondent Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 62. art. 7. §. de participante*, & Layman *in Theol. mor. lib. 3. tr. 2. cap. 6. num. 1.* qui citat Adrianum, Gabrielem, Caietanum, Sotum, Couarruiam, Angles, & Molinam. Hanc etiam opinionem docet Adamus Tannerus *in 2. 2. D. Thome, disp. 4. q. 6. dub. 14. n. 396.* qui singuli efficaciter, etiam si non totaliter, ad totum damnum concurrunt, cum vnus alteri præter fiduciam, auctoritatem, aut qualemcumque opem, nec vnus sine aliis facinus aggredi ausus fuisset. Nec obstat si miles dicat, Etsi ego non interfuissem, nihilominus vrbs ab aliis direpta fuisset; nam ita omnes & singuli se excusare possent, atque totus exercitus restituendi obligationem effugeret, quod falsum est, *Arton. Diana Ref. Mor. Pars III.*

Secundò nihil iuuat, si iidem milites se excusare vellent, dicendo, Etsi nos Duci non militati essemus, & ad iniustam direptionem non concurrissemus, tamen alij non defuissem, à quibus idem damnum illatum fuisset; nam sicut illi alij tunc restituendi obligationem contraxissent, ita nunc de facto istos contrahere dicendum est.

His tamen non obstantibus ego supradictos milites non obligarem ad totam restitutionem; & ita hanc sententiam tenent Vasquez *opusc. de restit. cap. 9. num. 35.* Petrus Nauarra *lib. 3. cap. 4. n. 53.* Nauarrus *cap. 17. n. 20.* Paludanus *in 4. dist. 15. q. 2. art. 5.* & Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 4. n. 37.* vbi sic asserit: Miles gregarius non tenetur, nisi de damno, quod ipse in bello iniquo dedit, non autem ad totum illius belli. Non obstat, quòd singuli iuuerint ad iniquam expugnationem, & ingressum in urbem, quia solum iuuerunt faciendo partem suam, non autem procurando, vt alij suam in illo damno facerent, aut urbem expugnarent; vnde sicut iste non est causa damni, nisi ratione partis quam ipse intulerit, ita non tenetur ad restitutionem, nisi pro sua parte. Sicut enim totus exercitus est causa totius damni, ita singuli suæ tantum partis, nisi alia ratione alios iuuerint, vel incitauerint. Dux tamen tenetur ad totum, quòd per milites illatum est, quia vel eos ad hoc direxerit, vel si non direxerit, saltem tenebatur ex officio impedire. Ita Lessius, satis quidem probabiliter.

An sit peccatum mortale desiderare pollutionem in somnis, aut de illa sic habita gaudere ob aliquem bonum finem?

R E S O L. LXXXVII.

Affirmatiuè respondet Sotus *in 2. dist. 12. q. 1. art. 7.* Medina *in part. 2. q. 74. art. 6.* Azorius *p. 3. lib. 3. c. 24. q. 3.* Ledesma *in 1. part. 4. q. 21. art. 7. aub. 6.* Zumel *in p. 2. quest. 74. art. 8. disp. 4. dub. 4.* Rodriguez *in summ. tom. 1. cap. 211. num. 3.* & nouissimè doctus Franciscus Syluius *in 1. 2. D. Thome, quest. 154. art. 5. concl. 5.* quia pollutio ex se, & ex obiecto, & natura sua est mala; ergo sicut propter valetudinem, vel aliam rationem non licet desiderare vt fornicatio tibi eueniat in somnis, neque etiam licet desiderare pollutionem. Probo consequentiam, nam quod est per se, siue ex obiecto malum, non potest voluntariè desiderari propter quemcumque bonum finem, quia consensus in tale malum, non potest non esse malus; alioquin liceret desiderare adulterium, homicidium, & huiusmodi propter aliquem bonum finem, vt ea tibi dormienti acciderent.

Sed his non obstantibus contrariam sententiam probabiliorē esse puto, quam tuentur 22. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 1. c. 2. n. 8.* quibus ego addo Sancium *in selectis, disp. 21. n. 45.* Tannerum *in p. 2. D. Thom. disp. 4. q. 8. dub. 7. n. 145.* Villalobos *in summ. tom. 2. tr. 40. diff. 16. n. 144.* Filliucium *tom. 2. tr. 30. cap. 8. n. 10.* Reginaldum *tom. 2. lib. 22. cap. 3. n. 41.* Ioan. de la Cruz *in direct. conscientie, part. 1. prec. 6. art. 8. dub. 10. concl. 2.* Layman. *in Theo. mor. lib. 3. sect. 4. num. 17.* Grano *in part. 2. D. Thome, contr. 6. tractat. 4. disput. 6. num. 6.* & Fernandez *in examin. Theol. moral. part. 4. cap. 1. §. 4. num. 3.* Et ratio est, quia talis pollutio sola via naturali consequens, non est ex se peccatum mortale, nec habet malitiam obiectiuam mortalem; sed eam habet certo solum modo (via scilicet naturali causata;) quocirca à ratione contraria mortale esset desiderare, vt præter naturam ab alio quamuis amante, vt sibi etiam dormienti pollutio prorumperet. Deinde non infrequens est, quòd ob honestum finem liceat desiderare effectum aliquem per causas naturales euenire, & de eueniente gaudere, quem tamen efficaciter intendere, aut procurare nunquam liceret; & ideo si legitimus Rex cum multorum ruina Rempubicam administrat, licitum

est boni, communis causa optare simplici affectu, vt moriatur, aut eo mortuo gaudere; cum tamen mortem ipsi procurare non liceat. Ergo, &c.

An licitum sit aspicere coitum bestiarum, seu verenda turpiter commota, & quid de coitu, & verendis aliorum?

R E S O L. LXXXVIII.

AD hanc quaestionem ita respondet ex Sanchez Iacobus Granado Societatis IESV in suis doctis commentariis ad part. 2. D. Thom. Contr. 6. tract. 4. disp. 7. num. 3. vbi sic ait. Non damnatur de mortali inspicere verenda bestiarum etiam turpiter commota. Quod verò attinet ad coitum, licet sine necessitate sit mortale studiosè aspicere concubitum licitum, vel illicitum hominum, eo quòd nimium sensualitatem commoueat, & sit periculo nimis obnoxium; de coitu verò bestiarum videtur id de se non esse mortale, quia non multum prouocat ad luxuriam. Denique aduerto non esse mortale aspicere vllum coitum ita breuiter; & quasi per transfennam vt non sufficiat ad notabilem commotionem; & idem dicendum est, si ille qui aspicit, attenta propria complexione non subit periculum praedictae commotionis. Ita Granado, qui etiam addit peccatum mortale esse ex proposito; & sine necessitate aspicere personam alterius sexus nudam, vt si vir foemina, & foemina virum intueatur. imò, & si solum videat verenda illius; quia id valde pugnat cum honestate naturali; & quia est notabilis causa magnae commotionis sensualitatis. Putat tamen hoc non esse mortale in eo, qui ob curiositatem adeò leuiter, & per transitum aspicit, vt non sit occasio dictae commotionis; similiter si attenta aetate, vel complexione, quis prudenter sibi persuaderet nullum esse periculum magnae commotionis, non damnaretur ad mortale, etiam si ex proposito inspiceret. Ita ille. Sed in his materiis cautè procedere, & fuge.

Quid sentiendum de tactibus, & osculis in ex solutos?

R E S O L. LXXXIX.

Communis sententia Doctorum affirmat esse peccatum mortale; tangere immediatè vterius viri, aut foeminae verenda, quia id de se valde prouocat luxuriam, & commouet sensualitatem; & idem de tactibus, quibus quis immediatè tangeret verenda propria: excusabuntur autem omnes praedicti tactus à mortali, si fiant ex aliqua necessitate, aut ex leuitate animi, ita breuiter, vt non habeatur periculum magnae commotionis, & eodem modo excusatur à mortali qui tangeret verenda super vestem, non intenta vlla maiori delectatione, quam sit illa, quae prouenit ex actu mediato. Alij verò tactus ex se notabiliter commouentes sensualitatem, videntur etiam mortales, sicut oscula; & amplexus: eiusmodi autem sunt, si vir tangat crura, vel vbera foeminae; alij verò tactus leuiter commouent sensualitatem, & hi excusantur à mortali, vt si vir tangat digitum, vel manum foeminae; similiter, & conficere partes obscenas brutorum, non videtur communiter mortale. Et haec omnia docet Iacobus Granado Societatis IESV in 1. 2. D. Thomae contr. 6. tract. 4. disp. 7. n. 5. & 6. & alij penes ipsum.

Vnde ex his secundum aliquos excusantur à mortali, qui ioci causa inter natandum arripiunt inter se pudenda, vel leuiter tangunt nates, quia ait Sanchez de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 46. n. 12. in tali casu deficit animus libidinosus, nec tanta versatur indecentia, & inhonestas, ac inter personas diuersi sexus, & secundum Granado vbi supra, haec omnia efficiuntur breuiter ex leuitate animi: vnde Filliucius tom. 2. tract. 30. cap. 9. n. 200. sic asserit.

Non facile damnarem eum, qui simpliciter tantum tactu secretiores alterius partes in transitu tangeret.

Sed aliquibus magis placet sententia Francisci Syluij in 2. 2. D. Thom. quest. 154. art. 4. concl. 3. vbi ita ait. Quamuis si vir viri, aut foeminae partes inhonestas tangat ob delectationem mortale peccatum sit; si tamen ex leuitate facerent, vel ioco, abique villo periculo delectationis, aut motus carnalis, verisimile esse quòd solum peccarent venialiter, opinatur Sanchez. Quod putamus admitti posse, si valde leuiter; & quasi per transfennam hoc fieret; non autem si omnino deliberatè, quia talis leuitas, & iocus delibertatus est nimis turpis, & periculosus. Ita Syluius. Sed in his materiis cautè procedendum est, & ideo omnia supra dicta fuge, & deuita: nec in his materiis, vt supra probatum est, admittenda est paruitas materiae.

An liceat viro honorato occidere inuasorem, qui sustem, vel alapam nititur impingere, si aliter hac ignominia vitari nequit?

R E S O L. XC.

Affirmatiuam sententiam docent Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 12. n. 77. Sotus, Syluester, Lopez, Nauarrus, & alij penes ipsum: quia hic conatur auferre honorem, qui meritò pluris apud homines aestimatur, quam damnum multarum pecuniarum: sed si potest occidere, ne damnum pecuniarum accipiat: potest etiam, ne hanc ignominiam cogatur sustinere.

Sed aduersus Lessium insurgit nouissimè Tannerus in 2. 2. D. Thomae, disp. 4. quest. 8. aub. 4. num. 74. vbi sic ait. Non etiam placet, quod absolutè dicit Lessius, fas esse viro honorario occidere inuasorem, qui sustem, vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat, si aliter vitari haec iniuria nequit, tum quia fieri potest, vt si res in occulto agatur, ea re parum honor laedatur, tum quia etiam laesus ita honor via iuris; aut aliis modis recuperari potest.

An liceat verò praenire aggressorem, & eum priusquam inuadat occidere, negatiuè respondet Syluius in 2. 2. D. Thomae, q. 4. art. 7. queritur 6. vbi sic ait. Probabilior est non licere praenire inimicum, quam tumuis paratum, donec actu inuadat, & aggrediatur: praenire namque inimicum non te inuadentem, non est te defendere, nemini autem priuato licet alium occidere, nisi in necessariam defensionem: ergo non licet inimicum praeniendo ipsum occidere. Ita Syluius, qui tamen contrariam sententiam, tanquam probabilem videtur admittere: nam suam tantum probabilior vocat, & illam docet Bannes in 2. 2. quest. 64. art. 7. dub. 4. conclus. 2. vbi sic asserit. Postquam iam aggressor fecit aliquam actionem, parando mihi insidias, quas ego aliter effugere non possum, nisi occidendo illum: tunc licitum est mihi medio tempore, antequam instet meum damnum, occidere insidiantem, etiam si pro tunc quietus sit. Ratio est, quia tunc propriè loquendo, est defensio vitae meae: nam profectò moraliter loquendo, ille est actualis aggressor. Ita Bannes. Sed haec sententia aliquibus, & mihi etiam displicet, vnde tene sententiam Syluij negatiuam.

An reus teneatur iudici respondere, si testium depositio non notificetur?

R E S O L. XCI.

Nic casus frequenter solet accidere, & erit Confessariis perutilis, ideo respondeo negatiuè: quia ei non constat, quòd iuridicè interrogetur, vnde teneatur respondere: & ita docet Ioseph. Aldrete Societatis IESV de religiosa disciplina tuenda, lib. 2. cap. 4. num. 7. vbi sic ait. Exigitur quòd reus nouerit se iuridicè interrogari, propter quam causam asserunt necessarium esse, quòd

quòd testium depositio reo notificetur, vt sciat ad obediendum se teneri. Ita Soto, Nauarrus, Corduba, Salzedo, Toletus, Nauarra, & alij; hoc autem necessarium non esse voluere nonnulli, vt Lopez, Areualus, Iulius Clarus, Gutierrez, & alij. In qua quæstione minimè necessarium putamus, quòd verius sit, in stricta disputandi ratione indagare, cum reus tot pro se habeat grauissimos Doctores; & si iudices consueuerint eorum non admittere opinionem, id efficit; vt ita è contrario, & interroganti, rei delicta semper occultare non vereantur. Quapropter consultius est tutiorem eligere viam, eam nimirum quæ plenè demonstrat, eos omnino teneri ad veritatem confitentiam propter testium depositionem ipsis notificatam, ne rei propter contrariam opinionem illi fauentis, veritatem occultent. Sic Aldrete.

Et ita docent Caietanus, & Aragon. in 2.2. quæst. 69. art. 2. Ioan. de la Cruz in direct. part. 1. pr. 8. art. 3. dub. 9. concl. 1. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 3. c. 7. n. 15. Salon. in 2.2. tom. 1. quæst. 69. art. 2. contr. 2. concl. 2. Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 10. Segura de Auolos in direct. indic. par. 2. cap. 14. num. 30. & Ludouicus Miranda in ordine iudiciario tom. 2. quæst. 19. art. 13. concl. 1. quem omnino vide. Dicendum est igitur, quòd indiciorum, semiplenæ probationis copia reo tradenda est; vt inde veritatem probare astringatur, aliàs non tenetur verum dicere; vnde ait Segura *vbi supra*, n. 31. Omnes vtriusque fori iudices in hoc errant, quia nunquam indiciorum copiam delinquentibus ostendere solent, ante eorum confessionem recipiendam, ex quo rei iuste possunt veritatem in iudicio denegare, Sed mihi cum Salzedo in *pract. crim.* c. 126. littera C. summopere placet ea forensis practica, qua Ecclesiastici, & sæculares iudices Deum timentes vti solent vt ante confessionem receptam minimè præcipiant informationis copiam dari, sed tantum Tabellioni, vel Notario præcipiunt, quòd testium depositiones absque eorum nominibus coram reo legat, vt inde compertum habeat, quid contra ipsum probatum sit, & veritatem fateatur. Ita Salzedo, quod vtinam Iudices obseruent! Vnde si non obseruant, miserrimè in hoc falluntur, & ideo possunt Confessarij reos absoluere, qui veritatem in tali casu confiteri nolunt; & ratio horum omnium erit, nam qui bonam suam famam, honorem, & vitam iure possidet, nullo adstringitur iure illa dimittere, quo ad vsque sibi innotescat alienum ius, & qui contrarium faceret, imprudens esset nimis; sed in proposito casu reus iure omnia ista possidet; ergo quòd vsque per statum processus sibi constet, & innotescat ius, quo iudex potest illum interrogare, non tenetur se ipsum prodere, aut veritatem ei dicere. Nota tamen quod Ioseph à S. Maria in *Tribun Relig. tractat. 4. cap. 17. §. 3.* docet omnia supradicta esse vera in ordine ad reos sæculares, non autem si agatur cum Regularibus; sed fallitur quidem; nam DD. citati loquuntur etiam in causis Regularium.

An qui fecit contractum usurarium, bona fide credens esse iustum, possit tantum lucrum retinere, quantum acquisiisset per contractum licitum?

RESOL. XCII.

IN *tr. de contract. resol. 47.* affirmatiuam sententiam contra aliquos probabilem putavi, innixus auctoritati folius Emanuelis Sà, & aliquorum, quos tacito nomine citat Lessius. Sed nouissimè inuenio hanc sententiam docere etiam Tannerum in 2.2. *D. Thom. disp. 4. q. 7. dub. 3. n. 99.* Et ratio est, ait ille, quia hoc ipso quòd mutans, v. g. beneuolo affectu, & bona fide in gratiam mutantis suam pecuniam exponit, probabiliter censerì potest, & ipse omni, quo potest, modo licito auctarium lucri ac-

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

cepisse, & contra etiam mutuarius & si expressè non monitus, saltem implicite consensisset ad mutuantem in contractu indemnem seruandum; adeoque ad præstandum interesse, nisi aliunde contrarium constet. Licitè ergo mutans, saltem ratione lucri cessantis, retinet quod accepit, modò alioquin cæteræ conditiones, ad hunc titulum requisitæ, dum contraheretur, adfuerint. Accedit, quòd talis non tenetur nisi iuxta leges possessionis bonæ fidei ad restituendum id, in quo ex contractu ditior est factus; non videtur autem ex contractu absolute ditior factus, secundum id quod secluso tali contractu erat lucraturus, quia hoc potius ad eum indemnem seruandum pertinet, meritò enim alioquin diceret se ex tali contractu damnnum sensisse; ergo, &c. Hæc omnia Tannerus, ex quibus Confessarij multos ab onere restitutionis liberabunt.

An teneamur corripere aliquem in dubio an correctio sit profutura, vel obfutura?

RESOL. XCIII.

Negatiuè respondeo cum Villalobos in *summa tom. 2. tract. 4. diff. 3. n. 4.* vbi sic ait. [Aduuertale que en caso de duda si mi correccion ha de aprouechar, ò dañar, es muy probable, que no tengo obligacion de amonecer al hermano; como dize Banez, y Cayetano: el exemplo es quando no conozco al que he de corregir, ni su condicion, porque me pongo à peligro de escandalizarse, y que me diga mil pesadumbres, y peque mas en esso, que en lo otro, salvo si estuuiesse in articulo mortis.] Ita ille. Vnde ex his tollendi sunt scrupuli ab illis, qui volunt corripere aliquos per plateas ciuitatis blasphemantes: nam in tali casu, non tenentur ad præceptum correctionis, cum nesciant naturam, & conditionem talium personarum, & ideo ait Tannerus 2.2. *disp. 2. q. 5. dub. 4. num. 87.* maior est obligatio in tali casu præcepti negatiui de non nocendo proximo, quàm affirmatiui de commodando.

An ludens oppignerata fide, si aliquid perdidit, teneatur in conscientia?

RESOL. XCIV.

Affirmatiuè respondent Azorius *tom. 3. lib. 2. cap. 24. quæst. 7.* Valentia *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. punct. 5. 82.* Syluius in 2.2. *q. 168. art. 3. concl. 3.* & alij, quia promissio hoc ipso, quod vera promissio est, ex iure naturali habet vim obligandi; & nullum est ius commune, quod promissionem, de qua loquimur, reddat irritam: ergo talis promissio obligabit. Vide etiam Layman in *Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 21. num. 3.*

Sed contrariam sententiam tenent 18. Doctores, quos citat, & sequitur Salas *tract. de contr. dub. 20. num. 2.* & ego hanc opinionem cum Tannero in 2.2. *D. Thom. disput. 4. quæst. 6. dub. 11. num. 308.* probabilem esse puto. Et ratio est, quia ei, qui ludo perdidit, & soluit, datur per leges actio ad repetendum: ergo multò magis eidem competit exceptio, antequam soluat: quid enim opus est soluere, si postea soluens repetendi coram iudice ius habeat?

Igitur Confessarius poterit absoluere pœnitentem, qui non vult soluere pecuniam credito amissam in ludo. Sed quæret aliquis, si talis soluerit, an qui accepit, teneatur in conscientia restituere? Affirmatiuè respondent Sotus, Castrus, Aldrete, & alij apud Salas *vbi supra*, n. 6. Sed ipse, & meritò, contrariam sententiam tenet, quia leges non intendunt obligare ad restitutionem pecuniæ, si soluta fuerit, vel si id intendunt, non fuerunt in eo sensu receptæ.

*An qui propter impotentiam, vel ignorantiam
edicti non denunciavit intra terminum,
teneatur postea denunciare?*

R E S O L. XCV.

Afirmatiuè respondet Filliucius *tom. 1. tract. 14. cap. 2. num. 42.* qui citat Suarez, idem etiam docet Sancius *in selectis, dist. 11. n. 59.* qui citat Acuña, & Freitam, vide etiam Antonium Ragucium *in var. discipl. Eccles. tit. de monitoriis quest. 97. num. 2.* Et ratio est, quia terminus non est in edicto positus ad finiendam, sed ad differendam obligationem. Ex his inferitur, quòd excusatur ob ignorantiam, ad non reuelandum intra præfixum terminum, si postea illi constet de edicto, tenetur ad reuelandum; quia obligatio adhuc durat.

Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Vgolinum *de potest. Episcop. cap. 45 §. 5. num. 1.* Philiarcum *de offic. Sacer. tom. 1. part. 1. lib. 3. c. 34.* Atmillam *ver. excommunicatio, n. 34.* & Tabienam *ver. excommunicatio 4. n. 5.* vbi sic asserit. Ex his sequitur quæstio ista, scilicet: est facta monitio per Episcopum, vt qui habet instrumenta Titij, reuelet infra sex dies, Petrus habet vnum, & est absens, & ignorans, post sex dies fit excommunicatio; deinde venit Petrus, nunquid incurrit? Dicitur quòd non, quia ultra terminum statuens, nullum habet vigorem. Ita ille, & hanc sententiam nouissimè docet noster Naldus *in sum. ver. reuelare, n. 2.* vbi ita ait. Reuelare iubens edictum superioris delictum aliquod occultum sub pœna excommunicationis intra certum temporis spatium non comprehendit subditos qui tempore edicti degunt extra territorium excommunicationis, & similiter qui promulgationis edicti tempore erat impotens, vel ignarus edicti, vel aliàs legitimè excusatus, cessante eiusmodi excusatione post elapsum terminum, non incidunt in illam excommunicationem, quæ vires suscipit tempore suæ publicationis, & idè noua sententia opus esset ad eos excusatos eiusmodi censura afficiendos. Sic Naldus, sed tu à communi sententia ne recedas.

Nota verò contra Sancium *vbi supra*, quòd in tali casu non est obligatio denunciandi statim, sed intra eodem dies, quos edictum signauerat; non enim debet esse peioris conditionis, qui ignorauit edictum quàm ceteri qui notitiam habuerunt, & ita docent Filliucius *loco cit.* & Villalobos *in summa tom. 1. tract. 17. diff. 18. n. 4.*

Notandum est etiam hinc obiter, cum Lazario *de monitoriis sect. 2. q. 4. n. 8.* qui citat Conradum, Grassium, & Nauarrum, quòd qui non denunciavit intra terminum præfixum in edicto, non incurrit in nouam excommunicationem, sed tantum manet in eadem. Contrariam sententiam docet Bonacina *in tr. variis disp. 6. punct. 1. §. 9. n. 2.* putans toties incurrere excommunicationem non denunciando, quoties potest commodè denunciare; sed opinio Lazarij, & aliorum, est satis probabilis.

Notandum est etiam, quòd in talibus edictis iubentur scientes denunciare intra sex primos dies, & ex praxi constat inter eos non numerari diem primum publicationis, ac subinde dum edictum publicatur in Dominica, cum sex diebus datis pro tribus terminis, finitur publicatio sequenti Dominica in eadem hora, & qui nesciant statim primo die fuisse latam excommunicationem in edicto contra scientes, possunt à die notitiæ numerare prædictos sex dies. Et hæc omnia docet Henriquez *lib. 1. 3. cap. 18. n. 6. & in glossa lit. O.*

*An milites extranei dubitantes de iustitia belli,
possint sine peccato militare?*

R E S O L. XCVI.

De hoc casu his diebus interrogatus fui, & vt verum fatear, negatiua sententia est communis; nam

Doctores distinguunt inter milites subditos in dubio de iustitia, quos posse militare docent, secus autem extraneos; & ita docet Caietanus *ver. bellum. Gabriel in 4. dist. 25. q. 4. art. 2. concl. 4.* Maior *ibidem, q. 20. §. istis notatis.* Syluester *ver. bellum 1. q. 9. prope finem.* Molina *de iust. tract. 2. disp. 114. n. 1.* Valentia *tom. 3. q. 16. punct. 2.* Syluius *in 2. 2. q. 40. art. 1. queritur 4. concl. 5. & 6.* Malderus *in 2. 2. q. 40. art. 1. dub. 3.* Molfesius *in sum. tom. 2. tr. 12. c. 3. n. 162.* Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 1. diff. 18. n. 4.* Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 3. cap. 13. concl. 20.* Reginaldus *in praxi tom. 2. li. 21. cap. 8. sect. 3. n. 103.* & tandem hanc sententiam docet Ioan. de la Cruz *in directorio conscientie part. 1. pr. 5. art. 3. dub. 2. concl. 2.* vbi sic ait. Miles dubitans de iustitia belli si sit subditus Principis bellantis, aut ab eo conductus, tenetur bellare, quia ad militem, si aliàs non est Consiliarius, non attinet examinare causas belli: sed se habet vt licitor, qui exequitur iudicis sententiam; esset enim impossibile, & in damnum Reipublicæ, si omnibus militibus esset danda ratio iustitiæ belli; alij autem milites nec subditi, nec conducti, si dubitent de iustitia belli non possunt bellare, quia nec obedire tenentur, cum non sint subditi, nec stipendiarij, & aliàs bellando exponunt se periculo irrogandi iniuriam, & sic si bellent, restituent, sicut & Principes, & Consiliarij damna illata in bello; cuius iniustitiam culpabiliter ignorarunt. Ita Ioan. de la Cruz, & DD. citati.

Sed his non obstantibus, contrariam sententiam docuit Petrus à Nauarra *de rest. lib. 2. c. 3. n. 278.* quia quamdiu etiam miles voluntarius, certus non est de iniustitia belli, non peccat, imò tenetur cogitare Regem illum iustitiam habere; aliàs peccato temerarij iudicij esset obnoxius, cum condemnet eum, quem, sine certis indicis iniuste bellare existimat: in dubio enim de peccato proximi, etiam mihi non superioris, non licet certam ferre sententiam de malo atque peccato. Vnde quamdiu illa dubitatio probabilis manet, de neutra exercitus parte possum iuste iudicare, sed cogitare teneor, vtrumque iuste bellare in sua mente, laboratèque ignorantia probabilis, quia scilicet vtrique, videtur, ius habere, & iustitiam. Ita Nauarra, & post illum tenet etiam hanc sententiam Suarez *tract. de charitate disp. 6. n. 11. & 12.* vbi pro firmanda hac opinione, sex validissimas rationes adducit; vnde, vt diximus, licet contraria opinio sit tutior, & communior, tamen si aliquis miles hanc secundam sententiam sequi vellet, non damnarem illum de peccato, nec ad restitutionem vllam post peractum bellum obligarem; maximè si dubium de iustitia belli fuerit negatiuum, vt fermè semper in militibus esse solet, & idè Adamus Tannerus *in 2. 2. disput. 2. q. 6. dub. 4. n. 49.* sic asserit. Non videtur facile, peccati mortalis damnandus miles, etiam non subditus, qui alioquin non nisi bello iusto paratus est militare; orto inter Principes Christianos bello, & facta prius de iustitia vtriusque partis inquisitione in æquali dubio speculatio de causa bellandi iusta anceps hærens, sed vtramque tamen partem bona fide, & iure vtrumque probabilis agere existimans vtriusque parti seruire paratus est. Ita Tannerus, & ego.

Sed nota, quod post hæc scripta inueni Vasquez *in p. 2. disp. 66. c. 9. sub. finem,* & Lorcam *in 2. 2. sect. 3. disp. 53. n. 7.* non agnoscere discrimen inter subditum, & non subditum, & ideo docent neutrum posse militare, quando omnibus spectatis dubitat de belli iustitia; quia in dubiis tutior pars est eligenda, & licet hos authores conetur concordare Coninch *de actibus super disp. 31. dub. 5. n. 81.* tu tamen absolute ne recedas ab opinionibus, quas supra posuimus, nempe posse sine dubio subditum, quando dubitat de belli iustitia, pro Rege suo militare, & secundum probabilem opinionem, etiam non subditum.

Notandum est etiam hinc obiter, contra Molinam *de iust. tom. 1. tract. 2. disput. 37. n. 10.* & alios penes ipsum, non esse improbabile, quòd capti in bello etiam iusto ex parte capientium, iniusto autem ex parte aduersario-

rum, ad suos fugere possint absque peccato, modò scandalum, & promissio permanendi absit. Et ita docent Vasquez in 1. 2. tom. 2. disp. 174. c. 1. n. 8. & alij, quos citat, & sequitur Laym. in Theol. moral. lib. 2. tr. 3. c. 12. n. 16. cùm pœna perpetuæ seruitutis naturæ admodum repugnet, vt eam sustinere valde difficile sit, si effugere quis possit.

An liceat clam occidere eum, qui in iudicio conatur aliquem calumniis opprimere in causa magni momenti?

R E S O L. XCVII.

Affirmatiuam sententiam tenet Bannez in 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4. concl. 2. & in respons. ad 2. P. Nauarra de rest. lib. 2. n. 289. & 290. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 39. n. 7. & alij; quia hoc non tam est occidere, quàm se defendere.

Sed, etsi spectato solo iure naturæ, non sit improbabile, quando inter duos lis agitur siue criminis, siue ciuilibis, modò hæc sit magni momenti, & vnus conetur falsis instrumentis, aut testibus subornatis innocentem opprimere, hunc, si id ipsi certò constet, posse alium fecerit interficere, si id possit commodè facere, nec alia sit ratio euadendi periculum, quod ipsi ab alio iniuste imminet, quia hæc occisio habet rationem iustæ defensionis, contra iniustum inuasorem. Etsi, inquam, hoc spectato solo iure naturæ, non sit improbabile; tamen credo iure positio posse id prohiberi, atque aded de facto esse prohibitum ac legem prohibentem homicidia ad hunc casum extendi posse. Vsu enim videtur receptum, vt in quauis Republica benè constituta, talis occisor deprehensus, morte puniatur, nec credo vllibi admittendam esse excusationem, quod id ob necessariam sui defensionem fecisset, & meritò; nam si eiusmodi exceptio admitteretur grauissimi inde sequerentur abusus. Cùm enim litigantes communiter sibi persuadeant, se habere certum ius, quoties viderent esse periculum, ne causa caderent, facile sibi persuaderent, se aduersæ partis machinationibus iniuste opprimi, eumque conarentur clam occidere, & sic infinitis cædibus daretur occasio. Quare meritò ius positium, eiusmodi cædes, etiam in casu quo fortè iure naturæ, aliàs essent licitæ, prohibet, ac morte punit. Et ita hæc omnia docet Ægidius Coninch de actibus supernat. disp. 32. dub. 2. n. 12. vide etiam Syluium in 2. 2. D. Thoma q. 64. art. 7. queritur 6.

An liceat Pro-regibus condemnare aliquem de mandato, non adhibitis solemnitatibus, terminis, & processu de iure necessariis?

R E S O L. XCVIII.

Negatiuè respondendum est, quia neque hoc efficere possunt Reges. Ita inter multos iuriconsultos docent nouissimè Franciscus Capiblanco de officio bonorum tom. 2. prag. 1. c. 2. n. 22. & seq. & inter Theologos Ioannes Azorius par. 2. lib. 11. c. 7. vbi sic asserit. Peccat Rex, qui per se, vel alium condemnat hunc, vel illum subditum inaudita causa, aut denegata ei se tuendi, & defendendi potestate; aut non habita publica notitia ex publicis in iudicio probationibus, vt colligitur ex Sancto Thom. 2. 2. q. 67. art. 1. & Caietano in sum. verb. homicidium; sententia enim, cùm sit actio publica, ferenda est non ex priuata notitia, sed ex publica in iudicio habita. Item iuris naturalis est, ne quis non auditus, vel non defensus damnetur, Clemen. pastoralis, §. caterum, de sent. & re iudicata. glossa in Extranaganti 1. de dolo & contumacia, quare homicidæ sunt ij Reges, qui hunc, vel illum subditum non auditum, aut non data facultate se tuendi secundum leges, & iura, veneno, aut alio modo interfici iubent, vel officiis, dignitatibus, honoribus, aut aliis quibusvis, quæ non sunt ex numero eorum, quæ ad nutum

tolli possunt priuata notitia, non publica, & peccant ministri, qui huiusmodi Principum mandatis obediunt, sunt enim mandata contra ius diuinum, & naturale, in quibus Principi parere non cogimur. Ita Azor. vide etiam Ioan. de la Cruz in direct. consc. p. 1. pr. 8. art. 1. dub. 2. concl. 3.

Limitatur tamen hæc opinio à Maldero in 2. 2. tr. 6. c. 1. dub. 14. §. dico sexto, Lessio lib. 2. c. 29. n. 100. Villalobos in sum. tom. 2. tr. 14. diff. 4. n. 7. & Francisco Syluium in 2. 2. D. Thoma q. 67. art. 3. concl. 6. si enim crimen est omnino publicum, aut iudici cum aliquot testibus euidentis, (sicut quando latrones reperiuntur in flagranti delicto) potest reus absque citationibus condemnari, & si ex publica interfectione periculum sit, occultè potest interficere. Idem iudicium est de reo, ex cuius manifesto processu, vel populi rebellio, vel grauis alia turbatio metuitur, talem enim (causa priuatim discussa, certòque cognita) licet etiam clanculum occidere, vt tradunt Syluester ver. homicidium 1. q. 2. Nauar. cap. 25. n. 10. Nauarra lib. 2. c. 3. n. 192. Quia iudex clarè videns non superesse reo viam iustæ defensionis, nullam censi potest iniuriam ipsi facere. Præterea, si quis machinetur proditio-nem aliãve perniciem Reipublicæ, quæ non poterat aliter impediri, quàm per occultam interemptionem istius machinatoris, licet Principi iubere, vt sic interficiatur; modò indubiè constet de pernicie per illum attentata, & porrò exequenda, nisi tempestiuè occurratur. Neque refert, quòd Princeps fortasse hoc sciat ex priuata dumtaxat scientia; cùm enim non agat vt iudex ad punishmentem, sed solùm tamquam bonus Princeps ad euitanda mala imminencia, quomodo vnusquisque debet rem sibi commissam defendere, & ab ea malum impedire, non tenetur seruare ordinem iuris. Hæc Syluius. Vide etiam Morlam. in empoio iuris p. 1. tit. 2. q. 2. n. 5. sed in casibus, in quibus Pro-reges solent de mandato aliquem condemnare, non concurrunt supradictæ circumstantiæ, vnde attendant ipsi, & eorum Consiliarij quid faciant.

Nota etiam, quòd licet Malderus, & Syluius cum aliis asserant, quòd si Principi cum aliquot testibus delictum sit euidentis, vt quando capitur reus in flagranti delicto, posse dictum Principem reum absque citationibus condemnare; attamen hoc est intelligendum existente aliqua iusta causa, quæ cogat Principem hoc efficere; secus autem si nulla adsit causa; nam tunc tenetur citare reum, & illum condemnare, ordine, & iure seruato. Et ita docent Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 48. dub. 4. num. 2. Villalobos vbi supra. Vnde iterum moneo, vt videant Pro-reges in his casibus quid faciant, & aliquorum Fiscalium consiliis non acquiescant, sed cum Theologis, & Consiliariis timoratis rem totam agant, & in eorum determinatione persistant.

An reus conuictus, & confessus de vno crimine, teneatur respondere interrogatus de complicibus nulla infamia laborantibus?

R E S O L. XCIX.

AD hunc casum ita respondet Villalobos in sum. tom. 1. tr. 14. diff. 10. n. 2. vbi sic ait. [Ha se de aduertir, que si consta claro, que el delicto no lo hizo vno solo, sino que huuo complices, podra se preguntar por ellos con inquisicion general, como quando se halla vn cuerpo muerto, y no consta qui en lo hizo. Mas en este caso no tendra obligacion el reo à declarar los complices, sino es que estan infamados. Y quando de ordinario los Iuezes preguntan por los complices, ha se de entender desta manera, porque si nos es assi, van enganados. Y tambien se ha de aduertir, que tiene obligacion à reuelar los complices, quando entiendo que no estan arrepentidos, sino aparejados, para cometer otros delictos en danno publico, ò particular, y quo no se corrigeran por

correcion fraterna, quales suelen ser de ordinario ladrones, falsarios de moneda, bruxas, hechizeros, y hereges ò otros semejantes, como dize Nauarro. Y dize Rodriguez que deue el Iuez declararlos, quando tienen obligacion à reuelar los complices, ò darles licencia y tiempo para consultarlo con hombres doctos, ne incidant in laqueum Diaboli, y si la niegan, dize con Nauarro que no se atteniera à liberarlos de peccado mortal.] Hæc Villalobos, quæ à iudicibus, & fiscalibus obseruentur.

Igitur non tenentur rei in quocunque casu interrogati de complicitibus respondere; unde Confessarij illos obligent ad respondendum tantum in casibus supra expressatis, & iudices, de dictis complicitibus interrogantes, extra casus prædictos peccant lethaliter, & in hoc aliqui miserrime decipiuntur. Vide Ioseph à S. Maria in *trib. Relig. tr. 4. c. 16.* Ioan. de la Cruz in *direct. conf. p. 1. pr. 8. art. 3. dub. 3. concl. 3.* Mirandam in *ordine iudicario, tom. 2. q. 19. art. 11.* Malderum in *2. 2. tr. 6. c. 1. dub. 23.* Tannerum in *2. 2. disp. 4. q. 4. dub. 4. n. 86.* Ledes. in *sum. tom. 2. tr. 8. c. 24. concl. 5.* Aldrete de *disciplina tuenda lib. 1. c. 11. n. 14.* Octavianum Spatarium in *praxi Regularium tr. 9. cap. 12. § 13. q. 12. num. 5.* cum Villalobos ubi supra, rectè docentes absolute in omnibus casibus non esse complices reuelandos, quando cognouerit correctos, & emendatos, vel si probabiliter cognoscat, illos emendatum iri per solam fraternam correctionem; quod est valde notandum.

An testis teneatur denunciare, quando scit nullum alium scire illud delictum?

R E S O L. C.

Respondent affirmatiuè Sotus de *inst. lib. 5. q. 7. ar. 1.* & Panormitanus, quem citat, & sequitur Azorius p. 3. lib. 13. c. 27. dub. 2. & nouissimè mordicus docet hanc sententiam Sancius in *selectis disp. 43. num. 39.* qui citat Turrianum, & Valentiam, & alios.

Sed negatiuam sententiam ex schola D. Thom. docet Ioan. de la Cruz in *directorio conscientia part. 1. pr. 8. art. 4. dub. 13. in principio;* ubi sic asserit. Si accusator habet solum vnum testem, iste dum sibi non constat de alio conteste, tenetur sub peccato mortali dicere se nihil scire. Ita ille, qui citat Ledesmam, Bannez, & Orellanam.

Tertia opinio, quam tenent Lessius lib. 2. c. 30. dub. 6. n. 49. Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 17. diff. 1. n. 11.* Pitigianus in *tr. crim. c. 3. fol. 166.* asserit, posse testem in tali casu testari, si velit, sed non teneri.

Sed ego puto probabilem esse opinionem negatiuam (licet affirmatiua sit probabilior) Ioan. de la Cruz, & aliorum. Nam cum testis sciat neminem alium illud delictum à reo perpetratum scire, eius testificatio nihil proficiet, nisi ad vexandum reum, quia ex sola ipsius depositione minimè condemnari potest. Ergo, &c. Igitur absque causa infamat tunc testis delinquentem, cum sciat ipse probandum non esse delictum, & ideo Octavianus Spatarius in *praxi de modo corrigendi Regulares, tr. 7. c. 8. n. 7.* sic asserit. Ex quo patet, quod non tenetur quis testificari, si sciat nullum alium esse testem, contestem, vel aliud æquiualens indicium, siue procedatur ex munere, siue ad instantiam partis. Et ego aliquando interrogatus sub præcepto, & iuramento super delicto, quod sciebam nullum alium nosse, nisi denuntiantem, nunquam testificari volui, etsi de visu, & certa scientia potuissem, quod tuta conscientia fecisse reputaui, & reputo. Ita Spatarius. Notentur hæc, quia practicabilia erunt.

An testis iuridicè interrogatus teneatur ex iustitia commutatiua respondere, ita vt dicendo se nihil scire, restitutioni obnoxius sit?

R E S O L. CI.

Probabiliter affirmatiuam sententiam tenet Malderus in *2. 2. tr. 6. c. 2. dub. 9. §. dico tertio* Turrianus in

2. 2. disp. 2. n. 2. & Azor. par. 3. lib. 13. c. 27. dub. 4. ubi sic ait. Quando testis est in iudicium vocatus, & à iudice legitime interrogatus, tunc ex lege iustitiæ tenetur ad veritatem dicendam ex officio, quo in iudicio fungitur, & obligatur ad restitutionem damni, quod sequutum est ex veritate non manifestata. Ita etiam docent Medina, Orellana, Sotus, Nauarrus, & alij. Hæc opinio, vt dixi, est satis probabilis.

Sed non minus probabilem negatiuam sententiam teneo, quam tuentur Ioan. de la Cruz in *direct. p. 1. pr. 8. art. 4. dub. 13. concl. 5.* Syl. in *2. 2. D. Thom. q. 71. art. 1. quaeritur 1. concl. 6.* Pitigianus in *pract. crim. p. 2. c. 6. fol. 191.* & alij Ratio est, quia licet huiusmodi testis grauius peccet contra charitatem erga proximum, & contra obedientiam, & iustitiam legalem erga iudicem; non peccat tamen contra iustitiam commutatiuam, nam ante mandatum iudicis non tenetur ex commutatiua iustitia, etiam secundum auctores contrariæ sententiæ; sed per mandatum iudicis solum accedit obligatio iustitiæ legalis, & obedientiæ. Ergo nullum est vinculum iustitiæ commutatiuæ. Et hæc opinio à fortiori procedit, si per mandatum iudicis testis insinuat, ipse tamen subterfugiat, & non compareat: in quo casu testem non teneri ad restitutionem præter Doctores citatos, docent Villalobos in *sum. tom. 2. tr. 12. diff. 1. n. 12.* Lessius, Molina, & alij, quidquid in contrarium doceat Octavianus Spatarius in *pract. Regularium, tr. 6. c. 11. n. 7.* & aliis. Sed tu nostram sententiam tene.

Notandum est etiam hic, quod etiam stando in prima opinione affirmatiua, si testis iuridicè interrogatus neget veritatem, tenetur quidem parti de damno, non tamen Fisco de multa, & pœna pecuniaria, quæ imponeretur reo, si testis veritatem manifestaret. Et ita docent Ioan. de la Cruz in *direct. p. 1. pr. 8. art. 1. dub. 6.* Turrianus ubi supra, n. 7. & Malderus, qui etiam addit, quod testis, qui per imprudentiam occultum crimen detexit, si bona fide detexit (vt frequenter solet fieri) quia putabat se legitime de hoc interrogari à iudice, non tenetur lege iustitiæ retractare testimonium suum: si tamen sine suo detrimento possit, & speret retractationem profuturam, tenetur lege charitatis retractare, ita tamen vt non obligetur ad restitutionem, si non retractauerit. Et hæc omnia pro praxi erunt multum adnotanda.

An liceat instrumenta ad perfringendum carcerem reo suppeditare?

R E S O L. CII.

Negatiuè respondet Valent. tom. 4. disp. 5. q. 13. punct. 4. quia, ait ille, si hoc licitum esset, multi fugerent, & ita multa crimina impunita manerent, ac raro processus iudicium exitum haberent, quod magnum detrimentum esset boni communis. Secus autem dicendum est de consilio, nam id non est medium tam efficax. Deinde, suppeditans instrumentum, non solum supplet ignorantiam practicam in reo, vt facit consulens, sed manus eius armat, & contra potestatem publicam, potentiam supplet. Item, cum non possis captiuo mittere famulum tuum, qui tanquam instrumentum animatum ipsum iuuat in carceris fractione, ergo neque securim mittere potes, præsertim si illa plus valitura sit, quam famulus. Et ita præter Valentiam docent etiam hanc sententiam Sotus, Toletus, & Grassius, quos citat Malderus in *2. 2. tr. 6. c. 3. dub. 7.*

Sed ipse, & meritò, contrariam sententiam tenet quam tuentur Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 16. diff. 1. n. 16.* qui citat Caietan. Vasquez, & Lessium, Ioan. de la Cruz in *direct. part. 1. pr. 8. art. 3. dub. 12. concl. 4.* Syluius in *2. 2. q. 69. art. 4. quaeritur 2.* qui citat Bannez, & Salonium, Azorius p. 3. lib. 13. c. 24. Turrianus in *2. 2. tom. 1. disp. 51. dub. 3. n. 2.* cum aliis communiter. Ratio est; quia si quis potest consulere finem, quare non potest suppeditare media

media ad illum? Sed quis potest consulere reo ut fugiat; ergo poterit ei suppeditare instrumenta ad fugiendum.

Notandum est tamen hic primò, reum tunc licet posse fugere, & effringere carcerem, quando hoc efficit non inferendo vim ministris iustitiæ, verum, ut bene obseruat Sylu. *vbi supra*, quia leuitas materiæ in aliis peccatorum generibus excusat à mortali, sic & in casu nostro. Et propterea si reus vim exiguam inferat custodi, ut si dormienti manus alliget, si obstitentem fugæ à se excutiat, in terramque prosterнат, sine læsione, non peccat mortaliter.

Notandum secundò aduersus Henricum de Gandauo, Maiorem, Syluestr. & Couarr. posse reum, etiam damnatum iuste ad mortem, fugere, & effringere carcerem. Et ita docent Ioan. de la Cruz, & Villalobos *vbi supra*, num. 14. cum aliis communiter; qui etiam addit cum Syluio, contra Caietanum, Sotum, Couarruiam, & alios, hoc etiam posse efficere si sit damnatus ad carcerem perpetuum, & etiam probabiliter secundum Bonacinam *de legibus, disp. 10. punct. 2. n. 14.* si sit damnatus ad carcerem temporaneum; maximè si sit valde grauis, ut docet Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 4. dub. 5. n. 102.* & etiam si sit damnatus ad triremes, contra Caietanum, Sotum, Couar. & alios.

Notandum est tertio cum Syluio *in 2. 2. q. 69. art. 4. quaritur 2. ad 4. arg.* quod reus qui carceres frangit, atque ita fugit, non ex hoc peccare, vel ad restitutionem teneri, quod alij captiui inuento carcere rupto, vel aperto fugiant, modò ipsis fugam non consuluerit, quia ipse inuentor per seipsum vitur suo iure, quod habet ad saluandam vitam; neque tenetur suam vitam negligere, ut euitet damna, quæ præter intentionem accidunt, cum aliorum captiuorum cura ei non incumbat. Sicuti si itinerantium aliquis videns latrones stricto ense appropinquantes fugiat, fugiendoque conculcet alienas segetes, debet damnum, si notabile est quod intulit, domino resarcire; si autem eius exemplo ceteri per eandem segetes fugiant, non ab eo incitati, non tenebuntur ad damnum per eos illatum. Et ita etiam docent Villalobos *loco cit. num. 13.* Reginald. *in prax. tom. 2. lib. 24. cap. 7. sect. 7. num. 152.* & alij.

Notandum quartò contra Sotum, & Caietan. reum fugientem rumpendo vincula, & parietes carceris, non teneri restituere damna sequuta carceri. Et ita docent Ioan. de la Cruz *vbi supra, in direct. p. 1. pr. 8. art. 3. dub. 12. concl. 4.* & Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 4. dub. 5. n. 104.* quia tenetur restituere ratione rei acceptæ, cum nil alienum habeat apud se, nec ratione iniustæ acceptionis, cum licet illud faciat; ergo, &c. In his igitur casibus, in quibus potest reus fugere, potest quis illi fugam consulere, & instrumenta ad rumpendum carcerem suppeditare. Sed ad alia deueniamus.

An reus qui negauit veritatem post iudicium finitum, etiam ad mortem damnatus, teneatur manifestare veritatem negatam?

R E S O L. CIII.

Affirmatiuam sententiam docent Ledesma *in sum. tom. 2. tr. 8. c. 24. post 2. concl. diff. 2.* Salonius *in 2. 2. tom. 1. q. 69. art. 2. concl. 2.* Vega *in sum. tom. 2. c. 89. ca. 2. & 3.* Bannez *in 2. 2. q. 69. art. 2.* Medina *in sum. lib. 1. cap. 14. §. 35.* Corduba *in sum. q. 64. punct. 2.* & alij, quia in hoc casu reus infamat iudicem, & testes; commouetur enim populus, & scandalizatur, credens à iudice illum iniuste occidi, & testes falsum dixisse.

Sed contrariam sententiam ego teneo cum Reginaldo *in praxi tom. 2. lib. 24. c. 7. sect. 6. n. 145.* Nauarro *in manuali c. 25. n. 38.* Rodriq. *tom. 2. q. 18. art. 9.* Pitigiano *in tr. crim. can. c. 3. fol. 258.* Segura Dauolos *in direct. iud. cap. 17. n. 36.* Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 16. diff. 3. n. 4.* & aliis. Ad

argumentum verò contrarium respondeo, quòd in tali casu, nulla sequitur infamia iudici, accusatori, aut testibus; quia omnibus notissimum est, reos solitos delicta negare, imò pusillanimes, ac stulti habentur, si delicta fateantur, & præsumptio stat pro iudicis sententia. Ergo, &c. Vnde Confessarij caueant vrgere reos pœnitentes, qui ducuntur ad supplicium ad hoc efficiendum. Et ita hanc sententiam præter DD. citatos, tenet etiam Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 3. c. 7. n. 11.* qui *in n. seq.* cum Nauarra, & Rodriq. addit etiam, quòd si reus sibi ob metum tormentorum falsum crimen imposuerat, propter quod damnatur, non teneri se retractare, nisi infamia notabilis in alios redundaret, ut ea retractatione illi damno obuicetur. Sed hoc in casu nostro rarissimè accidit. Ergo, &c.

An appellatio sit licita, si sententia lata sit à iudice secundum opinionem probabilem, vel, quod magis est, probabiliorem?

R E S O L. CIV.

Qvæstio ista est multum curiosa, & in praxi frequentissima, & ad illam negatiuè respondet Petrus de Ledesma *in sum. tom. 2. tr. 8. c. 24. concl. 8. diff. 2.* Ita asserens. [Si el Iuez dio sentencia conforme opinion probable, aunque aya otra mas probable, no es licito al condenado apelar de la sentencia. Y lo mismo es, quando las opiniones son yualmente probables. Esta sentencia tiene Orellana en vn parecer, que dio en vn tratado de las fuerzas que anda de mano. La razon es, porque en tal caso al Iuez sentencio legitimamente, y justamente, y no agrauio à nadie, luego el condenado no puede apelar, ni defenderse de la tal sentencia Confirmase, porque de otra suerte seria dar ocasion à que los pleitos nunca jamas cessassen.] Idem etiam docet Villalobos *in sum. tom. 2. tr. 16. diff. 8. n. 4.* vbi ita ait. [No puede el reo apelas de la sentencia del Iuez, quando siguió opinion yualmente probable, ò mas probable, pues sentencia justamente. Mas podra apelar, quando sentencia siguiendo la menos probable.] Ita ille, qui citat etiam Dominicum Bannez.

Sed si hæc opinio esset vera, innumera committerentur peccata, & væ, væ, reis, Aduocatis, & Procuratoribus. Vnde affirmatiuam sententiam tenendam esse putat in causa sanguinis Ioan. de la Cruz *in direct. p. 1. pr. 8. art. 3. dub. 11. concl. 2.* sic asserens. Damno iuxta vnam opinionem, licet appellare ad iudicem, habentem contrariam etiam minus probabilem. Ita ille, & ante illum Salonius *in 2. 2. tom. 1. q. 69. art. 3. concl. 2. §. vnde dico in primis,* & in hanc sententiam inclinat Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 69. art. 3.* & absolutè illam tenet Turrianus *in 2. 2. tom. 2. disp. 51. dub. 1. n. 4.* vbi asserit. Opposita sententia est admodum dura, & refutari potest; quia tueri vitam via honesta licitum est. Appellatio verò in hoc casu factis apparet iusta: sunt enim variæ opiniones, & reus vult amplecti probabilem opinionem, secundum quam iudex superior potest ferre sententiam. Et hanc doctrinam existimo esse veram, etiam quando opinio superioris est minus probabilis, & minus communis esset. In quo minus consequenter loquuntur recentiores aliqui dicentes iustam esse appellationem ad superiorem, quando opinio illius, vel æquè probabilis, vel probabilior est, non tamen si sit minus probabilis. Hæc tamen differentia mihi non probatur, quia si semel demus probabilem esse iudicis superioris opinionem, concedendum est iustam fore sententiam illius secundum talem opinionem. Poterit ergo reus ad superiorem appellare, ut ferat iustam sententiam. Et idem existimo licitum esse in aliis causis, quia cum sint diuersæ opiniones probabiles, non est cur priuetur reus iure recurrenti ad superiorem, ut iustam ferat sententiam. In quo etiam minus consequenter loquuntur quidam recentiores: fatentur enim in causa sanguinis licitam esse appellationem, non tamen

in aliis causis, ratio verò in his causis, etiam videtur habere locum. Ita Turrianus.

Ex quibus apparet contra Salonium, & Syluium *ubi supra*, & Malderum in 2. 2. tr. 6. c. 3. dub. 4. non solum in causis capitalibus, sed in ciuilibus, licitum esse appellare, etiam si iudex inferior sententiam tulerit secundum opinionem probabilio-rem. Quam sententiam Ioan. de la Cruz *loc. cit.* tenet tantum in casu, quo pars appellans sit in possessione. Sed illam absolute in omnibus casibus, tenendam esse puto, dummodo contraria opinio, pro qua appellatur, probabilis sit.

Sed instabis dicendo, Iudex superior ad quem appellatur, non potest iudicare secundum opinionem probabilem, ergo illicita est appellatio. Probo maiorem; nam iudex tenetur iudicare secundum opinionem probabilio-rem, ut communis fert opinio, secundum quam iam iudicauit iudex inferior. Ergo, &c. Respondeo, posse iudicem iudicare secundum opinionem probabilem, relicta probabiliori, ut docent DD. quos citauit in *tr. de Parlamento, resol. 20. & tr. de opin. probabili, resol. 3.* Ad alias verò rationes aduersus nostram sententiam respondet Turrianus, lege illum, & non pigebit.

An testes ratione falsi testimonij non teneantur aliquando ad restitutionem?

R E S O L. CV.

Respondeo affirmatiue, & ideo si reus iam erat per alios testes conuictus, & tunc testimonium accedens nihil efficit, eo quod pœna propter illud non est addita, nec iudex firmiter redditus est ad eam interrogandam, non teneris ad restitutionem, quia etsi iniuriam ei facias; non tamen es causa efficax damni, quod ex prioribus testimoniis iam censetur illatum. Et ita docet Pitigianus in *pract. crim. canon. de testibus cap. 6. fol. 193.* & alij. Vnde ego in facti contingentia multoties ex hac doctrina liberaui pœnitentes ab onere restitutionis, quod aduertant Confessarij.

Nota etiam cum Pitigiano *ubi supra*, Caietano 2. 2. q. 70. art. 4. Petr. à Nauarra *lib. 2. c. 2. n. 253.* & aliis, quod qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non tenetur ad restitutionem, quia neque ratione rei acceptæ (cum nihil inde habeat) neque ratione iniustitiæ, & damnificationis, non enim peccauit, saltem mortaliter, ut suppono, & probabiliter docet Lessius *lib. 2. c. 7. dub. 6.* cum aliis non teneri ad restitutionem ex damno illato, qui non peccauit mortifere. Ergo, &c.

An reus & testis teneantur respondere, si dubitant utrum iudex iuridicè illos interroget?

R E S O L. CVI.

Affirmatiuam sententiam sustinet, quoad reum, Ioan. Sancius in *selectis, disp. 43. n. 28.* & quoad testem Pitigianus in *pr. crim. can. de secundo substantiali iudicij, c. 3. fol. mibi 175.* quia superior in possessione est præcipiendi, qua priuari æquum non est, ob dubium ius subditi. Nec valeat dicere, quod non magis est superior in possessione præcipiendi, quam subditus in possessione obediendi, quia superior ex tunc quod electus est superior, in possessionem præcipiendi introducitur, & in illa possessione permanere pertinet ad superioris naturam, & essentiam; alias ad quid esset superior, nisi præcipere posset? At subditus nunquam est in possessione non obediendi, nisi quando certò constat mandatum esse iniquum, vel probabiliter id esset in opinione; est enim de essentia subditi in possessione obediendi permanere. Ergo, &c. Hæc opinio est probabilis.

Sed probabilio-rem contrariam esse existimo, quam

tuentur Lessius *lib. 2. c. 31. dub. 3. n. 10.* Sanch. in *sum. tom. 2. lib. 6. c. 3. n. 24.* Salas in *p. 2. q. 21. tract. 8. disp. unica, sect. 17. n. 155.* Henriq. *lib. 14. cap. 3. n. 3. in glossa litera X.* Bannez, Sotus, Medina & alij penes ipsos.

Dicendum est igitur, quod quando periculum aliquod imminet alicui tertie personæ, v.g. est cum iudex inquit contra aliquem homicidam, vel furem, &c. aut in quemcunque alium reum priuati criminis, quod non sit in perniciem publicam, quia tunc aliud erit, & dubium est probabile pro vtraque parte, sintne infamia, aut indicia, quibus possit inquirere: tunc testes, & rei hoc modo dubitantes, non tenentur respondere, quoniam maius periculum est si occidatur homo contra ius, quam si non obediatur superiori. Præterea vnusquisque præsumitur bonus, quoad vsque probetur malus. Sed quamdiu dubium est, an sit ius inquirendi aduersus aliquem, tunc nec probatus est malus, nec iure existimatur talis; nam sola infamia, & indicia sunt, quæ faciunt præsumptionem iuris. Ergo in re dubia, & index inquirens peccat, & testis si oblequatur, iniustus est. Tertio, iura fauent reo, sicut & possessori, ergo quoad vsque constiterit ius esse inquirendi, reus habet ius vitæ, famæ, & bonorum suorum, atque adeò non licet in illum inquirere, nec testimonium dicere.

Ex his apparet, quod quando Superior generaliter inquit super aliquo delicto notorio, cuius auctor ignoratur, tunc subditus, qui dubitat an infamia, vel indicia sint contra illum, quem ipse scit commisisse delictum, non tenetur prodere delinquentem occultum, sed debet respondere se nescire quis commisit. Notentur hæc, quia circa illa miserrimè decipiuntur aliquando testes, & iudices.

An promissio, seu donatio facta Ecclesie, vel ad piam causam ante acceptationem valeat, ita ut non possit per pœnitentiam reuocari.

R E S O L. CVII.

Non esse validam, & posse per pœnitentiam reuocari docuere Layman in *Theol. moral. lib. 3. sent. 5. tr. 4. cap. 1. num. 9.* & alij penes ipsum, quia hæc est natura pollicitationis, ut ante acceptationem possit reuocari, neque aliud iure speciali positio in Ecclesiarum fauorem statutum reperitur. Ergo, &c.

Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Molin. de *iust. tom. 2. tr. 2. disp. 262. n. 16.* Felin. in *c. 1. de pactis, n. 7.* qui citat Bartolum, Baldum, Panormitanum, & alios; & hanc opinionem probabilem esse docet etiam Lessius *lib. 2. c. 18. dub. 6. n. 38.* Ratio est, quoniam sicut leges ciuiles, quæ inualida reddunt ea testamenta, quæ carent certa quadam solennitate, nullam vim habent in dispositionibus ad pias causas, eo quod circa eas nihil, quod earum validitati deroget, prout spectantur in solo iure naturali, vim habet, sine approbatione Summi Pontificis; ita etiam neque ciuiles leges, quæ annullant promissiones non acceptatas, vim habent in promissionibus circa pias causas, cum nihil tale à iure canonico approbatum reperitur. Et ideo donationes ad pias causas, validas esse sine insinuatione vltra summam iure ciuili præscriptam putamus, nihil impediendo, quod ciuile ius donationes etiam ad pias causas comprehendere intendat, ut patet ex *l. illud, C. de sacros. Eccles.* Ita Molina. Vnde vtramque opinionem probabilem esse puto. Et si quis hanc posteriorem sententiam vult sustinere, debet afferere, cum Molina, ex promissione non acceptata, stando in iure naturali, obligationem oriri, contra Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 7. n. 24.* & alios penes ipsum.

An officia secularia vendi possint?

R E S O L. CVIII.

Negatiue respondent Medina *Cad. de restit. quest. 4. de usuris*, Adrianus in *4. quest. de usura, §. ex his*, & nouissime Turrianus in *2. 2. tom. 2. disp. 23. dub. 2. num. 5.* quia

quæ ex voluntate Reipublicæ distribuenda sunt dignioribus, neque concessum est Principi, ut illa possit vendere, sed ut distribuatur dignioribus, vel æquè dignis, præmissa communi saltem diligentia.

Sed considerata natura rei hæc officia vendi possunt. Verùm hoc non obstante, non expedit ea vendere, ob multa incommoda, quæ inde sequi solent, ideo plerumque hoc est illicitum, atque perniciosum; nam venduntur vltimum indignis. Secundò, ex tali venditione homines magis prouocantur ad acquirendas pecunias, quàm ad studia literarum, & probitatis. Tertio; qui hæc officia emunt ut pretium recuperent, quod soluerunt, non administrant ea, ut debent, sed multa iniuste extorquent, unde non immeritò talis venditio pestis Reipublicæ censenda sit, ut notant Doctores citati.

Potest tamen dicta venditio aliquando cum aliquibus circumstantiis licite fieri. Primò, ut talia officia vendantur saltem digno. Secundò, ut pretio moderato. Tertio, ut hoc efficiatur ob Reipublicæ necessitatem, vel utilitatem, quando videlicet summa esset conflanda, quæ aliter commodè haberi nequiret. Et ita docet Lessius lib. 2. c. 3. dub. 4. n. 29. & seq. Aragon in 2. 2. q. 63. art. 2. Villalobos in summ. tom. 2. tr. 8. diff. 7. num. 3. Ioan. de la Cruz in direct. p. 1. pr. 7. q. 7. art. 2. dub. 10. concl. 3. Ledesma in summ. tom. 2. tr. 7. c. 1. concl. 15. Salonius in 2. 2. tom. 1. q. 63. art. 2. contr. 8. concl. 2. Syluius in 2. 2. q. 63. art. 2. Tannerus 2. 2. disp. 4. q. 8. dub. 2. cap. 24. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 7. punct. 2. §. 5. ad 3. Malderus in 2. 2. tr. 9. c. 1. dub. 5. Rebellius lib. 9. q. 18. sect. 2. n. 24. & alij.

His tamen non obstantibus, non grauior hæc apponere verba Ioannis Azorij tom. 3. lib. 8. cap. 7. q. 3. sic asserentis. Cæterum quamuis auctores clament, & conquerantur eiusmodi venditiones penitus detestantes, & damnantes, videmus tamen eas in Principum Curis vendi, quia ipsi Principes contendunt, tales venditiones Reipublicæ vtilis esse, eo quòd emptores metu pœnæ ne officium amittant, simul, & pretium quod dederunt coguntur suo munere rectè fungi, & Principes possunt ipsos emptores facilius ab officiis amouere, & pœnis coercere, quàm si gratis ea officia contulissent. Iure nemo condemnat tales venditiones cum iusto, & moderato pretio factas, & cum officia venduntur iis hominibus, qui apti, & idonei sunt, & cum probabilis spes est eos bene officio functuros, & certo, ac definito pretio taxatur id, quòd emptores sint accepturi ob laborem, & operam suam in officio obeundo, alioquin enim ipsi emptores suo arbitrarij pretium augent. Ita Azorius, qui non videtur damnare Principes vendentes officia, dummodo illa vendant pretio moderato, & persona officium emens sit digna, etsi taxentur pretia pro laboribus, & operibus. Et ita præter Azorium videntur etiam docere hanc sententiam Filliuc. tom. 2. tr. 34. par. 2. cap. 2. n. 44. & Corduba in summ. q. 117.

An qui habet licentiam à Rege officium in aliam personam transferendi, possit vendere?

RESOL. CIX.

Negatiuè respondet Malderus in 2. 2. tr. 9. c. 1. dub. 5. ubi sic ait. Qui habet à Rege officium transferendi, non propterea potest illud vendere, nisi etiam vendendi expressa facultas accesserit, aut saltem tacita, ut si Rex concedat illis officium cum potestate transferendi, quos nouit solere vendere; aut si concedat patri, ut transferat in aliquem filiorum sibi placentem, nunc enim pater aliis pensionem videtur posse reseruare. Ita Malderus, & Azorius tom. 3. lib. 8. cap. 7. q. 6. & ante illum Salonius in 2. 2. tom. 1. q. 63. art. 2. contr. 8. concl. 4. & Villalobos in summ. tom. 2. tr. 8. diff. 7. n. 8.

Sed Salonius loc. cit. notat Ioan. Peñam, & Petrum Soto asserere talem vendentem peccare tantum venialiter,

& ita sensisse Orellanam, & aliquos Theologos ex schola D. Thomæ testatur P. de Ledesma in summ. tom. 2. tr. 7. c. 1. concl. 25. & hanc sententiam ipse Ledesma probabilem putat; & ratio est, [porque la tal persona particular tiene licencia del Rey, para passar el tal officio à otro, y que lo passe de gracia, ò por venta no daña nada à la Republica, como el tenga cuydano, de que no se siga algun detrimento en ella y al tercero à quien vende el officio, no le sigue detrimento ninguno, si se lo da por el iusto precio.] Ita Ledesma, licet ipse primam sententiam teneat, nempe peccare mortaliter vendentem officium sine expressa, vel tacita licentia Principis, scientis talem venditionem. Sed nouissimè Ioan. de la Cruz in direct. p. 1. pr. 7. q. 7. art. 2. dub. 10. concl. 3. docet etiam esse probabile, quòd si quis habet licentiam, transferendi officia in alium, possit illa vendere.

Notandum est hic obiter Cordubam q. 117. & Azor. p. 3. lib. 8. c. 7. docere adesse tacitam facultatem vendendi officia, cum ea dantur his, quos Princeps certò credit, non eos per se talia munera obituros, ut cum dat foeminis, aut viris nobilibus, ut fieri solitum est in Aula Regia.

Nota etiam, quòd si sine licentia Principis modo, quo supra dictum est, quis vendiderit aliquod officium, quidquid sit de peccato, non tenetur ad restitutionem pretij, si habuerit, ut diximus, licentiam illud transferendi. Et ita docent Ledesma loc. cit. & Petr. Soto apud Salonium, licet ipse cum Dominico Soto, Rebellio, & Maldero contrarium sentiat.

Quanam sint causa excusantes à peccato eligentes minus dignum, relicto digniori?

RESOL. CX.

Primò, quando excessus non est notabilis, & manifestus. Secundò, quando magis dignus est de alia domo, vel Ecclesia; igitur licite præfertur indigena dignus extraneo digniori; quod perpetuò tene menti.

Tertio, cum maior pars vult eligere minus dignum, tunc minor pars potest non eligere digniorem, sed dare suffragium minus digno, quod est valde notandum; & hoc procedit etiam si electores iurassent eligere digniorem; & sic eligendus est minus dignus, quando est magis acceptus Conuentui. Quarto, quando ex tribus concurrentibus, scilicet magis digno, & indigno eligitur indignus, si pro digno suffragium non do. Quintò, cum dignior præfesset alteri Ecclesiæ, & esset postulandus, Sextò, quando magis dignus est implicatus negotiis externis, vel non ita residentiam facit, sicut minus dignus. Septimò, si minus dignus sit iam expertus, & disertus circa prælaturam, & dignior inexpertus. Octauò, quando non est liberum collatori, vel institutori conferre alteri, vel alium instituere, quàm sibi præsentatum à patrono. Nonò, si beneficium ex sua institutione per Ecclesiam confirmata, vel acceptata, dandum sit alicui ex certa familia, vel oppido. Decimò, si beneficij parochialis fundator præsentet dignum, & non digniorem, nam hoc est licitum est facere, Undecimò quando quis beneficium resignat digno, prætermittens digniorem. Et tandem duodecimo, patronus laicus potest eligere, & præsentare minus dignum, relicto digniori. Et hæc omnia inuenies apud Ioan. Valerum in differentiis vtriusque fori, ver. electio, diff. 1. n. 1. Ioan. de la Cruz in direct. p. 1. pr. 7. q. 7. art. 2. dub. 9. concl. 2. Ricc. p. 3. decis. 214. num. 3. Sylu. in 2. 2. q. 63. art. 2. queritur 4. concl. 3. Tanner, in 2. 2. disp. 4. q. 8. dub. 2. n. 17. Lessium lib. 2. c. 34. dub. 13. num. 58. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 8. diff. 4. n. 6. & seq. vide etiam Malderum in 2. 2. tr. 9. c. 2. dub. 7.

Notandum est hic obiter, quòd licet sit probabilior opinio asserens in concursu beneficiorum, & cathedralium electores, eligendo dignum, prætermisso digniori, teneri ad restitutionem; attamen opinio contraria est proba

probabilis, & tuta in praxi. Vide Villalobos in *sum. tom. 2. tr. 8. d. ffic. 8. num. 15.* Sotum de *iust. lib. 4. q. 6. art. 3. ad 6.* Nauarrum c. 17. n. 74 & alios.

Nota secundò, quòd in dicto casu, minus dignum etiam si sibi, & electoribus notum sit digniorem in electione esse prætermisum, posse tamen hoc non obstante sine peccato mortali beneficium & cathedram acceptare. Ita Turrian. *tom. 2. in 2. 2. disp. 22. dub. 3. n. 8.* & Sotus de *iust. lib. 3. q. 6. art. 2. post 9. concl.* quidquid in contrarium asserat P. Nauarra de *rest. lib. 2. cap. 2. n. 63.* quòd probabilissimum putat Tannerus in 2. 2. *disp. 4. q. 8. dub. 2. num. 15.* Verùm ta tene sententiam Turriani, qui n. 4. notat hoc procedere post electionem, nam ante electionem minus dignus, quando certò agnoscit ex proprio, & aliorum iudicio se esse minus dignum, omnibus consideratis, non potest petere præbendam, seu beneficium curatum, petit enim rem iniustam, quam electores non possunt facere absque peccato simul, & damno tertix personæ. Et hanc sententiam docent etiam nouissimè Ledesma in *summ. tom. 2. tr. 7. concl. 7. diffic. 19.* & Syluius in 2. 2. *q. 63. art. 2. concl. 4.* quando certè, & manifestè alius est dignior, nam si alterius maior idoneitas sit dubia, putètque minus dignus examinatores posse aliquid in ipso aduertere, ob quod eum iudicent a què dignum, non peccat bona fide se præsentans, remque totam iudicio examinerum relinquens.

Sed his non obstantibus Lessius *lib. 2. c. 34. dub. 41. n. 70.* docet minus dignum posse se offerre ad obtinendum beneficium, non petendo absolutè vt sibi conferatur, sed relinquendo totum iudicium electori, siue collatori.

An examinatores synodales teneantur indicare Episcopo digniorem, licèt ipse præcipiat solum, vt ei dicant, qui, & quot sint digni, & idonei?

RESOL. CXI.

Hic casus frequenter solet accidere; Episcopi vt plurimum negatiuam sententiam tenent, & pro illis videtur stare declaratio Cardinalium apud Marzillam *lib. 1. tit. 2. c. 19.* ita asserentium. Congregatio Concilij censuit non pertinere ad examinatores, sed ad solum Episcopum iudicare quis ex concurrentibus ad Parochialem vacantem sit magis idoneus. Et in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 18.* tantum habetur, vt examinatores peracto examine renuncient Episcopo quoscunque ab his idonei iudicati fuerint.

Sed his non obstantibus Doctores clamant, & docent contrarium, vt Azor. *p. 2. lib. ... cap. 15. q. 11.* & Medina in *sum. c. 14. §. 32. reg. 4.* vbi sic asserit. [Ha se de aduertit, que el Obispo, ò Prouisor à cuyo cargo esta el proueer los beneficios, llama algunas personas, para que examinen los tales, estan obligados à firmar qual es el digno, y que es el mas digno, porque haziendo lo contrario, pecan mortalmente. Porque en dezir el Obispo, que lo digan qual es el mas digno sino que digan si son dignos, es en buen romance dezir que lo quiera el proueer à quien el quisiere, y no comanda la ley, y en esto han de tener animo y pecho para responder al Obispo, y à los semejantes los examinadores, porque es gran lastima lo que passa oy dia, mas se ha de mirar lo que manda Dios, que lo que ama el Obispo.] Ita Medina, quem postea sequuntur Villalobos in *summ. tom. 2. tr. 8. diffic. 5. n. 7.* & P. de Ledesma in *summ. tom. 2. tr. 7. c. 22. concl. 5. diffic. 13. fol. mibi 106.* vide etiam Zerolam in *prax. Episc. p. 1. ver. parochia, §. 1.* & Lopez in *instruct. p. 1. c. 27.*

Non reticeam tamen primam sententiam negatiuam probabilem esse secundum mentem Ledesmae *vbi supra,* & illam nouissimè docent Venerus in *exam. Episc. lib. 4. c. 25. n. 21.* Lotterius de *re beneficiaria tom. 1. lib. 2. q. 31. n. 98* & Massobrius in *prax. de conuers. requis. 4. dub. 3. n. 2.* vbi asserit, examinatores ex officio, & in executionem

Concilij, non teneri iudicare digniorem; secus autem quando Episcopus id postulare extra casum Concilij, vt instrueret suam conscientiam, vt sciat vtiliorem facere Ecclesie electionem, & magis digno illa conferre. Ita Massobrius, *Garzia de beneficiis tom. 2. p. 9. cap. 2. n. 108.* & seq. cum Viuiano in *prax. iuris part. 2. lib. 10. c. 1. n. 45.*

Quanta sit latitudo trium pretiorum, infimi, medij, & supremi?

RESOL. CXII.

OMnes Doctores cum D. Thom. 2. 2. *q. 77. art. 1. ad 1.* asserunt vulgare impositum à communi aestimatione prudentum habere latitudinem infimi, medij, & supremi. Sed quanta sit hæc latitudo, inter pretium infimum, medium, & supremum, vt non facile apud Auctores inuenies, sic nec in praxi facilè inuenitur, atque ideo Thomas Boninignius *tr. de vendit. ad tempus cap. 11. n. 2.* dixit quòd distinctio dictorum trium pretiorum in abstracto potius quàm in vtu habetur, & c. 15. n. 1. ait quòd varietas trium pretiorum in pauco contingit.

Attamen in gratiam Confessariorum non grauabor hinc apponere opinionem Romoaldi Coli in *tr. de vendit. c. 8. n. 5. & 6.* & quia codex rarus est, ponam eius verba, sic enim asserit. [Alcuni moderni hanno scritto, che la larghezza del prezzo piu rigoroso importa dieci per cento, & anzi piu, nella qual cosa si sono per mio auiso ingannati. Dico dunque, che si bene di questa larghezza del prezzo no se ne puo dare regola ferma, nondimeno si estende intorno alle quattro, ò sei, ò otto lire per ogni cento di scudi. è non à dieci scudi per cento. Altramente ogni vsurario, il quale vende à credenza, oltre à termine del prezzo giusto si potrebbe giustificare dicendo, che si bene ha venduta la mercantia otto, ò dieci scudi di più, l'hà nondimeno venduta al prezzo giusto rigoroso, & gli altri che la vendino otto scudi, ò dieci meno per li contanti la vendono al prezzo più, è perciò egli non ha commesso ingiustitia veruna; perciò che la del prezzo più rigoroso vi e questa larghezza d'otto ò dieci per cento, laqual cosa quanto sia falsa, e noto à tutti periti.] Ita ille. Qui asserit plures mercatores interrogasse de hæc re, qui responderunt nullam, vel paucissimam horum pretiorum latitudinem agnoscere in vendendis mercibus.

Sed his non obstantibus contrarium videtur docere Filliuc. *tom. 2. tr. 35. c. 3. n. 57.* vbi ita ait. Latitudo huius pretij naturalis varia est, aliquando maior, aliquando minor. Nam si res est pretiosior, maior erit latitudo, vt si res medio pretio valeat centum, supremum erit centum, & quinque infimum 95. quare latitudo erit decem aureorum. E conuerso si res sit minus pretiosa, latitudo minor erit, vt si pretium medium sit, decem supremum erit, & infimum nouem, quare latitudo erit trium aureorum. Ita ille; & hoc etiam docent Rebellius *p. 2. lib. 9. q. 1. sect. 6. n. 33.* Lessius *lib. 1. c. 22. dub. 2. n. 11.* Molina *tom. 2. tr. 2. disp. 347. n. 4.* & alij.

At, vt verum fatear, nescio si in praxi inter hæc pretia tantam latitudinem mercatores, & vendentes ponant, ideo in casu occurrenti remitto consulentem ad vsum fori, & ad viros peritos, ac timorosos.

An venditor non tradendo rem venditam tempore determinato, teneatur emptori ad interesse, non solum intrinsecum, sed etiam extrinsecum?

RESOL. CXIII.

Hæc quæstio in praxi sapius solet contingere, & affirmatiuè respondent Turrianus in 2. 2. *tom. 2. disp. 59. dub. 8. n. 12.* Filliuc. *tom. 2. tr. 35. c. 8. n. 174* & alij *vbi infra,* qui aiunt, si emptor soluit, & obtulit pretium venditori, & venditor sit in mora rei tradendæ, omnes fructus

fructus deberi emptori; imò venditorem teneri illi ad omne interesse intrinsecum, vt si plus fructuum ex re fuisset percepturus, si res deterior est facta, vel minoris pretij interim dum apud venditorem fuit, & emptor si eam habuisset, opportunè, & cum lucro alienasset: vel non esset apud eum reddita deterior. Et ratio horum omnium est, nam tunc vendens non tradens rem, verè est causa, ob quam emens non percipiat fructus ex re sibi debita, debita enim erat ab eo die traditionis. Ergo, &c. Hinc Megala in 2.2. lib. 2. c. 6. q. 1. n. 37. docet, quod si v. g. venditum est frumentum, & à die quo traditio erat facienda vsque ad diem, quo purgatur mora, frumenti pretium auctum est, hoc augmentum semper venit in æstimatione interesse; & illud venditor debet restituere emptori.

Sed hæc omnia procedunt in ordine ad interesse intrinsecum, difficultas est, an idem dicendum de interesse extrinsecum, id est, quod per accidens emptori euenit, vt si emptor negotiaturus rem illam erat, v. g. in alium locum transferendò, vbi pluris valebat, vel quia mancipia mortua sunt fame ob rem non traditam, &c. Respondeo contra Molinam de inst. tom. 2. tract. 2. disp. 367. n. 10. quòd in tali casu venditor morosus tenetur etiam ad interesse extrinsecum, & ita docent Lessius lib. 2. c. 21. dub. 13. n. 102. Rebellius part. 2. lib. 9. q. 17. sect. 2. n. 9. Megala loco citato. n. 39. & alij; nam cum venditor tali casu ex iniusta rei detentione est causa damni, tenetur ad totum interesse. Nota verò, quòd hæc omnia vera sunt in foro conscientia, nam in foro externo venditor tenetur solum ad interesse intrinsecum, & non ad extrinsecum, vt apparet in l. sterilis, §. cum per venditorem, ff. de action. empti. Nota etiam, quòd debitor in tali casu tenetur tantum ex mora culpabili, non autem si inculpabiliter rem venditam non tradidit; nisi pactum in contractu positum non obstaret, nam, vt in tract. 1. miscellan. resol. 46. diximus, ratione pacti etiam ex mora inculpabili debetur interesse. Quæ omnia valde à Confessariis notanda sunt; nam passim accidunt in praxi.

An si venditor tradidit rem emptori, & ipse non soluit pretium, possit recipere vsuras pretij pro ratione fructuum.

RESOL. CXIV.

Negatiuam sententiam in foro conscientia tenet Megala in 2.2. lib. 2. c. 6. q. 1. n. 29. vbi sic ait. Dico non licere venditori in foro conscientia vsuras, seu fructus pretij non soluti exigere; nec exactas retinere, nisi ob moram emptoris, damnum aliquod illi emergat, vel lucrù illi cesset, nam cum sint vsuræ intrinsecus malæ semper erunt malæ, ita vt nec à legum dispositione, nec alia via iuste fieri possint. Ita ille, & ante illum Lessius lib. 2. c. 21. dub. 13. n. 109. & Filliucius tom. 2. tract. 35. c. 8. n. 276.

Sed multi ex l. vt. ff. de periculo, & ex l. curabit, C. de action. empti. contrarium docent, & asserunt, quòd si venditor rem venditam tradat emptori, & emptor in mora sit tradendi pretium, siue totum, siue partem eius; non solum ad pretium, aut partem pretij non solutam, sed, etiam ad vsuras pretij non soluti cogendus erit, iuxta fructuum pretij nondum soluti proportionem; vt si nihil pretij soluit, restituat omnes fructus; si dimidiam, vel tertiam partem pretij, tantum soluat dimidium, vel duas tertias partes fructuum vltra pretium. Et ita docent Couarr. lib. 3. var. res. c. 4. num. 5. Molina, Binsfel. Sà, quos adducit Tannerus in 2.2. disp. 4. q. 7. dub. 2. n. 48. asserentes, dictas leges procedere etiam in foro conscientia, & illas ab vsura liberant.

Sed in hac quæstione mihi placet opinio Ferdinandi Rebellij part. 2. lib. 9. q. 16. sect. 1. n. 11. vbi prædictas leges ab vsura excusandas esse putat, non ex parte dilata solutionis, sed ex eo quòd propter moram culpandam, siue culpam non soluendi pretium in pœnam morosi empto-

Anon. Diana Resol. Mor. Pars III.

ris actionem in foro externo, venditori concedere voluerunt, ad exigendos omnes fructus, quos emptor percepisset, vel percipere potuisset, ac per negligentiam non percepit, à tempore moræ iuxta propositionem pretij non soluti. Ex quibus infert n. 14. quoad forum conscientia, non esse cogendum dictum emptorem ad prædictos fructus, siue vsuras pretij soluendas, ante condemnationem; cum id in pœnam pro culpa à iure decernatur, & pœna non debetur ante iudicis sententiam.

Nota etiam cum dicto Rebellio n. 13. quòd in foro conscientia si venditor nollet iudicialiter exigere dictam pœnam à iure statutam, id est, fructuum restitutionem, sed tantum lucrùm cessans, vel damnum emergens, emptor in conscientia illud compensare tenetur ante illam iudicis condemnationem, cum sit damnum datum ex peccato contra iustitiam commutatiuam, nempe ex mora culpabili. Ita Rebellius.

Ex quibus patet responsio ad argumentum Megala. Non enim illæ leges in tali casu tribuunt vsuras venditori, sed pœnam moroso debitori imponunt soluendam venditori. His tamen non obstantibus, prima opinio est probabilior, non tamen damnarem hanc secundam sequi volentem; est enim probabilis. Vide etiam circa præsentem quæstionem Azorium tom. 3. lib. 8. c. 15. & Nauarra de rest. lib. 3. cap. 2. n. 18.

Solent aliqui merces certo pretio vendere, quaeritur an hoc sit licitum?

RESOL. CXV.

Respondeo cum Romaldo Coli tr. de emptione cum pretio anticipato, c. 2. n. 6. & Azorio part. 3. lib. 8. c. 9. q. 4. & aliis, licere merces certo pretio vendere quando dubitatur, num futuro tempore pluris, aut minoris æstimabuntur in tali casu venditor, & emptor paris sunt conditionis, siquidem futurum pretium quomodo potest esse maius eo pretio quod tunc taxatur, sic etiam poterit esse minus, ac ideo emptor potest lucrari & perdere eadem ratione, qua venditor, & è conuerso.

Sed difficultas est in hoc Regno Sicilia, vbi ex pragmat. 1. 2. 3. & 4. tit. 61. tom. 1. prohibetur certo pretio vendere oleum, vinum, frumentum, linum, &c. Sed respondeo, quòd cum dictæ pragmaticæ, vt legentibus patebit fundentur in præsumptione fraudis, quoties fraus deficiat, & venditio celebretur modo, quo supra, putarem in foro conscientia dictum contractum esse validum, & licitum, & contrahentes ad illud certum pretium teneri. Salua semper, &c.

An promissio interna obliget in conscientia?

RESOL. CXVI.

De hoc casu interrogatus fui his diebus, nam Paulus actu interiori donauit, & promisit Petro certam pecuniarum summam, quæ postea promissio dicto Petro constitit; quæsitum à me fuit an Paulus teneatur adimplere promissionem, & an Petrus possit occulta compensatione sibi satisfacere, non restituendo quasdã pecunias Pauli, quas apud se habebat.

Respondeo, quod in tract. 3. miscellan. resol. 9. asserui probabiliter, promissionem externam etiam acceptatam non obligare in conscientia, sed nunc etiam probabiliter assero, promissionem internam in conscientia obligare. Igitur tenetur, qui mente aliquid promisit alteri, aut donauit, patefacere hominibus, quæ illis pollicitus est; nam, vt dixi, probabile est in donationibus, & promissionibus posse transferri dominium per actum interiore. Et ita docent Sotus de iustitia lib. 4. quest. 5. art. 1. ad 1. & lib. 7. quest. 2. a. 1. in solutione ad 1. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 3. n. 4. Aragon in 2. 2. quest. 88. art. 3. Angles in floribus part. 2. quest. 1. de voto, art. 2. diff. 4. & Ledesma 2. 2. quest. 28. art. 1. dub. 13. quidquid etiam

S proba

probabiliter in contrariam asserant Tannerus in 2. 2. D. Thom. disp. 4. q. 1. dub. 5. n. 59. & Basilius Pontius de matr. lib. 2. c. 6. n. 9. vide etiam Lessium lib. 2. c. 18. dub. 5. n. 29.

Cum igitur supradictus Petrus, à quo consultus fui, esset nimis pauper, & propter aliquas iustas rationes, non posset dictam summam integre à Paulo promissam in iudicio petere, respondi de supradicta pecunia posse occultam compensationem sibi facere. Et ita in terminis docent Mendoza lib. 1. de p. Etis. 4. n. 8. & vlt. Palacius de contr. lib. 5. c. 12. & nouissimè amicissimus, & doctissimus Pater Antonius Sanctarellus v. r. ref. part. 1. q. 66. n. 49. & seq. ad illum, & non pigebit, nam ego more meo, breuitati studeo; vide etiam Molinam de iust. tom. 2. tr. 2. disp. 266. num. 17.

Notandum est tamen hinc obiter, quod donatio, seu promissio facta Petro presenti, etiam si non acceptet, sed taceat, obligat in conscientia, & transfert dominium, vt probabiliter ex Iulio Claro contra Angles docet Ioan. de la Cruz in direct. conf. part. 1. pr. 7. a. 1. dub. 1. concl. 1, quia, iuxta regulam iuris, qui tacet consentire videtur.

An contractus factus ex metu leui valeat in conscientia?

RESOL. CXVII.

Negatiuè respondent Lessius lib. 2. c. 17. dub. 7. num. 46. Rebellius part. 1. lib. 1. q. 5. iunctis his quæ docet n. 9. & 15. Sanch. de matr. to. 1. lib. 4. disp. 9. n. 4. & alij Probat hanc opinio ex l. *metum*, ff. *quod metus causa*, & ex ratione, quia qui metu cogitur ad aliquem contractum efficiendum, priuatur per iniuriam sua libertate. Ergo debet in pristinum statum restitui, vt probet, vel improbet contractum per metum celebratum; deinde metus leuis aliquando non minus conturbat hominem, & impellit nolentem ad consensum, quam metus grauis; ergo, &c. Hæc omnia, intelliguntur, quando metus leuis iniuste incussus est, & quando reuera metus causa est, sine qua non consentiret. Ex his inferunt hi DD. Primò, quod ea quæ solo metu reuerentiali acta sunt, possunt rescindi, & eum, qui inde commodum percipit, teneri ad restitutionem. Secundò si vxor consentiat in aliquem contractum mariti, vel promittat aliquid, vel fide iubeat, quia non audet contradicere marito, timens iurgia, & austerum conuictum, potest reuocare consensum, & eos qui inde aliquid acceperunt ad restitutionem teneri. Tertio, ea quæ per preces importunas ab aliquo obtenta sunt, voluntate illius repugnante, & solum ad repellendam molestiam illam concedente restituenda esse. Ita Lessius *ubi supra* ex Syluestro, Nauarro, Nauarra, & Sanchez, licet hoc vltimum dictum ab ipso dupliciter limitetur.

Sed his non obstantibus, non desunt Doctores contrariam sententiam docentes, vt Medina Complutensis C. de rest. q. 3. causa 9. *ver. si fiat remissio*, qui apud me instat multorum est. Basilius Pontius de matr. lib. 4. c. 10. n. 5. quia metus leuis est in potestate patientis metum, eumque refutare potest: nam & is, qui operatur ex metu, non agit prudenter; quare in eius potestate est imprudentiam repellere, habetque in se sufficiens principium, vt repellat & sine metu agat. Quare voluntariè omnino videtur operari, qui eum posset facile repellere, & non vult. Idem constat in eo, qui ab intrinseco metum patitur. Ex qua doctrina iam facile constat in promissione, vel donatione non eueri eo metu titulum libertatis, cum in eius potestate sit ex eo metu operari. Constat etiam in contractibus aliis non censerì factam iniuriam aliquam, cum illam à se facile repellere possit, sed potius voluisse illam pati. Hæc Basilius, qui respondet ad argumenta contrariæ partis, contra Sanch. & Sarmiento docet hoc esse verum, non solum in foro conscientie, sed etiam in foro externo, vnde sustinet nullam iure civili rescissionem dari in his, quæ ex metu leui gesta sunt; sed ea valida semper iudicari, quia non est necessarium, vt eiusmodi per me-

tum passim subueniatur officio iudicis, cum, vt dictum est, nulla, aut ferè nulla illata sit iniuria, quæ considerari debeat, ob rationes allatas. Ex his apparet vtramque sententiam esse probabilem. Vnde Confessarius, si pœnitens, qui intulit metum, non vult restituere, cum Basilio liberabit illum à restitutionis pœna; si verò pœnitens passus est metum, & vult quæ tradita sunt repetere, potest ei cum Sanchez ad hoc efficiendum licentiam præbere.

Notandum est hinc obiter, etiam contractum matrimonij ex metu leui initum non esse irritum, nec irritari posse; multos tradere, multos verò negare, & vtroque probabiliter, vide Les. *ubi supra* n. 47. & alios.

An contractus lucratiui, & promissorii ex metu iniusto celebrati iure naturali sint validi, & quid de iure ciuili?

RESOL. CXVIII.

Valde necessaria est huius rei cognitio, vt intelligamus quæ obligatio maneat in conscientia; nam si contractus aliquis metu celebratus nullus est, nec transfert dominium, & qui contraxit, tenetur rem cum fructibus restituere. Igitur quod attinet ad contractus liberalis donationis, & promissionis, Sotus in 4. dist. 29. q. 1. a. 3. parum minus eius quod dixerat lib. 6. de iust. q. 1. artic. 4. docet donationem, aut promissionem metu iniusto factam, validam esse iure naturæ, & ita tenent etiam Henriquez lib. 1. cap. 8. num. 4. Carbo de restit. c. 46. q. 4. Ledesma de matr. quæst. 47. art. 3. dub. 1. ad 3. & 4. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 8. num. 4. Lessius lib. 2. c. 7. dub. 6. num. 37. ex l. vlt. C. de his, quæ vi; hæc opinio est satis probabilis.

Sed alij non minus probabiliter contrariam sententiam decernunt, & asserunt contractum liberalis donationis aut promissionis ex metu graui celebratum, inuolidum esse omnino iure naturæ; ita vt neque naturalis obligatio ex eo sequi possit. Et ita tenent Medina C. de restit. q. 3. causa 2. *ver. si fiat remissio* Aragon in 2. 2. q. 89. a. 7. in dubio circa solutionem ad 3. concl. 1. Rebellius part. 2. lib. 1. q. 5. concl. 1. Molina, & Azorius, quos citat, & sequitur nouissimè Basilius Pontius de matr. lib. 4. c. 6. n. 4. vbi solidis rationibus, vt semper solet hanc sententiam firmat, & ad omnia argumenta respondet. Et relinquendo rationes à priori, probatur hæc opinio à posteriori; nam ferè innumeri DD. admittunt, eum qui iniuste aliquid extorquet per vim, & metum à donante, teneri in foro conscientie ad restitutionem. Ita Couarr. Adrianus, Syluester, Nauar. ipse Sanch. & Lessius apud Basilium *ubi supra* n. 6. Ergo neque transfertur dominium, neque valet contractus; nam si iure naturali valeret, non esset obligatio restituendi ante sententiam, vel postulationem rescissionis, & transferretur dominium, solumque esset actio in personam, non in bona; quæ omnia sunt absurda. Ergo, &c. Ex his sequitur, ait Pontius n. 8. Lessium parum sibi constare, cum docuit ex vna parte donationes metu extortas mero iure naturali valere, & tamen postea n. 44. docet eum qui ex huiusmodi contractu aliquid est allequutus, teneri ad restituendum, & eum qui vim passus est, posse occultè surripere, si alia via, quod donauit, recuperare non possit. Hæc quidem manifestè sibi repugnant; nam si valent naturali iure; ergo etiam iure ciuili valent, vt Lessius fatetur, donec rescindantur. Ergo non est locus occultæ compensationi; neque restitutionis obligationi, donec per sententiam rescissio fiat, aut postulet is, qui vim passus est.

Neque est simile in eo qui furatur, & retinet, est enim in illo seclusa quauis lege, obligatio restituendi, ratione iniustæ acceptionis. At hinc iure naturali non est obligatio restituendi ex istius Doctoris sententia, cum valeat donatio; existimat enim ille Auctor, sufficientem titulum esse liberalem donationem, etiam cum coactione, & cum illa exerceri

exerceri liberalitatem posse. Quare illa duo consistere simul non possunt contractum valere naturali iure, & illum ante sententiam ad restitutionem teneri, & coactum posse occultè surripere. Solùmque eà doctrinà locum esset iuri positivo, iuxta aliquorum sententiam. Atque eodem modo reprehendus est Sanchez, qui *lib. 4. disp. 8. n. 4.* docet valere naturali iure, & *disp. 9.* docet esse obligationem restituendi ante sententiam, quem in hac parte meritò reprehendit Rebellius *part. 2. lib. 1. g. 5. num. 15.* Quare quicumque hanc restitutionis obligationem ante sententiam cognoscunt, non possunt asserere dominium translatum, aut sibi non constant,

An verò supradicti contractus ex metu graui celebrati sint iuris positivi dispositione, ipso iure irriti, vel rescindendi; agit idem Pontius *loco citato c. 8. per totam,* & contra Sancti. & alios firmat huiusmodi contractus, & quidquid à liberalitate proficiscitur, non tantum iure naturali, sed etiam positivo nullos esse. Itaque actus omnes, in quibus legitimus titulus est donatio, vel liberalitas, si ex graui metu iniuste illato fiant, etiam iure positivo sunt irriti ipso iure, requiriturque iudicis auctoritas, non ad illos irritandos, sed vt à principio ita fuisse declarat.

Notandum verò pro Confessariis ex supradictis. Primò, promissiones latroni factas propter metum iniustum nullam inducere obligationem ratione iustitiæ. Secundò, quando puella propter metum iniuste illatum consentit, esse obligationem restituendi in eo, qui stuprum intulit. Tertio, prorogationem, quamcunque iurisdictionis metu extortam, nullam esse iure naturæ, & positivo. Quarto idè dicendum de mandato ad aliquid agendum, si metu extorqueatur. Quintò, idem dicendum de dispensatione, & priuilegiis metu extortis, quandiu vel tacite, vel expressè non confirmantur, nulla enim sunt ipso iure, quod intellige, quando verè fauores sunt, non verò si ob causam, & obsequia præstita compensationis gratia conceduntur; hæc enim in eo casu, non proficiscuntur ex liberalitate. Sextò, idem dicendum de renunciatione beneficij per metum facta, contra Rebellium, Lessium, & alios, quia renunciatio ex liberalitate debet oriri, & renunciatio magis sapit gratiam, quàm iniustitiam, vnde non potest ad eius titulum ordinari, qui ex ea ratione beneficium accepit. Septimò, idem dicendum, non tantum de absolutione ab excommunicatione per metum extorta, sed etiam de reuocatione censuræ ante diem, vel conditionem, sub qua promulgata est, & de fideiussione, & institutione hæredis, vel legatis relictis, quando hæc metu extorquentur. Et hæc omnia Basilius Pontius *loco citato;* sed an idem dicendum sit in contractibus onerosis, videbimus in sequenti resolutione.

An contractus onerosi celebrati ex metu graui, sint validi iure naturali, & quid de iure civili?

RESOL. CXIX.

Contractus onerosi dicuntur, in quibus datur res pro re, vt venditiones, promissiones reciprocarum de præ-

senti, &c. & hos esse inualidos, spectato iure naturæ, tradunt Rebellius *part. 2. lib. 1. quest. 5. concl. 9. n. 15.* & alij penes ipsum.

Aliquibus tamen verius videtur eos contractus, in quibus datur res pro re, excepto matrimonio, validos esse iure naturæ, etiam si fiant ex graui metu iniuste incusso. Et ita docet Basilius Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 7. num. 2.* qui citat Sotum, Richardum, Paludanum, Syluestrum, Nauarrum, Henriquez, Molinam, & Valquez. Imò Pontius *in cap. 9. num. 2.* plus addit, hos contractus valere etiam in iure positivo, dari tamen actionem metus causa, & limitat hanc sententiam tantum in contractu ludi, & in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quæ metu facta non valent. Itaque quoad forum conscientie ante iudicis sententiam, nulla adest obligatio restituendi in eo, qui taliter contrahendo vim intulit; quia hi contractus sunt validi in vtroque foro, donec alter petat rescissionem, & sic emptor qui metum fecit, potest licite rem, retinere & fructus perceptos, donec venditor rescissionem postulet, & ita docent Pontius, & alij *ubi supra.* Quæ sunt notanda ad tollendos scrupulos, & onus pro illo tempore restituendi. Differentiam verò, quare hi contractus onerosi validi sint iure naturali, & positivo, non autem contractus lucratiui, vt diximus in superiori resolutione, inuenies satis firmatum apud Pontium *locis citatis.*

An peregrinus possit vti indulgentia sui territorij, si in loco, vbi moratur, seruatorius commune?

RESOL. CXX.

Exempli gratia, Mediolani licet ex consuetudine vesci carnibus, quatuor primis diebus Quadragesimæ, quod iure communi prohibitum est; quaritur an si aliquis Mediolanensis hospes sit hic Panormi, vbi ius commune viget, possit in illis diebus edere carnes. Negatiuè respondet Basilius Pontius *de matr. lib. 5. c. 8. n. 3.* vbi citat Suarez asserentem, oppositam sententiam neque esse probabilem, neque securam in praxi.

Non reticeam tamen illam docere P. Thomam Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. disp. 18. num. 7.* quia licet hoc priuilegium videatur locale, solòque cohærens, est vtique tale in hoc sensu, vt eo gaudeant, non tantum ibi quoquo modo existentes sed etiam qui in iure habentur pro presentibus, ibique existentibus, quales sunt, qui breui tempore absunt, citò reuersuri, eo quod illi domicilium ibi habeant. Et ita Palactus *in 4. dist. 15. disp. 8. post. 5. conclus. ver. at verò,* dixit Castellanus per Lusitaniam transeuntem, posse more suæ patriæ intestinis vesci die Sabbathi, quæ in Lusitania non permittuntur. Ita Sanchez qui etiam citat Ledesimam *matrim. quest. 45. art. 5. punct. 3. dub. vlt. §. secundo arguitur,* & §. quibus positus.

TRACTATUS SEXTVS.

MISCELLANEVS.

Natabilia quadam circa materiam duelli.

RESOL. I.

MATERIA duellorum frequenter in praxi solet accidere, ideo ponam hic breuiter aliqua magis practicabilia. Dico igitur primò, quod diffidens alterum non animo pugnandi, sed causa honoris. *Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.*

ris proprii defendendi, non incurrit in excommunicationem. Ita contra Peregrinum *de duello q. 24.* docet Floronus *de duello c. 6. §. 2.* & Naldus *in sum. ver. duellum, n. 2.* imò cum Fillucio *tom. 2. tract. 15. cap. 5. q. 5. n. 113.* alibi probabiliter docui hoc esse verum, etiam si ad locum conuentum accedant absque animo verè pugnandi, sed tantummodo aliquos ictus inferendi, cum morali

securitate, quòd nullum damnum secuturum, sit, sed pax potius inde concilianda, & ita etiam hanc sententiam tenet nouissime VVolfangangus à VVorburg. in *rudimentis iuris canonici de excom. art. 5. fol. 196.*

Dico secundò non incurrere in excommunicationem, si quis ad inimicum accedat arguendo illum mendacij, si sustinere voluerit, quod sibi relatum fuit etiam si hoc dicendo manum ensi apponat. Ita contra Peregrinum *quæst. 26. num. 2.* tenet Bonacina *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 48. n. 14.* hoc enim non est prouocatio ad duellum facta ex conducto, statuto loco, & tempore, sed potius est iniusta aggressio.

Dico tertio, non affici excommunicatione, qui alium prouocat ad pugnandum nullo statuto loco, & tempore, & hoc etiam procedit in terminis Bullæ Clem. VIII. quidquid sentiat Peregrinus *q. 15. n. 3. & q. 20. n. 3.* contra quem insurgit Bonacina *ubi supra, n. 15.* & alij, ex ratione *superius* adducta; quia videlicet hæc actio non habet requisita constituenta duellum.

Dico quartò, cum quis ad locum duelli causa inspiciendi accessit, non incurrere in excommunicationem, dummodo duellum, vel actus ad pugnandum proximus secutus non sit. Ita ego olim consului contra Peregrinum *q. 3.* Imò puto cum Lessio *lib. 10. c. 4. dub. 11. num. 83.* & Scortia in *Bull. Pont. epitome 155. theorem. 392.* spectantem ex occulto duellum non incidere in excommunicationem, quòd etiam Riccius in *praxi tom. 3. res. 42. num. 2.* Scortia cum Reginaldo, & Sanchez tenent de transeunte obiter, & aspiciente duellum; cum non sit spectator, ex industria, & ex proposito.

Dico quinto, quòd qui narrat aliquod factum, ex qua narratione præuidet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem prouocandi se ad duellum, non incurrere in excommunicationem, quidquid asserat Peregrinus *q. 27.* & ita docet Bonacina *num. 32.* & ita ego olim in casu contingenti determinavi cum consensu doctorum virorum; nisi hoc faciat, vt eos ad duellum incitet. Et ratio nostræ sententiæ contra Peregrinum est, quia ista actio Bullæ Clem. VIII. non exprimitur, & pœnæ non sunt extendendæ ultra verborum significationem. Ergo, &c.

Dico sexto, audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se prouocant ad duellum, minimè nexu excommunicationis vinciri. Et ita ego olim consului contra Peregrinum *q. 28.* & adducebam Comitolum *lib. 5. c. 14. n. 7.* & rationes *supra* adductas, quia hoc in Bulla non exprimitur, & quia odia non sunt amplianda.

Dico septimò, quòd qui, ratam habet procurationem, vel pugnam, vel aliam actionem in Bullis Pontificis expressam, suo nomine factam, non incidit in excommunicationem; ita Floronus *c. 14. §. 3. n. 1.* quidquid asserat Peregrinus *q. 31. n. 3.* quia Pontifices dum volunt pœnam ad ratihabitionem extendere, hoc solent exprimere; adde quòd ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimitur. Ergo, &c.

Dico octauò, eam qui præmissa ob duellum prouocatione contulit se ad locum constitutum, & altero non comparente discessit, minimè in excommunicationem Gregorij XIII. incidisse puto, & ita contra Peregrinum *q. 45.* tenet Scortia in *Bull. Pont. epitome 155. theorem. 392.* & alij penes ipsum, quibus ego addo Megalam in *3. part. lib. 4. c. 4. q. 2. n. 11.* Ioan. Franciscum Suarez in *enchoridion casuum conscientia lib. 7. ver. duellum*, Naldum in *sum. ver. duellum, n. 6.* & Riccium in *praxi tom. 3. res. 52.*

Dico nonò, quòd Peregrinus *q. 33.* docet duellum consulentem incurrere in excommunicationem, etiam si consilium non sit efficax, vel influat in effectum sed contraria sententia probabiliter sustineri potest, vt notat Bonacina *n. 28.*

Dico decimò, consulentem duellum non incidere in excommunicationem, etiam si conatus fuerit influxum consilij reuocare, sed re ipsa non reuocari, scio Bona-

cinam *n. 36.* contrarium docere, sed tu probabiliter nostram sententiam sequi potes.

Dico vndecimò, quòd si incontinenti orta inter aliquos sit rixa, vnus alterum iracundia motus ad dimicandum in certo loco inuitet, & incontinenti ibi dimicent, non incurrunt in excommunicationem. Ita Flavius Cherubinus in *Bull. Pont. tom. 3. constit. 11. Clem. VIII. schol. 1.* qui citat Ludouicum Lucensem, Farinacium, & Tulchum, quibus ego addo Io. Franciscum Suarez in *enchoridion casuum conscientia lib. 7. ver. duellum*, & Riccium in *praxi tom. 3. res. 51.* Item ait Graffius, diffidentes se ad pugnandum in aliquo loco, quò statim tendunt, & pugnant ibi, non incidere in excommunicationem, quia non adest assignatio temporis. Ita ille in *praxi lib. 1. c. 7. n. 22.* & Io. Franciscum Suarez *ubi supra*, sed probabiliorum esse contrariam sententiam asserit Bonacina *loco citato n. 7.*

Non reticeam hæc adnotare, quòd secundum Layman in *Theologia morali lib. 3. tr. 3. part. 3. c. 3. n. 3.* in duobus casibus duellum damnari non potest, videlicet si miles in exercitu, vir equestris in aula Regia officio, & dignitate excidere debeat ob ignauiæ, ac timiditatis notam, nisi identidem prouocanti se sistat; vel si quis ab iniustis conuictis, ac lubeundo dedecore aliter se liberare nequeat, nisi cum prouocante congregiatur. Hæc Layman; an verò probabiliter, aliis iudicandum relinquo, mihi enim non placent, ex his quæ adduxit Reginaldus *tom. 2. lib. 21. cap. 7. num. 80.*

Nota secundò, contra Megalam in *3. part. lib. 4. c. 4. q. 2. n. 13.* & Salonium in *2. 2. q. 64. a. 3. contr. 3. concl. ult.* posse Principem in casu extraordinario ad maiora vitanda mala duellum permittere; & ita docet Scortia in *Bull. Pont. epitome 155. theorem. 392.* qui citat Sanchez Valentiam, Caietanum, Sa, & Nauarrum, quibus ego addo Reginaldum *tom. 2. lib. 21. c. 7. n. 73.*

Et tandem nota tertio pro coronide huius resolutionis, quòd nouissime Franciscus Merolla in *disp. Theol. mor. tom. 1. disp. 2. c. 4. dub. 10. corol. 3. num. 390.* sic asserit. Quantum ad scripta prouocantia ad duellum, si loquamur de famulis scribentibus tantum & non deferentibus, existimo posse dari casum, in quo licitum sit famulis ea scribere, vt si aliàs eis immineret periculum mortis, vel alterius grauis nocimenti. Si verò de famulis ea scripta scienter deferentibus sermo sit, est valde probabile, id ita esse intrinsecè malum, vt in nullo casu liceat, quamuis oppositum non sit improbabile. Ita ille. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem materiam duelli: alias quæstiones ex industria relinquimus, quia non ita in praxi facillè occurrere solent.

An liceat vendere credito pretio currenti tempore solutionis?

RESOL. II.

Affirmatiuè respondet Caietanus in *2. 2. q. 78. a. 2.* & *ibidem in relect.* Franciscus Victoria cum multis recentioribus Thomistis, quia tempore solutionis dicitur perfecta venditio. Et hanc sententiam probabilem esse putat Sotus de *iust. lib. 6. q. 4. art. 2.*

Sed ipse contrariam tenet, si non eras seruaturus merces tempore solutionis, cum communi Doctorum. Dicendum est igitur, posse quem vendere credito pretio currenti tempore solutionis, si pro tunc seruaturus erat illas merces. Tamen in tali casu rectè notat la Cruz in *direct. part. 1. pr. 7. q. 5. dub. 7. concl. 2.* postea de pretio deducendas esse expensas, quæ faciendæ erant, v. g. pro conseruando tritico, & pericula, si quæ probabiliter timentur in eius conseruatione. Item habenda erit ratio pretij, quo res in Maio, v. g. æstimarentur, si vsque tunc seruarentur; nam si mille cori tritici in Maium seruarentur, ex copia vilescet pretium. Hæc ille, quæ sunt valde menti tenenda. Sed circa præsentem quæstionem, vide

Bonac. tom 3. disp. 2. q. 2. punct. 29. n. 2. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 43. n. 27. qui etiam optimè notat, præfatos Agnos Dei retineri posse, postquam in excommunicationem incursum est eos depingendo; prohibetur enim in constitutione illa pingere, vel retinere Agnos depictos ad vendendum, secus autem si depicti retinerentur non ad vendendum. Et hanc opinionem Sanch. probabilem putat Bonacina *vbi supr.* quam nouissimè tenet etiam Scortia in Bull. Pont. theorem. 30. & Fagundez *vbi infra*; quidquid in contrarium teneat Rainerius in catal. cens. c. 9. excomm. 64. in sine, cum alijs. Vnde ego olim consului, potuisse quem in donum recipere, & retinere Agnum Dei depictum, & miniatum.

Nota etiam cum Azorio, laicos non grauitè peccatos, si absque contemptu dictos Agnos tangant. Imo ego puto cum Sanchez, nullam esse culpam illos tangere, eo quòd vsus obtinuerit, vt à laicis etiam sceminis tãgeretur.

Et tandem non reticeam hìc describere verba Vincentij Filliucij tom. 1. tr. 1. 4. c. 6. n. 93. vbi sic asserit. Hæc excommunicatio à multis omittitur, & nescitur, vt propterea crediderim extra Urbem non fuisse receptam: passim enim cernuntur Agni Dei depicti, quos non est verisimile fuisse depictos cum licentia Papæ. Ita Filliuc. Verùm Fagund. pr. 1. lib. 1. c. 4. n. 25. docet hanc excommunicationem esse in viridi obseruantia; non est tamen Pontifici referuata, vt ex multis tradit Barbosa de potest. Episc. par. 3. allegat. 50. n. 150.

An maledictio, seu alicuius mali imprecatio sit semper peccatum mortale?

R E S O L. XIII.

Hic casus passim occurrit, & nimium Confessarios scrupulosos angit, ideo ponam hìc verba Ioannis Azorij tom. 3. lib. 1. 3. cap. 10. vbi sic ait. An maledictio sit peccatum mortale. Respondeo, ad hoc vt sit peccatum mortale requiri, vt ipsa imprecatio mali sit ex animo. Secundò, vt sit ex plena deliberatione animi. Tertio, vt malum, quod imprecamur alteri, sit graue, quare si aliquid istorum desit, erit veniale tantum peccatum. Vnde non semper in mulierculis maledicentibus suis liberis, vel ancillis; vel in rusticis, mulionibusque maledicentibus sibi, vel iumentis, alijsve est peccatum mortale, quia frequenter exira quadam, vel ex deprauata consuetudine maledicunt, non ex animo imprecantes malum. Item frequenter in his est imperfecta animi deliberatio. Item leuis quædam negligentia, vel inconsideratio in maledicendo. Ita Azorius, & ego.

An conducens operam alicuius, si per conductorem stetit, etiam ob casum fortuitum, quominus locator operam suam præstiterit, teneatur ad omnem mercedem?

R E S O L. XIV.

DE hoc casu olim mihi altercatio fuit cum quodam amicissimo Iurisconsulto, qui affirmatiuam sententiam mordicus in casu contingenti tenebat, & rectè quidem, loquendo in foro iudiciali, ex l. si addes, §. cum quidam, ff. locat. & alijs iuribus ab ipso adductis.

Sed ego in foro conscientie tunc contra Nauarrum c. 17. n. 198. contrariam sententiam docui cum his limitationibus, si locator aliam non inuenisset, mercedem, si mihi suam operam non locasset, aut potuisset inuenire si vellet, & omisit, vt accidit in casu, de quo tunc interrogatus fui, & ideo hanc sententiam tenent Doctores; quos citat, & sequitur Rebellius de oblig. inst. p. 2. lib. 14. qu. 14. n. 15. & nouissimè Ioannes Valerus in differ. vtriusque fori, ver. locatio, differ. 3. vbi sic ait. In facti contingentia respondi, cum quidam conduxisset vespere operam cu-

iusdam pro die sequenti, & statim manè certiozem fecisset conductorem se non indigere opera eius, non teneri ad mercedem illius diei, si certum erat ab illo pro eo die nullum inuenire locatorem, etiamsi non locasset illi operam suam, vel poterat se locare cum alio, si voluisset, vel in suis terris, quas habebat operari. Sic Valerus. Et ratio est, quia in dictis casibus euenientibus nullam mercedem conductor amittit mea causa, sed sua culpa, quia voluit esse otiosus. Hinc asserunt aliqui, & rectè, quòd possessor malæ fidei non teneatur ad fructus, quos in veritate dominus rei non erat probabiliter percepturus, vt quam rem non locasset si habuisset. Vide etiam Ioan. de la Cruz in direct. p. 1. pr. 7. q. 7. art. 6. dub. 4. concl. 1.

An famulus conductus per annum, si discedat ante tempus completum, perdat mercedem?

R E S O L. XV.

Hic casus frequenter solet accidere, & affirmatiuam sententiam tenet Bart. in l. si vno, §. item cum quidam, ff. locat. sed hoc procedit in foro iudiciali. Vnde in conscientia tenetur dominus famulum redeuntem admittere, vel ei soluere mercedem temporis, quo seruit, etiamsi redire nolit, nisi domini multum interesset immoratio, & seruitium famuli, nam in tali casu puto ad nihil teneri in conscientia, si eius interesse tantum valeat, quantum id quod famulo debet. Et ita tenet Rebellius p. 2. lib. 1. 4. q. 13. n. 18. & Ioannes Valerus in differentiis vtriusque fori, ver. locatio, differ. 4. Vide etiam Azorium p. 2. lib. 2. c. 39. quæst. 7. Ioan. Franciscum Suarez in enchiridio casuum conscientie lib. 1. vers. locatio, §. famulo, & alios.

Quædam practicabilia valde notanda à Confessariis circa famulos, & sartores?

R E S O L. XVI.

Henriquez, Villalobos, vir quidem doctus in summ. tom. 2. tr. 25. diffic. 13. n. 6. ita circa famulos, & sartores asserit. [Muchas vezes acontece, que los criados se quejan que no les pagan lo que mercen, y toman ellos secretamente algo de mas por via de recompensa, y aun los oficiales tambien, se quedan por esso con sobras, ò retazos de la obra, quanto è esto digno que estos criados cometan hurto, si no es que los hagan seruir por fuerza, ò engaño. La razon es, porque si el salario llega al infimo precio justo, basta que no les deuen mas, y si no llega y no les costa, cierto es, que no lo podran tomar; y quando dixissen, que no llega ad infimo precio, parece que no se les puede creer, porque si ellos hallaran otro que les diera mas, no seruirian aquel amo, y pues no le harlan son como mercaderias, que se ruega con ellas, y pro esso valen menos, que los seruios valen menos por falta de amos, como las mercaderias, por falta de compradores, y así no tienen de que se quejar. Y si dicen con mas fidelidad y puntualidad, respondeles, que no merecen mas en dinero, si no en otros agradecimientos. Confirmase esto, porque en este caso no tuuiera el amo al criado si entendiera que le costaua tan caro, y es contra razon querer que otro compre ò alquile por el precio que el no quiere, y así rarissimas vezes se puede justificar esta recompensa de los criados, si no es que interuenga miedo, ò fuerza. Lo que toca à los oficiales, que de ordinario son los sastres, y otros semejantes se ha de juzgar por el mismo camino, y así no pueden recompensar el precio por dezir que les dan poco por lo que bazen, sino huuiesse miedo, ò fuerza, y en lo que toca à las sobras, y retazos con que estos algunas vezes se quedam. Mi parecer es, que quando se entiende de la voluntad presumpta del señor de la obra, que no quiere

que le bueluan las sobras se podran quedar con ella, y tal creeria y o que es quando fuesse de poco valor lo que sobra, como suelen ser las cernaduras, y lo que queda de los huecos de la ropa que hazen, porque todos sauen que quada esso y nadie lo pide; mas si quedasse cosa de consideracion, como es algun pedazo entero que puede seruir, no se pueden quedar con elle, y ansi quando les pide vno que saquen el paño, ò seda, que es menester para vna jupa, y ellos piden mas de lo necesario, porque aya sobras no tienen escusa que es hurto manifesto.

Hæc omnia Villalobos, qui citat Sotum, & Rebellium. Non desinat etiam hic adnotare Ioann. Valerum in differentiis vtriusque fori, ver. locatio, diff. 8. num. 1. dicere quod dominus etiam in foro conscientiae non teneatur soluere iustum pretium saltem infimum si famulus iusta de causa noluit aliis seruire, & dominus non refutasset illius seruitium etiam pro iusto infimo pretio si famulus institisset, aliàs secus; quia scienti, & consentienti nulla fit iniuria; ergo nulla est ratio, quæ fauceat famulo ad conquerendum de domino, nec de diminutione pretij, & consequenter nullo modo potest se compensare. Imò plus addit Valer. num. 2. nempe quod cum famulus facit aliqua grandia, & extraordinaria seruitia excedentia pretium conuentum, tunc dominus ex gratitudine, & honestate, & debito morali, non tamen legali, tenetur ad æquiualem satisfactionem; & isto in casu non potest famulus sibi facere vllam compensationem. Hæc omnia Valerius, quæ multum dominis erunt plausibilia. Sed aduersus illos pro famulis insurgit Rebellius lib. 14. q. 15. n. 9. & seq. cum Valqu. opusc. de restit. c. 5. §. 1. dub. 10. n. 57. & aliis.

An ob sterilitatem agri fortuitam sit aliquid remittendum agricolis de pensione agri?

R E S O L. XVII.

Dicitur sterilitas fortuita, quæ prouenit ex insolito calore, frigore, tempestate, nimia pluuia, locustis, & similibus, seclusa negligentia culturæ, & debilitate terræ; & nota cum Armilla ver. locatio, n. 16. & Doctoribus citandis, quod sterilitas hæc est, quando ex tribus partibus solitis colligi, non colligantur vix duæ. Hoc supposito, sic respondeo ad casum propositum, quod si sterilitas sit tanta, vt non compensetur ex fertilitate præcedentis, & sequentis anni, fiet agricolæ aliqua remissio pensionis ad arbitrium boni viri, secus autem si compensetur. Vt si in anno præcedenti, & sequenti plus solito tertia pars colligatur. Vnde etiam dicendum est, quod ob fertilitatem fortuitam augenda est pensio pro rata aucti fructus. Et hæc omnia docet Ioan. de la Cruz in direct. p. 1. præc. 7. q. 7. art. 6. dub. 5. concl. 1. & aliis.

Sed difficultas est, quando conductor renunciauit omni casui fortuito, & in foro iudiciali conducens possessionem aliquam, v. g. per tres, aut quatuor annos, vel locans fructus alicuius Episcopatus, vel dignitatis, aut canonicatus, & renuncians omni casui fortuito, & qui contingere potest, etiam rarissime, quod est solitum apponi per notarios in instrumentis locationum, & conductionum, tenetur soluere omnem pensionem, etiam si ex aliquo euentu, & fortuna etiam insolita nullos fructus dignitatis, vel ex illa possessione colligat. Et hoc, vt dixi, certum est in foro iudiciali, ex l. licet, C. de locat.

Sed quid dicendum in foro conscientiae? Io. Valerius in differentiis vtriusque fori, ver. locatio, differ. 6. negatiuam sententiam tenet, quia locator ex natura contractus debet agnoscere casus fortuitos, & diminutionem fructuum, & pensionis, vnde debet remittere de pensione, quod iustum fuerit arbitrio boni viri. Alias rationes videbis apud ipsum, & apud Comitolum lib. 3. q. 29. n. 4. Rebellium p. 2. lib. 14. q. 7. n. 4. & alios.

Verum ad hanc questionem ita respondet Villalobos in sum. tom. 2. tr. 2. §. diff. 6. n. 6. [Quando el que recebio

en arrendamiento la heredad, renuncio los sucesos futuros, tambien tiene obligacion à pagar por entero, pues se concerto assi. Mas ha se de advertir, que en esto caso ay duda si el que renuncio los casos fortuitos, es justo renunciar no solo los ordinarios que en la tal tierra suele auer, sino tambien los extraordinarios que nunca en aquella tierra sucedieron ni se pensaron. La mas comun, y à mi parecer mas probable es, que no es justo renunciar los tales sucesos. La razon es porque no parece que quiso este renunciar, sino solo los casos fortuitos acostumbrados, saluo si renuncia los acostumbrados, y los no acostumbrados, haziendo especialmente mencion dellos.] Sic Villalobos, & ego. Vide etiam Gomez lib. 2. var. c. 3. n. 19. Valascum de iure emp. q. 26. n. 35. & alios.

An venationes licite per dominos terrarum prohibeantur?

R E S O L. XVIII.

Aduersus has prohibiciones inuehitur Hostiensis in c. non est, de decim. Decius conf. 197. n. 2. Thomas Grammaticus decis. 67. num. 12. Gulielmus de Benedictis, in c. Raynuium, ver. & uxorem, n. 336. Tiraquellus tr. de nobil. c. 37. n. 150. & alij.

Sed ego puto licite fieri quando talis prohibitio fieret ex iusta causa, publicam vtilitatem concernente, vel quando Princeps supremus causa solius recreationis prædictas prohibiciones fecerit, dummodo moderatas illas faciat. Ita Sotus de iust. lib. 4. quæst. 6. art. 4. qui tamen eandem facultatem aliis dominis inferioribus non concedit, sed Ioannes Valerius in differentiis vtriusque fori, ver. peccatum, differ. 16. putat etiam magnates ob prædictas causas posse licite easdem prohibiciones facere, sed restrictius quàm Principem supremum, vt habet consuetudo. Ita ille, & Villalobos in sum. tom. 2. tr. 10. diff. 16. n. 7. asserit quod [qualquiera persona puede prohibir que no se caze en su propria heredad, y por este camino los señores vedan que no cazen en sus montes.] Vnde ego olim ex hoc principio defendi quemdam magnatem à quadam indiscreta murmuracione cuiusdam Religiosi, qui tantum Summas veteres habebat.

An venatio sit Clericis licita?

R E S O L. XIX.

Ad hoc quæsitum negatiuè respondet Ioan. Frane. Suar. in enchiridio casuum conscientia lib. 2. §. Clericus, vbi sic ait: Venatio sine strepitu etiam Prælato est licita causa recreationis, etiam cum canibus, modeste. Panorm. in c. 1. de cler. venat. Hoc tamen dictum videtur contra dist. c. 1. vbi Episcopis, Presbyteris, & Diaconis prohibitum est sub pena suspensionis, ne canes, aut accipitres ad venandum habeant; & c. 2. eodem tit. interduntur venationes, & syluaticæ vagationes cum canibus. Idem habetur c. 1. ne cler. vel. mon. Ita Suarez.

Sed ego puto cum Panormitano, venationem clericis recreationis causa non esse prohibitam, dummodo non sit omnino clamorosa, sed modesta, nempe cum retibus, vel laqueis, atque etiam cum aliquibus canibus. Imò si esset omninò clamorosa, si tamen raro fiat causa recreationis, non esse peccatum mortale existimo, secus autem si frequens. Et ita docet Valerius in differentiis vtriusque fori, ver. peccatum, differ. 20. Rebellius lib. 1. quæst. 14. num. 10. & alij.

An vineas ingredientes possint licite & impunè vuas comedere?

R E S O L. XX.

Afirmatiuè respondet Ioan. Valer. in differentiis vtriusque fori, ver. peccatum, differ. 23. vbi sic asserit. Vnicuique

Vide Molinam *disp.* 355. Medinam *de rest.* q. 38. Rebellium *part.* 2. *lib.* 9. q. 11. Aragon. *in* 2. 2. q. 77. art. 4. & ibidem Salonium *contr.* 12. & alios.

Notandum est etiam cum Villalobos *in sum. tom.* 2. *tr.* 11. *diffic.* 6. n. 3. [que no as licito vender el trigo apreciado al precio, que vale al presente, con pacto de que se pague para tal tiempo en trigo, ò en dinero, como mas quisiere el que le vende; porque en tal caso el que vende posuit spem in tuto, esto es que asegura su negocio, y no se pone a peligro de perder, pues ha de escoger; y el otro si.] Ita ille, & ante illum Rebellius *part.* 2. *lib.* 9. q. 11. n. 12. in quo multi Barones, & negotiatores miserimè decipiuntur.

An qui bona fide expendit monetam falsam, teneatur ad restitutionem.

RESOL. III.

Hic casus frequenter accidit, Syluester. *ver. falsarij.* q. 6. & Angelus *eodem ver.* §. 4. asserunt, quòd ignoranter accipiens falsam monetam, & scienter expendens, tenetur damnificato ad restitutionem. Igitur ex eorum sententia, si eadem bona fide in alium transtulit, non tenetur.

Sed contrariam docet Petrus Navarra *de restit.* *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 312. error enim meus, ait ille, nulli nocere debet, sed error suos tenere debet auctores. Idem docet Nauarrus *in man. cap.* 17. n. 167. Vtraque opinio est probabilis.

An testis teneatur restituere danti, si quid accepit pro veritate dicenda, & index pro iusta sententia ferenda?

RESOL. IV.

Affirmatiuè respondet Aragon. *in* 2. 2. q. 75. art. 4. Navarra *lib.* 4. c. 2. n. 34. Rebellius *lib.* 18. q. 10. n. 8. Tolletus *lib.* 1. c. 21. Nauarrus *c.* 17. n. 34. & 96. & alij communiter; sed hi Doctores intelligendi sunt, quando datur aliquid ad dirimendam vexationem: secus autem si detur ad alliciendum animum iudicis ad iustam ferendam sententiam, aut ex mera liberalitate; nam in tali casu testis, & index potest recipere, nec tenetur danti restituere, quod est valde notandum ad tollendos scrupulos; & ita hanc sententiam alibi etiam docui, & etiam docet Ioan. Franciscus Suarez *in enchiridio casuum conscientia lib.* 5. §. cui restituendum, *ver. quod accepisti, & lib.* 10. §. iudicium, *ver. Index potest*, vbi citat Sayrum, Molinam, Medinam, & alios.

Nota etiam quòd sententiam affirmatiuam Sotus *de iust. lib.* 4. q. 7. a. 1. ad 2. & Azorius *part.* 3. *lib.* 4. c. 21. q. 6. intelligunt, si accipias ab eodem, non verò si accipias ab alio, nam in tali casu non teneris restituere. Et ratio est, quia licet ex iustitia obligeris, v.g. ad bonum Petri, non tamen teneris ex iustitia id facere in gratiam Pauli, à quo donum accepisti. Ergo, &c. Verum hæc sententia displicet Lessio *lib.* 2. c. 14. *dub.* 9. & aliis.

An quis possit per partes restituere?

RESOL. V.

Secundum mentem Nauarri *c.* 17. n. 65. Angeli *ver. restitutio ult.* §. 5. Antonini *part.* 2. *tit.* 2. c. 8. & Petri à Navarra *lib.* 4. c. 4. *dub.* 15. qui potest statim totum restituere, sed non vult, nisi per partes ob aliquod emolumentum inde sibi proueniens, potest absolui, si creditor nolit concedere dilationem parum sibi nociuam, & Confessor probabiliter credat, quòd negata absolutione, & dilatione, nunquam, vel non ita vtiliter restituet.

At alij docent huiusmodi non esse absoluendum, nec Confessarium posse dilationem concedere. Ita Aragon *Anton. Diana Resol. Mor. Pars III.*

& Salonium *in* 2. 2. q. 62. art. 8. Medina *de rest.* q. 5. *dub.* 3. Corduba *in sum.* q. 68. *punct.* 2. Sotus *de iustitia lib.* 4. q. 8. a. 4. Sayrus *in Clau Reg. lib.* 10. *tr.* 5. c. 5. *dub.* 5. Molina *de iust. tr.* 2. *dis.* 756. & alij. Et ratio est, quia eo ipso quod restituere non vult nisi per partes, cum teneatur, & possit totum restituere, verè consentit in detentionem iniquam illius residui, ratione cuius manet in peccato, & consequenter est incapax absolutionis. Ergo, &c.

Nocens alteri in re, ad quam erat solùm in potentia, ad quid teneatur restituere?

RESOL. VI.

Si damnum, v. g. ait Sayrus *in Clau Regia lib.* 10. *tr.* 4. *sc.* 1. n. 6. cum culpa datum est in seminibus, & plantis, si sint in proxima dispositione, restituendum, ac si essent matura, deductis expensis; secus si adhuc longè distabant. Ita Sayrus. Alij etiam, vt Sotus *de iust. lib.* 4. q. 6. a. 3. Aragon, Bannez, & Solonium *in* 2. 2. q. 62. a. 4. in responsione huius casus aliquas distinctiones adhibent, quas apud ipsos videre potes. Mihi, verò sententia Lessij *lib.* 2. c. 11. *dub.* 19. probabilissima videtur, qui absolute negans prædictas distinctiones, docet huiusmodi inferentem damnum, siue ex malitia, siue ex negligentia, teneri tantum ad æstimationem temporis præsentis.

An excommunicatio lata contra scienter aliquid facientes afficiat contrauenientes ex ignorantia affectata?

RESOL. VII.

Affirmatiuam sententiam tenet Layman *in Theol. mor. lib.* 5. *tr.* 5. *part.* 1. c. 5. n. 8. Suarez *in* 3. *part.* 10. 5. *disp.* 4. *sect.* 10. n. 1. Henriquez *lib.* 13. c. 23. n. 3. Sanchez *de matr. lib.* 9. *dis.* 32. n. 40. Molina *tract.* 5. *disp.* 71. *num.* 13. Grassius *in decis. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. n. 83. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorantia affectata æquiparatur sententiæ, vt patet *in c. eos qui, de tempor. ord. in.* 6. ibi *scienter, seu affectata ignorantia.* vbi glossa *in vers. scienter.* Hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuetur Sanchez se retractans *in summatom.* 1. *lib.* 2. c. 10. n. 38. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 22. c. 6. n. 205. Bonacina *de cens. disp.* 2. q. 5. *punct.* 4. n. 9. Duardus *in Bull. Cæn. lib.* 2. q. 36. n. 3. & alij quia verba legis pœnalis non sunt extendenda ultra proprium significatum, sed qui operatur cum ignorantia affectata, non operatur scienter. Ergo non incurrit in excommunicationem contra aliquid scienter facientes, latam, & hoc procedit, siue ignorantia affectata sit iuris, siue facti. Vnde ex his aliqui docent legentes libros hæreticorum ignorantia affectata, non incurrere in excommunicationem latam in Bulla Cænæ, quæ fertur contra scienter legentes: licet alij hoc non approbent, quia putant excommunicationes Bullæ Cænæ non esse pœnales, sed fauorabiles; cum sint latæ principaliter in fauorem Dei & animarum. Vtraque opinio est probabilis.

Notandum est etiam ex supradictis à fortiori non incurrere in censuram, qui ex ignorantia crassa, siue sit iuris, siue facti violat excommunicationes latas contra scienter aliquid facientes, vel præsumentes facere. Et hanc sententiam ex pluribus Doctoribus probat nouissimè Merolla *in disp. Theol. mor. disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 6. n. 232. cui ego addo doctum Anguianum *de legibus tom.* 1. *lib.* 4. *contr.* 4. n. 18. quidquid in contrarium asserant Doctores citati per Tiraquellum *tr. de pœnis tempor. causa* 13. *num.* 22. qui post glossam *in c. finali, de offic. delegati in* 6. inaduertenter tradiderunt pœnas contra nescientes præscriptas obtinere, ideòque contra ignorantes per ignorantiam crassam. Sed tu nostram sententiam tene. Notentur hæc à Confessariis; nam ex illis multos scrupulos sedabunt. At post hæc scripta inueni omnia supradicta

docere iterum doctum Bonacinam in *Bull. Cæna tom. 3. disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 9.*

An actus, qui est causa omissionis culpabilis, sit peccatum distinctum ab ipsa omissione?

RESOL. VIII.

VT si quis ita studio sit intentus, ut relinquat audire Missam, an istud studium sit in seipso peccatum, & contineat in se deformitatem distinctam à malitia omissionis Missæ? Negatiuè respondeo cum Vasquez in *part. 2. disp. 93. c. 3. n. 20.* Becano *part. 2. Theol. scholast. tr. 2. c. 3. q. 5.* & aliis. Dico igitur tam voluntatem expressam omittendi, quam opus, quod est causa omissionis, non solum non esse peccata distincta ab ipsa omissione, verum etiam neque esse peccata commissionis, sed omissionis tantum, quidquid asserant in contrarium Salas in *par. 2. tr. 13. disp. 2. sect. 7. & 8.* Valentia *tom. 2. disp. 6. q. 1. punct. 4.* & alij. Vnde satis est, ut quis dicat in confessione, Missam non audiui, nec opus est causam exprimere omissionis Missæ, vel voluntatem expressam omittendi, quæ omnia si essent peccata commissionis, deberent in confessione explicari.

Sed hic obiter posset quis curiosè inquirere, an actus, qui fiunt ab operante post propositum omittendi præceptum, ut si quis, v.g. proponeret omittere Missam propter pigritiam, aut aliam causam, postea tempore celebrationis Missæ domi studeret, aut ambularet, an, inquam, hi actus dicantur causa omissionis Missæ, & consequenter sint peccata. Negatiuè respondet Medina in *part. 2. q. 71. art. 5. dub. 2.* Aluar. in *part. 2. disp. 126. n. 2.* Salas in *part. 2. tr. 13. disp. 2. sect. 6. n. 102.* licet contrarium asserat Valentia *tom. 2. disp. 6. q. 5. punct. 4.* Sed tu circa præsentem questionem Vide Filiucium *tom. 2. tr. 21. c. 7. n. 268.* Layman in *Theol. mor. lib. 1. tr. 3. c. 4. n. 43.* Becanum *ubi supra, c. 2. n. 5. & 6.* & illos sequere.

An in dubio circa dispensationem matrimonij dispensatio censenda sit valida?

RESOL. IX.

Hic casus frequenter potest accidere, ut si, v.g. causa acita, vel falsò inter alias veras expressa sit finalis, quæ vitiat dispensationem, vel tantum impulsiva, quæ non vitiat; item quando dubium est, an satis probetur veritas narratorum in supplicatione, &c. & negatiuam sententiam docet Coninch. de *Sacram. disp. 33. dub. 6. n. 9.* vide etiam Guterrez *lib. 3. pract. qq. quest. 17. n. 115.* Menochium *vol. 3. conf. 272. n. 57.* Barbolam *part. 1. leg. 1. n. 84. pro. solut. matrim.* & alios penes ipsos. Hæc opinio est probabilis.

Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuetur Salas de *legibus, disp. 20. sect. 15. n. 122.* Sanchez de *matrim. lib. 8. disp. 21. n. 25.* & alij, quia in dubio semper præsumitur actus validus, c. *Abbate. de ver. significat.* & consequenter dicendum est, quod possessio sit pro valore actus, & in dubio causa præsumitur semper impulsiva, Cæteras rationes videbis apud Sanchez, ad illum, & non pigebit. Vide etiam Riminaldum *volum. 3. conf. 375. n. 17. & vol. 5. conf. 562. n. 16. & sequent.* & Bonacinam de *leg. b. tom. 2. disp. 1. q. 2. punct. 6. n. 4.* hanc sententiam docentes.

Verum post hæc scripta inueni nouissimè Franciscum Merollam in *suis disp. Theol. mor. tom. 1. disp. 3. c. 3. diff. 3. corol. 14. n. 178.* negatiuam sententiam aduersus Sanch. docere; sed ego his non obstantibus, non discedo ab eius sententia affirmatiua, quam præter citatos Doctores, etiã docet, & sustinet amicissimus Pater Sanctarellus *to. 1. variar. resol. q. 59. per totam.* Dico igitur, quòd quando dubitatur an dispensatio sit valida an subrepticia, præsumendum est, quòd sit valida; nam in re dubia iudicandum est in favorem actus. Ideo hæc omnia Confessarij mente teneant,

nam, ut dixi, pluries hæc dubitatio in facti contingentia potest accidere, & secundum hanc opinionem contententes, seu pœnitentes à multis laboribus liberabuntur.

An in contractibus gratia vtriusque contrahentis celebratis, si aliquod damnum contingat sine culpa illius, diuidatur inter utrumque?

RESOL. X.

Respondeo negatiuè in foro externo secus autem in foro conscientie, in quo contractus, vbi vtriusque veritas vertitur, ut in empto, locato, pignote, societate, &c. si res perit sine culpa vnus ex contrahentibus, damnum diuiditur inter ambos, quia cum gratia vtriusque sit contractus, & vnusquisque percipiat ex eo commodum, videtur iustum, ut etiam participet vterque partem damni. Et ita hanc sententiam docet Paludanus in *dist. 15. q. 2. art. 2. concl. 5. in fine.* quem citat, & sequitur doctus Ioannes Valerius in *differentiis vtriusque fori, ver. damnum differ. 4.* ita in facti contingentia consuluit, sic enim ait. Hinc collige responsum ad dubium, super quòs elapsis proximè mensibus fui consultus; quidam enim multo locauerat equum cuidam scholari, & in itinere equus accepit plagam in dorso præter culpam scholaris conductoris, ex qua post iter peractum mortuus est equus in domo domini sui locatoris. Petebat dominus à scholare medietatem valoris equi; scholaris recusabat, dicens se nihil debere, cum ex nulla sui culpa equus, interiisset. Respondi in foro fori scholarem nihil debere, sed in foro conscientie teneri ad medietatem valoris equi. Quorum nunquam obliuiscaris, quia casus hic, & alij similes sunt quotidiani. Ita Valerius, & ego.

His diebus interrogatus fui, an qui vulgò Sigitteri vocantur, possint conducere concubinam in domum amasij?

RESOL. XI.

Hic casus frequenter accidit, & tunc affirmatiuam sententiam aliqui probabilem esse dixerunt ex auctoritate Azorij. *tom. 2. lib. 12. c. ult. q. 8.* asserentis licitum esse famulis deducere concubinam in domum heri, vel alium locum, in quo peccaturus est. Sed quia in isto casu Azorij adest tantum simplex comitatus, & non concursus physicus, ut in casu, de quo loquimur, ideo tunc adduxi Franciscum Merollam in *disp. Theol. mor. tom. 1. disp. 2. c. 4. dub. 10. corol. 3. n. 280.* vbi sic ait. Ex hoc colligitur quid dicendum sit de aurigis deferentibus meretricem ab vno loco ad alium, quam sciunt illuc potere ad peccandum: hi enim regulariter excusantur à peccato, quia adest causa non amittendi lucrum, quod ex eo ministerio comparant, Ita ille, & ego.

An licitum sit vendere Agnos Dei, & retinere illos.

RESOL. XII.

Negatiuè respondet Pater Azorius *tom. 1. lib. 9. c. 9. post. q. 5. ver. quæres,* etiam si vendantur tantum ratione materiae, ex quadam constitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *omni arte audit,* &c. apud Quarantam in *sum. Bull. ver. Agnus Dei Lauorium de lubilao. c. 23. n. 88.* & alios.

Verum si sint alibi, & non minio confecti, posse vendi sine vllò scrupulo ratione materiae, ac laboris, & impenfarum in eis asportandis, docent Flavius Cherubinus in *comp. Bull. tom. 2. const. 2. Gregorij XIII. scol. 1. Naldus in sum. ver. sacrilegium. num. 9.* Homobonus de *exam. eccles. part. 2. tr. 9. c. 5. q. 9.* Villalob. in *sum. tom. 2. tr. 37. diff. 11. n. 4.* Suarez de *Relig. tom. 1. tr. 3. lib. 4. c. 14. n. 6.*

Vnicuique licitum est in foro conscientiae ingredi vineam ad vnam, aut alteram vnam ibidem comedendum, modò foras non exportet. Ita notat glossa, *in c. omnes leges, dist. 1. f. u. est*, quam allegat Capol. *de seruit. rust. prad. c. 20. n. 3.* vbi dicit idem seruari de consuetudine; imò ex Couartuua *in reg. peccatum. 2. p. §. n. 3.* & Ripa *in l. damnum, col. 2. ff. de damno infect.* addit etiam licere viatori, vvas, quas ad comedendum accepit, vel in vinea, vel in via ipsa comedere, etiamsi sine necessitate famis eas accipiat; adducit textum Deut. 23. *Ingressus vineam proximi tui, comede vvas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.* Hæc omnia Valerius, & ante illum Cou. *in reg. peccatum, p. 2. §. 1. n. 3.* Quorum opinio si esset vera, vix, vix vinearum dominis, & quidem nescio quare hoc priuilegium habere debeant comedentes vvas, & non ficus poma, pyra, &c.

Stabularij, nautæ, & caupones ad quam culpam teneantur?

R E S O L. XXI.

Respondeo, quòd licet supradicti sicut omnes, qui deposito pro mercede res alienas recipiunt, in foro externo de omni culpa, etiam leuissima teneantur ex *l. & ita, at hoc ff. naut. caupo.* & hoc ne hostium fraudibus pateret.

Attamen in foro conscientiae puto solum de dolo & leui culpa ratione contractus, vel quasi contractus teneri, & ita in terminis docet Rebell. *p. 2. lib. 1. q. 10. n. 11.* & alij, quod est valde notandum à Confessariis.

An interficiens aliquem non habentem filios, aut alios cognatos intra tertium gradum, teneatur ad aliquam restitutionem?

R E S O L. XXII.

DE hoc casu in facti contingentia olim interrogatus fui, & negatiuè respondi, quia interficiens hominem non habentem filios, aut fratres hæredes, sed alios, non ita cõiunctos, non tenetur aliquid restituere ratione dicti homicidij; quia in cõscientia circa extraneos hæredes nullum damnum considerari potest, vigore cuius teneatur homicida ad aliquam restitutionem, cum defunctus, si adhuc viuus esset, non teneretur eis alimenta præstare. Et ita hanc sententiam tenet Mercatus *tr. 4. de restit. c. 6.* & Ioan. Valer. *in differentiis vtriusque fori, ver. Restitutio, differ. 8.* qui plus addit cum Soto *lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 3.* nempe, nec fratribus in tali casu deberi aliquid in foro conscientiae, quidquid sit in foro iudiciali.

Consilium dans ad damnum faciendum ad quid restituere teneatur?

R E S O L. XXIII.

Hic casus frequenter solet accidere, & de illo ego Halibi fusiùs. Ideo nunc breuiter assero quòd vbi consilium non fuit efficax, nec causa efficiens, sed solum excitans animum iam paratum, tunc consulens ad nullam tenetur restitutionem, & ideo glossa *1. in c. de cetero, de homicidio,* dicit, tum quem dici dedisse causam damni, si propinquam causam dedit, secus si remotam, qualis est mouens tantum per suum consilium, sine quo aliàs res efficeretur. Vide etiam aliam glossam *ver. simplici in c. felicitis. §. illud, de pœnis lib. 6.* & Rebellium *p. 1. lib. 2. q. 14. sect. 3. an. 17. vsque ad n. 25.* cum aliis.

Sed difficultas est de aliis consulentibus, seu consiliariis ad contractus, & alia negotia. Et quidem si consilium fuit datum ab idiota, vel alio quocumque bona fide, sine dolo, aut fraude, non tenetur in vilo foro; fallit tamen si haberet officium consultoris, vt in Aduocato, dummodo recipiat salarium, aliàs non puto teneri ex simplici con-

filio, quod est valde notandum. Et ita Ioan. Valer. *in differentiis vtriusque fori, ver. restitutio, differ. 13. n. 2.*

An si quis haberet voluntatem committendi omnia peccata venialia, peccaret mortaliter?

R E S O L. XXIV.

Affirmatiuam sententiam docet Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 5. n. 4.* & alij, ac proinde peccat mortaliter, qui apud se statuit nullum veniale vitare. Probatur hæc opinio. Primò qui vult se exponere proximo periculo peccati mortalis, peccat mortaliter, sed qui vult committere omnia peccata venialia vult, se exponere proximo periculo peccati mortalis. Ergo peccat mortaliter. Vnde Sot. *in 4. dist. 16. q. 2. ar. 1. §. hic animaduertendum est*, licet cum aliqua formidine, sic ait. Forfan est mortale contemnere omnia venialia, ratione imminētis periculi. Secundò probatur, quia Religiosus tenetur progredi in via perfectionis, & peccat mortaliter, si nolit obseruare omnes regulas, licet non obligent sub mortali. Ergo etiam tenebitur sub mortali non velle omnia venialia. Et ideo Sylu. *ver. Religio 1. q. 12.* asserit, in Religioso sancti Dominici esse mortale velle transgredi, omnia principalia statuta, quibus peruenitur ad perfectionē. Hæc opinio propter hæc argumēta est probabilis.

Sed negatiuam probabilioem esse existimo, quam nouissimè tuctur doctus Iacob. Granad. *in part. 2. D. Thom. contr. 6. tr. 2. disp. 2. sect. 7. per totam.* Et ratio est, quia committere omnia peccata venialia, etiamsi id foret possibile, non est peccatum mortale; nam eo ipso quod venialia sint, sunt leuis, & non mortalis offensa. Ergo non erit peccatum voluntas committendi omnia venialia. Probo consequentiam. quia malitia interni actus voluntatis desumitur ab obiecto, prout proponitur à ratione; sed obiectum huius internæ voluntatis sunt omnia venialia, & nulla maior malitia proponitur à ratione præter malitiam venialem. Ergo interna voluntas committendi omnia venialia, non potest esse culpa mortalis. Responsiones verò ad argumenta affirmatiuè sententiæ inuenies apud Granadum *vbi supr. n. 62. & seq.*

Notandum est hîc à fortiori ex supradictis, quòd si quis voueat quotidie, v. g. per integrum annum recitare semel salutationem Angelicam, ita vt singula salutationes sint astrictæ singulis diebus, non peccat mortaliter, etiamsi nunquam illam recitet, imò etiamsi statuatur in toto anni exordio numquam illas salutationes dicere. Et idem dicendum est de voto elargiendi quotidie modicissimam eleemosynam, huic, vel illi pauperi pro libito elargientis; secus autem, si vni determinato pauperi, qui promissionem istam acceptasset, & consequenter haberet ius ad magnam quantitatem, licet singulis diebus modica esset. Ita Granadus *vbi supr. sect. 6. n. 56.* qui citat Sanchez, Vasquez, Azorium, & alios.

An detur casus, in quo vltima acceptio rei ablata complens materiam notabilem, non sit peccatum mortale?

R E S O L. XXV.

Affirmatiuè respondet Grenado *in part. 2. D. Thom. contr. 6. tr. 2. disp. 2. sect. 3. num. 5.* vbi sic asserit Cum quis committit vltimum furtum, si habet animum citò restituendi vltimum illum obolum, aut aliquid aliud, ita quòd non velit retinere sibi notabilem quantitatem, non peccabit mortaliter in illa vltima acceptione complente materiam notabilem; quia acceptio rei alienæ non est mortalis, quando fit animo restituendi illam, ita citò, vt ratione dilationis non inferatur domino damnum aliquis momenti. Sicut, etiamsi cum homo furatur vltimum obolum, iam consumpserit omnes, quos priùs subripuerat, nec habebat vnde solueret, non peccabit mortaliter

taliter, dummodo habeat animum soluendi illam quantitatem, si fortè aliquando peruenerit ad pinguiorem fortunam probatur, quia in hoc ultimo furto solum potest peccare mortaliter, quia inuito domino vult fur retinere saltem per longum tempus notabilem quantitatem, id autem in prædicto furto non inuenitur; nam ipse in ultimo furto solum vult oblatum retinere, & potest dolere de furtis præcedentibus; obolos autem, quos prius subripuerat, non vult retinere inuito rationabiliter domino, quia ipse non potest modò soluere, & paratus est ad soluendum si fortè potuerit. Ergo modò non infert proximo grauem iniuriam, ac proinde non peccat mortaliter. Hæc Granadus, quæ sunt valde à confessoribus adnotanda, quia sunt quotidiana & valde practicabilia.

An omnia, quæ habentur in iure canonico, obligent, & habeant vim legis?

RESOL. XXVI.

Respondeo negatiuè. Nam circius canonicum notare oportet, cum in corpore iuris habeantur plura decumpta ex Conciliis Prouincialibus, & alia ex sanctis Patribus, Augustino, Isidoro, & similibus, non omnia, quæ in eo continentur, obligare omnes, aut habere vim legis; nam solus Pontifex, & Concilium generale ab eo approbatum habet vim obligandi vniuersam Ecclesiam; præcepta verò Conciliorum Prouincialium obligabunt Prouinciam, ad quam spectant testimonia de rigore Patrum, quæ non sunt ex se leges obligatorie. Itaque cum Gratianus fuerit horum collector, & ipse non habuerit auctoritatem condendi leges, non potuit his Conciliis, & Patribus maiorem auctoritatem, & vim tribuere, quam ipsi habeant. Vnde etiam constat minus obligatorium esse, quod Gratianus addit de suo, vt interdum addere solet. Imò licet aliquid referat tamquam dictum ab aliquo Concilio, vel Papa; si aliunde constaret non fideliter referri, aut esset res omnino dubie auctoritatis, non esset obligatio illi parendi. Et hæc omnia docet Iacobus Granado in p. 2. D. Thom. contr. 7. tract. 3. p. 1. disp. 3. sect. 7. n. 17. vide etiam Suarez de legibus lib. 4. cap. 5. a. n. 5. Gretserum pro defensione Bellarmini lib. 2. de Romano Pontifice cap. vlt. Rodriquez in 99. Regul. tom. 1. qu. 6. art. 2. & alios penes Rodericum Acugna in proem. decreti Gratiani n. 19. & Augustinum Barbofam n. 6.

An Vicarius Capituli sedis vacantis possit ad libitum sine iusta causa reuocari ab eodem Capitulo?

RESOL. XXVII.

Hic casus frequenter potest accidere, & negatiuam sententiam aiunt rescripsisse sacra Cardinalium Congregationem, & illam docent Franciscus Zypæus in Analytica iuris canonici lib. 3. tit. Ne sede vacante, num. 4. Quaranta in sum. Bullar. ver. capitulum sede vacante, q. 12. n. 3. & alij. Et ratio est, quia reuocare aliquem ab officio est maxima pœna, ex l. ff. de offic. procur. Cæteras rationes adducit Quaranta.

Non desinam tamen hic adnotare affirmatiuam sententiam docere Azorium tom. 2. lib. 3. cap. 38. quæst. 18. & Aloysium Riccium in praxi, tom. 1. resol. 505. n. 4. & Gallettum in Margarita casuum conscientie, ver. Vicarius, n. 3. vbi ita declarasse sacra Cardinalium Congregationem testatur. Igitur secundum hanc sententiam potest Vicarius Capitularis ad libitum Capituli amoueri, tenetur tamen Capitulum alium Vicarium intra octo dies constituere, aliàs ius deputandi ad Metropolitanum deuoluitur, & si ipsa fuerit Metropolitana, ad antiquiorem Episcopum deuoluitur. Ita DD. citati.

An si peregrinus proficiscatur in aliquod oppidum, non negotij causa, sed vt confiteatur Parocho illius, sit talis confessio valida?

RESOL. XXVIII.

Negatiuam sententiam docet Gabriel Vasqu. in 3. p. tom. 4. qu. 93. art. 2. dub. 4. n. 6. vbi sic ait. Omnes iter agentes pertinent de iure ad eam diœcesim, & parochiam, vbi inueniuntur tempore præcepti. Vnde etiam extra tempus præcepti, ei Parocho confiteri possunt, in cuius parochia sunt, & hoc non ex commissione, sed tanquam proprio. Secus esset, si non negotij gratia, profectus aliquis esset in aliud oppidum, vt Parocho illius confiteretur, tunc enim existimo ex commissione proprij fieri debere. Ita Vasquez.

Sed aduersus illum insurgit nouissimè aliud Hispaniæ ornamentum Basil. Pont. de matrim. lib. 5. cap. 9. n. 6. ita asserens. Ex his colligo cum in c. omnis vtriusque sexus, de pœn. & remissione. statutum sit, vt quis semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, & vel ex consuetudine, vel ex declaratione Eugenij IV. peregrinus possit confiteri illis Parocho, in cuius parochia habitat, non quidem ex commissione proprij, sed tanquam proprio Sacerdoti; sic, inquam, idem dicendum esse, etiam si quis eo animo solum confitendi illi Parocho, eò accedat, & à sui domicilij parochia recedat, illi enim licet alteri confiteri, dum extra suam parochiam est. Scio dissentire Vasquez, sed sine efficaci fundamento. Ita Pontius. Et ratio huius opinionis est, quia in tali casu non adest fraus illicita, nec dolus malus, sed quis vtitur iure suo.

Ex his infertur, quòd si aliqui in fraudem legis Concilij Tridentini, vt contrahant sine testibus, & Parocho, proficiscantur in partes vbi Concilium non est vsu receptum, possunt validè contrahere clandestinè, seruata quoad fieri possit antiqua lege Ecclesiastica, quia ita faciens non vtitur mala fraude, nec dolo illicito, sed iure suo. Ergo, &c. Et ita ex Sanch. docet Pontius loc. cit. contra Ledesmam, & Rodriquez, quibus ego addo Henriq. lib. 11. c. 3. n. 8. in fine, & Cenedum qu. 30. num. 64. Sed tamen sententiam Pontij probabiliter tenere potes, licet ego alibi contrarium etiam probabiliter docui.

Quædam notabilia de legatis.

RESOL. XXIX.

Multi casus circa materiam legatorum in praxi solent occurrere, ideo vt Confessoribus, & casuum conscientie responsoribus rem gratam faciam, aliquos hic obiter colligendos duxi. Dico igitur.

Primò, legata certo die præstanda, ante illum diem præstari non possunt, & ideo certis diebus elemofynas faciendas esse; & electiones puellarum, iuxta diem præfixum à testatore, rectè probat Ioan. Baptista de Thoro in singul. piarum causarum, singul. 36. & in summa priuilegiorum, priuileg. 23. vbi distinctionem optimam affert.

Secundò, licet relictum, vel legatum tali anno, vel tempore debeat in fine anni, ex l. qui hoc anno, de ver. obligat. tamen in causa pia debetur in principio, ex textu in l. si ita fuerit libertas relictæ, ff. de manum. test. Ita Tiracuell. de priuilegiis pia causa, priuileg. 22. & ibi Ricc. Gomez in l. 26. Taur. n. 2. ver. 11. & Ioan. Baptista de Thoro in sum. priuileg. piarum causarum, priuileg. 11.

Tertiò, licet regulariter quando legatum efficitur genericè, debet intelligi de minori re, vel summa; tamen fallit si efficiatur propria causa, ex textu in l. Titia, §. fin. ff. de auro & argen. legat. & ibi DD. nisi, vt obseruat Mantica de coniect. vlt. volun. lib. 6. tit. 3. n. 17. obstaret testatoris paupertas. Si igitur testator nobilis relinqueret culcitram pro suo funere, debetur illi Ecclesiæ culcitra aurei velleris, & non de sericonigri coloris. Ita Thorus vbi supra

suprà priuileg. 12. & Riccius part. 2. decis. 84. vide etiam ipsum Thorum priuileg. 264. & Genuensem in pract. Eccles. Tricen. q. 153. n. 5. vbi docent, quòd legatum factum Ecclesiæ de florenis, intelligunt de magnis.

Quartò, legatum factum pro maritandis puellis pauperibus, debetur etiam, & procedit quoad viduas mulieres pauperes. Et ita fuisse decisum per S. C. Neapolitanum testatur Rouitius *conf. 33. & refert Thorus vbi suprà priu. 84. vide etiam Caluacanum decis. Fiuizan. 26. n. 20. part. 3.*

Quintò, legatum factum consanguineo pauperi, debetur dari pauperiori, quòd facit pro consequitione legati maritagiorum factorum in beneficium consanguineorum indigentium. Ita Thorus *vbi suprà priuileg. 269. ex errore 2. vbi etiam notat cum Genuensi in pract. Eccles. Tricen. 13. q. 387. n. 2. quòd legatum pro dote puellæ pauperis debetur, etiam si illa possit viuere ex labore suo.*

Sextò si quis legaret alicui puellæ si nupserit, mille, si autem monasterium ingrediatur, bis centum; si Monasterium ingressa fuerit, mille consequi debet. Ita DD. quos citat, & sequitur Thorus *vbi suprà priuileg. 242. quibus ego addo DD. quos citat, & etiam sequitur Iacobus Beda in defensione fidei in causa Morischorum tr. 2. cap. 1. §. 3. obiect. 2. fol. mibi 159 quiddid nouissimè in contrarium sentiant Capiblanco de offic. Baronum tom. 2. frag. 9. cap. 6. n. 13. & alij.*

Septimò, legatum pro dotandis puellis potest dari puellæ iam nuptæ sine dote, vel cum modica dote, secus autem si legatum stat pro Virginibus maritandis. Ita Nouarius *in 99. forens. q. 125. & alij penes ipsum; qui etiam n. 6. notat, quòd legatum factum pro maritagio puellarum, potest dari puellæ, quæ habet aliquam dotem, sed non iuxta eius conditionem, & nobilitatem.*

An ex iusta causa licitum sit etiam iurando vti amphibologia, quando verba non sunt ambigua, sed in sensum verum detorquentur ex solo aliquo addito mente iurantis concepto?

RESOL. XXX.

Hic casus solet frequenter in praxi accidere, & negatiuam sententiam docent Malderus *opusc. de restrict. mentalibus, c. 4. & 10. Syluius in 2. 2. D. Thom. q. 89. art. 7. queritur 3. concl. 5. Rebellius par. 1. lib. 4. q. 10. n. 2. Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 3. cap. 13. n. 7. & c. 14. n. 8. Coninch de altibus supernar. disp. 10. dub. 3. concl. 3. nu. 49. Cydonius contra Epistolam Isaaci Casauboni cap. 5. & 8. & in Apologia pro Henrico Garneto cap. 2. præter Doctores, quos citat Sanch. in sum. tom. 1. lib. 3. cap. 6. n. 12. qui omnes asserunt, nunquam aliquid affirmando, aut negando, licere vti ratione, quæ spectatis omnibus circumstantiis, prout exterius profertur, est absolutè falsa, nec potest habere verum sensum; quamuis iuncta verbis, quæ à dicente tacitè subintelliguntur, sit vera, nisi illa ea ratione ipsique circumstantiis proferatur, vt prudens auditor ex his meritò colligat, verbis exterius prolatis aliqua alia subintelligi.*

Sed ego contrariam sententiam, quam cursim tenui in 2. par. tr. 1. miscellan. resol. 25. nunc etiam teneo, & illam docent Sanchez *vbi suprà n. 15. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 24. c. 1. n. 10. Pelantius in 2. 2. q. 70. ar. 4. disp. 1. & nouissimè mordicus illam sustinet Stephanus Emmerius disp. de veritate cap. 9. & seq. Vnde stante hac opinione, multos casus particulares decidendos esse puto.*

Et ideo dico primò, si quis Clericus interrogatus in porta ciuitatis, vtrum habeat aliquid, de quo debet solui gabella, & ille habens, respondet quòd non, intendens quòd non obligatur ipse ad gabellam soluendam, non dicit mendacium, quamuis alter aliter intelligat verbum, quam proferens. Ita D. Antonin. in sum. p. 2. tit. 10. c. 1. §. 1. Et sic etiam dicendum est de illis, qui asportant

res ad vsus proprios, de quibus cum non teneantur soluere gabellam, secundum probabilem opinionem, possunt eodem pacto respondere. Ita Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 3. cap. 9. n. 3.*

Secundò, interrogatus in iudicio an debeat centum sibi mutuata, quæ verè secretò restituit, potest respondere se nihil debere causa mutuati, intelligendo intrà se, quòd verè non soluerit. Et interrogatus, an debeat centum, cum verè debeat tantum quinquaginta, potest negare petita, prout petuntur. Ita Naldus *in sum. ver. interrogatus, n. 1. & 2.*

Tertio, si quis à te petat, vt illi commodos librum, vel mutues pecuniam, aut aliquid aliud, negare potes te pecuniam habere, si tu illa indigeas, aut timeas fore, vt mutuataris serò, vel difficulter restituat, aut periculum sit, vt commodando patiaris aliquod incommodum, modò restrictionem aliquam in mente addas, negando scilicet te id habere, vt illi commodos, vel mutues. Ita Claudius Milhardus *in sum. parochorum tom. 2. c. 80. n. 2.*

Quartò, si aliqua persona priuata, aut metu, aut importunis precibus compellit aliquem iurare, tunc qui iurat potest iurare ad mentem sui, non verò illius, quamuis secundum mentem interrogantis non sit verum. Ita Rodriquez *in sum. tom. 1. cap. 190. n. 7.*

Quintò, quia sæpe interrogamur, quid comedimus, quot habemus nummos, quid dixit nobis N. &c. possumus respondere, intelligendo, nonnulla, quibus dicamus veritatem, & negemus quod petitur à nobis; sicut si dicat quis, vt dicamus ei aliquid noui, possumus dicere nihil scire noui, intelligentes interius quòd conueniat dicere aliis. Idem Rodriquez *in summ. tom. 1. cap. 247. num. 4.*

Sextò, Sacerdos inquisitus de culpa in confessione percepta, respondere verè potest se nescire, & iurare, subintelligendo, quòd nesciat tanquam homini subiectus. Quòd si compellatur, vt respondeat, non per verbum scio, sed per verbum audio, potest respondere se nihil tale in confessione audisse, subintelligendo tanquam purum hominem. Quòd si impius quæsitur vigeat, vt respondeat, an audierit vt Deus; respondere potest se non audiuisse, subintelligendo, ad modum causæ principalis. Ita Grassius *in decis. p. 1. lib. 1. c. 23. n. 3. & idem repetit n. 24. agens de eo, cui ex simplicitate sit confessio in necessitate tanquam Sacerdoti, cum tamen sit laicus, & vt talis agnoscat.*

Septimò, infamator veri criminis, sed occulti, simpliciter dicere potest, se falsum dixisse, & mendacio infamasse, subintelligendo crimen publicum, ita vt sensus sit falsum ei crimen affingi prout publicum; item negare potest quis peccatum suum occultum, negando illud vt publicum, idque subintelligendo. Ita Petrus Navarra *de rest. lib. 4. c. 2. n. 379.*

Octauò, cui licitum est aliqua bona abscondere, eo quòd illis ad vitam sustentandam egeat, ne à creditoribus capiantur, & sic cogatur mendicare, potest rogatus à iudice iurare se nulla bona abscondita habere, atque idem possunt iurare id scientes, dummodo ipsis constet licitè eum abscondere ad hunc finem, intelligendo secum, non habere bona abscondita, quæ iudici manifestare teneatur. Ita Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 31.*

Nonò, potest Confessarius proferre verba absolutionis absque intentione, ad effugiendam mortem sibi minatam à pœnitente, si non absoluat. Item si minaretur mortem, nisi consecraret panem in foro existentem, poterit proferre verba consecrationis, absque intentione consecrandi, sine vlla labe mendacij vtendo aliqua æquiocatione; nisi hæc omnia efficerentur in contemptum fidei, & religionis; nam tali casu teneretur subire mortem. Et ita iurans latroni se illi daturum pecunias, sine intentione dandi, non peccat si mente concipiat æquiocationem, videlicet, dabo, si ad id teneat, nec po-

stea tenetur ad restitutionem. Sic Ioannes Sancius *in selectis, disp. 35. n. 6. & 7.*

Decimò, pœnitens interrogatus temerè, an hoc, vel illud peccatum factus sit, potest iurare se non confessum, intelligendo ita ut teneatur illi explicare. Sic Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 19. n. 7.*

Vndecimò, adultera rogata à marito an adulterium admisit non solum potest iurare se non fregisse matrimonium, sed contra Sotum *de iust. lib. 5. qu. 6. art. 2.* potest negare adulterium, concipiendo intra se aliam diem ab ea, in qua illud admisit; imò potest iurare se non fecisse vllum adulterium, intelligendo intra se, ut tibi reuelem. Ita Nauarr. *c. humana aures 22. qu. 5. in q. 1. n. 9.* & Sayrus *in Clavi Regia lib. 5. cap. 4. n. 24.*

Duodecimò, veniens ex loco, qui falsò putatur peste infectus rogatus potest iurare se ex eo non venire, intelligendo tanquam ex loco pestilenti; atque idem puto, quando veniens ex loco pestilenti certò credit, nec se, nec aliquid suum peste infectum esse, potest iurare inde non venire, intelligendo ita, ut aliquid mali ex loco pestilenti contraxerit. Ita Suarez *de relig. tom. 2. lib. 3. c. 9. n. 7.* & Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 9. n. 47.*

Decimotertiò, si debitor pauper pro ea paupertate excusatur à debito tunc soluendo, & exactor iniquus illum premat, potest à iudice interrogatus iurare se illas pecunias non accepisse; quia iudex ad eum effectum rogat, ut cogat statim soluere, quare negans se accepisse, intelligendo ut statim debeat soluere, verè ad debitam iudicis mentem respondet. Ita Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 3. c. 6. n. 32.*

Quartodecimò, si reperto cadauere quis interrogetur an gladius, vel scapellum ibi repertum sit suum, vel tali hora illic transierit, quæ vera sunt, & petuntur ab eo tamquam illius homicidij indicia, quod verè non commisit, potest negare, quia ad debitam iudicis mentem verè respondet. Ita Lessius *lib. 2. c. 31. dub. 3. n. 14.*

Decimoquintò, vbi factum exterius ob aliquam causam excusatur à peccato, potest interrogatus à iudice de illo facto id negare, intelligendo de facto criminoso, ut si in propriam defensionem hominem quis occidit, vel rem alienam in veri debiti compensationem vsurpauit. Ita Lessius *vbi supra*, & Sanch. *n. 29.* qui optimè addit, quòd quando taxa alicuius rei probabiliter est iniusta, venditor si plura vendat, defraudat in pondere, & mensura; ita ut sibi satisfaciatur, vel pro pretij iniustitia, potest à iudice interrogatus an plura vendiderit, vel cum falsa mensura, potest, inquam, totum negare, & asserere se pretio taxato vendidisse, & cum iustis ponderibus, intelligendo hæc, ita ut plura vendens, aut deficiens in pondere deliquerit. Et hoc procedit, ut diximus, quando ad est tantum opinio probabilis, ut taxa sit iniusta.

Decimosexto, qui intra quinquennium non reclamauit, & sciebat suam professionem esse inualidam, nec unquam illam ratificauit, & sciebat etiam elapso quinquennio se non posse amplius reclamare; si velit postea reclamare in iudicio, petens restitutionem in integrum, affirmans se non reclamasse ob ignorantiam; si iudex eum de hoc interroget, potest sine peccato iurare, se non habuisse scientiam, quòd potuisset reclamare, utendo verbis æquiuocis, seu amphibologicis, nam talis professus non est verè religiosus, quia professionem inualidam, numquam fecit validam ob ratificationem. Quare potest dicere se non habuisse scientiam, subintelligendo in mente sua, qua ratam habuerit professionem, cum Concilium Tridentinum præsumat huiusmodi professum ratificasse professionem inualidam, si intra quinquennium non reclamauit; sicut si à iudice interrogaretur, an promiserit matrimonium, quòd fictè promisit, potest iurare se non promississe, ne cogatur matrimonium contrahere, cum non possit probare, se fictè promississe. Ita doctus, & amicissimus Sanctarellus *p. 2. var. resol. q. 48. n. 15. & 16.*

Decimoseptimò, is qui ex necessitate, vel aliqua vti-

litate offert se ad iurandum nemine petente, potest uti amphibologus, nam habet iustam causam iis utendi. Sic contra Lessium, Nauarrum, Sayrum, & alios tenet Sanchez *vbi supr. n. 21.* & Bonacina *vbi infra n. 4.*

Ex his omnibus apparet ex iusta causa, nempe quando id necessarium est, vel vtile ad salutem corporis, honoris, rerum familiarium, vel etiam quando iniusta interrogatio proponitur, posse aliquem absque mendacio aliqua verba vsurpare, etiam si ex sua significatione non sint ambigua, nec cum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, sed tantum verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quòd cum illud sit. Verum in tali casu animus ita respondentis non debet esse ad fallendum proximum, sed ad occultandam veritatem, quam tunc non expedit manifestare.

An verò supradicto modo iurare absque iusta causa, sit peccatum mortale, diximus *in p. 1. tr. 1. miscellan. resol. 27.* vbi adduximus Sanchez, Bonacinam, & Filiucium negatiuam sententiam probabiliter asserentes, modò non iuret aliquis in iudicio, dum iudex iuridicè interrogat; aut non iuret in materia præiudiciali. Et ratio est, quia non facit contra finem iuramenti in materia graui, tum quia in huiusmodi iuramento deficit sola discretio, seu iudicium; iuramentum autem cui sola discretio, seu iudicium deficit, non est mortaliter peccaminosum. Ergo, &c. Non nego autem contrariam sententiam esse communiorem, & probabiliorem, quam tuentur Lessius *lib. 2. c. 42. dub. 9. n. 46.* Toletus *lib. 4. c. 21. n. 9. notab. 1.* Sayrus *in Clavi Regia lib. 5. c. 4. n. 21.* Philarchus *de offic. Sacer. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 14.* & alij.

Quando femina violenter cognita à viro peccet, vel non peccet mortaliter?

R E S O L. XXXI.

Respondeo, quòd femina, quæ violenter à viro aliquo cognoscitur, non peccat, si duo habeat. Primò contrariam voluntatem non consentiendi eiusmodi copulæ, Secundò, impedire quantum in se est talem violentum effectum, alioquin censeretur consentire: ideo tenetur impedire talem violentiam cum clamore, cum conatu, & renisu corporis, &c. Et ita docent Adamus Tannerus *in p. 2. D. Thoma disp. 2. q. 1. dub. 4. n. 56.* Valentia *tom. 2. disp. 2. q. 1. punct. 3.* Filiucius *tom. 2. tract. 21. c. 2. n. 67.* Azorius *tom. 2. lib. 1. c. 9. q. 3.* Reginaldus *tom. 2. lib. 2. c. 1. sect. 1. n. 20.* Syluius *in 2. 2. q. 15. a. 2.* Bonacina *de legibus, disp. 2. q. 8. punct. 2. num. 2.* Sayrus *in Clavi Regia lib. 2. c. 2. n. 4.* Medina *in par. 2. D. Thoma quest. 6. art. 5. ad 2.* & alij.

Notandum est tamen, quòd licet mulier, ut dictum est non possit cooperari fornicationi, quia hoc est intrinsecè malum, & potius mortem sustinere debet, atamen ad euitandam mortem potest mulier pati externam corruptionem, non tamen consentiendo, sed merè passiuè se habendo, quia non tenetur mortem sustinere, dum interiùs non consentit eiusmodi copulæ, & fecit, quod potuit ad illam vitandam, ut *supra*. Ita Sotus *de iust. lib. 5. q. 1. art. 5.* Nauarrus *c. 16. a. 1.* Rodriguez *in sum. tom. 1. c. 290. n. 1.* Molfesius *in summ. tom. 1. tr. 8. c. 2. n. 38.* & alij.

Sed plus addit Ioannes Salas *in p. 2. tom. 2. tract. 3. disp. 3. sect. 1. num. 31.* nempe hanc sententiam esse veram, etiam si in muliere vim patiente, adesset periculum consentiendi, quia ait ille, sæpè licet periculum peccati non fugere ad vitandam mortem, infamiam, vel aliud incommodum grauiusimum: ut si vir, & femina cohabitent cum manifesto periculo internæ libidinis, & separari non possint sine ingenti periculo mortis, infamiae, vel scandali, licitum erit vnà permanere cum eo periculo, quòd non amatur, nec

nec temerè suscipitur, sed necessitate quadam toleratur. Sic Salas.

Verùm hæc sententia displicet Molfesio *vbi supra*, & multis Patribus Societatis IESU, & nostræ Religionis ab ipso consultis; & illam impugnat Martinez *tom.1. in p.2. q.6. art.5. dub.1. ad art.1.* & etiam Alphonsus Curiel *in p.2.D.Thomæ q.6.art.5.* & ratio est, quia exponere se periculo consentiendi est secundum se actio mala moraliter respectu ipsius sceminae, & prohibita præcepto naturali negatiuo, quod obligat semper, & in omni euentu. Ad exemplum verò, quod quoad cohabitationem adducit Salas, respondeo, quod non est intrinsecè malum, & in illo casu possunt per Confessarium adhiberi multa remedia. Dicendum est igitur cum Curiele *vbi supra*, quod si scemina non timeat periculum consentiendi, videtur probabilis sententia eorum, qui dicunt, quod solum tenetur facere id, quod commodè potuerit, habita ratione periculi, in quo versatur; ita quod si ex vociferatione, aut alia resistentia possit sequi graue incommodum, vt mors, infamia, vel detrimentum in bonis suis, non tenebitur ea uti; quoniam oppressio in isto casu non habet rationem actionis liberæ respectu sceminae, sed puræ passionis, & resistere ipsi, solum præcipitur præcepto affirmatiuo, quod non obligat in omni euentu, sed iuxta mensuram rationis, & ex consequenti modo morali, & humano, atque proinde non obligat cum tanto periculo. Ita ille, & ego.

Quando faciendæ sint extractiones frumentorum à Dominis Proregibus in hoc Regno Siciliae?

R E S O L. XXXII.

PONAM hinc pulcherrima verba eloquentissimi Ioannis Cassiodori *lib.1. variar. ep.34.* vbi sic ait. Copia frumentorum Prouinciæ, debet primum prodesse, cui nascitur; quia iustius est, vt incolis propria fecunditas seruiat, quam peregrinis commerciis studiosæ cupiditatis exhauriatur. Alienis siquidem partibus debet impendi, quod superest, & tunc de exteris cogitandum, cum se ratio propriæ necessitatis expleuerit, Atque ideo Illustris Magnificencia tua, per loca singula, eos qui curam videntur habere littorum, faciat commoneri, vt non antea quispiam peregrinas naues frumentis oneret ad aliena littora transiuras, quam expensæ publicæ ad optatam possint copiam peruenire. Hæc Cassiodorus eleganter, vt semper solet. Sed audiamus in hac re celeberrimum Iurisconsultum nostrum D.Ioan.Franciscum Aponte *de potest. Proregis, tit.5.de tractis n.5.* sic loquentem. Per Proreges conceduntur sæpe tractas, seu exactiones frumentorum, vinorum, & similium; quæ concessiones intrinsecam, & insitam habent naturam, & conditionem, quod eas liceat extrahere, quatenus Regnum remanet munitum, & his opus non habet, aliàs Proreges malè facerent; ex quo multa mala successerunt, penuriæ, ruinæ, & conturbationes totius Regni, in quo prudentes ministri summopere aduertere debent, & inuigilare. Ita Aponte Videant ergo Proreges, ne propter amicitiam, vel sanguinis coniunctionem concedant personis particularibus, tractas à Rege illis datas, cum periculo damni, & penuriæ Regni; nam in omnibus concessionibus tractarum, à Serenissimo Rege quibuscunque personis largitis, semper intelligitur ista conditio, si Regnum illis rebus non opus habeat.

Notandum est hic obiter, quod Aponte *vbi supra, n.8.* docet cum illis Doctoribus, non incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, Proreges, & ministros prohibentes extractionem frumenti, & aliorum victualium ad Romanam Curiam, idque quando Regno deficit necessaria prouisio, quia prima charitas incipit à seipso. Et ita hanc sententiam tenet nouissimè Doctus Soula *in explicat. Bull. Cœn. c.9. disp.53. concl.1.n.3.* Verùm hanc opinionem moderandam esse putat Genuensis *in pract. Eccles. vicennario 21. q.618 n.2.* ideo asserit non procedere quan-

do Summus Pontifex caput Reipublicæ Christianæ post Christum, & eius ministri indigerent. At hic casus metaphysicus est, & in praxi moraliter numquam accidet, quia Summus Pontifex, & Domini Cardinales etiam tempore extremæ penuriæ; semper pro eorum victu necessaria habebunt. Vide etiam Magalam *in 3.pars. lib.3. c.7. q.1.n.4. & 5.* vbi probat, quod hanc excommunicationem non incurrit, qui ob periculum saltem probabile, vel dubium caritatis annexæ, prohibet extractionem, in seruitium Romanæ Curia.

Non reticeam tamen hic apponere pulchrum casum, & qui in praxi sæpè potest accidere. Fingamus quod in Sicilia adesset maxima frumenti penuria, & ex vi ventorum nauis frumentis onusta Romam petens huc accederet: an tunc ministri, & Proreges illam retinendo, & dictum frumentum accipiendo incurrerent in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ, vt dictum est, excommunicat omnes impediens eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curia necessaria adducunt. Negatiuam sententiam docet Vgolinus, quem citat, & sequitur P. Duardus *in Bull. Cœn. lib.2. can.8. q.4. n.2.* & adducunt textum *in l. Preses, C. de seruit. & aquar. discipulos, dist.5.* Et ratio est, quia aliena subtrahens, famis necessitate compulsus à culpa excusatur, ergo qui ex supradicta causa, deferentes victualia ad Romanam Curiam impediunt, excommunicationis vinculo non alligantur, quia, vt habetur *in can. nullus 11. q.3.* vbi lethalis culpa non contrahitur, ibi excommunicatio locum non vendicat. Verùm Soula *in Bull. Cœn. vbi supra, cap.9. disput.53. concl.1.n.3.* hanc opinionem admittit in casu, quo in curia Romana non esset illarum rerum, quæ exportari impediuntur, indigentia, quia tunc videretur habere locum Epitkeia, aliter impediens à censura non excusat; cum ad impediendam delationem mercium, quæ aliunde asportantur, ius non habeat. Sed circa hoc, si casus occurreret cogitarem; nam, vt ait glossa *in c. discipulos, dist.5.* in necessitate omnia sunt communia, per text. *in cap. sicut dist.47.* & maximè cibaria, *ex l.2. §. cum in eadem navi in fine, ff. ad leg. Rhodiam de iact.* Vide Duardum *vbi supra.*

An si quis vi, & fraude impediat, ne nepos filius spurij instituat heres ab auo, teneatur ad restitutionem?

R E S O L. XXXIII.

SUPpono nepotem filium spurij posse institui hæredem ab auo, si hæc institutio non efficiatur intuitu filij spurij, vt illa bona ipse habeat. Ita Valquez *opusc. de restit. cap.5. §.7. dub.7. n.123* Molina *de inst. tom.1. tr.2. disp.167. concl.9. num.16.* & ex Iuristis Iulius Clarus *de restam. quest.32.*

Hoc supposito de hoc casu olim interrogatus affirmatiuè respondi, quia qui vi, aut fraude impedit aliquem ne instituat hæres, vt est in casu nostro, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; quidquid asserant aliqui apud Emanuelem Sà *ver. restit. 21.* aduersus quos, & rectè insurgit nouissimè doctus Tannerus *in p.2. D.Thom. disp.4. quest.6. dub.2. num.65.* cum Bonacina *de contract. disp.1. quest.2. punct.12. n.1.* & Syluio *vbi infra concl.5.* Layman *in Theol. moral. lib.3. sect.5 tract.2. cap.7. num.3.* Sanchez *in summa tom.1. lib.2. cap.22. num.21.* Turriano *vbi infra.* Et ratio est; nam violatur ius ipsius, quod habet ad illud bonum; quod ius non est quidem absolutum, sed conditionatum, quia in libera voluntate collatoris positum; si enim velit, res tibi debetur; si nolit, non debetur. Vnde si quis voluntatem eius qui proposuit, vel deliberat tibi dare, per vim, aut fraudem directè impediat, aliòve inflectat, veram tibi iniuriam facit: nam ius tuum in libertate collatoris constitutum violat. Ergo, &c. Et ideo hanc sententiam sustinent etiam Nauarrus *in man. cap.17. num.76.* & ibi Victorellus *in notis n.67.*

Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 18. num. 123. Valquez in part. 2. D. Thoma. tom. 2. disp. 175. c. 2. n. 13. Azorius part. 3. lib. 4. cap. 9. q. 1. & alij penes ipsos. Idem dicendum est de illo, qui fraude, & vi impedit, ne aliquis consequatur officium, vel beneficium, &c.

Notandum est tamen, quòd hæc restitutio non est integre faciendâ, sed quanti iudicio prudentis spes illa potest æstimari. Ita Doctores citati.

Verùm non grauabor hic adnotare, quòd si impediatur, ne omnia supradicta bona aliquis assequatur, non vi, fraude, mendacis, &c. sed precibus, blanditiis, muneribus, &c. etiamsi hoc ab aliquo efficeretur cum odio, & inuidia, peccaret quidem, sed ad restitutionem non teneretur; quia omnes supradicti, qui impediuntur ab assequendis istis bonis, ius ad illa non habent, nisi, vt dictum est, in libera voluntate collatoris; ergo si relinquantur collatorem in sua libertate, nec aliquid facias quod illi libertati repugnet, non censuris hoc ius violare. Igitur cum preces, munera, blanditiæ non repugnent libertati, nullo modo infers alicui iniuriam. Et ita aduersus Caietanum in 2. 2. q. 6. art. 2. Couarruias in reg. peccatum. part. 2. §. 7. n. 8. Paludanum in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. concl. 4. Scotum eadem dist. & quest. ad arg. ult. Richardum ibid. circa 5. principalem quest. 4. art. 6. docent communiter Doctores, vt Lessius, Azorius, ubi supra, quibus adde Villalobos in summa tom. 1. tract. 1. diff. 43. n. 10. Nauarra de restitut. lib. 2. c. 5. n. 11. Turtianum in 2. 2. tom. 1. disp. 26. dub. 1. n. 7. Rebellium part. 1. lib. 3. q. 1. concl. ult. n. 5. & Syluium in 2. 2. quest. 62. art. 2. queritur 25. concl. 2. Nec obstat intentio nocendi, odij, & inuidia, nam si non sequatur opus contrarium iustitiæ, hæc omnia non inducunt onus restituendi; vnde quod ad restitutionem attinet, videndum est, quo iure fiat quicquam, non autem quo animo; animus enim nocendi est contra charitatem, sed non violat iustitiam, nisi accedat opus iustitiæ repugnans.

Hinc ex dictis infertur primò, aliquem non teneri ad restitutionem, si sine vi, & fraude impediuit, v. g. ne Paulus institueret heredem, vel legatarium Petrum, quem gratis instituere volebat, etiamsi ex odio, & malo animo fecerit, & orauerit vt se ipsum, vel alium amicum loco Petri Paulus institueret.

Secundò, non teneretur ad restitutionem, qui sine vi, & fraude curauit aliquid testamentum iam factum mutari, & alium heredem institui, vel aliquid sibi, vel amicis relinquere.

Tertio, si absque vi, & fraude procuras, vt beneficium detur indigno, non teneris quidem restituere aliis competitoribus dignis, quia nihil contra ius illorum fecisti, sed teneris Ecclesiæ, vel Reipublicæ, cuius iura violasti, procurando ei ministrum ineptum, & in tali casu seruandus est ordo, vt primo loco teneatur qui officium administrauit, & stipendia accepit. Secundo loco teneretur collator & tertio sualor.

Quarto, si absque vi, & fraude impediuit digniorem, vt daretur minus digno officium, vel beneficium, peccasti quidem, non tamen teneris ad restitutionem non digniori, quia contra ius eius nihil actum est, nec etiam Ecclesiæ, vel reipublicæ, quia nullum damnum per iniuriam illis illatum est; nam in potestate collatoris erat eligere dignum, relicto digniori, quamuis in eo non sit fidelis dispensator.

Quinto, qui impediuit per vim, & fraudem, ne alter consequeretur beneficium, vel officium, quo dignus erat, teneretur ad restitutionem, quanti iudicio prudentis ea spes valebat; nisi tamen dignus nullam spem haberet ad dictum beneficium consequendum.

Sextò, qui per vim, & fraudem impediuit dignum à consequutione alicuius beneficii, vel officij, vt daretur indigno, teneretur ad restitutionem, non solum digno, qui fuit iniuste impeditus, sed etiam Ecclesiæ, & Reipublicæ, quæ damnum patitur, non habens idoneum ministrum.

Septimò, qui vi, & fraude impediuit multos competitorum ad aliquod beneficium, vel officium assequendum, teneretur singulis restituere, quanti, vt dictum est, iudicio prudentis spes eorum valebat.

Octauò, qui per vim, & fraudem impediuit, ne piscator, aut venator, piscaretur, & venaretur, teneretur ad restitutionem arbitrio prudentis viri.

Nonò, qui per mendacium impediuit Petrum, ne faceret elemosinam Paulo pauperi, dicendo illum non esse pauperem, teneretur ad restitutionem.

Decimò, si vi, & fraude procurantem aliquod officium retrahis, & auocas, teneris ad restitutionem. Idem dicendum est de eo, qui verbis, & precibus, etiam absque vi, & fraude, addit Bonacina, retrahit procuratorem alicuius, vt desistat ab aliquo incepto opere, vnde sequitur alteri damnum.

Vndecimò, si aliquis dignus spem habebat ad obtinendum aliquod officium, vel beneficium; & tu fraude, & vi illum impediuit, vt conferretur digniori, multi putant te teneri ad restitutionem, quanti illa spes illi valebat, sed verius est te non teneri. Secus dicendum est, si procurasti, vt æquè digno conferretur, tunc enim teneris illi, quem iniuste impediuit: nam respectu alterius æquè digni, ius habebat, vt collatori tua libertas relinqueretur.

Duodecimò, is, qui secretum alterius cognouit per iniuriam, si eo vtatur in suum commodum cum incommodo alterius, aliquando non teneretur ad restitutionem, v. g. Petrus scribit Romam ad Paulum, vacare beneficium in mente Pontificis; literæ veniunt in manus Ioannis, qui illas aperit, & postea claudas reddit Paulo, sed illum præueniens impetrat beneficium; in tali casu si Ioannes literas tempestitiue tradidit, probabilius est non teneri ad restitutionem; quia etiam commisit iniuriam aduersus Paulum in legendis, & apertendis literis, non tamen in comparando beneficio, cum Paulus non haberet maius ius, quam alter. Et hæc exempla colligere volui ex supradictis DD. in gratiam Confessorum, vt ex illis promptè, & facillimè multa in facto occurrenti solui possint.

Sed claudam hæc resolutionem cum dubitatione, quam ponit Syluius in 2. 2. q. 62. art. 2. queritur 25. concl. 5. ubi sic ait. Petes, quid de illis dicendum, qui etiam non per vim, & fraudem, per preces tamen, aut alter illicite impediunt quempiam idoneum à consequutione boni, quod principaliter institutum est in singulorum vtilitatem, cuiusmodi sunt ærarium publicum, montes pietatis, pia fundationes, &c. Respondeo eos teneri ad restitutionem, quia ad tale bonum singuli habent ius quoddam particulare, à quo inuiti impediuntur. Vnde non est eadem ratio istorum bonorum, quæ beneficiorum, vel officiorum publicorum; cum hæc principaliter in bonum commune ordinentur, non autem in bonum particulare singulorum. Vnde Nauarrus Sotum sequutus in man. c. 17. n. 72. inquit. Non sunt beneficia; & munera publica cõmunitatis, ita debita iis, inter quos sunt diuidenda, sicut centum aurei cõmunitatis diuidendi singuli eius membris, sunt debiti eis, eo quòd beneficia & officia publica sunt instituta, principaliter propter seruitium Ecclesiæ, vel Reipublicæ, & non propter eos, qui seruituri sunt. Et collatores eorum non distribuunt tanquam debita eis, quibus distribuuntur, sed tanquam debita seruitia Ecclesiarum; ita quòd per bonam, vel malam electionem eorum, non fit principaliter commodum, vel damnum iis, qui eliguntur, sed Ecclesiis, vel illi Reipublicæ, ad quam regendam præficiuntur. Sed quando, v. g. centum aurei cõmunitatis ærarij sunt distribuendi particularibus membris illius cõmunitatis, vnusquisque eorum habet aliquod ius, ob quòd illi debetur sua pars; quia illi sunt destinati principaliter in vsum, & vtilitatem eorum, non verò in commodum Reipublicæ. Hæc omnia Syluius. Verùm quia ex principiis in ista resolutione positis, consequuntur duo casus

casus in praxi sæpius occurrentes, de illis speciatim differere existimaui, ideo quaritur.

An qui sine vi, & fraude, sed tantum suasionem, & precibus impedit, ne beneficium conferatur digniori, sed digno, teneatur aliquid digniori restituere?

RESOL. XXXIV.

DE hac quæstione alibi dictum est, & affirmatiuam sententiam præter Caietanum in 2.2. D. Thom. q. 62. art. 2. tenent ex Neotericis duo viri doctissimi, Valquez de beneficiis c. 2. §. 3. dub. 19. n. 140. & Villalobos in summ. tom. 2. tract. 11. diff. 44. n. 9. vbi sic ait. [El que haze que el beneficio, ò cathedra se de al digno dexando al mas digno, aunque lo haga con solos uegros sin fuerza, ni fraude, esta obligado à restituylr al mas digno. El fundamento es, porque fuera de quebrar la justicia, hizo daño el mas digno contra justicia comutativa, en cosa que estava ya à cerca de tenerla, de manera que si el distribuydor estava determinado firmamento de dar el beneficio, ò cathedra al mas digno, de suerte, que fino fuera por la persuasion, infaliblemente le llevara, tendra obligacion à restituylr le todo, ò casi todo; y fino estava tan cerca como esso, estava obligando à restituylr conforme à la propinquidad que el otro tenia.] Sic ille, qui citat Aragon, & Couarruiam.

Sed si hæc opinio esset vera, heu quàm multi in Aulis Principum, & Prælatorum Ecclesiasticorum tenerentur ad restitutionem. Ideo contrariam sententiam probabilissimam esse censeo, quam præter Lessium lib. 2. cap. 12. dub. 18. n. 129. Valentiam tom. 3. disp. 5. q. 8. punct. 2. Sotum lib. 4. q. 6. art. 3. Nauarrum in manuali cap. 17. n. 72. & alios tenent nouissimè Syluius in 2.2. D. Thom. q. 62. art. 2. quæritur 25. concl. 2. Filiucius tom. 2. tr. 32. c. 8. n. 185. & Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 2. c. 6. n. 2. vbi sic asserit. Probabile est, quòd neque is contra iustitiam peccet, vel ad restitutionem teneatur, qui Ecclesiastici beneficij collatorem, iam determinatum ad alicui conferendum suasionem, aut precibus eò perdueit, vt sibi, vel alteri etiam minus digno conferatur. Ita Layman, qui citat etiã Adrianũ, Toletum, & Sã. Vide etiam Azorium part. 3. lib. 4. c. 9. q. 3.

Ratio est, vt bene explicat Gutierrez can. qq. lib. 2. c. 11. n. 47. cum aliis, nam qui confert Ecclesiasticũ beneficium, propriè nullam iniuriam infert digniori si, eo prætermisso, conferat minus digno, & consequenter contra Valquez vbi supra, neque ille iniuriam infert, qui collatorem suasionem, aut precibus, ad id faciendum monet; neque collatoris peccato ita suadens cooperatur aduersus digniorem; vnde neuter restitutionem illi facere tenetur, quippe ei beneficium propriè, & strictè debitum non erat. Posthæc scripta inueni Bonacinam de contract. disp. 1. q. 2. punct. 12. n. 7. primam sententiam cum Valquez, & aliis tenere; sed tu tutò potes secundam opinionem amplecti.

An si is, cuius bona ob crimen iuste sunt confiscanda, vel diripienda, si hoc fraude, aut mendaciis impediatur, teneatur ad restitutionem?

RESOL. XXXV.

Affirmatiuè respondent Molina de iust. tom. 1. tr. 2. disp. 95. n. 36. Layman in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tr. 2. c. 6. n. 4. & ante illos Sotus de iust. lib. 1. q. 6. art. 6. & Castrus de l. pœn. lib. 2. c. 15. §. ex his, quia iniuste impedit pœnam fisco, vel aliis applicandam, & debitam, per sententiam. Et confirmatur à fortiori, quia, vt supra visum est, iniuste impediens vi, vel fraude, aut mendaciis rem non debitam, vt legatum, quod testator volebat alteri relinquere, tenetur restituere; ergo magis tenebitur, quan-

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

do res est debita, vt est in casu proposito. Vnde infert Molina loco citato, integrum esse fisco, cui constaret reos iuridicè interrogatos negasse verum crimen, vt compensatione occulta bonorum, quæ lata sententia erant sibi applicanda, aut esto pœna ipso iure non incurreretur, erant sibi in pœnam applicanda, eo quòd reus ius suum iniuste impediit.

At his non obstantibus contrariam sententiam probabiliorẽ esse existimo, quam docent Tannerus in 2.2. D. Thom. disp. 5. q. 6. dub. 2. n. 76. Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 18. n. 134. Azorius tom. 1. lib. 5. c. 8. q. 5. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 22. n. 22. Vasquez in part. 2. tom. 2. disp. 175. c. 12. n. 13. & 14. Carbonius de rest. q. 31. concl. 5. Bannez, Aragon, & Solonius in 2.2. q. 62. contr. 2. art. 3. Nauarr. cap. 18. n. 49. & alij. Et ratio est, quia huiusmodi occupatio bonorum constituta est in pœnam criminis; sed pœna non debetur ante sententiam; saltem declaratoriam criminis, vt communiter fatentur DD. imò non est soluenda ante sententiam constitutam pœnæ, qua ipsa pœna iubeatur solui. Ergo sententia non secuta, non debetur pœna. Multas alias rationes afferunt DD. citati, quas apud ipsos videbis.

Ex quibus multi casus in praxi sæpius occurrentes decidendi sunt. Primò, Hæreticum qui fraude, mendaciis, & falsis testibus se defendit, & impediit sententiam, aut confiscationem bonorum, non teneri ad restitutionem.

Secundò, idem dicendum de adultera, quæ ipso iure amittit dotem, quidquid in contrarium asserat Layman vbi supra. Si enim legitimè accusata de adulterio, falsis se tueatur testibus, vel vicissim de viro adulterium falsis allegationibus ostendat, idèoque absoluat, obligari quidem in conscientia foro ad expensas litis viro soluendas, non autem ad dotem reddendam. Similiter si à sententia iusta aduersus illam lata appellet, etsi iniquè; nam appellatio suspendit sententiam.

Tertiò, iudex in proferenda sententia negligens, & non condemnans, non tenetur ad multam pecuniariam fisco, vel læsæ parti soluendam. Idem dicendum de Procuratore fiscali si non accusat; eo quòd ad huiusmodi multam nondum est acquisitum ius fisco, & partibus, & non satis constat debere iudicem, & fiscalem propriè ex officio, & iustitia eiusmodi fortuita fisci emolumenta procurare.

Quartò, custodes ciuitatum, sylvarum, fluminum, licet transgressores ad magistratum deferre negligant, non tenentur ad soluendam illam pœnam pecuniariam, quæ alioquin ad fiscum, vel dominos peruenisset.

Quintò, idem dicendum est de æstimatoribus publicis rerum venalium, nam ipsi tenentur ad pecuniariam multam, quam soluerent denunciati rei, vel fisco, vel aliis personis. Et hoc deseruiat pro illis, qui apud nos vocantur vulgo, *Mastri di piazza*.

Sextò, idem locum habet in eo, cuius bona ob non solutum vectigal, vel res prohibitas, importatas, vel asportatas sunt ipso facto commissa, seu addicta fisco, vel redemptori, aut aliis personis; nam non tenetur ad restitutionem ante iudicis sententiam.

Septimò, idem dicendum est de testibus, qui falso testimonio impediunt sententiam, & consequenter confiscationem, vel multam pecuniariam, fisco, vel aliis applicandam; non enim sicut principalis auctor, aut mandans tenentur ad eius restitutionem. Et omnia hæc Confessarius inueniet apud Tannerum, & Lessium vbi supra.

Notandum est etiam cum Petro à Nauarra de restit. lib. 3. cap. 5. num. 13. quòd impediens fraude aliquam denunciationem, vel ne delinquens veniat ad manus iustitiæ; aut qui occultet, vel faciat fugere officiales tempore syndicatus, non tenetur ad restitutionem pœnæ supra dictis imponendæ: nam ante condemnationes fiscus, vel alius vllum ius non habet, vt supra sæpe dictum est. Quod ita verum aliqui existimant, vt doceant etiam pœnam conuentionalem inter partes positam non esse soluendam in conscientia ante iudicis sententiam, quod

ego alibi probabiliter docui, & nunc doceo cum amicissimo P. Antonio Sanctarello *tract. de hares. cap. 21. dub. 1. num. 10.* Gutierrez in *99. can. lib. 2. cap. 20. num. 13.* & alij. Sed de his tatis.

Utrum Episcopus existens in alterius diœcesi licite possit celebrare Missam in Pontificalibus, seu cum Baculo, & Mitra absque licentia eius Ordinarij?

R E S O L. XXXVI.

Suppono Pontificalia insignia, & ornamenta esse Mitram, Baculum pastorem, Annulum, Sandalia, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, & Crucem peccatoralem; vt testatur Isidorus Moscomius *tract. de magnitudine militum. Eccles. part. 1. lib. 1. cap. 8.* quorum singulorum significationes exponit Durandus in *ration. diuin. offic. lib. 3. a cap. 13.*

Hoc supposito; Prima opinio est affirmatiua, quia nullus canon prohibet Episcopis hoc efficere. Ergo licitum erit. Nec obstat Concilium Trident. *cap. 5. sess. 6.* cuius verba sunt hæc. Nulli Episcopo liceat cuiusvis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si Secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi. Non, inquam, obstant verba; nam loquuntur de vsu Pontificalium cum aliquo exercitio, vt consecrare, chrismare, ordinare, degradare, & similia; vnde exponens hunc locum Concilij Tridentini, sic asserit Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 18. diff. 9. n. 5.* [Aduerte se que actos Pontificales son los que pertenecen al orden Episcopal, y su consecracion; como ordenar, hazer chrisma, &c.] Et ita etiam supradictus locus Concilij exponitur à quodam viro amicissimo, qui tamen nullum Auctorem adducit; sed ego inuenio Concilium sic exponere Tamburinum de *iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 15. n. 4.* Campanili de *diuer. iur. can. rubr. 9. cap. 5. num. 1. & 3.* Quaranta in *summa Bullar. ver. Archiepiscopi auctoritas, sub n. 23.* & Coninch de *Sacram. disp. 16. dub. 5. num. 35.* Et hanc esse veram expositionem verborum Concilij patet ex eiusdem verbis ibi, *exercere*, quod verbum non videtur complecti vsum tantum Pontificalium; sed etiam exercitium super alios, idque magis manifestant subsequenti verba, tum illa, & *in personas eidem Ordinario subiectas*; tum alia, & *si ordinati*, &c. Hinc Campanil. & alij obseruant, quod Nauarrus *consil. 12. de Cler. ex comm. minist.* asseruit, quendam Episcopum, qui in aliena diœcesi Pontificalibus insignibus vsus fuit, incurrisse penam suspensionis in prædicto decreto Concilij comminatam; non ob solum Mitra, &c. Pontificalium vsum, sed quoniam Calicem etiam consecrauit, & corporalia benedixit, absque Diœcesani licentia. Cum igitur Concilium Tridentinum in *d. c. 5. sess. 14.* prohibeat Episcopis exercere officia Pontificalia in alienis diœcesibus, sequitur quod in illis possit Episcopus celebrare in Pontificalibus cum Mitra, & Baculo; quia celebrans non exercet in aliis officia Pontificalia, quæ prohibuit Concilium, sed tantum conficit sacrificium Missæ, cum ornamentis Pontificalibus.

Quod aperte probatur, nam in hac materia, de qua loquimur, vt notant Cochier de *iurisdic. in exemptis, part. 2. q. 1. num. 6.* Tamburinus de *iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 14. n. 2.* & alij penes ipsum, locus exemptus, & locus extra diœcesim iudicantur à pari; ex quo statuit Tamburinus *q. 15. num. 1.* quod Episcopi vigore prohibitionis Concilij *sess. 6. c. 5. & sess. 14. cap. 2.* non possunt exercere Pontificalia in Ecclesiis exemptis sacrum diœcesim; & tamen ipse Tamburinus *n. 3.* concedit Episcopos posse in dictis Ecclesiis exemptis vti Pontificalibus insignibus, & ornamentis, & diuina Officia celebrare in Pontificalibus; quia asserit Tamburinus, supradicta fa-

cere sine aliquo exercitio, non est officia Pontificalia exercere, quæ prohibentur in dictis locis Concilij. Ergo, &c.

Et ideo posse Episcopum in aliena diœcesi celebrare in Pontificalibus, præter Couarruiam *lib. 3. var. res. cap. 20. n. 9.* & Henriquez *lib. 3. c. 6. num. 6.* docet etiam Hostiensis *penes glossam in Clem. Archiepiscopo, de pœnis, ver. etiam celebrare*, Tabiena *ver. Patriarcha. n. 4.* Syluester *eodem ver. §. Tertium*, & Barboza in *Collectaneis tom. 3. lib. 5. tit. 7. Clement. 2. num. 6.* sic asserit: Episcopus in aliena diœcesi potest Sacra Missarum solennia in Pontificalibus celebrare. Hoc etiam docet Layman in *Theol. mor. lib. 1. ar. 4. cap. 5. n. 5.* seclusa consuetudine in contrarium.

His tamen non obstantibus, negatiuam sententiam tenendam esse puto, & ideo quoad Mitram docet Riccius *part. 4. decis. 27. n. 7.* Barboza de *potest. Episcopi part. 5. allegat. 80. n. 14.* & Erasmus Cochier de *iurisd. part. 2. q. 1. num. 8.* quod Episcopus in locis exemptis illa vti non potest, nisi inuitatus, & facit mentionem de prohibitione Concilij Tridentini in locis citatis. Quoad Baculum verò, sic habetur in Cæremionali Episcoporum *lib. 1. cap. 17.* Vtitur Episcopus Baculo pastorali in sua tantum ciuitate, vel diœcesi, & etiam alibi, vbi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere ei Apostolica auctoritate conceditur. Et hanc sententiam aliqui ita mordicus tenent, vt asserant non posse Episcopum loci concedere vsum Baculi, alteri Episcopo in sua diœcesi existenti; nisi in his, in quibus dicta verba Cæremonalis ex præscripto ordine necessariò requirant Baculum. Vide Campanili in *diuer. iur. can. rubr. 9. cap. 5. num. 3.* Et ratio quare Episcopi in aliena diœcesi celebrare minimè possint cum Baculo, & Mitra est, quia Baculus, & Mitra sunt signa iurisdictionis; vt *infra* dicetur. Et ita nostram sententiam in terminis, vt asserunt, terminantibus firmat, & docet Fuluius Pacianus de *pralat. lib. 2. cap. 29. n. 56. & 64.* qui omnino videndus est.

Ad illud verò, quod pro contraria opinione adducebatur, nempe Episcopum posse celebrare pontificaliter in locis exemptis; respondeo ex Gratiano *tom. 3. c. 467. n. 29.* quod est dispar ratio inter locum exemptum intra propriam diœcesim, & inter diœcesim aliam, & sic potest Episcopus, vt obseruat Fufcus *visit. lib. 2. c. 8. n. 6.* vt Baculo in locis exemptis, quod facere minimè potest in alienis diœcesibus. Et ratio est, quia in locis exemptis Episcopis conceditur, propter reliquias præcedentis subiectionis; cum per exemptionem, vt etiam notant Gonzales in *reg. 8. Can. gloss. 43. n. 187.* & alij, talia loca non desinant esse in prouincia, vel diœcesi propria.

Ad loca verò Concilij Tridentini superius adducta, respondeo ex *l. de interpretatione, ff. de legibus, & cap. cum dilectus, de consuet.* cum aliis adductis per Ioan. Mariam Nauarinum in *questionibus forensibus part. 1. q. 85. num. 11.* quod consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita interpretata est mentem Concilij; vnde Episcopi non celebrant pontificaliter in alienis diœcesibus sine Ordinarij licentia. Nec valet dicere, quod hoc faciant propter quamdam reuerentiam, & decentiam debitam Episcopo diœcesano, & ideo ab illo licentiam petunt; quia si hoc efficere Episcopi propter solam decentiam; quando Episcopi diœcesani licentiam celebrandi pontificaliter illis præbere nollent, vt sæpius accidit, quod de facto ipsi celebrarent; sed hoc non audent facere; ergo non possunt. Neque propter decentiam in tali casu credendum est Episcopos velle amittere iurisdictionem, si illam haberent.

Ad illud verò, quod Episcopus celebrans in Pontificalibus, non exercet officium Pontificale, sed facit sacrificium cum ornamentis Pontificalibus: aliquis respondebit, quod Baculus non solum est ornamentum, sed etiam signum superioritatis, & officij; nam æquiparatur, vt

vt notat Gratianus tom. 3. c. 467. n. 6. vexillo Crucis, quo vtitur Archiepiscopus. Et quòd, vt diximus, sit signum superioritatis, & iurisdictionis, docent apertè Tamburinus de iure Abbatum tom. 1. disp. 21. q. 3. n. 8. Venerus de exam. Episcop. lib. 4. c. 10. n. 22. & 23. Pacianus vbi supra, & apparet in versibus, quos adducit glossa in c. unico, §. finali, ver. propter historiam, de sacra unct. & sic asserunt:

In Baculi forma Presul, datur hac tibi forma.

Attrabe per primum, medio rege, punge per imum.

Attrabe peccantes, rege iustos, punge vagantes.

Attrabe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Et in cæremonia consecrationis Episcopi, consecrans tradendo Baculum consecrando, sic ait, *Accipe Baculum pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitiis piè saniens, in tranquillitate seueritatis censuram non deserens, &c.* Et in libello qui Ordo Romanus inscribitur, sic dicitur, *Accipe Baculum pastoralis officij, potestatem ligandi atque soluendi, vt sis in corrigendis vitiis perseverans, &c.* Vnde quia Baculi curuatio in Episcopis limitatam, & coarctatam potestatem significat, ideo illo non vtitur Summus Pontifex, cum potestatem habeat vniuersalem; vt notat, & docet Germanius de sacra innum. lib. 3. c. 5. n. 108. & 110. & de Indul. Cardin. §. Episcopus, n. 15. & seq. cum Doctoribus, quos citat Barbosa in Collect. tom. 1. lib. 1. tit. 15. c. unico, §. vngitur, n. 15. Ex quibus apparet, Baculum non solum esse ornamentum, sed signum iurisdictionis, & superioritatis, vt etiam erat apud Prætores Romanorum, & apud Iudices Germanorum, teste Gratiano dicta decis. 29. n. 7. & Gregorio Tholosano de republica lib. 6. cap. 20. num. 21. Ergo nullo modo licitus erit eius vsus in aliena diocesi, sine licentia Ordinarij.

Utrum Archiepiscopus, factus Episcopus, possit vti pallio?

R E S O L. XXXVII.

Negatiuè respondeo Primò, quia pallium est signum proprium potestatis, & dignitatis Archiepiscopalis, & ideo habetur in cap. nisi, de auctoritate, & vsu pallij, quòd Archiepiscopus ante pallij susceptionem, non potest se vocare Archiepiscopum. Probat, secundò, quia, vt apparet in cap. bona memoria el 2. de postulatione, & aduertit glossa, Pallium datur personæ contemplatione loci, vnde est priuilegium singulare, & indiuiduum respectu singularis, & indiuiduæ potestatis pontificalis; & ideo ex supradicto textu Cæremoniale Romanum lib. 1. cap. 16. Azorius part. 2. lib. 3. cap. 34. q. 8. D. Lancellotus in instit. can. lib. 1. tit. 11. in glossa, littera H. Genuensis in praxi Archiep. cap. 70. n. 18. Cuchus in inst. can. lib. 4. tit. 6. n. 25. Berti in praxi crim. Regular. tit. 4. cap. 14. n. 11. Bagnus de S. R. E. dignitatibus, tr. 14. Zerola in praxi Episc. part. 1. ver. Archiepisc. n. 1. Acugna in decretum Gratiani part. 1. dist. 100. c. 7. n. 1. Zecchius de Repub. Christ. tit. de Patriarchis, num. 5. Quaranta in summa Bull. ver. Archiepiscopus, sub n. 23. author. 32. & alij asserunt, quòd Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum translatus, non potest vti Pallio priori; sed alio nouo indiget. Ergo à fortiori, illo vti minimè poterit, si ad Episcopatum translatus fuerit, cum non sit amplius Archiepiscopus; cui, vt dictum est, vsus pallij non solum ratione personæ, sed etiam ratione loci conceditur.

Adde, quòd aliqui ita mordicus tenent, quòd priuilegium pallij sit locale, vt asserant Archiepiscopum extra suam prouinciam non posse vti pallio, etiam de licentia Ordinarij illius diocesis in qua reperitur. Et ita docent Barbosa in Collectaneis tom. 1. lib. 1. tit. 8. c. 6. n. 2. Prosper de Augustino in addit. ad Summam. Quaranta ver. Arch. n. 23. author. 32. Maiolus de irregul. lib. 2. c. 2. n. 7. Parisius de resignat. benef. lib. 1. q. 17. à n. 20. Ruzzeus de præminentia Arch. priuil. 21. ver. istud tamen, & glossa in Clem. Archiepiscopo, de priuilegiis, littera M. vbi sic ait. Differunt Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

Pontificalia à pallio, quo non vtitur Archiepiscopus in aliena prouincia, etiam de licentia illius ad quem spectat, nisi super hoc esset priuilegiatus. Ita glossa, quidquid aliqui in contrarium asserant. Vide etiam pro confirmatione supradictorum, pulchrum textum in cap. ad postulationem, de renunciatione, vbi, Archiepiscopo Ragusiensi propter periculum vitæ renunciante Ecclesiam, non autem dignitatem, Summus Pontifex concedit exercere officia Pontificalia, attamen negat ei expressè vsum pallij.

Igitur ex his omnibus, latis firmata remanet nostra sententia, quam nouissimè in terminis, vt asserunt, terminantibus tuetur, & docet Venerus in exam. Episc. lib. 4. c. 10. n. 12. vbi quærit. Si Archiepiscopus sit Episcopus, potestne vti pallio? & negatiuè responderet; quia ait ille, pallium est signum soli Archiepiscopo debitum. Sed dices: Aliqui Archiepiscopi ad Episcopatum translati vsi sunt pallio. Respondeo hoc ipsos effecisse ex priuilegio Summi Pontificis, qui Episcopis etiam aliquando vsum pallij concedit; vt apertè apparet in c. cum in iuuenute, de probationibus.

Notandum est tamen hic obiter, quòd aliqui putant, quòd si quis semel habuit pallium vnius Archiepiscopatus, si ab illo ad alium transferatur, iterumque redeat ad priorem, indigeat nouo pallio, & primum non sufficiat, & in hanc sententiam inclinat Acugna in Decretum Gratiani part. 1. dist. 100. c. 10. n. 3. & 4. vbi etiam n. 5. probabiliter asserit, quòd si detur euentus, in quo aliquis Archiepiscopus suum perdat pallium à Pontifice acceptum, vel casu igne comburatur, poterit absque illo Pontificalia munera exercere; licet Venerus in exam. Episc. lib. 4. c. 10. n. 19. videatur asserere, quòd debeat petere aliud à Summo Pontifice.

An Episcopus possit erigere Collegiatam cum nouis Canonicis, vel addere nouum numerum Canonicorum aliis antiquis?

R E S O L. XXXVIII.

Negatiuam sententiam mordicus sustinet Aloysius Riccius in decisionibus Curia Archiep. Neapol. part. 3. decis. 66. docet enim ibi Episcopum non posse creare nouos Canonicos; & citat Baldum consil. 91. num. 10. lib. 1. Bursatum consil. 27. n. 4. & consil. 110. n. 6. cum aliis.

Verum contrariam sententiam docet nouissimè Ioan. Maria Nouarius in questionibus forensibus, part. 1. q. 24. num. 4. vbi probat posse Episcopum nouum constituere Canonicorum numerum, & Collegium nouasque creare dignitates, & citat Zerolam in praxi Episc. verb. Episcopus q. 17. & Seluam de benef. part. 2. q. 23. num. 16. & addit Nouarius, quòd in tali casu Episcopus potest insignire supradictos Canonicos signo illo, quòd vulgò dicitur *Almutica*, seu *Cappucio*, vel *Zambarau*, sine aliqua Sedis Apostolicæ licentia. Ita ille.

De iuramento seruandi statuta, seu capitula Ciuitatum, Collegiorum, &c.

R E S O L. XXXIX.

Si supradicta statuta sunt in vsu, nulla indigent probatione, non obseruantes illa esse periuros, vt patet ex cap. querelam, & toto tit. de iureiur. Si verò aliqua statuta in dissuetudinem abierunt, vel vsu recepta non fuerunt, tunc illa non obseruantes periuri non sunt. Nam, vt rectè notant Megala consil. 81. num. 1. Gutierrez de iuram. confirmat. part. 1. cap. 28. num. 14. Gomez in leg. Tauri, n. 365. & 366. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 3. c. 14. num. 9. Portel in addit. ad dubia Regul. ver. iuramentum, num. 22. Malderus in 2. 2. D. Thomæ, tractat. 10. capit. 6. dub. 9. Homobonus in exam. Eccles. part. 1. tractat. 7. cap. 9. quest. 46. & alij penes ipsos, iuramentum de seruandis

statutis non extendi ad statuta moribus ventionum non recepta, vel quæ per contrariam consuetudinem abrogata sunt. Hinc inferitur Gubernatores Tabularum huius vrbis non esse periuros mutando pecuniam Ciuitati, nam Capitulum id prohibens non fuit vlu receptum, & in dis-
tinctionem abiit; & sic etiam dicendum est de Prætoribus huius vrbis, qui aliqua capitula Ciuitatis non obseruant, quæ in disuetudinem abierunt.

Notandum est etiam hic obiter contra Megalam vbi supra, num. 4. tunc materiam statuti iurati esse grauem, vt constituat periurium mortale, quando tanti momenti est, vt iuramento secluso statutum iuræ materiae ratione sufficiens esset ad obligationem sub mortali. Et ita docet Sanchez loco citato n. 3. hinc transgredientes statuta iurata decernentia faciendum, aut omittendum aliquid sub aliqua pœna, non peccare dicendum est.

Nota etiam, quod quando statutum iuratum reuocetur per potentem reuocare, tunc illud non seruans non esse periurum dicendum est: quia non amplius obligat, & ideo cessabit iuramentum. Ita Sanchez vbi supra, n. 10. cum Caietano 2. 2. q. 89. art. 9. Soto lib. 8. de inst. quæst. 1. art. 9. & aliis.

Vnde inferitur, in rigore loquendo Prætores huius vrbis non peccare, neque esse periuros, quando Dominus Prorex cum aliquo actu viceregio dispensat pro illa vice, vt aliquid efficiatur, non obstante aliquo Capitulo ciuitatis in contrarium; vt, v. g. fiat electio ad aliquod officium sine vsciuolo, vt vulgò dicitur, &c. licet hoc Domini Proreges efficere minimè deberent, & ideo Prætores in tali calu exponant Proregibus inconuenientia, quæ sequuntur ex supradictis dispensationibus, vt nihil timeant.

An parentes diuites si propter aliquam iustam causam exponant filios hospitalitati, teneantur restituere expensas circa eorum nutritionem?

RESOL. XL.

Affirmatiuè communiter respondent Doctores, & ita tenent Homobonus de exam. Eccles. part. 2. tr. 10. cap. 4. q. 14. Bellochius in praxi mor. Theol. part. 2. q. 7. n. 25. Azorius part. 1. lib. 2. cap. 5. q. 7. & alij. Ratio est, quia hospitalia instituta sunt ad nutriendos hos infantes pro egenis, & non pro diuitibus.

At his non obstantibus, non grauabor hic apponere sententiam Roderici Acugna in Decretum Gratiani part. 1. disp. 87. cap. 9. n. 13. vbi sic asserit. An parentes expositorum, si sint diuites, teneantur in conscientia ad sumptus nutritionis hospitali restituendos.

Et non teneri verius videtur, cum hospitalia sint instituta pro presentibus necessitatibus, absque vlllo onere miserorum; & expositi quantumuis eorum parentes sint diuites, præsentem necessitate vigente exponuntur, & ita nihil tenentur, postquam fuerint sui iuris, hospitalibus restituere. Accedit quod peregrini spoliati à latronibus, & similiter ægrotantes, quamuis in sua patria sint ditissimi, gratis curantur, & sustentantur in similibus hospitalibus sine vlllo onere restituendi, vt ex vlu constat. Et confirmatur, quia alioquin hospitalia redditus haberent, non vt liberaliter, & gratis propter Deum necessitati patientium succurreretur, sed potius vt mutuum miseris daretur, quod est inconueniens, & non præsumendum de fundatoribus hospitalium. Sed forsàn dici potest, tres classes hominum esse distinguendas; in prima continentur homines pauperes in re, & in spe; in secunda pauperes tantum in re, & non in spe, vt filij familias, in tertia alij diuites in re, impediti tamen propter metum, vel aliam iustam causam filios alere nequeunt, & hos teneri ad restitutionem hospitalibus faciendam dicendum videtur. Ita Acugna loco citato.

An si Episcopus prohibeat furtum sub pœna excommunicationis lata sententiæ, furans incurrat in excommunicationem, si inuincibiliter legem istam ignorat?

RESOL. XLI.

Incurrere in excommunicationem docent Alvarez in part. 2. D. Thomæ, disp. 158. n. 5. Comitulus lib. 5. q. 3. Couarruias in c. alma mater. part. 1. §. 10. num. 8. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia excommunicatio lata est super furtum lege naturali damnatum.

Sed mihi contraria sententia magis placet, quam tuentur Salas in part. 2. tom. 2. tr. 13. disp. 8. sect. 10. Molina tom. 4. tract. 5. disp. 71. num. 9. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 17. punct. 7. Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n. 9. Suarez de cens. disp. 4. sect. 8. n. 20. Henriquez lib. 13. c. 23. n. 2. Azorius tom. 1. lib. 1. cap. 15. q. 3. Toletus lib. 1. c. 8. Sayrus de cens. lib. 5. cap. 18. n. 28. Graffius tom. 1. lib. 4. c. 9. n. 16. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorans inuincibiliter excommunicationem impositam ab Episcopo, peccat tantum contra ius naturale, aduersus quod se agere cognoscit, non autem ius posituum Episcopi quod quidem inuincibiliter ignorat. Ergo non incurrit in excommunicationem ab Episcopo latam.

Et hæc omnia vera esse puto, non solum si excommunicatio sit lata ab Episcopo, sed etiam à Summo Pontifice, quia militat eadem ratio. Et ita docent Azorius Henriquez, Tolet, Sanchez, & alij, vbi supra, quidquid in contrarium asserat Salas in part. 2. tr. 13. disp. 8. sect. 10. n. 77. Vgolinus de cens. tab. 1. c. 9. §. 8. 10. D. Antoninus part. 3. tit. 24. c. 75. Corduba lib. 2. q. 27. & alij.

Quæ autem dicta sunt de excommunicatione, dic etiam de suspensione, & interdicto; nam ab his pœnis excusat ignorantia inuincibilis iuris eas imponentis, quamuis factum sit iure naturali damnatum, & pœnæ statutz sint ab Episcopo, vel à Pontifice. Et ita docent Valquez de excomm. dub. 16. n. 6. Nauarrus cap. 23. n. 47. Suarez de cens. disp. 4. sect. 8. n. 20. & seq. Sanchez lib. 9. disp. 32. num. 18. Filliucius eodem tract. cap. 8. q. 10. n. 253. quidquid in contrarium asserat Auila de cens. part. 2. c. 5. disp. 5. dub. 10. concl. 2. Alvarez in part. 2. D. Thomæ, disp. 158. num. 5. & alij; & idem sentiendum est de irregularitate, vt alibi dictum est, quando imposita est in pœnam debiti.

Notandum est etiam hic obiter, quod si quis, v. g. voluit non fornicari, vel ludere sub pœna centum aureorum, si postea immemor voti fornicetur, non tenetur soluere pœnam; quia naturalis obliuio æquiparatur ignorantiz inuincibili; & ita docet Sanch. in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 22. n. 18. & alij. Idem dic, si dum fornicatur, memor sit voti, non autem pœnæ impositæ, etiam si esset pœna Religionis, Castitatis, Peregrinationis Hierosolymitanæ, vt probabiliter asserit idem Sanch. n. 19. Idem dicendum est de eo, qui ex obliuione naturali omittit recitare aliquas horas canonicas, nam non tenetur restituere fructus, non obstante lege pœnali irritante fructuum acquisitionem; quæ omnia sunt valde notanda.

An parua materia diuersorum præceptorum coalescant in vnum, & faciant quantitatem notabilem mortaliter peccaminosam?

RESOL. XLII.

Vt si in die festo incidat ieiunium, & consequenter quis teneatur eo die ad ieiunandum, ad audiendam Missam, ad non laborandum, & si est Clericus in sacris ad recitandas Horas canonicas; an inquam, si ex singulis his obligationibus modicum quid omittat, ita vt omnia illa modica quantitatem notabilem efficiant, peccet mortaliter? Respondeo negatiuè, quia nullum præceptum in materia graui transgreditur, sed multa, singula tamen in

in leui materia. Et ita docet Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 4. n. 16.* qui tamen limitat hanc sententiam, & putat secus dicendum esse, si quis ad omnia hæc obligatur ex diuersis votis, & pro eadem die.

Sed hæc limitatio mihi non placet, quia non est differentia inter transgressionem voti, & præcepti Ecclesiastici, cum votum obliget eo pacto, quo obligat præceptum Ecclesiasticum de eadem re, vt docet Caietan. *in 2. 2. q. 88. a. 3. Sotus lib. 7. q. 2. a. 1. Corduba in sum. q. 188. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 6. punct. 4. Aragon in 2. 2. q. 88. art. 3. concl. 3. Nauar. in sum. c. 12. n. 65. & alij.* Ergo si non est mortale, secundum Sanchez, transgredi multa præcepta Ecclesiastica in re leui, neque erit mortale transgredi plura vota.

Sed quid dicendum, quando quis vouit interminatè pro aliquo die audire, v. g. tres Missas, & ex qualibet illarum omitat partem non notabilem, an, inquam peccet mortaliter? Aliqui affirmatiuè respondent, quia sunt partes materiæ eiusdem rationis; ergo possunt continuari ad constituendam quantitatem notabilem.

At his non obstantibus, puto probabilem esse contrariam sententiam, quam apertè videtur tenere Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 5. c. 5. n. 12. & seq.* lege illum, & non pigebit.

An qui in die ieiunij sæpiùs modicum quid comedit, frangat ieiunium, & peccet mortaliter?

R E S O L. XLIII.

Affirmatiuam sententiam docent communiter DD. quia cum sit eadem dies, illæ paruæ comestiones continentur, & coalescunt in vnum, efficiendo quantitatem notabilem. At Ioan. Salas *in p. 2. D. Thom. tr. 1. 3. disp. 16. sect. 26. in fine,* limitat, vt procedat tantum, quando ille absolute vellet vno, & eodem actu, omnes illas modicas comestiones; secus autem si conditionaliter quis vellet ita eas comestiones, vt nunquam peccaret mortaliter, sed venialiter tantum, hoc est, vt omnes illæ comestiones essent veniales.

Verum hæc opinio aliquibus displicet, quia non est in potestate comedentis, facere vt ex omnibus illis modicis comestionibus, eadem die habitis, non coalescat materia notabilis, vnde resultat peccatum mortale; & ex limitatione Salas sequitur, quod quis posset eludere præceptum, seu votum ieiunij centies in die modicum quid comedendo, & intendendo omnes illas modicas comestiones tantum centum peccata venialia committere. Sed hoc dicere est absurdum. Ergo, &c.

An quis, si tradat aliquibus vinum, vt nomine suo vendatur, si noscat illos vendituros minuendo mensuram, & admiscendo aquam, peccet mortaliter?

R E S O L. XLIV.

Affirmatiuam sententiam docent Sanchez *in summa tom. 2. lib. 1. c. 7. n. 37.* & Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 8. c. 11. num. 63.* quia sic tradentes vinum, ipsi reuera illud vendunt, ac iniustitiam per tabernarios, tanquam per suos ministros censentur committere.

Sed in hoc posse excusari sic tradentes vinum, si duo supponantur, existimo. Primum si adsit iusta causa tradendi, quia, videlicet paterentur graue damnum. Secundum quod tradant ministris vinum vendendum iusto pretio. Nec obstat, quod sciant dictos ministros fraudibus vsuros, quia illa vini traditio non est ex obiecto mala, sed indifferens; ergo licet tradentes sciant ministros fraudibus cum emptoribus vsuros, non propter hoc peccant vinum illis tradendo, si aliàs graue damnum paterentur. Et ideo Doctores asserunt, posse quem pecuniam apud vsurarium deponere, etiamsi sciat fore illi materiam vsuræ exercendæ; & ita docent Caietan. 2. 2.

q. 78. art. 4. Bannez q. 77. art. 4. dub. 1. ad 2. Aragon. q. 62. art. 5. ad ult. Salonius eadem q. 62. art. 5. contr. 2. ad ult. & maxime, vt suppono in casu nostro, quando adest vrgens, & iusta causa, vt docet Valentia tom. 2. disp. 5. q. 21. punct. ult. in fine Molin. tom. 2. tr. 2. disp. 331. ver. de eo, qui apud vsurarium. Rebellius p. 2. lib. 2. q. 16. sect. 4. n. 20. & alij.

Ex his deducitur etiam contra eundem Sanch. *ubi supra, n. 38.* licere deferre munera concubinæ iudicis, vt pro ipso apud iudicem intercedat, dum adest periculum alicuius grauis nocuenti, vel si aliàs ius suum à iudice minimè consequi posset; nec in tali casu litigans intendit fouere turpem amorem concubinæ, ac eo vti, sed tantum necessitati suæ consulere. Et ita docent Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 8. c. 11. n. 62.* vbi ait, ita etiam consuluisse plures alios viros doctos, & timoratos. Et nouissimè post hæc scripta hanc sententiam aduersus Sanchez docet Castrus Palauis *in opere morali tom. 2. tr. 6. disp. 6. punct. 15. num. 2.*

An ex aliqua iusta causa licitum sit commodare cubiculum alicui potenti ad fornicandum?

R E S O L. XLV.

DE hoc casu olim interrogatus fui, nam quidam vir nobilissimus instanter ab amico domum eius ad meretricandum petebat, at si hoc illi denegasset, in grauissimum damnum incidebat: consuluit an peccaret hoc faciendo, & respondi negatiuè, quia absque detrimento proprio proportionato hoc denegare minimè poterat; & commodare cubiculum ex obiecto, non est intrinsecè malum, sed indifferens, & ex sola praua abutentis intentione ad malum ordinatur; ergo, &c. Et ita hanc sententiam in terminis docet nouissimè Marullus *tom. 1. disp. 2. c. 4. dub. 10. corol. 4. n. 295.*

Hinc à fortiori inferitur contra Nauarrum *cap. 17. n. 195.* licitum esse, ex iusta tamen causa, locare domum meretrici, etiam si ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod minimè perpetraret, eo loco sibi non concessio, vt ratione situs, &c. vel si meretrix domum illam conducens plurimum scæminis honestis vicinis noceret. Et ita docent Valentia *tom. 3. disp. 5. qu. 21. punct. 4.* & Salonius *in 2. 2. qu. 27. art. 4. contr. 6. post 4. concl. corol. 3.* cum aliis.

Quis minabitur mortem famulo, si non deferret literas dominae, in quibus ad peccatum prouocabatur, quesuit, an si hoc faceret peccaret mortaliter?

R E S O L. XLVI.

Hic casus, in facti contingentia, torfit multorum ingenia, quia consulens multos Theologos interrogauit; & negatiuè respondendum videtur, quia verba sunt intrinsecè mala, & deferre tales literas idem est, ac si deferret internuncium de rebus turpibus. Ergo, &c. Et ita hanc sententiam docent Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 1. cap. 7. n. 26.* & Rebellius *p. 1. lib. 1. q. 14. sect. 7. n. 53.* Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 8. c. 10. num. 60.* & alij. Et ita ego tunc etiam consului.

Verum aliqui contrariam sententiam putant probabilem; nam videtur dispar ratio de internuntio, & de literis. Nam famulus, qui internuncium de rebus turpibus defert concubinæ heri, directè ac proximè censetur peccato heri cooperari, tanquam instrumentum, quo mediante herus inducit mulierem illam ad peccandum secum, ideo est omnino intrinsecè malum, ac proinde in nullo euentu licitum. At verò deferre tantum literas ita materialiter, non videtur directè cooperatio ad peccatum, tanquam proximum instrumentum, sed magis remotè se habet, & ideo videtur saltem in aliquo casu extremæ necessitatis, vt ad euadendam mortem sibi com-

minatam licitè posset famulus eiusmodi literas deferre. Et ita hanc sententiam olim docuit Emmanuel Sà *ver. peccatum n. 9.*

Sed tu ne recedas à prima opinione; & idem tene de famulis scribentibus tantum huiusmodi literas, quamvis non deferentibus, quia idem cooperandi modus in utroque ministerio inuenitur, licet aliqui hoc etiam negent, quia Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 46. num. 34.* asserit, quod scribere verba turpia, non est intrinsecè malum; ergo potest dari casus, in quo licitum sit famulo scribere heri literas, verba turpia continentes, ut si alias immineret ei periculum mortis, vel alterius grauis nocuenti. Verum à sententia contraria non est recedendum.

Notandum est verò hinc, quod si herus in dictis literis petat solum à concubina, ut tali hora ad se veniat, vel ad talem locum, utique in tali casu potest famulus tales literas deferre, vel ore hoc nunciare; quia rem indifferentem continent, cum non ad fornicandum, sed ad solum aduentum inducant. Et ita docent Molfesius, Sanchez *ubi supra, n. 16.* Azor. *tom. 2. lib. 1. c. ult. q. 8.* & alij, concurrente iusta causa non solum famulatus, sed etiam quia dominus malè tractabit, aut è domo eiiciet.

Et idem dicendum est de famulis, quos herus mittit sceminam insequutos, ut videant ubi habitat, vel id inquirant, an postea illum certiore faciant, & eo maior causa excusans necessaria est, si scemina, quam insequuntur, sit honesta.

Vnde ex his etiam collige quid dicendum sit de aurigis deferentibus meretricem ab vno loco ad alium, quam sciunt illuc petere ad peccandum; hi enim regulariter excusantur à peccato, quia adest iusta causa non amittendi lucrum, quod ex eo ministerio comparant.

An sit peccatum mortale optare, v. g. ut fornicatio esset licita?

R E S O L. XLVII.

Non semper esse peccatum mortale optare ut id, quod est intrinsecè malum, non esset malum, sed licitum, sed attendendum esse ex quo fine quis moueatur, docet Vasquez *in p. 2. disp. 116. c. 2. in fine,* & ideo si quis id optaret, ex eo quod videretur ob suam fragilitatem sæpius incidere in peccatum, non esset mortale.

At contrariam sententiam docent Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 6. ques. 10.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 2. n. 23.* Molfesius *in sum. tom. 1. tr. 8. cap. 8. n. 49.* & alij; quia bonum totius naturæ, ac ordinis naturalis non potest postponi, ac eius immutatio, quæ grauissimum malum est, desiderari ob particulare huius bonum.

Notandum est etiam hinc obiter, ut aliam similem attingamus quæstionem, quod Laym. *in Theol. mor. lib. 1. tr. 3. c. 6. n. 10.* Sanch. & Azorius *ubi supra,* asserunt consensum conditionalem non esse mortalem, quando versatur circa res solo iure positio prohibitas; secus verò si versetur circa ea, quæ iure naturali sunt interdicta; & ideo hic actus, comederem carnes in Quadragesima, nisi Ecclesia prohibuisset, caret culpa; hic verò non, occiderem si non esset peccatum, aut offensa Dei; quia hoc vltimum absque sua malitia intelligi nequit, & conditio illa negans inuoluit contradictionem.

Verum Valentia *tom. 2. disp. 6. q. 4. punct. 4.* Sayrus *in Clauj Regia lib. 8. c. 7. n. 28. & 29.* Salas *in p. 2. tr. 13. disp. 16. sect. 27.* Vasquez *disp. 116. c. 2. n. 4.* & alij, docent quod quoties conditio omnem malitiam, & deformitatem ab actu aufert, excusat à peccato, secus autem si non aufert; & ideo non peccaret si quis diceret, occiderem inimicum, si mihi liceret, vel malum non esset; peccaret verò si diceret, occiderem inimicum, si supplicium, vel infamiam non timerem. Rationes verò huius differentiæ apud Doctores citatos inuenies.

An in obsidione alicuius ciuitatis, quando alius ciuis non adest, licitum sit vesci carnibus humanis & an gesta ex metu graui excusent à peccato?

R E S O L. XLVIII.

Negatiuè quoad primum videtur respondere D. Thom. *in 2. 2. q. 142. art. 4. ad 1.* & acerrimè tenet Valentia *tom. 3. disp. 9. q. 3. punct. 1.* Et ratio est, quia hoc est intrinsecè, & ex obiecto malum, & ideo nunquam licet, sicut nunquam licitum erit mentiri. Et hanc sententiam docent etiam Fernand. *de septem peccatis mor. cap. 2. §. 6.* Azorius *p. 1. lib. 7. c. 22.* Victoria *relect. 9.* Syluius *in 2. 2. q. 142. art. 4.* & alij.

At contrariam sententiam tuentur Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 2. n. 10.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 18. n. 12.* Naldus *in sum. ver. Medicus, n. 7.* Emmanuel Sà *ver. Comedere, n. 1.* Caietan. *in 2. 2. q. 148. art. 2.* Abul. *in 4. Regum c. 6. qu. 32.* Tolet. *lib. 8. c. 60.* & hanc sententiam probabilem etiam esse putat Malderus *in 2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 1. in fine,* quia non est intrinsecè malum vesci carnibus humanis secluso homicidio & quamuis eius prohibitio sit iuris naturæ, tamen iuris naturæ prohibitio non obligat in vitæ discrimine. Et hoc etiam verum est, si vitæ periculum imminet ab extrinsecò, puta si sub pœna mortis à quopiam quis iubeatur carnibus humanis vesci.

Hinc à fortiori licitum erit in morbi necessitate per modum medicamenti sumere aliquid humanæ carnis alteratum; & licitum erit haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis detractum ad acquirendum vigorem corpori senili, & senectuti prorogandæ. Vnde Medici inter illos Marsilius Ficinus *lib. de sanit. tuenda,* vocant hoc remedium singulare. Igitur ad seruandam vitam licitum erit vesci carnibus humanis; nam quæ sunt intrinsecè mala, propter eius conseruationem licita efficiuntur.

Et ideo primò contra Comitolum *lib. 5. q. 7. n. 3.* licitum erit propter periculum mortis comminata ad mouere scalam furari volenti, vendere, vel commodare ensẽ volenti alterum occidere, aut ostendere ubi occidendus est. Ita Durandus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 3. q. 13. n. 10.* Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. cap. 7. n. 18.* Corduba *in sum. q. 137. dub. 2.* cui cum Auila *de cens. p. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 5.* asserunt etiam non peccare nauclerum, qui metu mortis, cymbâ transuehit aliquos volentes duellum committere, vel alium interficere.

Secundò licitum erit celebrare Missam sine altari, vel calice consecrato, aut sine vestibus sacris, vel lumine, metu mortis, dummodo non incuratur in odium Religionis, vel contemptum sacrificij Missæ. Ita contra Caietan. *in p. 2. q. 96. ar. 4.* docent Azor. *tom. 1. lib. 1. c. 11. q. 11.* Valent. *tom. 2. disp. 7. p. 5. punct. 6.* Vasquez *in p. 2. disp. 161. c. 3. n. 15.* Becanus *p. 2. tr. 3. c. 6. q. 4. n. 8.* Et hanc sententiam veram esse puto, etiamsi celebranda sit Missa sine vlla veste sacra, nam militat eadem ratio. Ita Salas *de legibus disp. 11. sect. 1. n. 7.* quidquid in contrarium asserant Granado *in p. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. disp. 8. sect. 5.* Filliuc. *tom. 1. tract. 5. c. 5. n. 149.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 83. sect. 3. ver. secundò dicendum,* & alij. Debet tamen in tali casu Sacerdos non celebrare cum vestibus valde sordidis, aut cum vase immundo, est enim seruanda reuerentia debita Sacramento.

Tertiò licitum erit metu mortis contrahere matrimonium cum impedimento dirimente; si verò in eorum animo sit contrahere tantum exterius, non verò consummare, vel habere animum consummandi, non esset peccatum mortale. Ita contra Nauarum *c. 27. n. 141.* & Caietanum *in p. 2. q. 96. art. 4.* docent Vasquez *in p. 2. disp. 161. c. 3. n. 17.* Suarez *de legibus lib. 3. cap. 30. n. 13.* Becanus *p. 2. tr. 3. c. 6. q. 4. n. 9.* & Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 18. n. 7.* cum aliis.

Quartò licitum erit ob metum mortis, vel alterius grauis nocuenti communicare cum excommunicato non tolerato, id est, nominatim denunciato, vel publico clerici percussore. Ita contra Vgolinum *de cens. tab. 2. c. 23 n. 4.* Alensem *p. 4. q. 23. memb. 1. art. 6. §. 2.* Caiet. *in p. 2. q. 125. a. 3.* & alios docent Sayr. *de censuris lib. 2. c. 14. n. 40.* Sot. *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Suar. *de cens. lib. 6. sect. 3. n. 10.* Valq. *in p. 2. disp. 161. c. 2.* Azor *tom. 1. lib. 1. c. 11. q. 1.* Salas *de legib. disp. 11. sect. 1. n. 12.* & alij penes ipsos.

Quintò infertur non teneri adultum cum vitæ discrimine suscipere sacramentum Baptismi, quia potest elicere actum contritionis, & sibi confulere. Ita contra Azorium *tom. 1. lib. 1. c. 11. q. 2.* docet Corduba *quest. 137.* Aragonius *in 2. 2. q. 6. art. 3. dub. 1.* Sayrus *in Clauis Regia lib. 3. c. 7. n. 34.* Sotus *de iust. lib. 1. quest. 6. art. 4.* Suar. *in 3. par. tom. 3. disp. 31. sect. 3.* & alij, dummodo adultus non esset in mortis articulo per se constitutus, vel nisi causa fidei aliud requireret.

Sextò licitum erit captiuis Christianis, metu mortis, aut amissionis membri, nocuentum inferre Christianis in bonis externis, & ad infidelium præceptum destruendo, vel capiendo, & ad trirèmes asportando. Ita contra Bonacinam *de contr. disput. 1. q. 2. punct. 10. num. 8.* docent Turrianus *in 2. 2. disp. 96. dub. 3.* Reginaldus *tom. 2. lib. 2. 1. num. 119.* Molina *tom. 1. disp. 115. concl. 5.* & Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 18. n. 7.* qui etiam cum Laym. *in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. c. 13. n. 5.* excusant à peccato hos captiuos asportantes sarcinas, & necessaria ab bellum, admouentes scalas, & machinas ad muros, porrigentes Turcis arma ab eis petita ad interficiendos Christianos. Et Molina cum Sanch. *ubi supra,* & Lessio *lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 29.* excusat dictos Christianos captiuos, qui Turcas humeris sustentant, atque iuuant ad castra munienda, ædificanda propugnacula, aliaque eiusmodi generis perficienda.

Septimò licitum erit Sacerdoti porrigere Eucharistiam peccatori occulto in occulto metu mortis, aut alterius nocuenti, nisi metus incuteretur in contemptum Sacramenti, vel odium Religionis. Ita Nugnus *lib. 3. p. tom. 1. q. 80. art. 6. diffic. 4.* Bonacina *de Sacram. disput. 1. q. 1. punct. 4. num. 14.* & alij.

Et tandem octauò potest Sacerdos metu mortis non incusso in odium Religionis, & Sacramenti contemptum conficere Sacramenta in materia dubia, vt Eucharistiam cum vino congelato, vel cum pane ex spelta confecto, vel ministrare Baptisimum cum aqua ex sale resoluta, &c. Ita Henric. *lib. 1. c. 9. n. 7. in glossa litera B.* Sanchius *in selectis, disp. 44. n. 12.* Perez *in laurea Salmantina certam. 10. c. 12.* Et ratio horum omnium est, quia gesta ex metu in supradictis casibus excusant à peccato, cum non sint intrinsecè mala.

An certus de debito, dubius autem an soluerit, teneatur soluere?

RESOL. XLIX.

Respondeo quòd certus de mutuo, aut altero debito & dubius an soluerit, tenetur ad solutionem. Sed hæc sententia limitatur primò à Tannero *in p. 2. disput. 2. q. 6. dub. 4. n. 48.* nisi creditor etiam dubius sit, an debito sit satisfactum, tunc enim putat debitorem non teneri ad restitutionem, quia in tali casu melior est conditio debitoris possidentis. Secundò limitatur à Laym. *in Theol. mor. lib. 1. tr. 5. c. 6. in fine,* vt in tali casu debitor non teneatur ad integram solutionem debiti, sed tantum ad partem.

Notandum est etiam hic obiter primò, quòd Gallettus *in Margar. casuum conscien. ver. commodatum, & ver. dubium,* tenet quòd commodatarius dubius an sua culpa commodatum perierit, tenetur ad restitutionem. Contrariam verò sententiam tenent Henric. *lib. 14. c. 15. in fine.* Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 18.* Lessius *lib. 2.*

cap. 7. dub. 3. in fine, & alij, maximè quando dubium est æquale. Et ratio est, quia delictum in dubio non præsumitur, vt patet *in l. merito. ff. pro socio,* & hæc opinio confirmat doctrinam valde notandam, quam tenent Sotus *de iust. lib. 3. q. 6. art. 2.* Ledesma *in 2. p. 4. q. 8. art. 6. concl. antepenult. §. sed dubitas.* Toletus *lib. 5. c. 18.* Henriquez *lib. 14. c. 3. n. 1.* Emmanuel Sà *ver. culpa, n. 2.* asserentes in contractibus quempiam teneri tantum de dolo, & lata culpa, quæ constituat peccatum mortale. Et hanc sententiam cum Lessio *lib. 2. c. 7. dub. 8. n. 43.* probabilem esse existimo, licet contrariam sequantur Azorius *tom. 3. lib. 7. de commodato cap. 7. q. 1.* Molina *tom. 2. disp. 295. n. 10.* Rebelius *p. 2. lib. 16. q. unica, de commodato.* Caietanus *in 2. 2. q. 62. art. 5.* Nauarrus *cap. 17. num. 184.* Gomezius *tom. 2. var. resol. c. 7. num. 2.* existimantes sufficere in hoc casu ad obligationem restitutionis culpam iuridicam, quia, vt bene obseruat Maior *in 4. dist. 15. q. 45.* & Molina *tom. 2. disp. 293. n. 24.* cum aliis, non semper habet coniunctam culpam theologicam, imò aliquando potest esse sine peccato, etiam veniali.

Sed his non obstantibus nostra sententia est probabilis, vt ipsimet Authores contrariæ sententiæ fatentur, & inter illos Laym. *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1 c. 6. n. 4.* & ideo non obligarem ad restitutionem, si aliquis adhiberet diligentiam communem, quæ faceret latam culpam iuridicam, si hoc proueniret ex naturali obliuione, ita vt excusaretur quis à peccato mortali. Rectè igitur dicendum, quòd commodatarius non tenetur ad restitutionem, si res commodata absque eius culpa theologica perit, & in consequentia non tenebitur ad restitutionem, quando dubitat an culpa sua perierit, quia in dubio culpa theologica, seu peccatum non præsumitur.

Et hæc omnia à fortiori procedunt in depositario dubitante, an depositum culpa sua perierit, maximè quando depositum factum est in commodum deponentis. Ita docent Sanchez *de matr. lib. 2. disp. 41. n. 18.* Lessius *lib. 2. c. 27. dub. 3. in fine.* Henriquez *lib. 14. c. 15. in fine.* Rebelius *p. 2. lib. 16. q. unica de deposito.* Et quòd dictum est de commodatario, & depositario, aliqui etiam probabiliter extendunt ad locatorem, seu conductorem. Quæ omnia valde notanda sunt à Confessariis, & Responsoribus casuum conscientiarum, vt non obligent ad restitutionem, si aliqui in his casibus nolent restituere, vt ego alibi etiam adnotaui.

An certus de voto, dubius autem de qualitate, teneatur ad strictiorem?

RESOL. L.

Respondeo negatiuè; nam vbi agitur de obligatione inducenda, stricta interpretatio fieri non debet, vt habetur *in c. 1. de iurciu. lib. 6. & in l. quidquid adstringenda, ff. de ver. obligat.* Hinc infertur primò quòd si quis vouit quotidie dicere Rosarium, dubitat tamen an vouerit integrum, potest eligere dicere tertiam partem. Ita Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 8. n. 5.* Secundò, qui vouit Religionem, dubitat tamen an vouerit se professurum, potest non profiteri. Ita Suarez *ubi supra, n. 7.* Bonacina *de voto q. 2. punct. 5. n. 23.* & alij. Tertio, si quis certus est se vouisse castitatem, aut perpetuam, aut temporalem, sed immemor est verborum, ad solam temporalem obligatur. Ita Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 13. n. 16. & seq.* Quartò, si quis certus est de voto dandi Ecclesiæ aliquas tritici mensuras, dubitat tamen an intellexit de maioribus, vel minoribus, potest minores eligere ex consuetis in eo loco. Ita Valent. *tom. 2. disp. 6. q. 8. punct. 4.* Molina *tom. 1. disput. 198. ver. verum verò.* Nauar. *comment. 1. de regul. n. 20.* nisi vt notat Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 13. n. 11,* aliqua sit ratio suadens verisimilius esse mentem vouentis præsumi fuisse obligandi se ad maiorem mensuram.

Vnde si quis voueret se largiturum Ecclesie calicem, non satisfacit si det arcum, vel stanneum, sed tenetur dare argenteum, vel aureum; nam in tali voto intelligitur calix aptus diuino cultui, & secundum Ecclesie consuetudinem. Ita Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 20. q. 10.* Non tenetur tamen dare totum calicem argenteum, vel aureum; sed sufficit, si sola superior cuppa argentea, vel aurea sit, quia talis calix est etiam aptus diuino cultui ex usu multarum Ecclesiarum, Et tandem nota, quod si quis vouit dare panem pauperibus, sufficit ei panem largiri pauperibus usitatum, & non tenetur dare de puro tritico, nisi constaret de alia intentione vouentis. Et ita docet Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 8. n. 9.*

Notandum est tamen hic obiter, contra Sanch. *in sum. tom. 1. lib. 4. c. 1. n. 13.* quod in dubio an expleuerit septennium, quando quis emisit votum, ad illud minime tenetur, & ita docet Malderus *in 2. 2. tr. 10. c. 5. dub. 1.*

Nota etiam contra Filliuc. *tom. 2. tr. 21. c. 4. n. 165.* Rebellium *p. 2. lib. 1. q. 2. sect. 1. n. 10. & 11.* & Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 34.* quod qui omnino dubitat, sed magis in eam partem inclinatur, ut votum emisit, & sic suspensionem voti habet, non tenetur ad votum, neque ad partem pro ratione huius maioris propensionis. Et ita docent Sanch. se retractans *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 10. n. 36.* Gasias *de benef. tom. 2. p. 7. c. 2. n. 23.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 1. c. 2. §. 2. n. 4.* & alij, & ita alibi diximus de dubitante in materia iustitie cum Vasq. *in p. 2. disp. 66. c. 7. n. 42.* & Salas *in p. 2. tom. 2. tr. 8. disp. 1. sect. 23. n. 231.* quae omnia sunt valde notanda, quia quotidiana.

Et tandem nota, quod si quis certus est se votum emisisse, v. g. castitatis, dubitat tamen an habuerit animum se obligandi, tenetur quidem seruare castitatem, cum possessio stat pro voto; attamen quod est pro praxi notandum, tale votum non erit Pontifici reseruatum, quia cum reseruatio sit odiosa, ad casus certos est restringenda. Et ita docet Suar. *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 26. n. 6.* cum Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 40. n. 26. & c. 44. n. 3.* Et hoc etiam dicendum est, si quis votum emisit post septennium, dubitat verò, an tunc usu rationis praeditus fuerit.

An suspensio, interdictum, irregularitas, &c. incurrantur propter culpam venialem?

RESOL. LI.

Aliqui affirmatiue respondent, & ita docet Caiet. *in sum. ver. suspensio. ver. interdictum, & ver. irregularitas,* & de suspensione docent Armilla *ver. suspensio, n. 1.* & Lopez *in instruct. p. 2. cap. 31.* & de irregularitate docuerunt Molina *de iustitia tom. 4. tract. 7. disp. 75. n. 1. & disp. 77. n. 2.* Megala *in 3. p. lib. 7. c. 2. q. 1. n. 7. & q. 5. n. 39.* Corduba *in 99. lib. 2. q. 26.* Aragon. *in 2. 2. q. 64. art. 8.* Castrus *de leg. pan. lib. 1. c. 5. docum. 4.*

At mihi semper contraria sententia magis placuit, quam tuentur loquentes de omnibus censuris, Suar. *in 3. p. tom. 5. disp. 4. sect. 10. n. 8.* & Sanchez *de matrim. tom. 4. lib. 9. disp. 32. n. 29.* & ita loquentes de suspensione docent Henric. *lib. 13. c. 34. n. 1.* Emmanuel Sa *ver. suspensus ab officio, ver. qui certus est,* & loquentes de irregularitate: ita etiam docent Filliuc. *tom. 1. tr. 20. cap. 3. n. 58.* Villalob. *in sum. tom. 1. tr. 21. diff. 22. n. 8. & 14.* Bannez *in 2. 2. q. 64. art. 8. tr. de irregul. p. 2. dub. 2.* Alvarez *in p. 2. disp. 136. num. 1.* Sotus *de iust. lib. 5. q. 1. art. 9.* Salonius *in 2. 2. q. 64. art. 8. immediate ante 4. contr. & alij.*

Dicendum est igitur, quod quoties ignorantia iuris, vel facti excusat transgressionem Canonis à peccato mortali, excusat etiam non solum ab excommunicatione, sed etiam ab alijs censuris, & poenis ob delictum impositis, ut irregularitate ob delictum, suspensione, & interdicto. Et ratio est, quia supradictae poenae cum sint grauissimae, non est credendum illas piam matrem Ec-

clesiam infligere ob peccatum veniale. Sed de hac questione alibi à nobis etiam actum est, ideo ad alias transeamus.

An aliqua facta ebriorum non reputentur peccata, quae alioquin essent?

RESOL. LII.

Affirmatiue respondet Pater Vasq. *c. 2. tom. 1. disp. 227. c. 3. n. 11.* vbi si ait. Vltimo addendum est, multa dicta, vel facta ebriorum non reputari peccata, quae alioquin essent; id quod verum est etiam si prauideantur, quia in hominum aestimatione non censentur iniuriola, qualia sunt aliqua dicta, vel facta, quae alioquin in sana mente iniuriola essent; nempe dicta, facta, & contumelia, ex quibus non sequitur alijs vllum detrimentum, mors tamen, & damnum illius temporale peccatum est, quia re vera proximum laedunt. Sunt etiam alia peccata, quae facta in ebrietate non imputantur, quia postulant scienter fieri, ut impotentur; huiusmodi est peccatum blasphemiae, infidelitatis, & periurij; nam qui non videt, vel dubitat esse falsum quod iurat, perjurus non est, & peccata carnis, ut fornicatio, & pollutio imputantur ebrio; si verò haec peccata in somno euenirent, non item; quia cum somnus sit causa naturalis, ebrietas verò praeter naturam, mirum non est, si aliqua quae in somno eueniunt non imputentur, quae verò in ebrietate accidunt imputentur; damnum autem proximi utroque modo cauere debemus, ne eueniat, vel ex somno, vel ex ebrietate, alioquin imputabitur. Haec Vasquez quae mente tenenda sunt à Confessariis.

Non desinam tamen adnotare, aduersus Vasq. quoad peccata blasphemiae, periurij, & infidelitatis contrarium docere Thomam Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 16. n. 44.* Medinam *in p. 2. q. 71. art. 5. concl. 4.* Caietan. *in 2. 2. q. 150. art. 4. dub. 2.* & alios asserentes dicta peccata, licet in se non sint voluntaria, nec scienter facta; attamen in causa sunt voluntaria, cum sint prauiusa, nec in hoc comparari debent facetiis. His tamen non obstantibus opinionem Vasquez docent etiam Salas *in p. 1. tr. 13. disp. 5. sect. 14. n. 114.* Sayrus *in Clauis Regia lib. 2. c. 9. num. 42.* & nouissime Adamus Tannerus, vir quidem doctus *in p. 2. disp. 4. q. 3. dub. 3. n. 65.*

Addit etiam Sanchez *vbi supra,* contra eundem Vasq. non esse verum, fornicationem in somno contingentem, ac prauiusam non esse necessarid cauendam, quia cum sit in damnum prolis, omnino cauenda videtur, sicut de peccatis in damnum tertij docet ipse Vasquez, Sed ytraque opinio est probabilis.

Notandum est etiam hic obiter contra Sotum *in 4. diff. 12. q. 1. art. 7.* Medinam *in p. 2. q. 71. art. 5.* Henriquez *lib. 8. c. 51. n. 2. in glossa. littera F.* Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 45. n. 28.* Salas *in p. 2. tr. 13. disp. 2. sect. 9.* Becanum *p. 2. tr. 2. c. 3. q. 6. n. 8.* Tannerum *in p. 2. disp. 4. dub. 3. n. 35.* & ibi Suar. *tr. 5. disp. 3. sect. 4. n. 5.* opera in ebrietate contingentia, & omnia alia, quae efficiuntur quando non manent amplius in potestate operantis, non informant malitia aliqua morali, & per consequens non esse peccata, neque denominatione extrinseca à malitia causae, sed esse quosdam peccati praecedentis effectus, sicuti quando quis occidit hominem, mors non est peccatum, sed peccati effectus. Et ita docent Vasq. *in p. 2. tom. 1. disp. 94. cap. 2. & seq.* Azor. *tom. 1. lib. 1. c. 7. q. 1.* Sayrus *in Clauis Regia lib. 2. c. 6. n. 16.* Herrera *in 2. sent. disp. 20. q. 8.* & ipsimet aduersarij, ut Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 1. c. 16. n. 46.* hanc opinionem probabilem esse putant.

Dicendum est tamen, stando etiam in prima sententia, quod si quempiam antequam subsequantur dicta peccata externa, poeniteat data causae, tunc vacare culpa peccata postea subsequuta, & per consequens non erunt vocanda formaliter, & in se peccata, quia per poenitentiam causa eorum fuit intercesa, & ideo sunt postea inuoluntaria.

Ita Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 7. Henricus ubi infra. Medina in p. 2. q. 71. art. 5. Becanus p. 2. tr. 2. c. 3. in fine, Grassius in decis. p. 1. lib. 2. c. 87. num. 14.

Imò ego puto cum Soto ubi supra, Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 45. n. 29. Salas in p. 2. tr. 13. disp. 6. sect. 8. n. 59. & alii, quòd si quis ante ebrietatem, vel antequam subsequantur talia peccata externa, confiteatur, & accuset se de causa data, non tenetur postea confiteri si dicta peccata subsequantur; sed plus addit Henriquez lib. 5. c. 5. n. 5. in glossa, littera H. nempe peccata illa commissa in ebrietate, si prior voluntas, ut dictum est, fuerit per poenitentiam interrupta, non inducere excommunicationem. Sed contrarium docet Vasq. in p. 2. disp. 94. c. 4. in fine. Azor. tom. 1. lib. 1. c. 7. q. 1. & alij asserentes in tali casu supradicta peccata inducere irregularitatem, excommunicationem, & restituendi obligationem.

Limitat tamen hanc sententiam Sanchez in sum. tom. 1. lib. 1. c. 16. num. ult. non procedere in peccatis solius oris; nam si excommunicatio lata esset in periurium, non includeretur periurium volitum in sola causa, ut est in casu nostro, & idem docet Suar. de Religio. tom. 2. lib. 3. c. 8. num. 6. in casu simili, nempe de excommunicatione lata in periurium, docet enim in excommunicatione non includi periurium inaduerterentem prolatum ratione consuetudinis.

Quis vulneravit opificem, quaesierunt à me ad quid vulnerans teneatur restituere?

R E S O L. LIII.

Respondi ad impensas Medico largitas, iuxta cap. 1. de iniuriis. Secundò ad aestimationem operarum, quibus ille caruit, quibus ex illo vulnere inutilis factus est, ut patet ex l. ult. ff. de his qui deiecerunt, vel effuderunt. Sed difficultas tunc fuit, vtrum deducenda esset aestimatio molestiae, ac laboris, quem in officio, aut opificio subiturus erat: Et alij negativè responderunt, & probabiliter quidem; nam ita tenent Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 19. Navarra de restit. lib. 4. c. 1. n. 68. Couarru. var. resol. lib. 2. c. 10. n. 7. & Sotus de iustit. lib. 4. q. 6. art. 3. circa 3. argum. & alij.

Verum ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimaui, quam docent Rebell. p. 1. lib. 3. q. 13. Molina de iust. tr. 3. disp. 87. concl. 1. Maior in 4. dist. 15. q. 19. Igitur in tali casu, si poenitens vellet aestimationem laboris deducere, Confessarius illum potest secure absolvi, & à dicto onere restitutionis liberare.

Notandum est tamen hic obiter primò contra Scotum in 4. dist. 15. q. 3. Adrianum in 4. de restit. q. ult. Sotum de iustit. lib. 4. q. 6. art. 3. Syluest. ver. restitutio 3. q. 2. Azorium tom. 3. lib. 5. c. 3. q. 4. & Molinam tr. 3. disput. 84. pro cicatricis deformitate, membri, imò ipsius vitæ iactura nullam pecuniæ compensationem secundum se faciendam esse, ante iudicis sententiam. Ita docent Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 23. & 25. Navarra. cap. 15. num. 22. Gomez var. resol. lib. 3. cap. 6. n. 12. Navarra lib. 4. cap. 1. n. 80. & seq. Vasquez in opusc. de restit. c. 2. §. 3. dub. 6. & glossa in c. 1. de iniuriis, & habetur clarè in l. ult. & in l. 1. §. sed cum homo, ff. de his qui effuderunt, ubi asseritur, quòd in homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest.

Vnde hinc etiam obiter nota contra Sà ver. infamia, n. 7. Molinam tr. 4. disput. 45. n. 3. Adrianum quod lib. 1. diff. 6. Sotum de reg. secr. memb. 1. q. 2. conclus. 5. & alios probabile esse, quòd si quis famam iniuste ablatam, non directè, nec indirectè restituere possit, non teneri ante iudicis sententiam pecunia illam compensare, vel satisfacere. Et ita tenent Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 16. Navarra lib. 2. cap. 4. n. 417. Syluest. ver. detractio, q. 4. & nouissime Layman in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 2. c. 7. n. 3. cum aliis.

Notandum secundò aliquem, qui prouocatus ad pu-

gnam accessit, etsi deliquerit vulnerando, non tamen teneri damnum restituere, nam prouocans quantum in se erat potestatem fecisse censetur inferendi damnum, & sic probabiliter sentiunt Lessius lib. 2. c. 9. dub. 21. Rebellius p. 1. lib. 3. q. 12. Azorius tom. 3. lib. 5. c. 3. q. 7. quidquid in contrarium asserat Molina de iustit. tr. 3. disp. 82. Vnde à fortiori inferitur, qui ex conducto ad duellum descendit, & mortem, aut vulnus alteri intulit, ad nullam restitutionem heredibus, seu vulnerato teneri, nam volentes, & consentientes ad pugnam descenderunt. Lessius ubi supra, & alij.

An homicida teneatur restituere damnum illatum creditoribus pro morte occisi?

R E S O L. LIV.

Affirmatiuam sententiam docet Molina de iust. tr. 3. disp. 83. n. 8. Et ratio est, quia occisus maiori obligatione iustitiae tenebatur erga creditores, quam erga parentes, uxorem, & filios; & ideo his alimenta, & hereditas non praestatur, nisi solutis creditoribus. Ergo si homicida, ut omnes fatentur, tenetur damnum resarcire, quod uxori, liberis, parentibus occasione homicidij accidit; multò magis creditoribus, si ob tale homicidium debito suo priuati fuerant, dicendum est ad restitutionem teneri.

Sed his non obstantibus, ego contrariam sententiam teneo cum Salonio in 2. 2. q. 62. art. 2. contr. 8. Lessio lib. 2. c. 9. dub. 26. & aliis, penes quos rationes huius sententiae videbis.

Notandum est tamen hic obiter primò, homicidam neque teneri ad vllam restitutionem familiaribus, vel clientibus, si damnum aliquod ex morte occisi illis prouenit, nam occisus supradictis ad nihil tenebatur ex iustitia, sed ex liberalitate operabatur. Et ita tenent Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. circa 3. argum. Molina de iust. tr. 3. disp. 83. n. 6. Lopez in instruat. p. 1. cap. 72. Lessius & Solonius ubi supra; quidquid in contrarium asserant Vasq. opusc. de rest. cap. 2. §. 3. dub. 7. & Petr. Navarra. de restit. lib. 4. c. 1. n. 76.

Notandum secundò, quòd si maritus aliquem deprehensum in adulterio occidit, in conscientia non tenetur restituere damna ex morte occisi sequuta, donec ad iudicem causa delata cognoscatur, vtrum in poenam delicti, atque iniuriae compensationem restitutio ipsi remittenda sit, necne. Ita Molin. tr. 3. disp. 81. n. 10. & alij.

An aliquando licitum sit aperire literas alienas?

R E S O L. LV.

Respondendo affirmatiuè, etiam inuitò eo ad quem mittuntur, puta si id fiat iure belli, iustae defensionis contra inimicum insidias molientem, vel si Praelatus, paterfamilias, &c. suspicentur, aliquid mali patrandi in literis contineri, vel si Religionis statutum, aut consuetudo licentiam aperiendi literas Regularium Praelato tribuat. Vide Peirinum de Relig. tom. 1. q. 2. c. 1. §. 13. per totum, & alios penes ipsum.

Sed difficultas est, quae potest saepius accidere, ut Venetiis testatur Syluester accidisse; videlicet, an si aliquis literas ad se missas, in publicum laceratas abiiciat, possit quis sine peccato, collectis literarum fragmentis, eas legere. Negatiuè respondet Rebellius p. 2. lib. 9. q. 7. num. 9. Sed mihi placet opinio contraria, quam cum Archidiacono tenet Syluest. ver. emptio, q. 17. ubi sic ait. Si quis literas in publicum locum abiectas legit, solum ut sciat, curiositas est, si ut sibi prouideat, commodisque suis studeat, humana, non vitiosa prudentia est. Ita Syluest. quem citat, & sequitur Layman in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1. cap. 4. n. 4. ubi etiam bene aduertit ex charitate in tali casu eum, qui illas literas legit, teneri non manifestare

festare aliquod secretum in ipsis contentum, si in damnum alicuius cederet.

An sit licitum amissa aliqua vera, & legitima scriptura, aliam similem confingere?

RESOL. LVI.

Videtur prima facie respondendum affirmatiuè, quia nemini ea re iniuria inferitur, & sic olim docuit Emmanuel Sa *versic. falsarius, n. 2.* verum contrariam sententiam docent Couarr. *var. resol. lib. 1. c. 2. n. 2.* Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 12. n. 332.* Emmanuel Sa expurgatus, & Paulus Laym. *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1. cap. 4. n. 4.* ubi docet huiusmodi falsificationes esse Reipublicæ perniciosas, quamobrem à legibus seuerè prohibentur, & cum prohibitio iusta sit, in conscientia obligat. Nec valet ratio in contrarium adducta, quia quamuis per tales falsificationes non violetur particularis iustitia, quia nemini ius suum læditur, & ideo neque restituenti obligatio aliqua oritur; attamen peccatur contra veritatis virtutem, & quidem cum Reipublicæ perniciæ; graue etenim est publicorum instrumentorum conficiendorum, etiam alio quouis damno secluso, ius sibi vindicare. Vide etiam additiones *ad summam Syluestri ver. Falsarius, in fine.* In quibus pro hac sententia citatur etiam Nauarrus. Igitur illicitum erit, & peccatum mortale, amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. aliam similem confingere; vel conuento de pecunia, v. g. mutuo accepta, quam legitime soluerat, factæ solutionis falsum instrumentum producere. Quæ omnia valde notentur, quia passim hic casus solet accidere, & in illo plures decipiuntur.

An beneficiarius, qui omisit horas canonicas, liberetur à restitutione, propter eleemosynas pauperibus largitas, non tamen hoc intuitu?

RESOL. LVII.

Hic casus mihi contigit, & ab onere restitutionis consulentem liberaui, nixus auctoritate Pauli Layman *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 2. cap. 12. n. 9.* ubi sic ait. Quando obligatio restituendi, puta pauperibus, ex iure Ecclesiastico tantum promanat, arbitror probabiliter dici posse eleemosynas, quæ cum tali obligatione, quamuis non animo satisfaciendi factæ sunt, tamen ad eas extinguendas prodesse posse. Exempli causa. Venit Canonicus ad confessionem, qui toto anno officium recitare neglexit, & ideo in piis causis 300, aureos restituere deberet, tali obligatione à Confessario illi significata, respondet, se quamuis huius obligationis immemorem, his ipsis diebus statuat argenteam Ecclesiæ alicui donasse, quæ 300. aut amplius aureis æstimetur, puto quod Confessarius contentus esse possit. Tum quia non desunt Doctores qui ita sentiunt; tum quia videtur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas, satisfaciendi per eas omnibus obligationibus quas suis peccatis, aut negligentis contraxerunt; tum denique quia leges Ecclesiasticæ benignè explicari debent. Ita Layman, & ego.

Notandum est tamen, quod contrarium dicendum est in aliis debitis; vnde qui ex furto, v. furis, &c. debitor est, si ei ius restituendum esset tantumdem, donec immemor sui debiti, non liberatur ab onere restitutionis; quia illi gratis donata sunt. Nec refert dicere, quod si debiti sui memor fuisset, se gratis donaturum non fuisse, nam actualis dispositio voluntatis, non autem conditionalis inter contrahentes attendenda est. Ita docent Lessius *lib. 2. cap. 37. n. 11.* Lopez *de contract. lib. 2. cap. ult. prope finem,* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 1. c. 13. num. 11. & alij.*

An famulus teneatur ad restitutionem, si non manifestet domino alios tres famulos ex aliqua domus officina sæpius furari?

RESOL. LVIII.

Hic casus frequenter accidit, & ad illum sic respondet Laym. *in Theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 2. c. 5. n. 7.* si duo eisdem familiæ famuli sint, quorum vni cura penus custodiendæ demandata est, alteri non est, etsi uterque ex lege charitatis furta impedire debeat, si facile, & sine suo incommodo possit; ex iustitia tamen fermè is solum qui curam penus gerit, quare solus etiam ad restitutionem obligatur. Ita ille, & ante illum Nauar. *c. 14. n. 7.* Lessius *lib. 2. c. 15. lib. 10. n. 74.* & alij.

Notandum est tamen quod Petrus Nauarra *de restit. lib. 2. c. 1. n. 224.* limitat hanc sententiam, nisi fures extranei in domum egrediantur, nam, tali casu putat ex iustitia quemlibet famulum obligari ad reuelandum, si aliter malum impediri non posset; cuiusque etenim famulo, eo ipso quod domesticus est, custodia domus aliquo modo incumbit, vt ab extraneorum iniuriis defendat.

Sed quæret aliquis, an dictus famulus teneatur restituere, si ab alio famulo furante accepit aliquid, si clamet, vel indicet furtum eius domino? Respondeo negatiuè, nisi res accepta sit pars furti. Ita Sotus *de iust. lib. 4. q. 7. a. 3.* & Nauar. *c. 17. n. 21.* & alij.

Verum huic doctrinæ rectè Nauarra *ubi supr. n. 132.* & Lessius *n. 68.* adhibent limitationem, vt non procedat, si accipiens sua pollicitatione expressa, vel tacita furem animosiores reddit, qui alioquin absteritus esset, nam in tali casu tenebitur de illato damno tanquam participans.

An ille, cui Princeps iubet mortem inferri eo die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus?

RESOL. LIX.

Affirmatiuè respondeo cum Villalobos *in summa, tom. 1. tr. 7. diffie. 39. num. 11.* Zambrano *de cas. tempor. mortis, c. 3. d. 5. n. 6.* Henriquez *lib. 8. c. 5. num. 1.* Suar. *in 3. p. tom. 3. q. 80. disp. 68. sect. 7.* Layman *in Theol. mor. lib. 6. tr. 4. c. 6. n. 20.* Syluio *in 3. part. q. 80. art. 8.* Reginaldo *in praxi, tom. 2. lib. 29. c. 6. q. ult. sect. 2. num. 20.* & Coninch *de sacr. q. 80. n. 8. num. 50.* ubi sic asserit. Quando quis est in præsentis periculo mortis, siue id fiat ratione morbi, siue quod supplicio afficiendus sit; tunc enim potest communicari non ieiunus, & quocumque diei tempore, si sit ante sequentem diem moriturus, quia saltem valdè probabile est, talem tunc teneri ex præcepto diuino communicare, quod maioris momenti est, quam præceptum Ecclesiæ prohibentis non ieiunum communicari. Secundò, quia cum communio tali homini sit tunc valdè utilis, & quodammodò necessaria, vt in extrema illa lucta, tanto præsidio confortetur, & roboretur, noluit eum Ecclesia tanto bono priuare. Ita ille, & alij.

Notandum est etiam hinc obiter, pro damnatis ad mortem, non esse necessarium tempus viginti quatuor horarum inter sumptionem Eucharistiæ, & suscipientis mortem incurrere, & licet hic Panormi, & in Regno Castellæ & alibi, vt opinor, interuallum vnus diei faciant intercurrere, attamen hoc non est necessarium. Vnde ego puto cum Sancio *in select. disp. 40. n. 4.* quod quamuis pridie ad mortem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen deuotionis causa ipso die mortis vellet iterum se communicare, minus pium esset communionem impedire, imò pij iudices ad suscipiendam hortari debent, vt puniendi tolerabilius mortem patiantur, & dæmonis

monis tentationes illa hora maximè turbantes faciliùs superent. Nec ex hoc reuerentia Sacramenti minuitur, cum Christus istud instituerit ad nostram vtilitatem, & non cohærent irreuerenter suscipi, & ob nostram vtilitatem, & si aliàs communicans debitam dispositionem habeat; vnde vellem hæc à Principibus, & iudicibus prænotari. Ita Sancius.

Scio Iulium Clarum §. fin. 7. 99. n. 3. Corsettum *singul.* 68. Vegam *part. 1. c. 61. cas. 21.* Cucchum *instit. lib. 5. tit. 5. n. 107.* Ant. Scap. *de iur. non scrip. lib. 5. c. 210. n. 7.* & Zerolam *in praxi Episc. part. 2. ver. damnati ad mortem, & ver. Eucharistia,* reputare indecenter recipi Eucharistiam ipso die mortis, & ob id à iudicibus non esse permittendum ministrari, & imputandum damnato, quod pridie mortis renuerit recipere.

Sed contrariam sententiam tenet Maiolus *de irregul. lib. 3. c. 24. n. 15.* vbi ita ait: Ego nonnullis in locis, quibus pro Episcopis magistratum gessi, validiore auctoritate qua potui, induxi, vt damnatis ad mortem ea ipsa die communio concederetur. Sic ille & ita Romæ obseruari testatur Sancius, Corsettus, & Antonius Scap. *vbi supra.*

Vnde asserunt multi, posse Sacramentum Eucharistiæ ministrari damnatis ad patibulum ante vnam horam mortis. Et ita docent Emanuel Sà *verb. Eucharistia, n. 2.* quem sequitur Fagundez *de præc. Eccles. part. 3. lib. 1. c. 4. num. 3.* & Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 12. non longè à fine* ait, quòd apparet non nihil irreuerentiæ irrogari Sacramento, si quis Eucharistiam susciperet, & illicò ad patibulum, & mortem raperetur; ergo dum dicit illicò, non sentit fore irreuerentiam ante vnam horam ministrari. Et hæc omnia à fortiori procederent, quando Princeps eo die vellet omnino reum patibulo suspendi; vt docent Petrus de Cenedo *in 99. can. q. 3. num. 4. in fine,* & Doctores in principio resolutionis citati.

An victualia debeant à Republica taxari, seu potius arbitrio vendentium relinqui?

RESOL. LX.

NEgatiuè prima facie videtur respondendum ex auctoritate Doctoris Nauarri *in manuali c. 23. num. 88.* cuius consilium non contemnit Rebellius *de oblig. iust. part. 2. lib. 9. q. 2. sect. 1. n. 5.* Sed audiamus verba Nauarri: Arbitror, inquit, rarissimè ponendam esse hanc taxam, tum quia dat occasionem vendendi corrupta, & ferè inutilia eodem pretio, quo sincera, & vtilissima, tum quia superueniente maxima necessitate annonæ, & frumenti, tollitur omnino taxa, & illa non incurrente parum est necessaria, tum quia nemo diuitum vult mutare, neque vendere credito res taxatas, nisi pretio taxæ etiam tempore abundantia; tum quia præbet occasionem innumerorum peccatorum mortalium mille modis taxam fraudantibus. Ita ille.

Sed contra doctum, & bonum senem, meritò insurgit vir in hoc genere nunquam satis laudatus Bartholomæus Salonijs *in 2. 2. tom. 2. quest. 77. art. 1. controu. 2. num. 8.* & idem docet Ludouicus Lopez *de contract. lib. 1. cap. 13. §. secundum quod pretia.* Probatur hæc opinio ex communi DD. sententia. Ioan. de la Cruz *in directorio conscientie part. 1. præcept. 7. quest. 2. dub. 2. concl. 2.* sic ait: Rex per suam legem potest taxare pretia rerum, & ita expedit boni communis conseruationi, maximè pro rebus communiter singulis necessariis. Conradus *de contract. tract. 3. q. 57. concl. 3. arg. 4. fol. mibi 272.* sic asserit: In lege annonam ff. de extraord. criminibus, mandatur præsidibus prouinciarum, vt ad hoc suis statutis laborent, quòd annona non oneretur, & quia certum est annonam augeri si superiores non taxent pretium rerum venalium venditioni expositarum, igitur ad hoc tenentur. Ita ipse, & alij, vt Petrus Ledesma *in summa tom. 2. tract. 8. cap. 33. concl. 6. diff. 1.* Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 25. c. 16. num. 289.* Petrus

Anton. Diana Resol. Mor. Pars III.

Tholosanus *in synagm. iuris lib. 36. c. 29. n. 10. & 11.* & nouissimè Homobonus de Bonis *de exam. Eccles. part. 1. tract. 6. cap. 9. q. 43. in fine,* & tandem eruditissimus Bobadilla *in sua politica, tom. 2. lib. 3. c. 4. n. 63.* vbi sic loquitur: [Es cosa conuenientissima à la Republica, que en los mantenimientos aya taxa, y postura, por lo qual tienen los Doctores, que tambien, en los paños, y sedas, y en los mesones, y alquileres de casas, en que fuessè possible auia de hauerla. Et paulò post, los Romanos por esta causa tuuieron por bueno, y necessario gouierno venderse por taxa, y precio cierto los mantenimientos, y consta de sus leyes, y por las destos Reynos;] & *in num. sequentib.* latè docet quomodo Senatores debeant constituere pretia rerum venalium, probando omnia, vt ipse solet, cum auctoritate multorum Doctorum; vide illum, & non pigebit te vidisse.

Nec desunt pro hac sententia firmanda validissimæ rationes. Nam, vt docent Molina *de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 348. num. 4.* Molfesius *in summa tom. 2. tract. 12. c. 5. num. 64.* Graffius *part. 1. lib. 2. cap. 112. num. 6.* & Doctores *suprà citati,* & *infra citandi,* ad iustitiam iusti pretij præcipuè considerandum est. Primò multitudo, & penuria rerum. Secundò abundantia, & penuria pecuniarum. Tertio paucitas, vel multitudo emptorum. Quarto varietas temporum. Sed vt optimè obseruant Lessius *de iust. lib. 2. cap. 21. dub. 2. num. 8.* & Malderus *in 2. 2. D. Thoma, tract. 5. cap. 2. dub. 1.* Superiores meliùs cæteris possunt nosse has, & similes circumstantias, ex quibus æstimatio rerum crescit, vel decrescit, & minus erit corruptum circa tales taxationes ipsorum iudicium; ergo propter bonum commune erit ab ipsis talis taxatio constituenda.

Et si forsitan aliquando propter aliquas circumstantias pretia non sunt taxata à Republica, sed arbitraria sunt, certè (ait Lopez *vbi supra*) non arbitrio ipsorum mercatorum, sed arbitrio prudentium, & peritorum arbitrandum sunt. Tum quia, sicut quisque suspectus habetur iudex in propria causa, & ita mercatores in hac sua causa iudices essent deprauati. Tum quia cupiditas excæcat, vt faciliè à recto, in æquo deuiant mercatores, si ex eorum affectu taxandæ veniant merces eorum. Tum quia semper inuenerent fraudes, obtinentes semper pro expensis, & laboribus accipere pretia cum aliqua accessione lucri, cum tamen nequaquam semper eis liceat, præsertim cum sua ignauia, & imperitia interdum in causa sunt vtilis emendæ merces, caroque pretio, quas tunc idcirco minoris vendere tenentur. Ita Lopez, quæ quidem multum sunt apta ad casum nostrum.

Ex quibus apparet responsio ad argumentum Nauarri; nam plures fraudes, & maiora inconuenientia sequerentur, si pretia rerum essent arbitraria, quàm si taxarentur à Republica, & vt benè aduertit Rebellius *vbi supra supra dictis malis à Nauarro recensitis Superiores,* si rectè officio suo fungantur, occurrere possunt. Igitur concludendum ex his videtur, propter bonum commune, pretia rerum venalium esse à ciuitate taxanda. Et ideo noster Megala *2. 2. lib. 2. c. 6. quest. 3. num. 89.* testatus est, quòd regulariter hodie in Italia victualia taxantur à lege. Hæc circa præsentem casum pro temporis angustia breuiter, & cursim collegi ad instantiam Vincentij Vanni Syndici huius vrbs.

Verùm post hæc scripta cursim, vt dicebam, legi doctissimum P. Thomam de Mercado, & quia Codex rarus est, ponam per extensum eius verba, sic enim *lib. 2. de contract. cap. 6.* asserit: [Los mismos Reyes taxan en Cortes algunas cosas, y comeren generalmente, à los Magistrados, specialmente las que son necessarias y mas se gastan pan, vino, carne pescado, fruta, paños, sedas, lienços, criados, casas, sin lasquales no se puede viuir ni passar. Porque sapiendo puntualmente, lo que valen, nadie puede agrauiar en ellas, ni ser agrauiado, en lo de mas, como brocados, telillas, joyas, y otras preseas no se requiere

tanto la tassa, porque ni son tan menester, ni se gastan tan en comun, ni à la Republica se le da mucho valgan caro, se puede tan claramente saber su valor; & paulò pòst addit: En ninguna manera conuiene dexar el precio en confuso à la voluntad à arbitrio de los mercaderes, porque cada vno es amigo de su interes, y subiran muy contra razon el precio, si en su mano se dexa assi que es justo; es muy necessario, que las que mas a la vida sirven y se gastan, se valuen por la Republica, las de mas se dexen al suceso del tiempo.] Ita ille.

Ex quibus elucescit magis veritas supradictorum. Limitanda tamen est nostra sententia tempore necessitatis, & penuriae. Nam propter penuriam aliquarum rerum venalium, vel quae extra Regnum in ciuitatem asportantur, vt venditores exponant, & asportent dictas merces venales, in tali casu deberet magistratus relinquere arbitrio vendentium pretium supradictarum mercium, nisi dicas cum Bobadilla *vbi supra, n. 65.* in tali casu, praesertim penuriae, deferendum esse pretium à Magistratu, & ego, ait ipse [siempre halle por buen remedio, y gouierno faltando provision de alguna cosa por culpa de los tiempos, y su malicia, ò dolo de los dueños, y vendedores, subir el precio della, porque luego cassà la falta, y se sigue en abundancia, conforme el refran, que dize Mercaderia cara de baxo del agua mana.] Ita ille, sed satis dictum sit circa praesentem quaestionem.

An qui habet in manu sex digitos coniunctos, vel diuisos, si non adsit impedimentum in vso membri, sit irregularis?

RESOL. LXI.

Respondeo negatiuè, dummodo non adsit magna deformitas. Ita Tabiena *ver. Corpore vicioso, n. 2.* Syluester *cod. ver. q. ast. 3. n. 4.* Auila *de censuris, part. 7. disp. 13. dub. 1. coroll. 3.* Henriquez *in summa lib. 14. c. 8. n. 3.* Filliucius *tom. 1. tract. 19. c. 6. n. 165.* Reginald. *tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 5. sect. 1. n. 46.* Campanili *in diuer. iur. can. rubric. 11. cap. 17. n. 113.* Bellettus *in disquis. cler. part. 1. §. 7. n. 33.* Sayrus *de cens. lib. 6. c. 8. n. 2.* Bonacina *de cens. disp. 7. quaest. 2. punct. 1. n. 11.* & alij communiter.

Dices, quando haec deformitas inducat irregularitatem, cuius arbitrio relinquendum est, Respondeo, Episcopi ex *cap. 2. de corpore vitiais, & ibi glossa cum Abbate, Butrio, & Cardinali, & ex neotericis docent Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. tract. de irregul. dub. 2. concl. 2.* Molina *de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 70. n. 5.* Suarez *de censuris, disp. 51. sect. 3. n. 16.* Nauarrus *c. 27. n. 200.* Menoch. *vol. 1. conf. 99. n. 30. & 31.* Seraphin. *decis. 625. n. 4.* & alij.

An verò in casu N de quo consultus fui, adsit magna deformitas, vt diximus, non est nostrum definire; sed si iudicium meum promere circa hoc adstrictus essem, responderem negatiuè, & ita intellexi à quodam Episcopo in simili casu fuisse decisum, & dispensatum. Adde quòd consulens ita abscondere potest in celebratione Missae hunc defectum, vt circumstantes illum difficulter videre possint, & solum si ministraret aliis sanctissimam Eucharistiam appareret, quam functionem consulens facile potest omittere, saluo semper, & c.

An Sacerdos accipiens stipendium pro dicenda Missa Spiritus sancti, B. Virginis, vel cum aliqua collecta; dicens postea Missam in illa die currentem, peccet mortaliter?

RESOL. LXII.

Saepe in praxi occurrere solet casus iste, & ad illud negatiuè respondet Petrus Nauarra *de restit. lib. 2. c. 2. n. 48.* vbi sic asserit: Petenti Missam de Spiritu sancto, de Defunctis, vel de alio sancto, vel vt Orationem de salute

vel de B. Virgine, & c. apponat, non tenetur Sacerdos ad quiescere, nisi ob speciale illum laborem non debitum, eleemosynam augeat, quod non solum probò ex eo, quòd vt Syluester *in ver. Missa, q. 8. dicto 5.* sentiunt & alij multi, nulla Missa est defuncto, vel cuiquam alteri salubrior, quam diei, sed etiam ex eo, quòd cum taxatur Missa labor, non cum iis circumstantiis, sed simpliciter taxatur. Vnde importunas has condiciones Sacerdos non tenetur admittere, nisi specialiter promitteret, tunc enim tenetur ex vi promissionis, & veracitatis sub veniali peccato implere, sicut aliam quamuis promissionem, quae non impetra non damnificaret proximum notabiliter. Licet Syluester *verb. Missa,* peccatum esse mortale contendat, cum dicat infideliter agere, & non satisfacere; quòd tunc verum duntaxat putarem, cum ad has condiciones, vel similes eleemosyna notabiliter augetur. Haec Nauarra, quae omnia notabiliter à Confessario sunt aduertenda, & addenda *resol. 31. tract. de celebrat. Missarum in 2. part. quidquid in contrarium asserant Fraxinellus de oblig. Sacerd. sect. 4. conclus. 4. §. 4. n. 6.* Rodriquez *tom. 2. c. 44. n. 9.* & alij.

An puella exposita in aliqua ciuitate possint consequi legatum relictum pro marito virginum illius ciuitatis?

RESOL. LXIII.

De hoc casu saepius interrogatus fui, & affirmatiuam sententiam docet Alphonsus de Lara *de animauer. lib. 1. c. 21. n. 78.* vbi sic asserit: Et si anniuersarium relictum pro virginibus maritandis requirat quòd puellae sint naturales loci, adhuc expositae consequentur dotem, cum praesumantur esse eius patriae, in qua expositae fuerunt. Bart. *l. 1. in fine. ff. ad mun. ip.* Ioan. de Platea *l. ciues, in fine, C. de incolis, lib. 10.* & alij. Ita Lara.

Sed mihi magis placet opinio negatiua, quam semper consului, & nunc inuenio illam docere Ioan. Mariam. Nouarium *in qq. forensib. part. 1. quaest. 201. n. 4.* quia ciues originarij debent alijs praeferrì, & ideo, vt notat Valenzuela *conf. 73. n. 52.* Augustin. Caputus *de regim. reipubl. c. 3. n. 52.* & alij, in electione officialiũ vniuersitatis originarij praeferruntur incolis, hinc etiam, vt obseruant Capi Blancus *de offic. Baronum tom. 1. prag. 10. n. 75.* & alij, ciuilitas ciuis originis praefertur ciuilitati ciuis domicilij.

Itaque ad casum propositum respondendum est, quòd quando ad consequendum legatum concurrìt ciuis originaria, & puella exposita, illa huic praeferrì debet; & opinionem affirmatiuam libenter admitto in casu, quo puella exposita non concurreret cum puella originaria; nam si non adsint puellae originariae, puto supradictum legatum obtineri posse ab aliqua puella exposita; nam dicitur ciuis illius ciuitatis, in qua exposita fuit, vt docet Angelus *in l. heres absens, §. si quis tuclam, ff. de iudiciis.* Boëtius *decis. 15. n. 41.* & alij.

An minor quatuordecim annorum possit praesentari ad beneficium patronatus?

RESOL. LXIV.

Affirmatiuam sententiam mordicus sustinet doctus Iurisconsultus Ioan. Maria Nouarius *in quaestionibus forensibus part. 1. q. 71. n. 5. & seq.* quia licet ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 23. c. 6. de reformat.* nullus ante decimum quartum annum beneficium potest obtinere, tamen beneficium iuris patronatus tunc venit appellatione beneficij, quando adest eius fauor, secus autem in non fauorabilibus, vt est in casu nostro.

His tamen non obstantibus contrariam sententiam tenent Viuianus *in praxi iuris patr. p. 2. lib. 6. c. 6. n. 7.* Squillante *de priuileg. clericorum. cap. 4. dub. 3. num. 62.* Riccius *part. 3. decis. 26. & part. 4. decis. 343.* Marius Antoninus *var.*

*var. resol. 112. cas. 51. & alij asserentes vidisse plures dispensatos super ætate ad beneficia simplicia, etiam iurispatriatus; quia Concilium loquitur absolute prohibendo ne assumatur ad beneficium minor quatuordecim annorum. Sed ad hoc respondet Nouarius *vbi supra*, vt visum est, & secundum sententiam Nouarij decidisse Rotam Romanam in vna Gerunden. beneficij, 12. Iunij 1579. coram Lancelloto, præter Nouarium testatur Garñas *de benef. tom. 2. part. 1. 7. c. 4. n. 10.* & habetur etiam hæc decisio in *nouiss. decis. 482. n. 3. in fine part. 1.* & ita etiam nouissimè hanc sententiam contra Riccium, & alios tenet idem Nouarius in *nouo iur. Pont. concl. 14. n. 7.**

Notandum tamen est hic obiter, non oportere esse expletum quatuordecimum annum ad obtinendum simplex beneficium, vt notant Henriq. *l. 10. c. 19. n. 2.* Galleti in *Margarita cas. consc. ver. beneficium, n. 4.* Valescus *tom. 1. alleg. 8.* Campanili in *diner. iuris can. rubr. 7. c. 6. n. 2.* Gonzales *reg. 8. cancell. gloss. 5. n. 90.* Azorius *par. 2. lib. 6. c. 5. q. 7.* & alij. Sufficit igitur annum 14. esse cæptum, quidquid in contrarium asserant Tuscius *concl. 338. n. 10. & 15. litera E,* & Mandosius *de ætate minorum c. 4. n. 5.*

An omnia vota, & iuramenta in votum solenne Religionis commutentur?

RESOL. LXV.

EX neotericis, noster P. Naldus, vir quidem doctus, in *summ. ver. votum, num. 50.* docet quod votum solenne Religionis non commutetur in votum dandi aliquid Terræ Sanctæ, & hanc sententiam docet etiam Syluester *ver. votum 4. q. 7. dicto 3.* & Angelus *ver. votum 4. n. 2.*

Verum ego absolute existimo, omnia vota personalia, realia, & mixta tam in sæculo, quam in nouitiu emissis extingui per solenne Religionis votum; & ideo existimo non solum votum peregrinationis Terræ Sanctæ commutari in professionis votum quoad peregrinationem, sed etiam contra Naldum, quoad id quod profitens vouit dare in subsidium dictæ Terræ Sanctæ, & ita docent Suarez *da Relig. tom. 3. l. 6. c. 14. n. 5.* Miranda in *man. Prælat. tom. 5. q. 25. art. 7.* & Sanchez in *summ. tom. 2. lib. 5. c. 5. n. 50.* Et ratio est, quia tale votum licet quoad expensas sit votum reale, per professionem vniuersa vota realia commutantur, vt tenent communiter Doctores, quos citat Sanchez *loc. cit. n. 43.* quidquid in contrarium asserant Paludanus in *4. dist. 38. q. 4. art. 1. concl. 5. & art. 2. n. 33. concl. 3.* D. Antoninus *part. 2. tit. 11. c. 2. §. 8. not. 2.* & Tabiena *ver. votum 4. in fine.* Ergo, &c. Nec valet dicere, quod illud votum est Pontifici referuatum, nam similiter est referuatum votum peregrinationis Hierosolymitanæ, & tamen commutatur, & extinguitur in professione, vt patet ex *cap. scriptura, de voto,* & asserunt communiter Doctores. Ergo, &c.

Notandum est etiam hic obiter, omnia supradicta procedere etiam in iuramentis siue personalibus, siue realibus soli Deo emissis, quia votis æquiparantur, & per ea ius tertij non acquiritur. Secus verò si iuramentum esset homini præstitum, & ab eo acceptatum, quia ratione iuris tertij acquisiti, in melius commutari non potest, ac proinde neque in Religionis professionem. Ita Sanchez *vbi supra n. 44. & tom. 1. lib. 3. c. 21. n. 3.* & alij.

An in hoc anno sequenti 1632. cum Vigilia sancti Matthiæ veniat in ultimo die Bacchanalium, possit Episcopus transferre tale ieiunium in Sabbathum præcedens.

RESOL. LXVI.

AD hunc casum ita respondet Layman in *Theol. mor. lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 9.* si ieiunium ab Ecclesia præceptum incidat in festum solenne, peculiariter in *Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.*

qua diœcesi, vel ciuitate celebrari solitum, potest auctoritate Episcopi ieiunium in alium, v. g. præcedentem diem transferri. Qua etiam ratione fortasse aliquis respondere poterit, si vigilia sancti Matthiæ incidat in feriam secundam, vel tertiam Quinquagesimæ, & iustam fore causam, vt Episcopus tale ieiunium in præcedens Sabbathum transferat, si animaduertat, homines eius loci ita comparatos, & ad intemperantiam iis diebus procliuus esse, vt plurimi (nisi dicta commutatio fiat) ieiunium violaturi, sint, etiam cum carniū esu non sine scandalo; siquidem ob specialem causam pro vna vice in lege vniuersalis ieiunij dispensare, aut commutare, ad Episcopum pertinere debet, cum eius officium sit spiritali subditorum saluti innigilare, scandala infirmorum tollere, &c. Sic Layman, & alij viri docti, quorum sententia forsitan alicui probabilis videbitur, non obstante quod sine esu carniū, esset violandum dictum ieiunium. Nam militat etiam ratio commutationis supradictæ, ad vitandum scilicet peccatum, licet fractio ieiunij cum esu carniū sit grauius peccatum.

An Episcopus consecrando chrisma, vel oleum, seu conferendo ordines minores in peccato mortali, peccet mortaliter?

RESOL. LXVII.

Affirmatiuam sententiam docet Didacus Nugnus in *3. part. tom. 1. q. 64. art. 6. diff. 2. concl. 3.* Ledesma in *summ. tom. 1. c. 6. de Sacram. in genere. dub. 10.* Ioan. Medina *C. de penit. tr. 1. q. 6. Cabrera de Sacram. q. 64. art. 6. disp. 1. §. 7. n. 60.* & Syluius in *3. part. q. 64. art. 6. queritur 1. conclus. 5.* quia consecrationes istæ per se pertinent ad potestatem ordinis Episcopalis, celebranturque in Ecclesia cum magna reuerentia.

Sed tu contrariam sententiam tanquam probabiliorē, tene, quam docet Fernandez de Heredia *disp. de Sacram. in genere, part. 10. dub. 3. n. 4.* Io. de la Cruz in *direct. conscient. part. 2. de Sacram. in genere, q. 4. dub. 3. conclus. 1.* Coninch *de Sacram. qu. 64. art. 6. dub. 1. n. 39.* Suarez in *3. part. tom. 3. disp. 16. sect. 3.* & Villalobos in *summ. tom. 1. tr. 4. diff. 14. num. 6.* vbi sic asserit: [El Obispo si bendixesse la chrisma, ò el olio, aunque estasse en pecado mortal, no pecara mortalmente, si no ay escandalo, ò menoscprecio, fino solo venialmente. Porque en edo no se ha como ministro de Dios para sanctificar almas, y ansi no es la cosa tan graue.] Vnde patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ.

Sed quæres, an Episcopus peccet mortaliter, si in peccato mortali conferat ordines minores. Affirmatiuè respondent Ledesma in *summ. tom. 1. c. 6. de Sacram. in genere, dub. 10.* vbi sic ait: [El Obispo que haze ordenes menores en pecado mortal, peca mortalmente, porque el Obispo esta consacrado con especial consacration, para aquel ministerio, y las ordenes menores esse Sacramento,] & hi sunt Layman in *Theol. mor. lib. 5. tract. 9. c. 4. n. 4.* Fabrus *de sacram. Ordinis in 4. sent. dist. 24. q. 1. disp. 1. c. 3. num. 64.* Villalobos in *summ. tom. 1. tract. 21. diff. 3. n. 2.* Filliucius *tom. 1. tract. 9. c. 1. n. 82.* Coninch *de Sacram. disp. 21. dub. 6. n. 47.* Valentia *tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 4.* Io. de la Cruz in *direct. consc. part. 2. de Sacram. Ordinis, dub. 1. concl. 3.* & alij penes ipsos.

Sed negatiuam sententiam docet Nugnus, Coninch, Suarez *vbi supra*, & Syluius *conclus. 3.* sic asserens: Exercere functiones minorum ordinum in mortali non est mortale, quia non ita sunt propinqui Sacramento altaris, vnde, & illorum officia sunt imperfecta in genere sacri ministerij. Ita ille. Quibus adde primam tonsuram, & quatuor ordines minores non esse Sacramento, secundum Vasquez in *3. part. tom. 3. disput. 237. cap. 2.* & alios penes ipsum, quorum opinionem probabilem vocant etiam DD. contrarij. Ergo Episcopus conferens ordines

ordines minores in peccato mortali, non peccabit mortaliter.

Notandum est hic obiter à fortiori contra Ioann. Medinam *C. de pœnit. tract. 1. qu. 6.* Episcopum consecrantem Ecclesiam in peccato mortali, non peccare mortaliter. Et ita docet Sylus *ubi supra in 3. part. q. 64. art. 6. queritur 1. concl. 6.* Filiucius *tom. 1. tract. 1. c. 6. n. 87.* Coninch *de Sacram. q. 64. art. ... dub. 1. num. 39.* & alij *ubi supra.* Idem dicendum est, si Episcopus sacramentalia, quæ non sunt actus ordinis, faceret in mortali, vt tonsurare, iurisdictionem fori exterioris exercere, virgines, vestes, & calices consecrare, & similia.

Quidam scrupulis angebatur, an habuerit intentionem implendi præceptum Missæ, & dicendi Horas canonicas; & ideo benignam aliquam opinionem impense à me postulabat.

RESOL. LXVIII.

DVbium huius consulentis oriebatur, quia sciebat, quod præter attentionem internam necesse esset etiam ad implendum præceptum dicendi Horas canonicas, & audiendi sacrum, intentio formalis, vel virtualis, qua quis vult dicta præcepta adimplere. Ita multi DD. Vide Nauarrum *in cap. quando, notab. 3. n. 27.* & Azorium *tom. 1. lib. 7. c. 2. quas. 6.* Sed ego puto præcepta solum obligare ad actum quem præcipiunt, vnde sufficit huiusmodi actum efficere, vt illa implentur, & non est necesse vt ipsum actum faciamus ex intentione formali, vel virtuali implendi præceptum. Et ideo si quis audiuit Missam ex deuotione, purans non esse diem festum, non tenetur postea aliam Missam audire, vt rectè docet Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. ... n. 9.* Valquez *in p. 2. q. 100. art. 9. in expositione litteræ n. 5.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. vlt. & alij.* Vel dicendum est, quod ad implendum præceptum, licet opus sit non solum vt faciamus actum humanum imperatum per illud, sed etiam vt faciamus illud, saltem ex intentione virtuali implendi illud, quam virtualem intentionem Suarez *tom. 3. disp. 88. sect. 3.* semper dari affirmat in ipso actu, quando illa per contrarium factum non excludatur. Quoties igitur quis non habet hanc voluntatem formalem, nolens implere, v.g. præceptum Missæ, vel Horarum canonicarum, censetur habere intentionem virtualem implendi illud per illum.

Et ita hanc sententiam docet etiam Fagundez *præc. 1. lib. 2. c. 7. n. 14.* vbi sic asserit: Iuxta doctrinam Suarij & Sancij respondendum est ad sedandos scrupulos Sacerdotum dubitantium, an habuerint intentionem requisitam ad consecrandam hostiam; nam iuxta fundamenta Suarij, eo ipso quod verba consecrationis dixerunt, & non habuerunt hunc actum, & hanc intentionem formalem, Nolo consecrare, virtualem habuerunt intentionem consecrandi, Iuxta fundamenta verò Sancij, illi solum tenentur, & præcipiuntur proferre verba consecrationis attentè & deuotè, non autem præcipiuntur vt proferant cum intentione aliqua actuali volendi consecrare, aut satisfaciendi præcepto obligandi ad consecrandum, & ideo irrationabiliter scrupulis excruciantur. Ita ille.

Vnde ex his patet, sufficere tantum audire Missam, & recitare Officium, non autem necesse est habere intentionem implendi huiusmodi præcepta, & dum quis non habet intentionem expressam non adimplendi præceptum, habet virtualem implendi. Repellatur igitur anxietates à scrupulosis, qui Domini iugum suauè, durum, & difficile reddunt. Imò ego puto, vt alibi etiam notauimus, satisfacere præcepto, qui vult Missam audire, vel recitare Officium cum voluntate expressa non adimplendi præceptum recitationis Officij, & audiendi Missam; nec opus esse mutare animum in tempore habili, & applicare pro adimplendo præcepto Missam illam auditam & Officium recitatum. Ita contra Aragonium *in 2. 2. q. 83. ar. 13.* Lessium

lib. 2. c. 37. dub. ... n. 59. Suarez *in 3. part. tom. 3. disput. 88. sect. 3.* Azorium *tom. 1. l. 7. c. 2. quas. 6.* & alios docet Sanchez, Valentia, & Valquez, quos citat & sequitur Fagundez *præc. 1. lib. 2. cap. 87. n. 14.*

An qui accedit ad audiendum sacrum dum præfatio dicitur, & non sit aliud, teneatur illud audire?

RESOL. LXIX.

Affirmatiuè respondeo cum Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 88. sect. 2.* & Sanch. *in summa, tom. 1. lib. 1. c. 19. n. 6.* quia ea quæ à consecratione vsque ad consumptionem continentur, sunt maximè necessaria, & per se primò intenta in præcepto audiendi Missam; nam in ipsis sacrificij substantia consistit, & sic aliqui censent non assistentem consecrationi peccare mortaliter, licet totam Missam audiat.

Sed contrariam sententiam docet Sancius *in selectis, disp. 15. n. 5.* vbi sic asserit: Probabile iudico accedentem ad audiendum sacrum tempore quo præfatio dicitur, & non extet aliud celebrandum, minimè teneri reliquiis illius Missæ interesse, quamuis oppositum doceant aliqui. Et à fortiori, qui tantum posset vsque ad consecrationis tempus interesse, non censetur adstrictus vsque ad illud assistere, cum in illa parte præceptum de audiendo sacro nequeat impleri, quoad substantiam, quod vtrumque constat ex usu fidelium, etiam timoratorum. Ita Sancius.

An pueri, tempore quo sunt capaces recipiendi sacramentum Pœnitentiæ, sint etiam capaces recipiendi Sacramentum Eucharistiæ?

RESOL. LXX.

Negatiuè respondet Valquez *in 3. part. tom. 3. disp. 214. n. 38.* Henriquez *lib. 8. c. 5.* Fagundez *part. 3. lib. 1. c. 5. n. 20 & 21.* Comitulus *in resp. lib. 1. q. 17.* Suarez *to. 4. disp. 36. sect. 2.* Nauarrus *in man. cap. 21. n. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 41. quas. 10.* Toletus *lib. 6. c. 15. n. 3.* Coninch *de Sacram. q. 80. art. 10. dub. 4. n. 102.* Filiucius *tom. 1. tr. 4. c. 7. n. 102.* Salas *de legib. disp. 14. sect. 13. n. 127.* Martinus Funes *in speculo morali par. 3. c. 2. n. 8.* Tannetus *in 3. part. D. Thomæ, disp. 5. q. 8. dub. 2. n. 11.* Zambranus *de castempore mortis c. 3. dub. 2. n. 7.* Villalobos *in sum. tom. 1. tr. 7. diff. 42. n. 6.* & aliis communiter asserentibus, prius aduenire pueris tempus obligationis præcepti confessionis, quam communionis; nam minor rationis usus, & discretio requiritur ad confitendum, quam ad communicandum. Et Conradus *in resp. part. 1. q. 54. in fin.* docet quod pueri non obligantur ad communionem vsque ad 12. annum.

Sed his non obstantibus, nouissimè Ioannes Sancius, vir quidem doctus, *in selectis, disp. 26. per totam,* mordicus contendit, & probat absolutè pueris ministrandam Eucharistiam, postquam ad annos discretionis peruenerint, neque distinguendum esse inter tempora confessionis, & communionis; nam vtriusque rei præceptum imponitur sine vlla distinctione *in cap. omnis vtriusque sexus, de pœn.* Nec minor discursus requiritur ad præceptum confessionis, quam communionis, imò si rectè perpendantur præcepta, maior ad confessionis quam communionis; quæ omnia per partes, & accurate probat, & pro hac sententia adducit Tabienam *verb. communicare, num. 3.* D. Antoninum *3. part. tit. 9. cap. 8. §. 2. & part. 3. tit. 14. cap. 12. §. 5.* & Paludanum, qui in rebus moralibus est instar omnium, *in 4. sent. dist. 12. quas. 1. num. 15.* vbi sic asserit: Et dicitur annus discretionis, non pubertatis, qui sunt anni nubiles in femina 12. & 14. in masculis, sed postquam est doli capax, cum scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de confessione, & per consequens de communionem, quæ simul dantur;

dantur; quia ex quo potest peccare, debet remedium confessionis, & communionis adhibere. Ita Paludanus, & D. Antoninus.

Ex quibus omnibus infert, secundum se loquendo, peccare parentes puerorum, & Confessarios non sineres illos communicare statim ac peccare norunt, cum causa sint transgressionis præcepti. Excusantur tamen à peccato, quia sequuntur opinionem contrariam, quam *suprà* retulimus. Notat tamen dictus Sancius, quòd etiam stando in sua opinione, pueri non communicantes in Paschate, nec excommunicatione, nec pœnis Canonicis ligantur vsque ad annum decimumquartum, & probat hoc ex multis Authoribus. Et hæc omnia Sancius multum conducentia ad tollendos scrupulos Confessariorum, si dedissent, vel dare vellent pueris communionem; in quo casu multos anxios, & indeterminatos cognoui, sed secundum Sanctium à perplexitate liberi erunt; nam statim ac notum erit eis pueros vsum rationis habere, poterunt illi sacram communionem exhibere.

Verum primam opinionem ego teneo, quam etiam ex neotericis tenet. Iac. Granado *in part. 2. contr. 7. tract. 3. part. 1. disp. 6. num. 37.* vbi docet præceptum annuæ communionis non obligare ante decennium, quia Doctores ita intellexerunt hoc præceptum. Sed his non obstantibus puto opinionem Sanctij esse probabilem, quam nouissimè tenet etiam doctus Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. num. 7.* lege illum & non pigebit.

Vtrum sit licitum coniugatis die habitæ copulæ Eucharistiam sumere, vel sit minus, vel magis expediens?

RESOL. LXXI.

Esse coniugibus consulendum post habitam copulam nocte saltem antecedente non recipere Eucharistiam docent 20. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 9. disp. 13. n. 4. & 5.* quibus ego addo Salazar, insignem Theologum Societatis *in tract. de freq. commun. cap. 9. §. 1. & seq.* & non pauci asserunt esse peccatum veniale accedere ad Eucharistiam suscipiendam ipso die habitæ copulæ.

Non reticeam tamen contrariam sententiam docere Sancium *in suis selectis, disp. 23.* per totam, vbi ait primò, etsi consulendum sit coniugatis à copula abstinere, vt Eucharistiam suscipiant, dato tamen quòd à copula non abstinerint, non est illis consulendum, quòd non communicent, sed potius è contra, quia ex communione maxima bona nascuntur. Et hoc procedit, etiam si coniugati copulam habuissent, causa voluptatis, non enim sunt dissuadendi à communione, quamuis melius egissent si à copula abstinuissent, nec ex hoc datur illis occasio à copula non abstinendi, nam semper consulendum est ab illa abstinere ob reuerentiam Sacramenti. Secundò docet quòd habenti pollutionem nocturnam, non est consulendum abstinere ab Eucharistia suscipienda, præsertim si causa non fuisset voluntaria, imò etiam si fuisset voluntaria, vel fornicationem aliquis noctu commisisset, & ab ea confiteretur vero dolore sui criminis pœnitendo, consultius ager communicando, quàm non, cum ex communione gratiæ sacramentalis, auxilia ad præcauenda peccata, remissionem venialium, & alia nobis occulta bona comparet ille, ex abstinentia verò solum meritum reuerentiæ. Tertio infert Sancius inualidum esse votum de non communicando die habitæ copulæ, quia est de minori bono. Quarto sanum consilium esse distractionem mentis expellere curare ad deuotiùs sacram Eucharistiam suscipiendam; at supposito quòd quis nolit curare distractionem expellere, non est sanum consilium non communicare, quia tunc gratia sacramentali, & aliis fructibus

Anton. Diana Ref. Mor. Pars III.

privaretur, & aliàs distractiones perseuerarent, & quia cum illa communicare non est peccatum, nec veniale irreligiositatis. Ex his omnibus apparet, quòd siue coniuges petierint, siue reddiderint debitum, consultius agent communicando quàm abstinendo, supposito, quòd à copula non se retraxerunt; quamuis melius egissent si à copula abstinuissent in ordine ad suscipiendam Eucharistiam. Et hæc omnia asserit Sancius *vbi supra*, sed an probabiliter, remittome iudicio aliorum, ego enim primam sententiam sequor.

An contemptus formalis in re leui sit solum peccatum veniale?

RESOL. LXXII.

Negatiuam sententiam docet Suarez *de legib. lib. 3. cap. 28. num. 24.* & alij, quia esse rem leuem, quæ tibi imperata est, non obstat quo minus tibi imperetur ex eadem potestate, qua imperatur res grauis; ergo si ex contemptu huius potestatis præceptum leue violas, ita grauius peccas, ac si violares præceptum graue. Dicendum est igitur, quòd contemptus legislatoris humani, quatenus legislator est, seu violatio cuiuscunque legis, præcepti, & consilij ipsius, ex tali contemptu semper reputato peccatum mortale est, non solum in graui materia, sed etiam in leui.

At his non obstantibus ego contrariam sententiam teneo, quam etiam tenet Caietanus *in summa. ver. contemptus. ver. aduerte hunc.* Armilla *eodem verb. n. 3.* Medina *in pr. 2. quest. 88. art. 4. in fine.* Valentia *tom. 2. disp. 7. qu. 5. punct. 6. in 1. casu, & tom. 3. disp. 7. quest. 3. punct. 3.* consentit Leonardus Lessius *lib. 2. cap. 46. dub. 6. n. 45. & 46.* loquens expressè non solum de legislatore humano, sed etiam diuino, & affirmans, si nolis illis parere in rebus minimis, vt ostendas eorum minima præcepta te parui facere, non esse mortale, quod de legislatore diuino negat & optimè Sanchez *in summa. tom. 1. lib. 5. c. 5. n. 11. & 13. in fine.* Ratio verò nostræ opinionis est, quia potes contemnere legislatorem, cuiusque præcepta non absolutè, sed quatenus sunt in materia leui, v. g. in silentio seruando; ergo tunc contemptus non videtur grauis, sed leuis. Dicendum est igitur dari posse peccatum veniale contemptus, sicut & inobedientiæ formalis, si præceptum superioris contempnas non absolutè, sed quatenus est in materia leui.

Hinc à fortiori colligitur, si superior contempnatur, non quatenus superior est, sed quatenus est infimæ fortis, indoctus, imprudens, & ex huiusmodi contemptu nolis ei obedire in re leui, non erit peccatum mortale, quia tunc non contempnitur formaliter eius potestas, sed eius persona ob defectus, quos habet. Item si ex indignatione leui, & prauo aliquo affectu erga superiorem, nolis ei obedire in re leui, non est mortalis talis inobediencia. Ita Lessius *num. 46.* Sanchez *num. 13.* vide etiam Sancium *in selectis, disp. 7. num. 15.*

An delectatio coniugis cum femina aliena habeat non solum malitiam contra castitatem, sed etiam contra iustitiam?

RESOL. LXXIII.

Affirmatiuè respondent communiter, vide Bonaciam *de matrim. qu. 4. punct. 8. n. 19.* Et ratio est, quia coniux per matrimonium non solum corpus, sed etiam affectus alteri coniugi obligauit. Ergo si in alteram feminam à sua coniuge inclinatur, iniuriam illi irrogat.

Sed hæc ratio non caret difficultate, vt docet Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 10. §. 45. num. 4.* supposita eius sententia affirmante delectationem non accipere malitiam omnem obiecti, sed quatenus ab intellectu voluntati representatur. Cum autem

à circumstantia coniugis possit intellectus præcindere, & seipsum quasi solutum considerare, non videtur circumstantiam coniugij posse malitiam tali delectationi tribuere. Quòd autem per coniugium non se coniuges obligauerint ab his delectationibus abstinere, sicuti obligant uouentes castitatem, inde probatur, quia hæc delectationes sunt per se incognitæ alteri coniugi. Ergo non potest ratione illarum iniuriam pati, neque ob illas priuari copula sibi debita. Ergo non sunt contra iustitiam, sed solum contra temperantiam, quod dubitando dictum sit. Hæc omnia Castrus, sed tu ne discedas a prima sententia affirmatiua.

Verum, ut alibi diximus, & nunc iterum doceo cum dicto Castro Palao *vbi supra tract. 2. disput. 2. punct. 10. §. 2. num. 17.* licitum est coniugibus delectari de copula maritali habita, vel habenda, ac si præfens esset, modò absit periculum pollutionis, quia hæc delectatio coniugibus est licita, eo quòd principium, & dispositio sit copulæ coniugalis, quæ illis licita est, neque redditur mortalis, etiam si inde confurgat membri pudendi alteratio, & commotio absque pollutionis periculo, quia hæc omnia ad copulam maritalem de se ordinantur, si tamen propter eorum delectationem appetantur, erit culpa venialis, quia extrahitur à suo fine. Quod verò Salas affirmat *in part. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 30. n. 205.* mortale esse, si coniuges delectentur de copula maritali imaginaria, & ficta, non probatur, quia parum refert copulam esse fictam, vel veram, si delectatio absolutè illis prohibita non est, & non fertur ad obiectum formaliter malum. Ita Castrus *loco citato*, cui adde Coninch *de Sacrament. disput. 34. dub. 11. num. 13.* Valquez *in p. 2. disp. 113. cap. 2.* Layman, Sanchez, & alios, quos *supra* in duobus locis aduersus quemdam Theologastrum citauimus.

Nota tamen non esse licitum coniugibus ligatis voto castitatis delectari de copula legitime habita, vel habenda, quia licet obiectum bonum sit; at delectatio bona non est, quia aduersatur voto castitatis, quòd prohibet omnem delectationem sensibilem veneream. Ita Basilus Pontius *de matrim. lib. 10. ap. 16. §. 2. num. 12.* Sanchez, Valquez, & alij, quæ opinio procedit aduersus aliquos penes Coninch *de Sacrament. vbi supra, num. 109.* etiam si coniux emiserit votum castitatis absque consensu alterius coniugij, ratione cuius non deobligatur à debiti redditione. Ita Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 14. num. 106.* Valquez *disp. 115. c. 2. & alij.*

An verba imperatiui modi præceptum contineant?

RESOL. LXXIV.

Prima opinio negat supradicta verba imperatiua, ut v.g. facite, caute, soluite, abstineant omnes, nemo audeat, &c. præceptum continere. Ita Castrus *de lege pæn. lib. 1. ap. 5. docum. 4.* Caietanus *in 2. 2. quæst. 166. art. 4. circa solut. ad 2.* Carbo *de leg. lib. 7. disp. 4. ad finem, & alij.*

Secunda opinio putat dicta verba solum importare obligationem sub veniali, non autem sub mortali. Ita Nauarrus *in man. c. 23. n. 49.* Emanuel Sà *ver. lex, n. 6.* Sayrus *in Clau. Regia, lib. 3. cap. 7. num. 16. & alij.*

Tertia opinio docet standum in hac parte consuetudini Religionis, quòd si de hac consuetudine non constat, attendendam esse materiæ grauitatem, & necessitatem, quæ si magna sit, & grauitè à legislatore fuerit ponderata, illa verba censenda sunt præceptiua, ut ferè semper accipienda sunt in decretis Pontificum, & Conciliorum, ut patet in Concil. Trident. *sess. 13. cap. 5. & 7.* vbi per verba imperatiua imponitur præceptum Sacerdotibus confitenti quamprimum, si celebrauerint, non præmissa confessione, ob inopiam Confessoris. Item in decreto Clement. VIII. de caluum reservatione latum est præceptum per verba imperatiua, ne Superiores pro tempore existentes vtantur scientia confessionis

ad externam gubernationem, Ita Sanchez *in summa tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 39.* Valquez *in p. 2. disput. 158. capit. 2. num. 24. & alij.*

Notandum est tamen hinc obiter Azorium *tom. 1. lib. 5. cap. 6. quæst. 5. & Sà ver. lex num. 6.* docere verbum iubeo, vel mando præceptum graue non importare; sed contrarium tenet Valquez *loco citato cap. 3. n. 22.* Sanchez *n. 33.* ut alibi notauimus. Verum de verbo oportet certum est, importare.

Notandum est etiam, quoties verba legis intelligi possunt de obligatione veniali, non debent ad mortale extendi, quia semper in pænis benignior interpretatio facienda est, ut patet in *l. interpretatioue, & l. si Praeses, ff. de pænis*, & notat Sayrus *in clau. Regia lib. 3. cap. 7. num. 29. & alij.*

Quis in quadam platea ciuitatis audiuit quoddam bannum, seu edictum, queritur an teneatur illud obseruare, antequam publicetur in aliis plateis, & in tota ciuitate diffundatur?

RESOL. LXXV.

Hic casus frequenter solet accidere, & de illo olim interrogatus fui, & respondi negatiuè, & ita inuenio nouissime respondere Castrum Palaum *in opere moral. tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 11. n. 7.* vbi sic ait. Promulgatur Matrili aliqua lex pro toto Castellæ Regno, eius publicatio, quæ in foro fit, non potest simul & eadem hora per totum Regnum diffundi, imò neque per totam ciuitatem, ut de se constat; quousque igitur elaboratur tempus, ut per totam ciuitatem diffundi possit, neminem illius ciuitatis arctat, etiam si publicationi præfens extiterit. Probo, quia lex prius arctat communitatem, quam singulos illius, singuli enim communitatis in tantum arctantur lege, in quantum partes sunt communitatis lege obligata; hæc enim est vna ex differentiis legis à præcepto, quòd præceptum respicit singulos, quia in bonum ipsorum ordinatum est; lex verò communitatem, quia in ipsius bonum primò, & per se ordinata est. Sed ad maioris partis ciuitatis notitiam non potuit lex deuenire in eodem puncto, & momento, quo in foro publicatur. Ergo singuli illius ciuitatis non arctantur, quousque tota ciuitas arctetur. Ita ille, & ego: vide etiam Suarez *de legib. lib. 3. cap. 17. à n. 5.* vbi num. 14. rectè etiam asserit, quòd si legis publicatio in notitiam absentis deueniat miraculose, cum tamen humano modo venire fuerit impossibile, nullo modo obligare ad illius obseruationem, quia respectu illius lex non est publicata; licet contrarium asserat Salas *de legib. disp. 1. 2. sect. 9. n. 34.*

An excommunicatio ferenda obliget ad peccatum mortale?

RESOL. LXXVI.

Alibi pro parte negativa adduxi Valentiam *tom. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 7.* cui nunc addo Sotum *lect. 3. de excommunicatione, §. primò igitur.* Driedonem *lib. 2. de libertate Christiana cap. 1. paulò ante 3. propositionem*, quos citat, & sequitur ex Societate Iesu Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 15. num. 3.* vbi ita asserit. Si excommunicatio ferenda est, tunc plures Doctores affirmant esse signum sufficiens transgressionis sub mortali. Et quidem si excommunicatio sine vlla alia monitione, & contumacia posset inferri, censo certissimum. At quia existimo, cum censura annexa non est peccato, indigere semper alia monitione, ut imponatur, ea de causa non est sufficiens signum mortalis obligationis Ita Castrus.

Sed tu ne recedas à sententia existimante excommunicationem ferendam, esse signum mortalis obligationis

tionis, quam sententiam Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. c. 4. n. 51. & seq.* temperat, nisi ad terrorem excommunicatio exposita sit, & non animo statim illam, sine vlla monitione, inferendi; & ita passim fieri à iudicibus Ecclesiasticis credit: quæ omnia multum plausibilia erunt Confessariis ad multos scrupulos tollendos.

Nota verò quòd suspensio, interdictum, & irregularitas pœnalis, si absolute non proferantur, sed ferendæ sint, non sunt signum obligationis sub mortali. Et ita tenet Castrus Palaus *ubi supra*, qui citat Salas *de legib. disp. 10. sect. 9. num. 54. & 62.* Valquez, Suarez, Sanchez, Azorium, & alios; licet Nauarr. contrarium doceat *in man. cap. 2. 3. num. 53.* eo quòd suspensio, interdictum, & irregularitas imponantur aliquando extra culpam.

An qui audit Missam animo non satisfaciendi voto vel iuramento, satisfaciat voto; ubi plura de intentione satisfaciendi præcepto?

RESOL. LXXVII.

Negatiuè respondet Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. de bonis Canoniciis, c. 26. num. 8.* ubi probat, quòd si audias Missam voluntate non satisfaciendi voto, ad quòd teneris, sed intendas aliam Missam audire vt voto satisfacias, tacitè te prorogare votum, vel nouum votum facere, quia cùm obligatio voti à te dependeat, potes prohibito illam tibi de nouo imponere.

Sed ego contrariam sententiam teneo cum Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 1. 3. num. 18.* Dico igitur te integre satisfacere voto, licet habeas intentionem alia Missa satisfaciendi, quia verè præstas illud, quòd vouisti; neque cùm illam voluntatem habeas minimè satisfaciendi voto per illam Missam, intendis de nouo vouere, etsi possis, sed solum intendis priori voto per aliam Missam à te audiendam satisfacere. Ergo si iam satisfecisti, nihil resta tibi satisfaciendum.

Notandum tamen hîc obiter, necessarium non esse habere voluntatem expressam satisfaciendi præcepto nam si ex ignorantia præcepti rem præceptam exequaris, præcepto satisfacias, taliter quòd deobligatus remaneas ad aliud faciendum. Ita Valquez *in part. 2. quest. 100. art. 9. num. 5.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quest. 2. punct. ult.* Henriquez *lib. 9. cap. 2. 5. num. 6.* Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 88. sect. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 2. q. 6.* & alij. Imò aliqui plus addunt, non solum si ignarus præcepti rem præceptam exequaris, sed animo expresse non satisfaciendi præcepto per talem rem, adhuc tamen satisfaceres præcepto. Ita ego alibi, & Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 10. num. 59.* Valentia, Valquez & alij.

Hinc inferitur contra Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 1. 3. num. 3.* & Bonacinam *disp. 1. quest. 1. punct. 10. n. 4.* accedentem ad Ecclesiam animo meditando res diuinas, si sacerdos interim adeat ad altare ad celebrandam Missam, satisfacere præcepto audiendi Missam, licet cùm primùm accessit ad Ecclesiam, non habuerit animum audiendi sacrum. Ita Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 17. num. 7.*

Verùm supradicta non procedunt in obligationibus iustitiæ, in quibus sine cognitione obligationis exequi rem præceptam non potes, quia res præcepta est solutio, non donatio; solutio autem necessariò inuoluit cognitionem obligationis, & voluntatem satisfaciendi, quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac proinde debitum non extinguit; quæ sententia limitatur, quando in genere voluisti, vt si casu aliquam obligationem habeas restituendi, eleemosynæ à te faciendæ loco illius subrogentur, nam tunc illæ eleemosynæ non propriè eleemosynæ, & donationes liberales sunt, sed solutiones debiti, cùm ex voluntate satisfaciendi debito procedant, quòd est valde notandum. Vide Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 1. 5. num. 11.* & alios.

An delinquentes extra territorium possint ligari lege, & statuto?

RESOL. LXXVIII.

Negatiuam sententiam alibi docui, & communiter docent Doctores ex *cap. vt animarum, de constit. in 6.* verùm in gratiam curiosorum non desinam hîc apponere sententiam affirmatiuam Ferdinandi de Castro Palao *in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 5. num. 21.* ubi ex pluribus rationibus probat esse satis probabile, posse ligari lege, & statuto delinquentes in alieno territorio, atque adeò posse sub excommunicatione ipso facto incurrenda, prohiberi subditis, vbicunque existant, furtum, homicidium, adulterium, & quamlibet aliam actionem prohibitionem dignam, lege illum, & non pigebit: vide etiam Salas *de legib. disp. 14. sect. 7. num. 90.* & Basilium Pontium *de matrim. lib. 5. cap. 7. §. 2. num. 19.* ubi asserit se nullam differentiam inuenire in excommunicatione lata per sententiam, vel per modum statuti, sed delinquentes extra territorium per sententiam, & generale præceptum subduntur, v. g. excommunicationibus, vt tradit Suarez *in 3. part. tom. 5. disp. 5. sect. 5.* Bonacina *de cens. disp. 1. q. 1. punct. 11. n. 11.* & alij communiter. Ergo subduntur etiam per legem, & statutum, cæteras rationes videbis apud Castrum loco citato.

Notandum ex tamen hîc obiter, te non contrahere censuram homicidio, & stupro impositam, si existens in tuo territorio, occideres existentem in alieno, vel si decepisti in territorio virginem, & extraxisti à territorio, & in alieno violasti; quia censura non est imposita ob inchoationem delicti, sed ob eius consummationem, at consummatio est extra territorium; ergo, & c. Et ita contra Vgolinum *de cens. tab. 1. cap. 9. §. 3. in fine*, docet Suarez *de cens. tom. 5. disp. 5. sect. 4. num. 8 & 9.* & *de legib. lib. 3. cap. 2. num. 5. & 6.* Salas *de legib. disp. 14. sect. 5. num. 71.* & alij.

An pœnas exilij, carceris diuturni, & c. teneatur quis exequi?

RESOL. LXXIX.

Quo ad pœnam verberationis, exilij, carceris diuturni, communis sententia docet reum teneri pœnam exequi, si ad executionem condemnetur sententia vltima, quam appellatione, vel alio remedio iuris non potest infirmare. Ita D. Thomas *in 2. 2. quest. 62. art. 3.* Tiraquellus *in l. unquam, C. de reuocandis donat. ver. reuertatur, n. 291.* Salas *de legib. disp. 15. sect. 2. n. 32.* Sayrus *in clauis Regia, lib. 3. cap. 9. num. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 8. q. 6.* & alij.

Verùm Castrus Palaus *in opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 4. num. 5.* censet hanc sententiam communem temperandam esse; quare si carcer sit durus, & tristis, non videris obligatus ibi persistere, & à fortiori si ibi malè tracteris, & idem censet si condemneris ad exilium terræ infalubris, & longo tempore ad triremes, & ad quamlibet aliam actionem de se nimis molestam; præcepta enim humana, humana debet esse, at inhumanum videtur si obligeris, vt in pœna adeò molesta ipse sis minister iudicis contra te ipsum; ergo dicendum est te non posse ad hoc obligari. Adde quòd his omnibus condemnatis præcipitur obedire sententiæ sub comminatione grauioris pœnæ; ergo signum est solo timore pœnæ velle iudicem te astringere, vt obtemperes; quare si in aliquo casu lex pœnalis censenda est ad solam pœnā obligare, hîc debet esse, cum præcipiatur res difficilis, & ardua. Ita Castrus *ubi supra*, vide etiam Lessium *lib. 1. cap. 31. dub. 5. num. 39.* Salas *de legib. disp. 15. sect. 7. n. 88.* Suarez *de legib. lib. 5. c. 10. n. 16.*

Notandum est hîc obiter contra Bonacinam *disp. 2. de restit. quest. ult. punct. 5. n. 3.* Aragonium *in 2. 2. quest. 69.*

art. 4. Emanuelem. Sà *ver. iudicialis actus*, num. 54. & alios non posse reum obligari sumere venenum, vel abstinere à cibo oblato. Ita Valquez *in p. 2. disp. 173. c. 3.* Salas *loco cit. n. 82. & 85.* Suarez *n. 14.* Lessius *lib. 2. c. 9. dub. 6. n. 26.* & alij. Tenetur tamen reus condemnatus ad locum destinatum proficisci, collum præparare, manus apponere, & alias actiones efficere, quæ ab alio ministro iustitiæ commodè fieri non possunt; sed non tenetur ipse sibi mortem inferre. Ita DD. citati, quibus adde Sotum *de iustitia, lib. 1. q. 3. art. 6. concl. 2.*

An oua, & lacticia sint prohibita in ieiunio quadragesimali de iure positio sub peccato mortali?

RESOL. LXXX.

Negatiuè respondet Fagundez *in prac. 4. Ecclesia, lib. 1. cap. 2. n. 12.* asserit enim quòd ex vi iuris communis, & seclusa quacunque consuetudine alicuius loci, aut prouinciæ non esset plusquam veniale oua, & lacticia edere in ieiuniis Quadragesimæ. Idem docet Palatius *in annotat. ad summam, Casetani, ver. ieiunium.* Dominicus *in cap. denique, in compendio. & num. 5.* cum aliis. Et hanc opinionem probabilem esse putant Doctores Academiæ Conimbricensis, Eborensis, Salmanticensis, & Complutensis, quos nominatim nouissimè citat Fagundez *in sua Apologia, cap. 3.* qui rationes multas etiam adducit ad probabilitatem huius opinionis firmandam.

Verùm ego contrariam sententiam teneo, quam tenet Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 53.* Sancius *in selectis disp. 51. num. 27.* Toletus *lib. 6. cap. 3. num. 2. & 3.* Nauarrus *cap. 21. num. 22.* Rodriquez *in explicat. Bulla, §. 6. num. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 10. quest. 1.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 8.* Beia *in respons. part. 1. cas. 47.* Lopez *in instruct. part. 2. cap. 2. 12.* Bonacina *tom. 2. disp. ult. qu. 1. punct. 2. num. 2.* Villalobos *tom. 2. tract. 2. 3. diff. 8. num. 1.* & alij; & ratio est, quia ita communiter exponunt DD. textum *c. denique dist. 4.*

Quo ad consuetudinem verò displicet mihi id quod asserit Pater Fagundez *ubi supra, nu. 11.* difficillimum esse scire, vbi illa obliget ad non comedenda oua, & lacticia in diebus Quadragesimæ, nam vt asserit Suarez *de legib. lib. 7. cap. 15. num. 13.* & Ferdinandus de Castro Palao *in opere marali, tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. nu. 13.* ex tribus coniecturis deduci potest consuetudinem obligare. Prima, si consuetudo sit grauis, difficilis, & communiter seruata à populo, quia non solet populus vniuersimode conuenire in his actibus, nisi quando se obligatum sentit. Secunda, si viri timorati malè sentiant de his, qui non seruant consuetudinem, vel communiter populus scandalizatur. Tertia, si Prælati, & Superiores puniant violantes consuetudinem. Sed omnes hæc coniecturæ adfunt ferè in omnibus mundi partibus, circa consuetudinem non comedendi oua, & lacticia tempore Quadragesimæ; ergo clarè, & faciliter apparet dictam consuetudinem abstinendi ab ouis, & lacticiis in dicto tempore obligare sub peccato mortali; vnde pro praxi certum est comedentes oua, & lacticia tempore Quadragesimæ peccare mortaliter, si non ex iure positio, vt ego teneo, saltem ex consuetudine.

Notandum est etiam hic obiter primò, Confessarios non debere scrupulos iniicere pœnitentibus, comedentibus tempore Quadragesimæ, cum Bulla Cruciatæ, oua quæ intra gallinas inveniuntur, vulgò dicta *oui annunnari*, quia sunt eiusdem speciei, & generantur ex eadem materia, qua generantur oua perfecta, quæ pariunt gallinas; ergo si licitum est hæc comedere, licitum erit & illa.

Notandum secundò contra Grassium *in decis. tom. 1. lib. 2. cap. 36. num. 10.* Alexandrum *in cap. denique, dist. 4. num. 16.* Dominicum *in cap. rogationes, de consecr. dist. 3. Assensem part. 2. tit. 28. art. 3. quest. 5.* Richardum *in 4.*

dist. 15. art. 3. quest. 5. Tabienam *ver. ieiunium, n. 3.* & alios, oua, & lacticia non esse prohibita in ieiuniis extra Quadragesimam, & in diebus Veneris & Sabbathi de iure communi. Et ita docet D. Thom. *in 2. 2. q. 147. ar. 8. ad 3.* Lessius *lib. 4. c. 2. dub. 2. n. 8.* Azor, *tom. 1. lib. 7. cap. 10. q. 1.* Paludan. *in 4. dist. 15. q. 4. art. 4.* Sancius *in selectis, disp. 51. n. 18.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. c. 11. n. 52.* Sà *ver. ieiunium, nu. 8.* Villalob. *in summa, tom. 2. tr. 23. diff. 2. n. 7.* Valquez *in part. 2. tom. 1. disp. 177. cap. 6. n. 54.* & alij.

Notandum tertio contra Llamas *in 3. part. methodi, c. 5. §. 6. in fine.* Antonium Gomez *in explicat. Bull. Cruciatæ, clausula 7. n. 7.* & alios, oua, & lacticia comedere in diebus Dominicis Quadragesimæ esse peccatum mortale. Ita Henriquez *lib. 7. c. 13. n. 10.* Vega *in summa, tom. 1. c. 14. cas. 26.* Villalobos *in summa, tom. 2. tr. 23. diff. 8. n. 1.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. c. 11. num. 53.* Sancius *in selectis, disp. 51. n. 25.* Rodriquez *in explicat. Bulla Cruciatæ, §. 6. n. 7.* & alij.

Ad quid teneatur si quis corruperit virginem, decipiendo illam sub promissione coniugij?

RESOL. LXXXI.

Hic casus frequenter solet accidere, & respondeo, quòd si promisit coniugium, & ea spe, & conditione vlturam corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiam si fictè promississet. In multis tamen casibus nõ tenetur ducere. Primò non solum si ipse longè sit nobilior, sed etiã si sit multò longè opulentior, & puella id sciuerit, & secundum aliquos etiam si non sciuerit. Nam in his casibus facilè suspicari potest, virum simulacè coniugium promittere, vt ea fruatur. Secundò si ex alijs coniecturis facilè deprehendi poterat ipsum non sincere agere, vt verbis ambiguis vti, inconstanter loqui, nimis vti exaggerationibus, &c. Tertio si aliquod impedimentum legitimum interuenerit, vt si fiat eius affinis, si ducat aliam per verba de præseti, si sacros Ordines suscipiat, si graue aliquod damnum, vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur. Quarto si illam contingat postea cum alio fornicari, & in hoc casu non tenetur illi alter satisfacere. Quintò si asserenti se virginem promisit nuptias vt ea potiretur, & postea deprehendat non esse virginem. Sextò si putabat esse virginem, & in coitu deprehendat reuera non fuisse, quamuis ex eius verbis deceptus non fuerit, & in hoc casu non solum non tenetur ducere, sed etiam probabilissimum est, quòd neque tenebitur pecunia compensare, quia ex vi promissionis solum obligatur ad eam ducendam, quæ obligatio cessat, eo quòd deprehendat non esse virginem; si verò sciebat nõ esse virginem, & promisit ei matrimonium fictè ad obtinendam copulam, ea secuta tenebitur illam ducere, si ipsa velit; mihi verò placet contraria sententia, si non timetur infamia, quare sufficet compensare pecunia. Et hæc omnia cum suis rationibus inuenies apud Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. dispur. 10.* & Lessium *lib. 2. cap. 10. dub. 3. per totam.*

Quando casus dubius egeat dispensatione & an Episcopus possit dispensare in lege Pontificia quando dubium est, an casus egeat dispensatione?

RESOL. LXXXII.

Hic casus frequenter potest accidere, & quidem si dubium sit positium, non excludens probabilitatem, potest dispensandus absque dispensatione operari; nam sequitur opinionem probabilem. Ita Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 35. num. 18.* difficultas verò est, quando dubium est negatiuum, & iudicium, affirmare quis non potest dispensationem superuacaneam esse; &

& quidem in hoc casu Bonacina *de legib. disp. 1. quest. 1. punct. 1. num. 18.* putat dispensationem petendam esse à Pontifice.

Sed Castrus Palaus *in opere morali, tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 5. num. 10.* existimat, quòd si æquè dubium sit, an casus indigeat, vel non indigeat dispensatione, reputandum esse non indigere, quia tunc est præsumptio pro libertate; si verò inclines te dispensatione indigere, adhuc existimat te reputari posse non indigere illa; quia non debes censi aliquo præcepto seu lege obligatus, si de lege moraliter certò non constet. Sed dato, & concesso, quòd in tali dubio necessaria sit ad rectè operandum, dispensatio Episcopalis sufficit; quia Pontifici non videtur reseruat casus dubius, & potestas dispensandi latè est interpretanda. Ita Barbosa *ubi supra, numer. 19.* Emanuel Sà *ver. dispensat. num. 1.* & hanc sententiam probabilem esse docet Salas *de legib. disp. 10. sect. 3. n. 28.* & loquens de voto reseruat docet Suarez *de Relig. to 2. lib. 6. cap. 26. n. 6.* & Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 4. c. 49. num. 26.*

Notandum est hìc obiter, vt *suprà* etiam cursim adnotauimus, aliquos docere, Prælatum inferiorem posse dispensare in legibus Superioris, si ei interdictum non est. Ita D. Antoninus *part. 1. tit. 17. §. 20.* Sotus *in 4. dist. 27. quest. 1. art. 4. §. at quo tandem.* Couarruias *in cap. alma mater, part. 1. §. 7. num. 8.* & alij. Et hanc sententiam probabilem esse putat Bonacina *de legib. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 27.* & alij, & faciunt pro hac sententia Sanchez *de mat. tom. 1. lib. 1. disp. 61. n. 3.* & DD. quos citat Barbosa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 1. §. 3. n. 17.* asserentes Episcopum in sua diocesi posse quidquid potest Papa in tota Ecclesia, nisi à Pontifice prohibeatur.

Verùm ego contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quam tuetur Gutierrez *in 99. can. lib. 1. cap. 5. num. 10.* Suarez *de legib. lib. 6. cap. 14. num. 4.* Basilius Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 6. num. 1.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 3. n. 20.* Barbosa, & Bonacina *ubi supra*, & colligitur ex cap. *cum inferior, de maior. & obedi. & ex Clem. Ne Romani, de elect.* vbi cauetur inferiorem non posse superioris iura mutare. Adde quòd plures sunt irregularitates, & inhabilitates à iure statutæ, in quibus nequeunt Episcopi ex proprio munere dispensare, etiam si non inueniantur prohibita.

An sit licitum contrahere matrimonium cum impedimento dirimente ex timore mortis, vel alterius grauis damni, & quid de multis aliis casibus?

R E S O L. LXXXIII.

Respondeo affirmatiuè, quia Ecclesia non obligat cum tanto rigore, & in tali casu matrimonium esset nullum, & ita tenet Suarez *de legibus, lib. 3. cap. 30. n. 13.* Vnde ex his obiter colligitur. Primò cum Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. c. 19. n. 8.* ex timore mortis posse aliquem excommunicare absque potestate, licèt Suarez *de cens. disp. 6. sect. 3. n. 8.* contrarium asserat. Secundò cum vitæ discrimine quis non tenetur Eucharistiam, vel Baptismum suscipere, quoties moraliter certus sit de contritione. Ita docet Aragon. *in 2. 2. quest. 62. art. 3. in 1. dub. circa solut. ad 4.* Sotus *lib. 1. de inst. quest. 6. art. 4.* & alij, licèt contrarium asserat Azorius *tom. 1. lib. 1. c. 11. quest. 2.* Tertio ex timore mortis, vel alterius grauis damni potest quis celebrare sine vestibus sacris, & mixtione aque; dummodò ad id faciendum non compellatur in contemptum fidei. Ita Becanus *tom. 2. tract. 3. c. 6. q. 4. num. 8.* Valentia *tom. 3. di p. 7. quest. 5. punct. 8.* & alij, licèt contrarium nouissimè asserat Castrus Palaus *in opere morali, tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 13. num. 9.*

Notandum est tamen hìc obiter, quòd Ioannes San-

cus *in selectis, disp. 35. num. 6.* asserit ob timorem mortis & grauem causam in administrandis Sacramentis licitam esse simulationem, & adducit varia exempla. Primò ait, si hæreticus minaretur mortem, si non consecraret omnem panem in foro extantem, poteris vt æquiocatione, & intentionem non habere consecrandi. Secundò poterit Confessarius verba absolutionis sine intentione proferre circa indispositum, si alia via malum comminatum vitare non potest. Tertio poterit ob solatium scrupulosi anxie petentis absolutionem, cum tamen indispositus sit, verba sine intentione proferre. Quarto licere Sacerdoti ministrare hostiam non consecratam pro consecrata muliere, quam cogit maritus ad communicandum, quæ sine iactura famæ non potest communionem omittere. Hæc Sancius, quæ audaciam, & temeritatem redolere putauit Castrus Palaus *in opere morali, tom. 1. tract. 2. disp. 1. punct. 13. num. 8.* Verùm Sancius, vir amicissimus, nunquam dixit, vt patet *in tota dicta disp. & in num. 10.* licere Sacerdoti in illo casu ministrare hostiam non consecratam pro consecrata, vnde immeritò aduersus illum insurgit doctus Palaus.

Non desunt tamen Doctores asserentes hostiam non consecratam pro consecrata posse ministrari peccatori occulto scienti, & petenti sibi dari propter vitandam infamiam, dummodo proponatur hostia consecrata adoranda, & à tergo post illam non consecrata, ita vt non videatur, nec adoretur, & hoc efficiatur, vt dictum est ex consensu peccatoris, ne ex conscientia erronea adoret non consecratam pro consecrata. Et ita hanc sententiam post Aloysium Dolensem, Albertum, Bonauenturam, & alios tenent neoterici doctissimi Ludouicus de S. Iuan *in summa, tom. 1. tract. de Eucharist. quest. 7. art. 8. dub. 4.* & Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 7. diff. 38. num. 7.* sed ego contrariæ sententiæ, tanquam probabiliori adhæreo cum Palao *ubi supra*, & Doctoribus, quos citat, & sequitur Sancius *loco citato*, qui, vt diximus, malè à Castro Palao pro affirmatiua sententiâ citatur. Et ratio est, quia ministrans hostiam non consecratam, velut consecratam, et si à tergo alterius consecratæ illam ponat, ponit equidem adorandum distinctum individuum hostiæ non consecratæ, & adest periculum manifestum idololatriæ, cum circumstantes possint si velint, distincto actu adorationis, adorare quamlibet hostiam, quæ communicantibus porrigitur, nec est in ministri potestate vitare aliorum adorationem hostiæ non consecratæ, quam ipse proponit velut consecratam. Ergo, &c.

An optare mortem alicuius, vel de illa gaudere ob hereditatem habendam, sit peccatum mortale?

R E S O L. LXXXIV.

Nauarrus *in manual. cap. 15. num. 10.* affirmatiuam sententiam docet esse communem, quia charitas obligat præferre vitam proximi diuitiis, & emolumento temporali. At his non obstantibus nouissimè Castrus Palaus *in opere morali, tract. 6. disp. 4. punct. 1. num. 11.* cum debita moderatione putat, aliquem posse absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci effectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum inde sequutum; quia in tali casu quis non gaudet de illa morte, quatenus proximo mala est, sistendo ibi (hoc enim esset malum) sed gaudet de illa, quatenus est causa sui emolumenti, & secundum hanc rationem; bona esse videtur, & appetibilis. Secus verò esset, si quis vellet proximo absolute, & efficaciter mortem, quia talis voluntas peccaminosa esset, sub quocumque motiuo illam quis haberet. Igitur in isto casu desiderium,

desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quam de bono inde sequuturo. Ergo, &c. Ita ille.

Hinc a fortiori infert Azorius *tom. 1. lib. 3. c. 12. q. 2.* & alij, licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas iuxta suum desiderium nuptui tradere; vel si ob illarum causam male tractaretur a marito, & Io. Sancius *in selectis, disp. 2. n. 9.* asserit licitum esse optare tibi, vel proximo mortem, ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitam penalem a marito infligendam, & aliud huius generis, dummodo desideres ut a Deo infligendam, non ab homine iniuste, aut a daemone; vide etiam Emanuelem Sa *ver. charitas, num. 8.*

An tristari de bono alterius, quia tibi bonum proprium diminuit, sit peccatum mortale invidia ex genere suo?

R E S O L. LXXXV.

Affirmatiue respondet Coninch *de act. supernat. disp. 30. dub. 2. n. 20.* Valentia *tom. 3. disp. 3. q. 13. punct. 2.* Suarez *de charitate, disp. 6. sect. 4. num. 4.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 7. n. 129.* & alij.

Verum Lotca *in 2. 2. D. Thoma, q. 36. in addit. ad art. 3.* affirmat (attende Lector) invidiam solum esse mortale, cum ita vehementer bono proximi inuides, ut ex illo affectu mouearis ad iniuste remouendum proximi bonum, secus si absque hoc periculo inuideas; sicut auaritia, & vana gloria, quae non sunt peccata mortalia, nisi aliqua circumstantia mortali vestiuntur. Et probari potest, quia dolere de bono proximi, quatenus tuum bonum diminuit, non est absolute de bono proximi dolere, sed dolere de illo, quatenus hunc effectum causet; & licet non causet media volitione iniuriosa, negari tamen non potest esse tibi molestum, iniucundum, si quidem tollit opinionem, & honorem singularem antea a te possessum. Ergo talis tristitia, & dolor non videtur ordinatus, ut peccatum mortale constituat. Adde, si doleas de bono alterius, quia inde proximus occasionem sumit te vexandi, non peccas, quia doles praecipue de tuo incommodo. Ergo idem erit cum doles, quatenus ex se causat tibi incommodum: nam esse causam per se, vel per accidens parum videtur referre.

At his non obstantibus non est recedendum a prima sententia, quam etiam tuetur Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 40. diff. 20. num. 1.*

An quis possit vnico actu pluribus praecipis, & obligationibus satisfacere?

R E S O L. LXXXVI.

Respondet negatiue si obligationes sunt iustitiae, non enim potes pluribus vnico actu satisfacere, secus autem si sint obligationes diuersarum virtutum, quia non implicat rem debitam vno titulo, alio diuerso deberi; ex quo infertur quod si voueas ieiunare in Quadragesima, satisfacis & praecipio Ecclesiae, & voto. Item si voueas restituere debitum, dare eleemosynam indigenti, satisfacis vnico actu duplici obligationi; sicuti obligatus recitare Officiu diuinu ratione Ordinis sacri, & beneficii, vtrique titulo satisfacit vnica recitatione, vide Saech. *in su. l. 1. c. 14. n. 5.*

Sed difficultas est, quando de facto superueniens obligatio cadat super actum debitum, quando vero expostulet alium? In quo casu certa regula definiri non potest, sed ex circumstantiis omnia colligenda sunt, quia hoc ex intentione, & voluntate legislatoris dependet. Regulariter tamen quoties distincta obligatio superuenit, distinctum actum expostulat, & in casu dubio sic est interpretandum: vide Sanchez *ubi supra, n. 6.* & Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 37. sect. 6. n. 5.*

Ex quibus infertur primo, quod Confessarius im-

nens poenitentiam censendus est ad actus, qui aliam obligatorij non sunt, obligare, nisi contrarium explicet. Ita Sanchez, & Suarez *supra*, quibus adde Azorium *tom. 1. lib. 11. cap. 14. q. 1.* Sayrum *in clam Regia, lib. 6. c. 3. num. 22.* Henriquez *lib. 5. c. 19. n. 5.* & alios. Limita tamen supradictum corollarium in casu quo Confessarius dicat: singulis diebus hoc mense audias sacrum, & benigna interpretatione censeatur Missa debita ex praecipio diebus festiuis contentus esse. Ita Sanchez *loco cit. n. 6.*

Secundo infertur, quod vouens dare eleemosynam, non satisfacit voto, restituens debitum. Ita Sanchez *ibi dem.*

Tertio infertur, quem non satisfacere voto, vel poenitentiae danda eleemosyna, si det fratribus, auis, & parentibus indigentibus taliter, ut teneatur illis subuenire. Secus autem aliis consanguineis indigentibus, quia non tenetur illis subuenire, vel alimenta praebere. Ita Sanchez, & Surdus *de aliment. tit. 7. q. 37. a n. 1. usque ad 11.* vide etiam Molinam Iuriconsultum *lib. 2. de primogeniis, cap. 15. a num. 37.*

Quarto infertur, quod quis satisfacit voto, vel poenitentiae dando eleemosynam extreme indigenti, quia non est debita illa eleemosyna ex praecipio misericordiae absolute, sed ex suppositione quod quis non possit alia via necessitati pauperis subuenire. Ita Henriquez *lib. 5. c. 21. n. 3. in glossa littera Q.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 14. q. 1.* Emanuel Sa *ver. satisfactio, n. 9.* & alij quidquid in contrarium asserat Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 27. sect. 6. num. 5.* Sayrus *in Clau Regia, lib. 6. cap. 3. num. 22.* Paludanus *in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. n. 8.* & alij.

Sed quid dicendum, si actum facias, cui pluribus obligationibus sigillatim tantum satisfacere potes, ut si v. g. debes dare pauperibus centum ob iniuste ablata, centum ex voto, centum poenitentiae? vide Sanchez *ubi supra n. 8.* sed ad alia procedamus.

An pueri statim post usum rationis teneantur praecipis Ecclesiae?

R E S O L. LXXXVII.

Negatiue videtur respondendum ex D. Antonio *p. 2. tit. 6. c. 7. §. 2.* vbi affirmat praecipio confessionis non teneri pueros usque ad decimum & dimidiatum annum, & aliquantulum ultra & foeminas usque ad nonum & dimidiatum annum, & aliquantulum ultra. Sotus vero *in 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 11. ad fin. corporis* dicit usque ad duodecimum annum non teneri pueros vllis Ecclesiae praecipis, nec confessionis. Henriquez *lib. 8. de Euchar. c. 42. n. 4.* censet Ecclesiae praecipis non obligari pueros statim ac usum rationis habent, & *lib. 13. de excommunicat. c. 49. num. 2. in glossa littera N.* affirmat dari his lacticia, & carnes aliquo tempore post usum rationis, in diebus ieiunij.

Verum his non obstantibus affirmatiuam sententiam prorsus tenendam esse puto cum Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. c. 12. n. 6.* Salas *de legibus, disp. 14. sect. 13.* & aliis penes ipsos, & ita aduersus Sotum, & Henriquez de praecipio confessionis, & abstinentiae a carnibus, & lacticiis tenet Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 36. sect. 2. num. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 2. quest. 1. & cap. 40. quest. 6.* & aliis relatis a Sanchez *loco citato.* Dicendum est igitur absolute aduersus supradictos Doctores, pueros cum ad usum rationis peruenerint, qui communiter intelliguntur aduenire septennio completo, obligari legibus, & praecipis Ecclesiae. Limitatur tamen haec sententia communiter quo ad praecipium communionis, sed ego alibi probabilem contrariam sententiam putavi, asserentem pueros post usum rationis, posse communicari statim, imò teneri ad praecipium communionis. Quoties vero dubium est puerum habere usum rationis, praesumendum est habere, & esse obligatum, si impleuit septennium; quia regulariter illo completo

completo in omni materia vsus rationis habetur, & alleganti contrarium incumbit onus probandi.

An pueri statim post vsu rationis teneantur censuris, & pœnis?

RESOL. LXXXVIII.

DE censuris ab homine latis, quod pueri non adstringuntur quovsq; ad pubertatem deueniant ex cap. 1. & c. referente, de delict. puer. tradunt Vasquez in 3. part. tom. 4. q. 90. art. 2. dub. 4. n. 3. Corduba in summa, q. 60. d. 5. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. c. 12. n. 7. Sancius in selectis, disp. 26. n. 18. & alij penes ipsos.

Sed difficultas est de censuris latis à iure, & affirmatiuam sententiam ex c. super eo, c. pueris, cap. quamuis, de sent. excomm. tradunt Vgolinus de cens. c. 17. §. 3. n. 5. Suarez in 3. part. tom. 5. disp. 5. sect. 1. n. 19. Azorius tom. 1. lib. 7. c. 41. quest. 10. Henriquez lib. 8. c. 42. n. 8. Sanchez in summa loco citato, n. 8. Sancius n. 18. & alij.

Verum Castrus Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. num. 9. absolute probat, solum sententiam excommunicationis ipso iure latam ob percussio- nem Clerici, propter eius grauitatem contrahi à pueris doli capacibus ante pubertatem, quia in supradictis textibus ita habetur. Aliæ autem censuræ, & excommunica- tiones ab homine latæ, etiam generaliter non compre- hendunt pueros ante pubertatem, & sequenda est com- munis decisio in cap. 1. de delictis puer. quia odia sunt re- stringenda. Ita Castrus.

Ex quibus inferitur cum Auila de cens. part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 13. & aliis contra Layman in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 10. n. 6. Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 12. n. 8. & alios puerum impuberem occidentem non contrahere irregularitatem, vide Henriquez lib. 13. de irregular. cap. 3. num. 4. in glossa liera Z.

Notandum est tamen hic obiter, quod licet pueri ante vsu rationis adstricti non sint legibus, & censuris Ec- clesiæ, vt probatum est, at si in ea ætate decedant, sepeliri non possunt in loco interdicto, quia hæc prohibitio non tam ipsos, quam sepelientes respicit. Ita Salas de legib. disp. 14. sect. 13. num. 126. Suarez de cens. disp. 35. sect. 1. n. 2. Henriquez, & Sanchez ubi supra.

An pueris danda sit Extrema vnctio, si non sint capaces sacramenti Eucharistiæ, sed tantum Pœnitentiæ?

RESOL. LXXXIX.

Negatiuè respondet Sotus in 4. sentent. dist. 23. quest. 2. art. 2. colum. ult. ver. si quaras. Viualdus in candel. aur. de extrema vnct. cap. de suscipient. n. 7. & quidam doctus neotericus, asserentes pueris dandam non esse Extre- mam vnctionem, nisi in ea ætate, & dispositione sint, vt etiam sacrum viaticum accipere possint, & hoc multis in locis consuetudine obseruari.

Sed aduersus dictam consuetudinem, & DD. opinio- nem insurgit, & meritò Melchior Zambranus de cas. oc- cur. temp. mor. c. 5. de extrema vnct. dub. 1. per totum. & DD. quos ipse citat, quibus ego addo Layman in Theol. moral. lib. 6. tract. 7. cap. 4. n. 2. & Ludouicum de San Iuan in sum- ma, tom. 1. de sacram. Extrem. vnct. quest. unica, art. 6. dub. 3. conclus. 3. vbi sic ait. [Para recibir la Extrema Vnction no es menester que el niño llegue a edad de recibir el Sa- cramento de la Eucharistia, como piensa vn Author mo- derno, aunque muy docto, porque para recibir el San- ctissimo Sacramento del Altar, es menester mucha mas discrecion, que para la Penitencia, y Extrema Vnction.] Ita ille; licet aliqui DD. probabiliter etiam doceant pue- ros in articulo mortis, qui sunt capaces sacramenti Pœ- nitentiæ, esse capaces sacramenti Eucharistiæ.

Dicendum est igitur omnibus pueris capacibus sacra- menti Pœnitentiæ, atque adeò omnibus post septen- niu, nisi constaret carere vsu rationis, dandam esse Ex- tremam vnctionem, licet non recipiant, nec sint idonei ad recipiendam Eucharistiam.

Verum non desinam hic adnotare, quod plures DD. asserunt, in articulo mortis, pueris doli capacibus, & aptis confiteri dandum esse viaticum. Ita Tannerus in 3. part. disp. 5. q. 6. dub. 5. n. 116. Henriquez lib. 8. c. 42. num. 4. Armilla ver. communio, num. 10. Caietanus ver. minister communionis, in fine. Salas de legib. tract. 14. sect. 13. n. 127. Reginaldus tom. 2. lib. 10. n. 82. Suarez tom. 3. disp. 70. sect. 1. in fine. Nugnus in 3. part. qu. 80. art. 9. diff. 2. ad 3. argum. & ego alibi.

An si quis ex rebus prohibitis à lege extrahat in graui quantitate, licet damnum graue ex tali facto non proueniat Reipublicæ, peccet mortaliter?

RESOL. XC.

VT v. g. lex prohibet ne arma, neque pecunia, aut alia merces ex Regno extrahantur, vel ne triticum coactum vendatur, queritur an si in graui quantitate hæc fiant ab aliquo, peccet lethaliter, quamuis damnum graue ex tali asportatione Reipublicæ non sequatur. Et af- firmatiuam sententiam tenet Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. c. 4. n. 8. & alij, quia in tali casu non debet spectari quale damnum sequatur vno contraueniente, sed quale si à multis, & communiter fiat. Deinde aliàs finis legis frustraretur, nam nullus de supradictis rebus tantam quantitatem extrahit, vt ex tali facto ingens damnum Reipublicæ sequatur; ergo, &c.

Histamen non obstantibus nouissimè contrariam sen- tentiam docet Castrus Palaus in opere morali, tom. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 7. num. 6. vbi sic ait. Existimo exportationem mercium, diuitiarum, armorum, & similibus ex ciuitate, tunc solum peccatum mortale esse, quando ex tali aspor- tatione ciuitas damnum graue pateretur; quia tota ratio huius prohibitionis, vt suppono, est vitatio damni Rei- publicæ; ergo dum Respublica grauius non damnifica- tur, non peccatur grauius aduersus huiusmodi prohibi- tionem. Secundo sequeretur ex opposita sententia as- portare quantitatem de se sufficientem ad furtum, esse peccatum mortale aduersus hanc legem, quod videtur ridiculum; quia illa quantitas de se grauis est, & si pas- sim, & communiter à multis asportaretur, non est dubium ciuitatem fore accepturam graue damnum; ergo pecca- retur grauius aduersus hanc legem. Sed si inquires, ex qua mercium exportatione censeberis damnum graue Reipublicæ facere. Castrus ubi supra, existimat, regulari- ter loquendo, centum aureos, vel merces illius valoris, seu arma decem militum, esse grauem materiam, ex qua damnum Respublica pati posset, secus in minori quan- titate, nisi forte Respublica oppressa esset ab inimicis. Hæc omnia Castrus Palaus, quæ sunt valde notanda, & multos scrupulos sedabunt.

An possit Superior circa materiam grauem obligare sub veniali.

RESOL. XCI.

DE hac questione alibi aliqua tetigimus. Negatiuam sententiam mordicus sustinet Vasquez in part. 2. tom. 2. disput. 158. cap. 3. num. 17. & cap. 4. à num. 32. Becanus tom. 2. tract. 3. cap. 6. quest. 3. num. 10. Aragona in 2. 2. quest. 62. art. 3. Mexia in prag. taxapanis, conclus. 1. num. 111. Salonius in 2. 2. quest. 77. art. 1. controu. 8. Ocha- gaudia tract. ult. de satisfact. Sacram. quest. 8. num. 7. & alij, quia voluntas Superioris solum requiritur ad imponen- datur

dam obligationem; sed postea qualis obligatio sit, ex grauitate, vel leuitate rei, quæ præcipitur, lumenda est. Ergo, &c.

Verum ego contrariam sententiam cum Lessio *lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 96* probabilem esse existimo, quam tuentur Suarez *lib. 3. de legibus, c. 27. n. 7.* Valentia *to. 2. disp. 7. s. 5. punct. 2.* Sanchez *in summa, tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 25.* Salas *de legib. disp. 10. sect. 7. num. 33.* & alij, quia obligatio legis ex voluntate legislatoris dependet; ergo si legislator non vult ad mortale obligare, lex obligare non potest; quia nequit extendi obligatio ultra mentem legislatoris, vt patet *in l. si quis nec causam, & in l. non omnes, ff. si certum petatur.*

Hinc deducitur primò vouentem posse ad venialem culpam in materia graui obligari, quia sicut omnis obligatio à sua voluntate ortum habuit, ita potuit ortum habere limitato modo, & non secundum omnem materiae capacitatem. Ita Sanchez *de matrimon. tom. 1. lib. 1. disp. 9. num. 6.* secus tamen dicendum est in iuramento, in quo Deum in testem rei promissæ adducis; in hoc enim non potest quis limitare obligationem ad veniale, si materia grauis est, quia non pendet à tua voluntate obligatio implendi promissum. Secundò colligitur, posse Confessarium pœnitentiam grauem imponere sub obligatione veniali, quia est quadam lex & præceptum, & conditiones legis, & præcepti humani fortiri debet; ergo, &c. Ita Suarez *in 3. part. tom. 4. disp. 38. sect. 7. n. 5.* Medina *C. de confess. r. 2. q. 48.* & alij, licet contrarium asserat Sanctius *in select. disp. 15. nu. 16.* Coninch *de Sacram. disp. 10. dub. 8. n. 65.* Ochagauia *ubi supra, n. 7.* & alij.

Notandum est tamen, certum esse, nullo modo posse legislatorem in materia leui, obligationem grauem imponere, licet velit, & intendat, quia talis intentio esset iniqua & iniusta; vnde non est audendus Gregorius Sayrus *in clau. Regia, lib. 3. cap. 7. num. 17.* qui putat hanc doctrinam esse veram, quoad legislatorem sæcularem, secus autem quoad Ecclesiasticum; quod probat ex vsu Religionum, in quibus aliquando Superiores res leues prohibent sub pœna excommunicationis.

Sed hanc limitationem meritò impugnat Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 3.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 25. n. 7.* & alij. Et ratio adducta militat etiam quoad iudicem Ecclesiasticum, & ad vsum Religionum præpondero, quòd ibi Superiores si aliquam rem leuem in virtute obedientiæ, vel sub excommunicatione præcipiunt, dicendum ob aliquem finem grauem, redditam esse grauem vt, v.g. propter silentium seruandum, ne ingrediat quis in aliorum cellas, &c. vt notat Bonacina *de leg. disp. 1. quest. 1. punct. 7. §. 4. num. 21.* Sanchez *loco citato,* & alij.

An Episcopus possit committere alicui absolutionem ab hæresi?

R E S O L. XCII.

Supposito quòd sit opinio probabilis, licet contrariam sententiam ego teneam in Bulla Cœnæ non reuocari Episcopis facultatem absoluendi ab hæresi concessam in Concilio Tridentino: quæritur an hæc facultas sit ab Episcopis delegabilis, ita vt per alium ab ipsis deputatum possint hæreticum occultum absolvere. Negatiuè respondet Lorca *in 2. 2. disp. 45. num. 21.* Gutierrez *in 99. canon. lib. 1. cap. 13. n. 29.* Garfias *de beneficijs, part. 11. c. 10. n. 113.* Molina *de iust. r. 5. disp. 18. num. 2.* Suarez *de fide, disp. 30. sect. 2. n. 9. & 15.* & alij.

Verum alij probabiliter affirmatiuam sententiam tenent, vt Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 10. quest. 11.* Henriquez *lib. 6. cap. 14. num. 7.* Emmanuel Sà *ver. Episcopus, num. 37.* Sanchez *in summa, tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 23.* & alij penes ipsos, quia Concilium solum exclusit Vicarium ad id specialiter deputatum, quod intelligendum est de Vica-

rio specialiter deputato ad casus omnes hæresis contingentes, non autem de Vicario specialiter deputato ad vnicum casum hîc, & nunc oblatum. Igitur dicendum est, quòd per verba Concilij, Vicarius generalis excluditur, non autem specialis, vt est in casu, de quo loquimur. Et hæc doctrina est multum notanda, quia si Episcopus hanc facultatem in casu particulari specialiter delegare non posset, difficulter in praxi talis potestas deferretur; nam non ita facile, & sine scandalo pœnitentes, & præsertim fœminæ, pro absolutione hæresis occultæ ad Episcopos irent.

An infantes filij Principum, vel si periculum mortis imminet ante vsum rationis, possint ab Episcopo confirmari?

R E S O L. XCIII.

Affirmatiuè respondeo cum Tannero *tom. 4. disp. 4. quest. 4. dub. 2. num. 37.* vbi sic asserit. Colligitur ob honestas causas decenter quoque infantes nonnunquam confirmari posse, vt si propter distantiam rariùs in eo loco confirmet Episcopus, si filius Principis sit, si periculum mortis imminet infanti, &c. Ita ille, qui citat Henriquez, & Suarez.

Non tamen hîc obiter, vt alibi notauimus, per se loquendo non esse peccatum confirmare infantes ante vsum rationis, vt significat D. Thomas *in 3. part. quest. 77. art. 8. ad 2.* & expressius *in 4. sent. dist. 7. quest. 3. art. 2. quest. 2.* Alensis *in 4. part. quest. 28. membr. 2. & 3.* Bonauentura *in 4. dist. 7. art. 3. quest. 1.* Richardus *art. 3. quest. 2.* Gabriel *art. 3. dub. 7.* Petrus Sotus *lect. 2. de confirmat. & alij.* Consultius tamen est, vt infantes non confirmantur ante vsum rationis, vt probant communiter DD. & Ecclesiæ consuetudo, quam tamen sub peccato non obligare existimat Suarez, quem citat, & sequitur Tannerus *ubi supra.*

Nota etiam non solum licet confirmari amentem, qui aliquando rationis vsum habuit, si alioqui non constet incidisse in amentiam in statu peccati mortalis, sed etiam perpetuò amentes, atque adeò etiam illos, qui sunt in articulo mortis constituti, quidquid in contrarium asserat Emanuel Sà *ver. confirmatio,* & Valentia *quest. 2. punct. 2.* & alij, & ita docet Henriquez, Suarez cum Tannero *loco citato, n. 39.* & ego alibi. Sed quia, vt diximus, nonnulli Theologi oppositum sentiunt, non est Episcopus damnandus de peccato, si hoc facere prætermittat.

An vir debilis, vel infirmus possit sine peccato mortali incipere copulam cum uxore in vase legitimo, & non effundere?

R E S O L. XCIV.

Negatiuam sententiam puto probabiliorem esse per Nea, quæ adducit Ludouicus de San Iuan *in summa, tom. 1. quest. 3. art. 3. diffic. 5. dub. 1.* vbi tamen notat, sententiam affirmatiuam esse probabilem. [Porque la copula carnal, y el matrimonio no solamente se ordena à la generacion, mas tambien para remedio de la concupiscencia humana propria; y de la muger; luego la tal copula no sera illicita tenida para este fin, o a lo menos no sera mortal. Secundo entre los casados no son peccado mortal os tocamientos por feos que sean, si figuen la sententia de muchos, luego la tal copula no sera mortal ante los casados, porque entonces tan solamente tendrà razon de tocamiento feo. Por estas y otras razones no tengo por improbable est sententia.] Ita ille, qui licet postea ad suprascripta argumenta respondeat, tamen vt visum est affirmatiuam sententiam probabilem esse putat. Sed de hac quæstione à nobis alibi fusiùs actum est.

Verum pro coronide huius Tractatus ponam aliquas resolutiones, quæ ex incuria impressorum non fuerunt appositæ in tractat. de Sacramentis, sub tit. de Eucharistia.

An sacramentum Eucharistia sit necessarium necessitate mediæ, ita ut detur præceptum diuinum posituum sumendi hoc Sacramentum?

RESOL. XCV.

Affirmatiuè respondet Becanus de Sacram. cap. 2. §. 4. quæst. 4. num. 2. Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 4. c. 5. n. 2. & seq. Syluius in 3. part. quæst. 70. art. 1. 1. quaritur 1. concl. 1. c. 2. Henriquez lib. 8. cap. 3. n. 2. Emanuel Sa verb. Eucharistia, n. 1. & alij, quos citat, & sequitur Fagundez de præcept. Eccles. præcept. 3. lib. 1. c. 3. n. 4. vnde ex hac opinione inferunt. Primò præceptum diuinum Eucharistia sumendæ obligare in articulo mortis, etiam si mors sit violenta, & autoritate iudicis inflictæ. Secundò in reliqua vita quoties tali remedio opus est ad perseverandum in statu gratiæ. Et tertio aliqui addunt quando quis prudenter putat se non amplius habiturum commoditatem communicandi in tota vita; tunc enim meritò debet se munire contra tentationes postea euenturas. Probatur hæc opinio ex verbis Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* & ex Luc. 13. *Nisi poenitentiam egeritis, non intrabitis in regnum caelorum;* in quibus locis eodem tenore, & forma verborum proponit Christus sumendum sacramentum Poenitentia, & sacramentum Eucharistia; ergo, &c. Hæc opinio est probabilis.

Sed contrariam etiam probabilem esse existimo, quam tuetur Coninch de Sacram. quæst. 73. art. 3. n. 36. & n. 44. Ferrariensis contra gentes lib. 4. c. 61. Alexander de Ales in 4. part. quæst. 51. membr. 14. Syluester verb. Eucharistia 3. n. 1. Fernandez de Heredia de Eucharistia. dist. 2. part. 2. dub. 2. per totum. & Villalobos in summa, tom. 1. tract. 8. diff. 43. n. 3. vbi sic ait: [El Sacramento de Eucharistia, nos es medio necessario in voto para alcançar la bienauenturança. Queremos dezir, que si no huuiera precepto de comulgar, se pudiera vno saluar sin tener proposito de recibitile. Esta conclusion es de San Thomas, Cayetano, Rodriquez, Ledesma, Suarez, Hosio, y Pedro de Navarra; y parece que se colige del Concilio Tridentino sess. 7. can. 4. que como dize del Baptismo, que es necesario para la salud, y lo mismo de la Penitencia sess. 4. can. 3. tambien lo dixera de la Eucharistia. El fundamento de la conclusion, es, porque para alcançar la bienauenturança, solo es necesario estar en gracia, y perseverar en ella hasta el fin de la vida, y la gracia cierto es que se da por la penitencia, y los de mas Sacramentos y no solo por este. La perseverança en gracia es fauor specialissimo de Dios, y no es efeto proprio deste Sacramento, aunque ayuda mucho para ello y assi no es medio necesario este Sacramento.] Ita ille. Igitur secundum hanc sententiam, negandum est sacramentum Eucharistia esse medium necessarium necessitate salutis pro omnibus qui saluandi sunt; sed tantum medium vtile, ac morali necessitate necessarium ad conseruandam vitam spiritualem gratia. Notat etiam ex his Villalobos in summa, tom. 1. tract. 7. diff. 5. num. 5. [que no es licito consagrar en materia dudosa, porque como recibit este Sacramento no es medio necesario para saluacion; co ay moral necesidad para que se consagre en materia dudosa.] Et ita etiam docet Fagundez præcept. 3. lib. 2. cap. 1. num. 17. etiam stando in prima opinione, quia tale præceptum diuinum necessarium necessitate salutis, non obligat nisi quando decenter & reuerenter sumi potest.

Quando communicanti confertur gratia sacramentalis?

RESOL. XCVI.

Respondeo cum Syluius in 3. part. quæst. 79. art. 2. Fagundez pr. 3. lib. 4. c. 1. n. 3. Henriquez lib. 8. c. 43. n. 1. & aliis penes ipsos, hoc Sacramentum gratiam conferre in eo instanti, in quo verum est dicere, nunc facta est sumptio, & immediatè antea non erat; licet hoc instans notum nobis non sit, sed Deo; quod quidem non est quamdiu hoc Sacramentum est in ore; nam si quis illud lumeret in ore, & postea aliqua de causa non deglutiret, non acciperet gratiam sacramentalem. Sumptio ergo perfecta est, quando deglutitur, & transit per guttur, tunc enim dicitur iam perfecta manducatio, & comestio, licet Becanus de Sacram. cap. 22. quæst. 6. n. 2. teneat gratiam sacramentalem dari cum Hostia sumpta est, etiam si non sit transmissa; alioquin ægroti qui Hostiam præ infirmitate non possunt transmittere, non acciperent gratiam, quod videtur absurdum. Ita Becanus.

Non desinam etiam hic apponere sententiam Nugni in 3. part. quæst. 79. art. 1. sic asserentis; Eucharistia habet totum suum effectum in instanti, quod tamen instans potest esse à principio sumptionis specierum, ab illo scilicet instanti, in quo primum verum est dicere, nunc sumptum est Sacramentum, & receptum in stomacho, vsque ad instans, in quo verum est dicere, totum Sacramentum, hoc est, species sacramentales sunt conuersæ in substantiam hominis. Itaque si homo accedat cum sufficienti dispositione, statim in illo primo instanti habet effectum: si verò accedat sine illa, & postea habet dispositionem durantibus speciebus, recipiet effectum sacramentalem in primo instanti, in quo habuerit dispositionem. Vnde hæc sententia concedit Sacramentum habere suum effectum in instanti, & est magis pia, & extollit excellentiam specierum sacramentalium, quod scilicet possint causare gratiam toto tempore quo permanent. Hæc omnia Nugnus. Ex his inferitur cum Henriquez vbi supra lib. 7. cap. 43. num. 1. & aliis, quod consequitur effectum gratia sacramentalis, qui postquam hoc Sacramentum deglutiuit, statim illud euomit, & si sumpta vna parte Hostia moriatur homo, non sumpta alia parte illius, etiam in tali casu consequitur effectum Sacramenti.

Notandum est etiam ex dictis cum Ioan. de la Cruz in directorio conscientia part. 2. de Eucharistia, quæst. 4. dubio 1. conclus. 2. & aliis. Eucharistiam non causare gratiam toto tempore, quo est in stomacho, sicut nec toto tempore manducationis, alias esset melioris conditionis communicando te sub multis hostiis; quod falsum est, & puniuntur vt superstitioni per inquisitores, qui sunt multum solliciti se communicare sub multis hostiis, vt diutius duret corpus Christi in stomacho; nec est idem de cibo corporeo, cum iste operetur per conuersionem sui in substantiam aliti, & sic successiuè. Ita Ioan. de la Cruz.

Et licet secundum Coninch de Sacrament. quæst. 79. art. 1. dub. 2. num. 42. conclus. 5. & alios, probabile sit, si dum interim species integræ manent in stomacho, melioretur dispositio communicantis, etiam gratiam sacramentalem augeri; tamen ipsemet Coninch adnotat, ex hoc nullo modo, per se loquendo, aliquem recipere maiorem gratiam, quia sumit maiores, aut plures hostias, aut quia diutius hæret in iis sumendis, aut digerendis etsi per accidens hæc longior mora posset esse occasio, vt quis maiorem gratiam accipiat, quatenus interim plures, ac perfectiores actus charitatis elicit; qua etiam ratione si vnus diutius expectet antequam communicet, quam alius, hæc mora potest ei esse occasio maioris gratia percipiendæ, quatenus potest interim melius se disponere plures actus charitatis eliciendo.

Quare hæc sententia non debet dare occasionem aliquibus, qui id satis superstitiose curant, ut inter communicandum plures hostias suscipiant, quo diutius in stomacho hæreant, atque ita maiorem gratiam suscipiant. Ita Coninch. Vide etiam aduersus plures hostias, vel maiores fumentes Fagundez præf. 3. lib. 4. cap. 1. num. 61. Syluium in 3. part. quæst. 79. art. 1. & alios.

An detur maior gratia sumenti duas species quam sumenti unam?

RESOL. XCVII.

Suppono tanquam certum, quod excepto Sacerdote celebrante nemo iure diuino tenetur communicare se sub vtraque specie; & quod Ecclesia habuit iustissimas rationes præcipiendi laicis communionem sub vna sola specie. Hoc supposito, quæritur, an celebrans, qui sumit duas species, recipiat per se maiorem gratiam, quam laicus qui recipit vnâ.

Respondeo negatiuè cum Syluium in 3. part. quæst. 80. art. 12. quæritur 2. Coninch. de Sacram. quæst. 80. art. 12. sub unico, num. 119. & aliis communiter; quia vel reciperet maiorem gratiam ex parte symboli, vel ex parte rei contentæ; non prius, nam seclusa re contenta, symbolum non causat gratiam: non posterius, quia eadem res continetur sub lingulis speciebus; ergo, &c.

Non desinam tamen adnotare contrariam sententiam docuisse Alensem part. 4. quæst. 53. memb. 1. & Gasparum Cussal lib. 2. de cœna; & calice, cap. 25. & nouissimè hanc sententiam probabilem putat Fagundez part. 3. lib. 4. cap. 4. num. 2. in fine. & Becanus de Sacram. cap. 22. quæst. 7. n. 4. ubi sic ait. Probabile est maiorem gratiam dari per summptionem duarum specierum, quàm vnus tantum. Primò, quia vnaquæque species per se confert suum effectum, & vna non dependet ab altera; ergo si ambæ simul sumantur, vnaquæque confert suum peculiarem effectum; ergo duæ plus nonferent quàm vna sola. Secundò, quia probabile est Sacramenta physicè operari; ergo necesse est vnâ speciem non minus physicè concurrere, quàm alteram. Ergo si vna physicè confert vnum gradum gratiæ, altera confert alterum gradum, & sic plus conferent duæ species, quàm vna. Ita Becanus, & Fagundez, qui tamen his non obstantibus, negatiuam sententiam tenent, & respondent ad supradicta argumenta, & ita omnino tenendum est.

An possit aliquis ita accedere ad Eucharistiam, ut non accipiat gratiam, neque peccatum committat?

RESOL. XCVIII.

Negatiuè respondet Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 4. cui videtur accedere Richardus in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2. Adrianus de Eucharistia, quæst. unica, & Maior in 4. dist. 9. quæst. 1. quia vel accedens discutit sufficienter conscientiam suam, vel non discutit: si primum, cum nullum obicem ponat, gratiam recipiet; si secundum, indignè accedit, & per consequens nouum sacrilegium committit. Item, vel accedit cum attritione, quæ putetur contritio, & gratiam sine dubio recipiet; vel cum attritione quæ sit cognita, & putata attritio, & ita indignè accedit, & peccatum committit. Ergo, &c.

Sed his non obstantibus ex Caietano, Alense, Bonaventura, contrariam sententiam docent Suarez tom. 3. disp. 63. sect. 2. §. ex his infero, & Fagundez præcept. 3. lib. 4. cap. 2. num. 14. quia potest quis diligenter discutere conscientiam, & non recordari de peccato alieno mortali, cum tamen reuera illud habeat, & potest accedere tunc ad communionem sine vilo prorsus dolore, merè negatiuè se habens, cum conscientiam peccati mortalis non

habeat is quidem non peccabit sic accedendo, eo quod arbitrio suo fecerit sufficientem diligentiam à culpa excusantem, non tamen consequetur gratiam, quia habet obicem peccati obliti, & nullum Sacramentum habet vim delendi, remittendique peccata mortalia absque dolore illorum. Hæc omnia Fagundez, qui alias rationes etiam adducit pro hac firmanda opinione; vnde quia hic casus frequenter potest accidere, ideo accedentes ad Eucharistiam habeant dolorem generalem suorum peccatorum.

Ex his infertur, quod quamuis hoc Sacramentum per se primò non sit institutum à Christo ad conferendam primam gratiam, sed ad conferendum augmentum illius; tamen in duobus casibus illam conferre, & peccatum mortale remittere, ac delere potest. Primò cum quis diligenter discutit conscientiam suam, & nullius culpæ conscius fuit, tunc si cum dolore accedat ad communionem, ex attrito per Eucharistiam fiet contritus, & recipiet primam gratiam. Secundus casus est, cum quis memor est peccati mortalis, & de illo habet attritionem, quam putat esse contritionem, si urgeat necessitas communicandi, & Sacerdos non adsit, tunc quidem iste virtute sacramenti Eucharistiæ accedens ad illud, ex attrito fiet contritus, & primam gratiam acquirat.

An Sacerdos Græcus sub peccato mortali teneatur sequi consuetudinem suæ Ecclesiæ, & consecrare in fermentato?

RESOL. XCIX.

Negatiuam sententiam docet Nugnus in 3. part. tom. 1. quæst. 74. art. 4. conclus. 6. ubi sic ait. Peccare mortaliter Græcum si consuetudinem suæ Ecclesiæ non seruet, videtur mihi rigorosum dicere; quia cum nostra consuetudo sit melior, non videtur res grauis, quod ille sequatur, vel non sequatur consuetudinem suæ Ecclesiæ; imò credo quod si esset apud nos aliquis Sacerdos Græcus, quod melius faceret si consecraret in azymo. Ita ille.

Sed hæc opinio est contra communem, ideo refellenda, vnde ex ipsamet Dominicanorum familia Ioan. de la Cruz in directorio conscientia, part. 2. de Eucharistia, quæst. 1. dub. 2. conclus. 2. ita asserit. Sacerdos tenetur seruire ritum suæ Ecclesiæ, peccabit enim Latinus consecrando in fermentato, & Græcus consecrando in azymo, etiam secluso scandalo, & cum magna necessitate: ut ob communicandum infirmum; nam discedere priuata auctoritate à rationabili vsu suæ Ecclesiæ in re grauissima, ut est ista, est peccatum mortale. Imò Pius V. in motu incipiente, Providentia Romani Pontificis 13. Kalendas Septembris ann. 1566. reuocat licentias Græcorum Latino more, & Latinorum Græcorum ritu, Missas, ac alia diuina Officia celebrandi hæctenus concessas. Ita Ioan. de la Cruz, Layman in Theol. mor. lib. 6. tr. 4. c. 2. n. 4. Villalob. in summ. tom. 1. tr. 7. diff. 6. n. 2. & alij.

Verum, an Sacerdos Latinus possit in Græcia sequi morem Græcorum, & Græcus morem Latinorum existens apud Latinos, sic videtur posse explicari. In monasteriis, vel Ecclesiis, quæ sunt Græcis in Ecclesia Latina destinata, vbi seruatur ritus Græcorum, seruire deberent Græci vltimè fermentari; & similiter Latini vltimè azimi in Ecclesiis, quas sibi suisque ritibus proprias habent in Græcia; quia perinde est, ac si singuli versarentur in sua Ecclesia, Latinus etiam iter agens per Græciam, aut Græcus per Occidentem, potest (ubi nullum est scandali periculum) retinere suum ritum, quamuis si conformaret se Ecclesiæ, in qua versatur, non esset damnandus. Et hæc omnia docent Syluius in 3. part. quæst. 74. art. 4. Coninch de Sacram. quæst. 74. art. 4. dub. 3. num. 117. Filiucius tom. 1. tract. 4. cap. 3. n. 83. & alij.

Non est igitur audiendus Ledesma in 4. Part. 1. q. 15. art. 4. dub. 2. vbi docet, non solum posse licite, sed etiam teneri Sacerdotem Græcum; transeuntem per Ecclesias Latinas in azymo consecrare, & peccare mortaliter, si aliter faciat; quia priuilegium illis concessum ad consecrandum in fermentato, intelligendum est, quando celebrant in suis propriis Ecclesiis. Verum hanc opinionem Ledesma recte improbat Fagundez præc. 3. lib. 2. cap. 2. num. 9. nam, vt supra dictum est, potest Sacerdos Latinus transiens per Græciam celebrare, vel ritu Græcorum, vel ritu Latinorum, & similiter Græcus transiens per loca Latinorum.

Et tandem notandum est hic etiam cum Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 44. sect. 3. §. illud verò, Coninch, & aliis vbi supra, non licere Sacerdoti Latino in templo Græcorum, quod in Ecclesia Latina existat, in fermentato consecrare, neque etiam licere aliis fidelibus Latinis ibidem in eodem fermentato communicare, quia illud est veluti speciale priuilegium Græcis largitum, quo vt non possunt Latini, neque, illo gaudent.

An in Germaniis, vel aliis locis validè consecraret Sacerdos in vino paulò antè congelato in calice?

RESOL. C.

Negatiuè respondent Didacus Nugnus in 3. part. tom. 1. quæst. 74. art. 5. Armilla ver. Eucharistia, num. 19. Alanus lib. 1. de Eucharist. cap. 11. Henriquez lib. 8. c. 12. num. 3. & alij, quia vt in aqua congelata non potest fieri validè Baptismus, sic nec in vino congelato, validè fieri potest Eucharistia; adde quod vinum congelatum, quatenus congelatum est, non est potabile, sed comestibile; ergo, &c.

Verum affirmatiuam sententiam ego teneo, quam tuentur Emanuel Sà var. Missa, num. 2. Angelus eodem ver. num. 23. Sotus in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. Layman, Suarez, Coninch, & Fagundez vbi supra, Filliucius tom. 1. tract. 4. cap. 4. num. 87. Reginaldus tom. 2. lib. 19. cap. 2. num. 25. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 3. diff. 7. num. 2. Syluius in 3. part. quæst. 74. art. 5. & alij, quia vinum per congelationem non corrumpitur substantialiter; ergo, &c. Deinde, vinum congelatum, etsi non sit in actu secundo potabile, tamen potest esse materia proxima consecrationis, quia hæc non consistit in vsu Sacramenti, vt Baptismus, sed in confectione eiusdem; quare sufficit quod eius materia sit natura sua potabilis, etsi ob aliquod accidens actu potari non possit; vnde patet responsio ad argumentum contrarium.

Notandum est tamen, quod grauitè peccaret, qui tale vinum consecraret, quod si tamen prius congelatio solueretur, non puto improbabile contra Fagundez part. 3. lib. 2. cap. 3. num. 10. licite ipsum consecrari, & ita docet Coninch. de Sacram. quæst. 74. art. 5. num. 27. quamuis deceret aliud sumere, & omninò suadendum est, quando commodè fieri potest, vt obseruant Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 45. sect. 1. in fine, & Layman infra.

Aduerte etiam cum Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 6. contra Alanum lib. 1. de Euchar. cap. 11. si vinum consecratum congeletur, non desinere esse Christum sub speciebus, & ideo minimè aliud vinum consecrandum est. Vnde Missale Romanum monet, si contingat vinum consecratum in calice congelari, debere liquefieri, & sumi.

Sed quia hodie apud Hispanos efficitur quoddam vinum, quod ipsi vocant *Hypocrasso*, ponam hic verba Petri de Ledesma in summa, tom. 1. de sacrament. Eucharistia, cap. 4. conclus. 15. vbi sic asserit. [Es duda si el vino adobado con cosas, odorosas y con cosas semejantes, es materia deste Sacramento que se pueda consagrar. Se responde, que si la mezcla desta cosa es tanta, ò el cozer

con ellas de tal qualidad, que corrumpa la substancia del vino, no sera materia deste sacramento. Y para ver quando la corrumpe totalmente, se hà de acudir à la experiencia de los sentidos, y al juyzio de los hombres prudentes. Y lo mismo se ha de desir del vino aguado, y de vn vino que llama aguapie. Pero haze de auertir, que consagrar en estos liquores, que ay duda si son materias deste Sacramento, es pecado mortal de sacrilegio.] Ita ille.

An Sacerdos possit dicere Missam Assumptionis Natiuitatis, &c. B. Virginis, quando dicta Missa à laicis exigitur?

RESOL. CI.

Negatiuè respondet Gauantus, vir in his materiis veratissimus in comm. ad rubricas Missalis, tom. 1. part. 4. tit. 27. n. 8. vbi sic asserit. Quid agendum quando Missa votiuà exigitur de Assumptione B. Virginis, de Natiuitate eiusdem, & eiusmodi dici potest de B. Virgine ex quinque votiuis pro diuersitate temporum accommodatis, cum intentione ad honorem Assumptionis B. Virginis, &c. aliàs enim dedecet, vel dicere, *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum*, &c. vel immutare tunc verba, *diem festum*, in *commemorationem*; neque laicorum causa violandæ sunt Rubricæ. Ita ille.

Non desinam tamen adnotare nostrum Castaldum in praxi carem. lib. 2. sect. 6. cap. 4. n. 1. contrariam sententiam docere, sic enim ait: Missa votiuà de quolibet Sancto, ac quacumque festiuitate, de qua iuxta Rubricas Missalis per anni circulum celebratur, dici potest assumendo eam, quam in die festo habetur, accommodando orationem, vbi habetur *Natiuitas*, vel *festiuitas*, dicendo *commemoratio*, vel *memoria*, omittendo vbi habetur *hodie eum præfatione propria si eam habeat*, tamen sine *Gloria*, & *Credo*. Si celebretur Missa votiuà de Assumptione B. Virginis, vel de Sancta Agatha in introitu *Gaudeamus*, vbi habetur *diem festum celebrantes*, diceretur *memoriam celebrantes*. Sic Castaldus, & ante illum Alcozer in carem. tract. 1. gloss. 4.

An Sacerdos possit dicere Missam aliquam de passione, quæ in Hebdomada sancta recitatur, si illa à laicis cum elemosyna petatur?

RESOL. CII.

Hic casus his diebus in praxi accidit, & in illo magna contentio fuit inter viros doctos; ego pro affirmatiua sententia adduxi Henriquez lib. 9. cap. 23. n. 6. in glossa littera M. & Fagundez de præceptis Eccl. præc. 1. lib. 3. c. 9. num. 6. vbi ex Nauarro asserunt, Sacerdotem pro Missa de passione longa, & magna satisfacere, si dicat Missam de Festo, etiam semiduplici, aut infra octauam. Ex quibus verbis apparet, dictos Authores putare dictam Missam dici posse in diebus ferialibus.

Sed ego apud Nauarrum hanc opinionem non legi, & tunc contrariam sententiam tenui, quia, vt optimè notat Castaldus in praxi carem. lib. 2. sect. 6. c. 4. n. 1. de tempore, & festis mobilibus, Missæ votiuæ non celebrantur, & ideo de Passione, Spiritu sancto, Sancta Trinitate, ac sacramento Corporis Christi, non quæ eo tempore habentur, sed votiuæ assignatæ in Missali Romano dici debent. Sic ille; vnde Ioannes Alcozer in carem. tract. 1. glossa 4. ita asserit. [Adiuertase, que pidiendose alguna Missa votiuà de passion, no se hà de dezir de las de la semana santa, con la passion de alguno de los Euangelistas, sino la que entre las Missas votiuas se pone al fin del Missal.] Vide etiam Gauantum in comment. ad rub. Missalis, tom. 1. part. 4. tit. 17. num. 2. vbi docet, quod Missa festiuitatis Corporis Christi non potest dici nisi in eius festo, & octaua; & extra illam dicenda est Missa votiuà de Sacramento in fine Missalis posita, cui nihil addi debet, neque sequentia, inconsulta

Sede Apostolica. Ita etiam Missæ illæ de Passione dicuntur in Hebdomada sancta tantum, & extra illam, Missa de Passione in fine Missalis posita dicenda est. An verò seculo scandalo, & superstitione talis recitatio sit peccaminosa, ex principiis alibi à nobis positis determinandum est. Verum negare non possumus, quin saltem sit reprehensibilis: non enim ex indilicere laicorum deuotione violandæ sunt rubricæ.

Quidam Sacerdos in Sacristia habuit intentionem consecrandi particulas, quæ quædam in pixide super altare in cornu Epistolæ fuerunt ex errore appositæ, non autem super aram; queritur an remanserint consecratæ, si Sacerdos de illis amplius non meminerit?

RESOL. CIII.

Hic casus frequenter potest accidere, & ego in facti contingentiâ negatiuam sententiam docui, quam tenet Pater Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 43. sect. 6. Et ratio est, quia intentio ministri debet esse rationalis, non esset autem talis, si minister intenderet consecrare particulas, positas extra aram. Ergo in tali casu non est præsumendum Sacerdotem dictas particulas consecrare voluisse: & idè nouissimè hanc sententiam docet Bartholomæus Gauantus in rubricis Missal. tom. 1. part. 3. tit. 7. num. 4. vbi sic ait, Quod hic dicitur de ordinaria materia consecranda in Missa, intelligi etiam quando plures particule ponuntur super altare, vt consecrentur, & in actuali consecratione non recordatur illarum Sacerdos, sed eius tantum quam in manibus habet, tunc enim omnes sunt consecratæ. Debent tamen esse præsentis intra aram, non extra eam, inquit Suarez, alias non æstimaret illas consecratas esse. Ita Gauantus.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam probabilem esse putat Tannerus in 3. part. D. Thoma, disp. 5. quest. 2. dub. 2. num. 76. quia etsi primò, & per se non sit hæc voluntas Ecclesiæ, adeoque nec ipsius consecrantis, vt hostiæ extra corporale consecrentur, tamen ex hypothese facta, quod per inaduertentiam naturalem, hostiæ rationaliter, & voluntate quidem non retractata sint ad consecrationem destinata, & in altari quamuis alieno situ posita, per accidens, & consequenter idque meritò ac iure velle tam Ecclesiam, quam Sacerdotem consecrantem, vt hostiæ etiam cum eiusmodi situm, quem

diximus, habent, (non verò, si omninò extra altare sint posita) consecrentur; præsertim cum, ordinariè alioqui, vel scandalum, vel saltem perturbatio grauis orni soleat, si quando tali casu hostiarum propositarum consecratio non valeret. Hæc Tannerus, qui tamen postea cum formidine loquitur, & suadet non esse recedendum à sententia negatiua. Nota tamen obiter, quòd si pixis posita super corporale, non aperitur tempore consecrationis, fit tamen consecratio. Ita omnes Doctores.

An quando Sacerdos ante consecrationem extendit manus super calicem, & hostiam, dicens, Hanc igitur oblationem, &c. an, inquam, tunc debeat pollices subtus manus, vel supra in formam Crucis tenere?

RESOL. CIV.

Decisionem huius casus non facilè apud Authores inuenies, & de illo olim ego interrogatus fui ab Excellentissimo Principe D. ANTONIO ARAGONA, ET MONCATA Duce Montis alti, heu quondam Domino meo amantissimo. Plures Patres Societatis IESV, tunc pollices in tali casu subtus manus tenendos esse docuerunt.

Sed ego contrariam sententiam mordicus sustinui; & ita tenet, & fuisse decisum Romæ testantur Petrus de Reyna in *ceremon. de la Missa razada*, §. 8. num. 4. litera Q. Et Ioannes Alcocer *Missæ cerem. tract. 2. glossa 8.* vbi sic asserunt. [Quando dize el celebrante. *Hanc igitur oblationem, &c.* hà de tener las palmas de las manos sobre la hostia, y calix, non pegadas al calix, sino en el ayre, cerca del, que esso quieren dezir à quellas palabras, *versus ac supra calicem.* Y los pulgares han de estar en la parte superior cruzados, el derecho sobre el yzquierdo, como se responde en Roma.] Ita supradicti DD. Et ita obseruatur in tota nostra Religione, & etiam obseruabat supradictus Religiosissimus PRINCEPS, cuius præclaras virtutes, & generis magnitudinem, silendo venerationis; quia, vt asserbat de Imperatrice Placidia Cyrillus Alexandrinus *lib. de fide*, omnis sermo noster eius nobilitate inferior est, & fatetur absque rubore se victum. Verum pro nunc satis mihi feliciter erit huic mearum Resolutionum moralium tertiæ Parti cum Augusto eius NQMINE finem imposuisse.

ADDITIO



ADDITIONES SECUNDARIÆ

Ad nonnullas ex celeberrimis Resolutionibus
I. II. & III. partis ; atque etiam
de nouis casibus.

NONDVM HACTENVS EDITÆ.

An depositum compensationem admittat ?

RESOL. I.



NEGATIVAM sententiam docet Samuel Lublinus in *summa*, verb. pecunia, num. 17. Rebellius par. 1. lib. 2. quest. 1 §. num. 3. Molina de iustitia, tom. 2. disp. 5 24. Ioannes Franciscus Suarez in *enchiridio Theolog. moral. lib. 1. §. commodatum*, verb. in deposito. Reginaldus tom. 2. lib. 2. cap. 47. sct. 6. Garfias de *contract. cap. 5. n. 17.* Malderus de *iustitia, tract. 4. cap. 7. dub. 5.* Voltherus Streuersdoff in *D. Thom. de iust. & iure, quest. 66. art. 8. disp. 4. num. 4.* & alij ex auctoritate *l. si quis vel pecunias, iun- Ela authentica ibi subiecta, C. deposit.* Hæc opinio est probabilis.

Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam docui cum Tannero in *mea p. 3. tract. 5. resol. 10.* asserens leges supradictas ligare tantum in foro externo. Verum nouissimè, me citato, aduersus hanc opinionem acriter insurgit Megalius in *promptuario Theolog. tom. 1. ver. Creditor, num. 5.* sed quia casus quotidianus est, & deseruiet ad tollendos multos scrupulos, iterum doceo, & assero quòd in foro conscientie, quando nulla est alia ratio rei sibi debite obtinendæ, probabile est admitti compensationem in deposito: quia est de iure naturæ, & gentium, vt possit quis sibi satisfacere, quando alia via sibi debitum habere non potest. Et ita nostram sententiam, præter Tannerum, docet Filliucius tom. 2. tract. 34. n. 18. Lessius de *iust. lib. 2. c. 27. dub. 4. n. 16.* Emanuel Sà verb. *depositum, n. 4.* Petrus Navarra de *restit. lib. 3. cap. 1. n. 391.* Layman in *Theol. moral. l. 3. sect. 5. tract. 2. c. 9. n. 10.* Faustus in *specul. confess. disp. 8. quest. 18. n. 2.* Naldus in *summa, verb. compensatio, n. 5.* Bizozzerus in *summa, part. 2. memb. 2. n. 13.* & Villalobos in *summa, tom. 2. tract. 29. diff. 5. n. 2.* & *tr. 11. diff. 23. n. 3.* vbi sic asserit: [En el deposito no se admite compensacion, v.g. depositò Pedro in ti mil ducados, y deuiate otros mil, en tal caso no se puede hazer compensacion con el dinero depositado, como consta en el derecho *c. bona fides, de deposit.* tanto que vn deposito no se compensa con otro, y es por la fidelidad que se deue al deposito. Aunque esto dize Lessio, que le parece solo en el fuero exterior, que se lo mandarian boluer, por la presuncion que ay de perfidia, y a mi me parece que lleua est mucho camino, por que el que hizo compensacion con el deposito con las condiciones necessarias, no tiene mas de lo que deue tener, y ance parece que no esta obligado en el fuero de la conciencia à restituir.] Ita ille, & ego. Et ideo in facti contingentia possunt Confessarij sine vllò scrupulo hanc opinionem in praxim deducere, cum tantos habeat patronos, & sit valida ratione fulcita. Vnde immeritò dixit Megalius, me citra rationem hanc sententiam docuisse, cum, vt visum est, sit satis probabilis.

Anton. Diana Ref. Mor. Part III,

An Missa certis Regularibus concessa pro aliquo Beato, possit ab alijs dici etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs.

RESOL. II.

EX multis rationibus negatiuam sententiam docui in *part. 2. tract. 1. miscell. resol. 55.* sed nouissimè, me citato, aduersus hanc sententiam insurgit Megalius in *prompt. Theolog. tom. 1. verb. Canonizatio Sanctorum, n. 1.* vbi tenet cum Castro Palao *tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. n. 4.* licere Beatificatos, vt beatificatos, colere recitatione horarum, processionibus solennibus, & sacrificio Missæ, non solum in locis & prouincijs, pro quibus est hoc concessum, sed etiam in alijs.

Verum hæc opinio summoperè mihi displicet, & ideo negatiuam sententiam iterum doceo: & præter rationes ibi adductas, nunc addo hanc sententiam expressè determinasse sacram Cardinalium Congregationem die 19. Nouembris 1622. teste Augustino Barbosa de *officio Parochi, c. 11. n. 34.* & Barthol. Gauanto in *enchirid. Episc. verb. Missa ritus, n. 1.* quod etiam probat Lucas Castellinus *tr. de canonizat. Sanctorum c. 2. punct. 1. §. 6. n. 6.* & 7. ex ipsis Bullis Pontificijs, in quibus conceduntur supradicta Beatificatis cum clausulis restrictiuis dici, loci & temporis; vnde Eminētissimus Dominus meus Cardinalis ab Austria, & illustrissimus Senatus huius vrbs Panormi, ex speciali priuilegio & decreto Sacre Congregationis die 2. Augusti 1625. obtinuerunt, vt Missa & Officium concessa Clericis Regularibus pro nostro B. Andrea Auellono diceretur à Clericis secularibus & Regularibus in alijs Ecclesijs dictæ ciuitatis. Et ideo ex his opinio Castri Palai, quam contra me sequitur Megalius, à Reuerendissimo Magistro sacri Palatii Romæ admissa non fuit, & liber ille ibi anno præterito venalis non erat, licet vt verum fatear eius auctor aliàs sit vir doctissimus. Inuigilent igitur Ordinarij, ne in eorum diæcesibus opinio supradictorum Auctorum deducatur in praxim, & contrauenientes, me consulente, sine debita animaduersione minimè derelinquant.

An femina que contraxit matrimonium cum viro improportionato, vel debili, vt facilius pateat aditus, teneatur pati incisionem si commodè potest?

RESOL. III.

IN parte 3. *meorum resolutionum, tract. 4. resol. 101.* opinio negatiua Basilij Pontij *lib. 7. de matrim. c. 62. num. 2.* probabilis mihi visa est ex rationibus, quas ipse adducit, & in fortioribus terminis hanc sententiam in causa matrimonij Illustrissimorum D. Francisci de Fonseca, & D. Ioann. de Azeuedo testatur consuluisse virum illum magnum Aloysium Legionensem Salmenticæ die 3. Aprilis anno 1570.

Sed aduersus illum nouissimè, me etiam citato, insur-

git Megalio in *promptuar. Theolog. tom. I. verb. corruptio virginis, n. 5* allerens hanc sententiam esse contra sacros Canones, nimirum contra *cap. ex litteris, & cap. fraternitatis, de frigidis & maleficis*. & contra doctores, præsertim Durandum, Paludanum, & Gabrielem, & plurimum dolet me hanc sententiam docere.

His tamen non obstantibus adhuc puto opinionem quam docui, probabilissimam esse, pro cuius explicatione dua sunt discutenda difficultates. Prima, an in tali casu mulier teneatur adhibere incisionem, si non adsit periculum. Secunda, an sit dissoluendum matrimonium. Et quod ad primam difficultatem affirmatiue respondet Megalio *ubi supra*; sed ego puto distinguendum esse. Nam aut defectus naturalis est in muliere ob extraordinariam ætitudinem, aut mulier nullam patitur ætitudinem, seu defectum; per illam non stat, quo minus reddat debitum viro suo, sed defectus procedit ex illo, quia membrum habet (ignoscant quæso pudicæ aures) nimis improporcionatum, vel non ita firmiter erigit.

Hoc supposito, dico quod in primo casu si incisio non sit inductiua mortis, vel infirmitatis grauis & periculose, non solum potest, sed tenetur mulier illam pati, quia defectus prouenit ex se ipsa, & in eas angustias mulier sua culpa se coniecit, debuisset enim sibi prospicere ante nuptias. Verum in secundo casu, quando defectus non prouenit ex muliere, sed ex viro, ut est in casu, de quo loquimur, tunc puto fœminam non teneri ad incisionem tolerandam, etiam si modo facili efficiatur, hoc est, si vitæ periculum non adducat, puta cauterio, vel apertione sigilli. Et hanc sententiam, non solum tenet Pontius & Ledelma *de matrimonio quest. 58. art. 1. circa fin.* ab ipso Sanchez citatus, sed etiam nouissimè illa docet Gaspar Hurtado insignis Theologus Societatis IESV *tract. de matrimonio, dist. 12. diff. 8. num. 25. quia, ait fœmina nullus est defectus ut reddat, sed tantum viro; ergo ipsi tantum, & non fœmine incumbit uti remedio, quo defectus ipsius suppleatur: fœminæ verò sufficit offerre debitum more ordinario, præsertim quod fœminam præcipue virginem artificio corrumpi horreat quodammodo natura, & honestas ipsa difficile patitur.* Ita Hurtado loco citato. Igitur fœmina, in casu, de quo loquimur, nullam tenetur adhibere incisionem, etiam si medici sine periculo illam aptam redderent, ut vir cum ipsa coitum consummare posset. Et hanc sententiam probabilissimam esse minimè dubito, quidquid in contrarium asserat Megalio & Sanchez, quibus ego addo Petrum Ochagauiam *de Sacram. tract. 3. de impedimento matrimonii quest. 69. num. 16.*

Quoad secundam verò difficultatem, an si vir trium annorum congressu atque conatu, claustra tamen non violauit, an, inquam, in tali casu matrimonium sit dissoluendum? & probabiliter affirmatiue respondeo. Vnde notandum est cum Pontio, in contractu matrimonij celebrati in ordine ad copulam esse traditionem corporis apti in usum, etiam pro corpore apto. Tradit itaque fœmina corpus aptum, ut utatur eo etiam vir ex se aptus, non verò se tradit inepto, cum sit contractus rei pro re æqualis æstimationis. Hinc oritur ius, quod confert matrimonium, non esse aliud, quam ut vir aptus utatur apto corpore. Si ergo ineptus fuerit ad corporis usum, quod de se aptum illi in usum traditur, nullum habet ius in matrimonio vir in corpus fœminæ. Qui ergo impotens est ad virginem agnoscendam, cum re veraille sit ineptus nisi incidatur, nullum ius habet ad usum, quia cum hoc ius solum conferri debeat ex vi contractus, non censetur contractus validus, nisi subintellecta conditione mutua aptitudinis. Hæc Pontius.

Nec valet dicere cum Megalio, quod matrimonium tunc est dissoluendum, quando impedimentum est perpetuum, v. g. quando arte medicorum absque corporali periculo non potest remoueri. Sed in nostro casu hoc impedimentum non est tale, quia opere humana potest remoueri, ut supponimus; ergo non potest tale ma-

trimonium dissolui. Non, inquam, valet hoc argumentum, quia non procedit in casu nostro. Non enim impedimentum prouenit ex defectu fœminæ, quæ si naturaliter esset ita arcta, ut membrum virile intra os vuluæ non reciperet, tunc, inquam, minimè matrimonium esset dissoluendum: nam tale impedimentum, sine periculo, opera humana posset quis remouere. Sed in nostro casu impedimentum prouenit ex defectu viri, ad quod tollendum, medicamentum nullum superest, neque adest, nec ille in tali casu habet ius in corpus vxoris, ut malè asserabant Sanchez & Petrus de Ochagauia *ubi supra*; quia, ut dictum est, fœmina per contractum matrimonij ius suum tradit viro apto, non inepto, & ideo in non aptum nullum transfertur ius; commune est enim cuiuscunque contractui obligationem inducere iuxta solennitatem, formam & condiciones, quibus celebratur, ac proinde cum matrimonium contractus quidam sit, in quo vir & vxor se mutuo tradunt in usum matrimonij, ea conditio subintelligitur; quamuis non exprinatur, si ad eum usum apti fuerint. Manifestum autem est, non subintelligi ut apti sint ad usum tertij, sed inuicem alter alterius comparatione habilis, vxorque se tradit viro, ut ab illo cognoscatur, non autem a medico, igne, vel auro, vel obstetricis manu. Ergo, &c.

Igitur concedo Megalio, & verum est, quod quando impedimentum arte medicorum tolli potest absque grauibus tormentis, impotentia non censetur perpetua, neque ex illo capite potest censeri irritum, quantumuis mulier mediocres cruciatus pati nolit, quos tamen tenetur sustinere propter ius mariti licet in hoc etiam contrarium doceat Pontius. Sed hæc omnia intelligenda sunt, ut diximus, si impedimentum non prouenit ex defectu viri. Vnde patet responsio ad canones adductos contra nostram sententiam.

Et primò adducit Megalio textum in *cap. ex litteris, de frigidis & maleficiatis*, ubi Alexander III. sic ait *Respondemus igitur, quod si vitium mulier a natura contraxit, nec opere medicorum poterit adiuuari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Ergo, ait Megalio, si opere medicorum adiuuari poterat, adiuuanda erat, & viro non erat concedenda facultas aliam accipiendi. Ita ille. Sed non ad rem, nam textus, ut patet, loquitur quando vitium mulier a natura contraxit, ac in casu de quo loquimur, mulier non contraxit vitium a natura, sed vir; ergo textus non facit pro casu nostro, in quo mulier est integra & vegeta, & in suo statu secundum naturam; unde quid reparatione, medicamentis, & obstetricante manu opus habet? adhibeantur hæc viro defectuoso, & impedimentum patienti, & non mulieri sanæ: & si non adsunt, vnusquisque reuertatur per aliam viam ad regionem suam.

Secundò, Megalio adducit textum in *cap. fraternitatis, eadem tit. de frigidis & maleficis*, ubi Innocentius III. sic habet. *Per hæc autem questionem illam noueris esse solutam, qua queritur, vtrum ea quæ adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur, non solummodo leuis, sed forte tam grauis, ut ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi.* Ita textus, per quem contra me putat Megalio casum in terminis decimum esse. Sed textus, ut legenti patet, loquitur de muliere arcta ex defectu sui, adeo ut nulli possit carnaliter commisceri. At in casu nostro mulieri non obstat aliud nisi virginitas, & est arcta, ut omnes aliæ mulieres, ita ut cum aliis carnaliter, ut dicit textus, possit commisceri, defectus autem ex viro prouenit, qui improporcionatam trabem habet, vel languidam, & semimortuam. Quare igitur poena sustinenda erit a muliere? neque, ut superius satis probatum est, vir defectuosus habet ius super illam, ut patiat ferrum, ignes, aurum, & alia medicamenta. Ergo, &c.

Igitur Canones loquuntur, quando defectus prouenit ex muliere, non autem ex viro, vt supponimus in casu nostro, & ita loquuntur Paludanus, Gabriel & Durandus, quos adducit Megalius & alij Doctores communiter, demptis aliquibus. Vnde apparet hanc opinionem, vt supra explicatam, non carere maxima probabilitate, licet Pontius magis absolute loquatur. Sed ego, vt patet ex titulo dictæ resolutionis, in casu modò explicato, vt supra illum sequutus sum. Non est ergo sententia, quam in dicta resolutione docui, contra Canones, vt Megalius putauit.

An Regulares possint confiteri (seclusa prohibitione suorum Prælatorum) vel de eorum licentia, cum sacerdotibus secularibus non approbatis ab Ordinario?

RESOL. IV.

IN part. 1. mearum resolut. moralium, tract. 2. de immunitate Eccles. resolut. 49. adduxi opinionem amicissimi Ioan. Sancij, heu quondam nostri, viri quidem docti, in select. disp. 49 n. 11. vbi docet Equites D. Iacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. quia sunt vere Religiosi, posse confiteri cum sacerdote seculari non approbato ab Ordinario, Sed nouissimè Ioannes Maria Nouarius Iuriconsultus in tract. de elect. fori. s. 69. num. 22. me citato, iudicat in meo codice illa verba cum sacerdote seculari, fuisse posita ex impressorum incuria, quia aliàs facta, & contra Concilij Tridentini mentem esset mea opinio.

Verùm supradicta verba non fuerunt impressa ex incuria Typographi, neque mea opinio est contra Concilium Tridentinum, quia supposita opinione Sancij, quæ an sit probabilis, vt ego dixi part. 3. tract. 2. resolut. 23. remitto me iudicio aliorum; Religiosi non tenentur confiteri sacerdoti approbato ab Ordinario, si fortè ex licentia Prælatorum confiteantur sacerdoti seculari, quod contra communem Theologorum & Casuistarum opinionem tenet Nouarius vbi supra.

Imò si sine licentia confiterentur Confessario seculari, illa confessio esset nulla; non quia Confessarius carebat approbatione Ordinarij, sed quia ipsi carebant licentia confitendi. Dicendum igitur contra Nouarium, Regulares quando ritè confitentur cum sacerdotibus secularibus, posse illos eligere, qui etiam carent Episcopi approbatione. Nec aduersus hanc sententiam facit Concilium Tridentinum sess. 23. c. 15. vt asserit Nouarius; imò ex dicto loco Concilij probatur, nam Concilium, vt legenti patet, solum decernit nullum sacerdotem, nec etiam Regularem, posse excipere confessiones secularium absque approbatione per Episcopum obtenta; ergo tantùm inducit obligationem, quòd sacerdos secularis, absque approbatione Episcopi, non audiat secularium confessiones; bene igitur poterit sine approbatione eiusdem Regularium audire confessiones.

Et ita hanc sententiam præter Sà, Ragucium, Vegam, Ledesman, Grassium, Henriquez, Suarez, Campanili & Nauarrum, quos ego ipse citavi in part. 3. tract. 2. de dubijs Regularium, resolut. 30. tenet etiam Petrus Ochaguaia de sacram. tr. 2. de confess. sacram. q. 39. n. 4. Egidius Trullench in expos. Bullæ Cruciatæ, lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 1. n. 5. Philippus de la Cruz in thes. Eccles. tract. 1. c. 20. n. 1. Hieronymus Rodriquez in compend. qq. regul. resolut. 31. num. 21. Fagundez prac. 2. lib. 7. cap. 2. n. 3. Valquez in 3. part. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 3. n. 5. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 9. diff. 55. n. 1. Ioseph de Ortu in specul. Paroch. cap. 10. nu. 8. Syluius in addit. ad 3. part. D. Thomæ, q. 8. art. 5. queritur 4. Reginaldus tom. 1. lib. 1. cap. 5. num. 41. & lib. 8. cap. 3. sect. 4. n. 36. & Ludouicus de San Iuan in summa tom. 1. q. 9. art. 1. de sacram. Pœnit. dub. 1. diff. 4. in appendice, vbi sic asserit. [Para oyr las confessiones de los Religiosos es suficiente la aprouacion, y comission de sus Prelados, y con ella lans pueden oyr qualesquier simples sacerdotes. Porque

aunque el Concilio sess. 25. cap. 15. determina que ninguno aunque sea regular, pueda oyr las confessiones de los seglares, aunque los dichos seglares sean sacerdotes, si no fueran aprouados para los Obispos, este decreto solamente tiene lugar en las confessiones, que hazen los seglares, porque para los Religiosos es suficiente la aprouacion y licencia de sus Prelados, como lo era antes del Concilio, que no reuoco el vso y derechos antiguos de los Regulares.] Sic ille. Vnde clarè patet opinionem nostram non esse, vt assererat Nouarius, contra mentem Concilij sed esse potiùs fundatam in ipsomet Concilio, & communiter ab omnibus Doctoribus receptam. Et licet à Sancio, vbi supra, pro contraria sententia in fauorem Nouarij, citetur Coriolanus de casibus reserua. part. 1. sect. 3. art. 16. num. 2. fallitur tamen nam Coriolanus ibi loquitur, vt aperte patet, quando Regulares confitentur sacerdoti seculari vigore alicuius Iubilæi: & tunc multi asserunt, non solum Coriolanus, quòd talis sacerdos debet esse ab Ordinario approbatus, nam Summus Pontifex illud priuilegium concedit Regularibus cum illa conditione. Secus autem est in nostro casu; de quò contendimus cum Nouario: nam nos loquimur in terminis Concil. Trident. & in aliis confessionibus extra Iubilæum factis à Regularibus cum Confessariis secularibus ex licentia suorum superiorum, in quibus non opus est Ordinariorum approbatione.

Imò ego probabiliter puto Regulares, qui confitentur vigore Iubilæi, seu Bullæ Cruciatæ, posse eligere Confessarium Regularem, approbatum solum per eius superiorem, quamuis non obtineat approbationem per Episcopum. Nam licet in Iubilæis, & in Bulla Cruciatæ exprimat, vtentem illis debere eligere Confessarium approbatum ab Ordinario, intelligi oportet iuxta formam traditam in Trident. sess. 23. c. 15. exposcente ab Ordinario approbationem, videlicet ab Episcopo, quando confessiones excipiende sunt secularium, quando verò Regularium, relinquuntur dispositioni iuris communis, dicentis Ordinarium Regularem esse Religiosi ordinis Superiorem. Ita Sancius loco cit. n. 6. qui citat Rodriquez, Ledesman, Bonacinam, Moure, Valecium, & alios.

Vnde ex his omnibus sequitur, & sapius accidit & practicitur, quod si alicui Regulari concedatur licentia tacite, vel expresse, vt in itinere confiteatur cum sacerdotibus extra ordinem, tunc eligere potest sacerdotem secularem non approbatum ab Episcopo, dum tamen sit aliàs idoneus. Vt ita docet Zerola in praxi de pœnitent. c. 15. q. 2. §. dico quarto. Henriquez lib. 6. c. 31. n. 1. Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 4. n. 5. Emmanuel Sa uer. confess. n. 6. Ochaguaia de Sacram. tractat. 2. quest. 38. num. 4. Valquez in 3. part. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 3. n. 5. & alij. Quibus etiam addo Ludouicum de San Iuan in summa, q. 9. art. 1. dub. 2. diff. 5. concl. 2. vbi sic ait. [El Padre Llamas dize, que el Religioso que va à camino con licentia de sus superiores, la lleua virtual para elegir qualquier sacerdote de todo el mundo secular, o regular, aunque no sea aprouado, como no este descomulgado, suspenso, o per otra via impedido. Lo primero se prouea, porque assi ençena Caietano, trayendo vna declaracion de Eugenio IV. acerca deste punto. Lo secundo, porque este a sido costumbre antigua de los Prelados, que lo han tenido por bien, y el Concilio Tridentino no ha inouado algo acerca de los Regulares.] Ita ille, licet aduersus Llamas dubitet de tali licentia generali Prælatorum, quando potest haberi Confessarius Ordinis. Sed hoc non facit pro casu nostro. Ex quibus remanet satis firma nostra sententia aduersus Nouarium. virum alioquin doctum, & mihi carissimum.

Notandum est tamen hic obiter, id quod alibi docui, & nunc iterum doceo, in quo multi Regulares pessimè falluntur, & seipsos decipiunt, nempe in itinere etiamsi habeant expresse licentiam confitendi cum

quocunque sacerdote, sub tali licentia non includitur facultas, vt possint obtinere absolutionem à reſeruatis, maxime à Confessariis ſecularibus. Ita Doctores communiter; vnde ſupradictus Ludouicus de San Iuan *loc. cit. dub. 3.* ſic ait. [Si el Prelado da licentia al Religioſo para elegir confessor fuera de la orden, no podra en virtud de la dicha licentia ſer abſuelto de reſeruados, porque como ſe dize en derecho, en la conceſſion general no ſe contienen aquellas cosas que no ſe concederian ſi eſpecialmente ſe pideſſen.] Sic ille. Vnde ſi Regulares in itinere; quod Deus auertat, incidant in caſum reſeruatum, & neceſſe ſit Miſſam dicere; poſſunt illam ratione ſcandali celebrare ſine praxia confeſſione, eliciendo actum contritionis; vel, vt alibi diximus, confeſſeantur cum attritione etiam peccata reſeruata ſi velint, que indirecte tunc à Confessario abſoluuntur, & poſtea iterum Confessario habenti ſuper illa iurisdictionem, manifeſtent, vt de illis directam abſolutionem obtineant. Vide me ipſum in 3. part. tr. 4. reſol. 104. & tract. 5. reſol. 68.

An qui ministrat Eucharistiam in peccato mortali, peccet mortaliter?

R E S O L. V.

PRO negatiua ſententia, plures Doctores adduxi in par. 2. tr. de celebr. Miſſarum, reſol. 23. ſed cuidam Theologastro nimis laxa viſa eſt hæc opinio, immerito tamen, nam eſt probabiliffima. Et ita præter Vaſquez, Ledesmam, Nugnum & alios, quos ibi citauit, tenet nouiffimè hanc ſententiam, me citato, amicus noſter doctus Barboſa tr. de officio Parochi, c. 20. n. 17. vbi ſic ait. Priuſquam Parochus Eucharistiam adminiſtret, ſi habeat conſcientiam peccati mortalis, debet præparare ſe ad gratiam per confeſſionem, vel ſaltem per contritionem; non peccabit tamen mortaliter, ſi ſit in peccato mortali miniſtrans, quia qui miniſtrat Eucharistiam confeſſaram, non eſt miniſter Dei ad iuſtificationem proximè, ſicut in aliis Sacramentis, ſed tantum eſt veluti applicans actiua paſſiuis; in aliis namque Sacramentis ſacerdos ſimul conficit, & miniſtrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim eſt idem conficere, & miniſtrare. Ita mecum Barboſa.

An expoſiti cenſendi ſint irregulares, & ſint baptizandi.

R E S O L. VI.

PRO affirmatiua ſententia in part. 2. tract. 15. reſol. 22. adduxi plures Doctores, quibus nunc addo Hurta- dum de irregul. diſp. . . diſſic. 13. n. 57. verum ibi contrariam ſententiam probabilem exiſtimaui, & iterum exiſtimo, vnde tales poſſunt ordinari ſine vlla diſpenſatione & metu irregularitatis, & præter DD. ibi adductos docet etiam hanc ſententiam nouiffimè Paulus Squillante de priuileg. Cleric. c. 4. dub. 2. n. 39. Barboſa de poteſt. Episcop. part. 3. alleg. 52. n. 150. & me citato, Dominicus Taſſonus in pragmat. de Antifato, ver. 13. obſ. 1. n. 78. verum de hoc iterum vedibit ſermo in 4. par. tract. de irregularitate.

Sed an dicti (& eſt caſus quotidianus) ſint baptizandi ſub conditione; Henriquez lib. 2. c. 31. n. 1. putat ſi quis infans inter Catholicos in ianquam Eccleſiæ, aut alterius hominis expoſitus inueniatur, credi debere baptizatum, niſi peculiare coniectura grauem ſuſpicionem in contrarium gignerent, vt ſi in eo loco degerent multi infideles, aut Anabaptiſta, qui filios ſuos non baptizarent. Sed hoc, vt aduertit rectè Adamus Tannerus in 3. part. diſp. 4. q. 2. dub. 4. n. 113. maiori indiget limitatione, nam ſape mulieres cum ad ſcelus tegendum partum occultè effundunt, parum ſunt ſollicitæ de ſpiritali infantis ſalute, ſed hoc potius curant, vt partum à ſe quouis modo, & quam fieri poteſt occultiffimè amoliantur. Vnde quo-

ties tenellus & paucorum dierum infans expoſitus reperiretur, meo quidem iudicio neceſſariò ſub conditione baptizandus eſſet, quod etiam in Eboracenſi Concilio fuiſſe ſtatutum refert Baronijs tom. 12. Annal. ſecus eſſet ſi infans reperiretur cum ſchedula Baptiſmi teſte, ita Tannerus. Vide etiam Præpoſitum in 3. part. q. 66. art. 9. dub. 2. n. 101. Layman, Coninch, & alios vbi infra.

Difficultas verò eſt, ſi tale teſtimonium non apponatur, ſed puer ex colore & ætate videretur infans natus ante mentem, an in tali caſu ſit etiam cum conditione baptizandus. Negatiue reſpondet Sotus in 4. diſt. 3. quaſt. 27. ca. art. 9. Filiucius tom. 1. tr. 2. c. 6. num. 149. Vaſquez, Ochagauiã, & alij. Sed ego in tali caſu conſulerem infantem baptizandum eſſe ſub conditione, & ita docet Villalobos in ſumma, tom. 1. tr. 5. diſſic. 7. n. 4. vbi ſic ait. [Dize Soto que ſi ſe juzgaſſe por la edad que vn niño era de mas de vn mes, o veinte dias, no ſe atreueria a baptizarle. Mas yo en eſte caſo dixera que le baptizaran de baxo de condition, pues no auiã certidumbre que eſtaua baptizado, mayormente que en tan tierna edad muy mal ſe puede hechar de ver, ſi el niño era de vn mes, que nacen algunos tan grandes como ſon otros de vn mes.] Sic ille. Idem etiam cum Vaſquez in 3. part. tom. 3. diſp. 146. cap. 4. n. 26. dicendum puto, ſi puer expoſitus eſſet inter infideles, etiam ſi haberet chartam appoſitam teſtamentum de Baptiſmo, nam in tali caſu puto eſſe baptizandum ſub conditione. Item puto cum Petro Ochagauiã de ſacram. tract. unico de ſacram. baptiſm. qu. 11. n. 8. ſi pueri inueniantur in nemore, de quibus dubitaretur, quibus eſſent parentibus nati an fidelibus, vel infidelibus; deberent enim ſub conditione baptizari, vt ſalutis æternæ amittendæ periculum vitaretur.

Non reticeam etiam hic apponere dubium, de quo olim interrogatus fui, an peccaret mortaliter, ſi quis non baptizatum baptizaret ſub conditione; tunc multi affirmatiue reſponderunt: ſed ego negatiuam ſententiam docui, & adduxi Ludouicum de San Iuan in ſumma de ſacrament. baptiſmi, quaſt. 1. art. 8. dub. 2. concl. 2. vbi ſic ait. [Peccado venial eſ bautizar conditionalmente al que conſta no eſtar bautizado, porque bautizar con condition en caſo cierto eſ acto inutil, y contra el uſo de la Igleſia, que ſolo pone condition en caſo dudoso y digo que eſ venial, porque la materia de la injuria eſ leue.] Sic ille, & Villalobos vbi ſupra, n. 2.

An Confeſſarius approbatus pro viris, ſit eligibilis à feminis virtute Bullæ Cruciatæ.

R E S O L. VII.

PRO ſententia affirmatiua & negatiua adduxi Doctores in 1. part. tract. 11. reſol. 9. & ibi vtramque ſententiam probabilem exiſtimaui, quam ita eſſe nouiffimè docet etiam Philip. de la Cruz in theſ. Eccleſ. tract. 1. §. 20. num. 1. vbi ſic ait. [Otra dificultad mayor eſ la que ſe ſigue, y eſ, ſi por virtud de Iubileo, o bula, o priuilegio, pueden las mugeres elegir por confessor al que ſolo eſta aprobado para confeſſar tan ſolo hombres? Algunos Doctores dicen, que no, como tengo dicho, y aqui ſe pondra la opinion contraria, y cada vno elegira la que mas la pareciere. Pero lo contrario ſe puede tener tambien con Enriquez y reſiere à Medina, y a Angelo, Coninch, Nuñez, Sanchez, Ledesma y otros, y ſea la razon, que eſte tal verdaderamente eſta aprobado por el Ordinario. Lo otro que a qui ſe habla en materia fauorable: pero lo que tiene de mas probable la contraria, eſ que ella eſta pueſta en uſo, y eſta ſegunda no. No obſtante ſe puede tener vna y otra, por ſer ambas de tan graues Doctores.] Ita ille.

Nota etiam quod vbi ſupra, in reſolut. 12. aſſerui Regularem olim approbatum, & poſtea ſine cauſa reprobatum ab Ordinario, eſſe eligibilem virtute Bullæ Cruciatæ.

eiatae, & præter Acoftam ibi citatum, tenet etiam hanc sententiam Trullench *in Bulla Cruciate, lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 7. n. 17.*

Sed incidenter ponam hinc pulchrum dubium, an Religiosus à Prælatò suo non præsentatus possit ab Ordinario approbari, & de eius licentia confessiones secularium audire, & virtute Bullæ eligi. Rodriquez *1. 10. q. 60. art. 3.* existimat approbationem esse inuvalidam, & per consequens non posse eligi; quia Regularibus ius commune medio Prælatorum consensu communicat sua priuilegia: quod colligit ex constitutione Iulij III. *dub. sup. citat.* Probabilis tamen mihi est pars affirmans, nam reperiuntur omnia requisita, scilicet approbatio, & iurisdictione; quæ duæ à Trident. requiruntur. Ad constitutionem Iulij iam responsum est sup. solum intelligi quoad iurisdictionem & facultates suorum priuilegiorum: hæc enim sine consensu Prælatorum ipsis non communicantur. Et hæc omnia docet Trullench. *ubi supra, dub. 6. n. 8.*

An compensatio in foro conscientie sit valida, etiam si adsint creditores anteriores.

RESOL. VIII.

Affirmatiuam sententiam Comitoli, Homoboni, & Fernandez adduxi *in part. 3. tract. 5. resol. 10.* & quia cognoui hanc opinionem cum gaudio à viris doctis fuisse receptam, quia casus quotidianus est, ideo in eorum gratiam adducam alium Doctorem hanc sententiam docentem, & is est Samuel Lublinus Professor sacræ Theologiæ in studio Cracouiensi, ex almo ordine Prædicatorum, *in summula casuum conscientie, ver. pecunia, n. 17.* ubi sic ait: *Detur casus, Henricus est in bonis nonnullis sui debitoris mortui, cui tredecim nummos aureos crediderat, sed si velit iure experiri, causa cadet Henricus, quia suum nomen testibus, & syngrapha caret, eius est is solus conscius. Hæres demortui ad Henricum scribit, ut quantum est eius nomen, tantundem sumat de bonis defuncti. At multi sunt creditores, qui de bonis defuncti volunt sibi solui. Quare iis apud iudicem Ecclesiasticum obnixè agentibus, edixit iudex ut qui aliquam rem, quæ in peculio mortui debitoris erat, possidet, aut à quopiam possideri scit, cogatur denunciare sub pœna excommunicationis. Querit modo Henricus, num compensationis nomine possit retineri de bonis defuncti quantum ei crediderat, & num de iure res quas habet in manibus indicare iudici teneatur. Quid putas diceres? satisfit. Est Henricus compensandus, nec de reliquis creditoribus, quibus mortui debitoris nondum sunt bona addicta, debet esse sollicitus, dummodo Henricus non possideat iure depositi, nam depositum non admittit compensationem, & dummodo eius creditum sit certum. Respondet Henricus certum suum esse creditum, quamuis actionis, & probationis civilis sit expertus, neque se nomine depositi quidquam mortui debitoris habere. Tunc ego infero. Igitur in compensationem ius tibi dicere potes, neque enim æquum esse videtur, te rem tuam amittere, cum illam possis recuperare. Ita ille; sed ego aduersus illum puto probabiliter etiam in deposito dari compensationem, ut supra probatum est *in resol. 1. contra Megalium.**

An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ, possint absolui extra Religionem à peccatis reseruatis?

RESOL. IX.

Negatiuam sententiam docui *in parte prima, tract. de Bulla Cruciatæ, resol. 14.* sed ibi pro affirmatiua adduxi Ioann. de la Cruz, cui nunc addo Ægidium Trullench *in exposit. Bull. Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. per totum.* quia Summus Pontifex in Bulla concedit facultatem Regularibus sumendi eam, & quando bulla post suspensionem omnium indulgentiarum, gratiarum & facultatum

excipit concessa superioribus mendicantibus, ista exceptio intelligitur respectu tantum indulgentiarum, ut patet ex contextu, dum dicitur, *quoad sibi subditos*; & confirmatur, quia Commissarius absolute derogat priuilegiis huic expeditioni contrariis, & talia sunt supradicta priuilegia Regularium nam multi Religiosi retardarentur ab acceptatione Bullæ. Ergo, &c. Deinde supradicta priuilegia Regularium post Bullæ promulgationem non sunt ad instantiam Prælatorum per Papam reuvalidata, & post reuvalidationem à superioribus subditis suis notificata, & per notificationem à subditis acceptata, quæ omnia ad horum obligationem requiruntur, secundum opinionem probabilem Soti *lib. 1. quest. 1. art. 4.* & Medinae, quos affert Rodriquez *in Bull. Cruciat. §. 9. num. 24.* quibus adde Becanum *in part. 2. tract. 4. cap. 6. quest. 6. num. 7.* Ex quibus omnibus & multis aliis rationibus concludit Trullench *loco citato, num. 16.* Regulares licet & valide absque licentia Prælatorum. vigore Bullæ Cruciatæ, posse eligere pro libito quemcunque Confessarium ab Ordinario approbatum, qui eos possit absolue etiam à reseruatis suis superioribus & Papæ, sicut alij seculares; casu tamen, quo non constaret eorum priuilegia post Bullæ promulgationem esse reuvalidata, notificata & acceptata modo supra explicato. Ita ille, qui respondet ad Breue Clement. VIII. asserendo solum Pontificem declarare suam intentionem pro Bullis scilicet, & indultis particularibus à se concedendis & concessis, non autem pro concedendis à suis successoribus; proindeque ipsius successores Bullam concedentes potuerunt Clementis intentioni & declarationi derogare, concedendo nimirum facultatem Regularibus Bullam accipiendi; & eius priuilegiis fruendi. Et hanc sententiam probabilem putat P. Leone *de officio & potest. confess. part. 2. resol. 1. num. 54.* licet, me citato, dicat contrariam esse communem & probabiliorum.

At his non obstantibus hanc sententiam puto non esse probabilem, nec tutam in praxi, stante Bulla Urbani VIII. innouantis constitutionem Clement. VIII. cuius tenorem ponam hinc per extensum. *Innouatio constitutionis fel. rec. Clementis Papæ VIII. super Bulla Cruciatæ, & Regularibus quoad sacramentum Penitentia. VRBANVS PAPA VIII. ad perpetuam rei memoriam.* [In specula militantis Ecclesiæ, nullo licet meritorum suffragio, diuina dispositione constituti, & attentè considerantes, sacros Regularium Ordines tantas Ecclesiæ Dei utilitates omni tempore attulisse; ut ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontif. prædecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint: dignum, quin potius debitum reputamus, ut eorundem Pontificum vestigiis inhaerentes, ad eas pastoralis vigilantia partes iugiter intendamus, ut in eisdem Ordinibus disciplina regularis obseruantia facta tecta conseruetur, & si quæ illi obesse dignoscuntur, opportuna constitutionis ministerio salubriter remoueantur. Aliàs siquidem fel. rec. Clementi Papæ VIII. prædecessori nostro per Procuratorem generalem Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo nuncupat. exposito quòd cum in Bulla Cruciatæ sanctæ, & aliis priuilegiis ab Apostolica Sede concedi solitis detur facultas eligendi Confessarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absolue à casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ reseruatis, Religiosi prædicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus uti præsumebant in detrimentum eorum regularis disciplinae. Quare idem Clementis prædecessor sua perpetuò valitura constitutione declarauit facultatem & concessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium & absoluedi à casibus reseruatis, non habere locum cum Fratribus & Sororibus Monialibus quorumcunque Ordinum & Congregationum cuiusuis instituti, Mendicantium

dicantium & non Mendicantium, tam in Prouincia Hispaniæ, quam extra eam vbilibet constitutis, neque eis suffragari, sed eisdem Clementis prædecessoris intentionis fuisse, quod idem fratres, & Moniales quantum ad sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent, prout in dicti Clementis prædecessoris in simili forma Breuis desuper, sub die xxiii. Nouembris 1599. Pontificatus sui anno octauo expeditis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Nihilominus, sicut nobis, non sine animi nostri molestia, innotuit, nonnulli Ordinis fratrum Prædicatorum professores prætextu Bullæ eiusdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum Confessarium huiusmodi, qui eos, vt præfertur, absoluat, eligere posse prætendant, & forsitan eligant, etiam ad præsens, postquam litteræ nostræ sub die xiv. Iunij 1624. Pontificatus nostri anno primo, super facultate eisdem Regularibus Confessarium ad effectum huiusmodi eligendi, ad quinquennium tunc proximum concessa, emanata, pridem ab anno, & ultra expirauerunt, in maximum status, & obseruantia regularis præiudicium. Nos præmissis quantum nobis ex alto conceditur, obuiare, ac felici tam eorundem fratrum Prædicatorum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quam omnium, quorumcumque aliorum cuiuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam speciali mentione, & nota digni vtriusque sexus tam Mendicantium, quam non Mendicantium statui, atque directioni, & aliorum Christi fidelium saluti consulere volentes, præfatæque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innouantes, ac quatenus opus sit, ampliantes. Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi, etiam laicis & Clericis secularibus cuiuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota dignæ quoad casus reseruat, etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæresi excepta) contentos, non nisi in foro conscientia, non autem in foro externo suffragatur, aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruat, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus & Monialibus prædictis Fratrum prædicatorum, ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatisque & instituti prædictorum Mendicantium & non Mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quam extra eam vbilibet constitutorum locum minimè habuisse, neque habere, nec illis villo modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo litteræ nostræ huiusmodi, vt præfertur, durauerunt; siquidem die xv. mensis Iunij 1629. proximè præteritam expirauerunt: sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod idem fratres, & Moniales quantum ad sacramenti Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem ordinaria dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata, subiecti sint, earundem tenore præsentium perpetuo declaramus. Decernentes præsentibus nostras litteras de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis intentionis vitio, seu nostræ, aut alio quocumque defectu à quoquam impugnari non posse. Sicque & non aliter, in omnibus & singulis præmissis per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, ac Cruciatæ Commissarios, & quosuis alios, quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate interpretari ac iudicari debere; irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non

obstant. præmissis ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Clementis prædecessoris litteris concessa sunt non obitare ceterisque contrariis quibuscunque. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentium tenor omnibus innotescat, volumus eas in valuis Basilicæ Principis Apostolorum & in acie Campi Floræ de Vrbe, vt moris est, publicari, ipsasque sic publicatas, omnes, & singulos vbiq̃ue existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatae essent, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbiq̃ue fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Anulo Piscatoris die xix. Iunij 1630. Pontificatus nostri anno septimo.]

Igitur ex supradicta Bulla aperte apparet saltem dum viuunt, viuat verò Nestoreos annos, Sanctissimus Urbanus VIII. non posse Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium extra Ordinem pro casibus reseruat, vnde corrui opinio Trullench & aliorum.

An rebaptizans aliquem sub conditione sit irregularis, & an infans ab infidelibus captus sit postea baptizandus sub conditione?

R E S O L. X.

PROBABILITER quo ad primum negatiuam sententiam docui in part. 3. tract. 4. resol. 9. & nunc iterum doceo cum Tannero in 3. part. disp. 4. q. 2. dub. 4. n. 120. & Homobono de bonis in consult. cas. cons. vol. 1. part. 4. resp. 153. sed non desinam hic adnotare contrariam sententiam, non solum quoad irregularitatem, sed etiam quoad pœnam mortis impositam in l. 2. C. ne sanctum baptismum iteretur, docere Ioannem Præpositum in 3. par. q. 66. art. 9. dub. 3. n. 103. vbi sic asserit: *Auerte vt pœna mortis propter rebaptizationem incurratur, aliquos requirere vt baptismum absolute iteretur quia pœna sunt restringenda: vnde ce sent eum qui rebaptizaret sub conditione, etiam sciens validitatem prioris Baptismi, non afficiendum extremo supplicio, quamuis grauitate peccaret. Sed verius videtur, quod si in fine legis apponeret conditionem, sciens priorem Baptismum fuisse validum, & illicitum rebaptismum, possit illa pœna affici, quia conditio non tantum in ordine ad culpam, sed etiam in ordine ad pœnam potest censeri his circumstantiis tanquam non apposita, cum censetur apposita solum ad vitandam pœnam, & de cetero actio exterior videatur exerceri animo hæretico, & ex morali iudicio, quod Baptismus etiam ritè collatus possit repeti.* Ita ille. Sed quidquid sit de hoc in foro externo, ego puro in foro interiori talem rebaptizantem sub conditione non esse irregularem. Sed obiter ponam hic pulchrū dubium, de quo his diebus interrogatus fui, & hæc est facti species. Quidam in Rhutenia prouincia nascitur, in qua eius regionis incolæ Christianam Religionem profitentur. Triennis Turcarum incurfibus capitur, vt ipsi testantur, apud eos vti Turca educatur, crescit, viuunt. Iterum à Hierosolymitanis Equitibus ad triemes mancipatur, annis pluribus vt mancipium Turca viuunt sua lege, seruit. Is tandem Christianus fieri petit. Quæritur, an de suscepto dubius teneatur sub conditione baptizari.

Et prima facie negatiuè videtur respondendum, quia licet quando adest dubium an quis baptizatus fuerit, sit iterandus Baptismus sub conditione, vt patet in cap. de quibus, de baptis. & docet T. Thomas in 3. part. quest. 66. art. 9. ad 4. Scotus in 4. disp. 6. quest. 8. Gabriel quest. 2. art. 3. dub. ult. Paludanus quest. 4. art. 1. post. 2. concl. & Doctores infra citandi, tamen hoc procedit, quando dubium est

est probabile, vt obseruat Bizozerus de Sacram. part. 2. c. 7. num. 18. Comitulus lib. 1. quest. 1. num. 2. Zambranus de casibus tempore mort. cap. 1. dub. 1. num. 1. Estius in 4. sent. dist. 4. § 15. Petrus à Sancto Ioseph de Sacram. part. 2. disp. 1. sect. 5. Præpositus in 3. part. quest. 66. art. 9. dub. 2. num. 99. Valquez in 3. part. tom. 2. disp. 146. c. 3. n. 22. Petrus Ochagauia de Sacram. tract. unico de sacram. Baptismi, qu. 1. n. 5. & alij communiter. Sed in nostro casu non adest dubium probabile de Baptismo non suscepto, nam quis potest probabiliter opinari puerum natum inter Christianos non esse baptizatum post tres annos suæ natiuitatis? Ergo, &c. Quod confirmatur ex doctrina Syluestri ver. baptisimus, 4. num. 7. Soti in 4. dist. 3. quest. vnic. art. 9. Filliucij tom. 1. tract. 2. cap. 6. num. 149. Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. de sacram. Baptis. quest. 1. dub. 3. concl. 2. & aliorum asserentium quod expositi inter Christianos si ex ætate iudicentur nati ante mensem, censendi sunt baptizati; ergo quanto magis censendus est baptizatus iste puer, qui in terra Christianorum natus, tres annos habebat, quando fuit ab infidelibus captus; igitur dicendum videtur supradicto consulenti non esse adhibendum Baptismum cum conditione.

Neque his obstat cap. paruulos, de consecrat. dist. 4. & D. Leo in epist. 37. vbi asseritur paruulos à parentibus subtractos, de quibus nescitur an fuerint baptizati, baptizandos esse, si non inueniantur testes de eorum Baptismo. Nam respondeo cum Valquez in 3. part. tom. 3. disp. 66. art. 9. disp. 146. cap. 3. num. 25. Barbola in Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 42. cap. 2. num. 5. & alij quod canon citatus, & D. Leo loquuntur de illis, qui in parua ætate à Barbaris capti fuerunt, & certum non esset in ea baptizari à fidelibus parentibus consueuisse. Sed in nostro casu scimus dictum paruulum fuisse captum in ea ætate, in qua omnino certum est fideles consueuisse baptizare infantes, nam fuit captus ætatis suæ anno tertio. Ergo, &c. & ideo Coninch de Sacram. quest. 66. art. 9. dub. 1. num. 97. asserit, quod si constaret tales infantes à Barbaris captos iusto tempore à fidelibus educatos fuisse, omnino præsumendi essent esse baptizati. Ita ille. Sed hoc accidit in casu nostro; ergo, &c.

His tamen non obstantibus puto in supradicto casu adhibendum esse Baptismum sub conditione; nam tota vis argumentationis pro parte negatiua superius positæ consistit in eo, quod dictus infans fuit captus ab infidelibus in ea ætate, in qua moraliter impossibile videtur non fuisse baptizatum, sed hæc veritas constat ex testibus infidelibus, qui hoc dicere potuerunt, vt postea talis à Christianis captus non baptizaretur; vel absolute dico non esse testes fide dignos: ergo non est eis credendum, nam quæ fides adhibenda est eis, qui fidem non habent? Quod à fortiori euidenter probatur ex doctrina Petri Ochagauia de Sacram. tract. unico de sacram. Baptismi, quest. 11. num. 8. & Valquez loco cit. num. 16. Ioan. de la Cruz, & aliorum asserentium, quod si infantes exponerentur inter infideles qui Baptismum execrantur, tunc etiam si secum haberent testimonium asseuerans eos esse baptizatos, essent saltem sub conditione baptizandi, quia tale testimonium suspectum esse posset; inde, ait Nugnus in 3. part. tom. 1. quest. 66. art. 9. concl. 2. si testis non sit ita fide dignus, vel quia inimicus est, vel alia ratione, debet Baptismus iterari sub conditione; ex quo asserit Coninch, Valquez, Ochagauia, locis citatis, Paludanus in 4. dist. 6. quest. 4. art. 1. post. 1. concl. num. 6. in fine; Zambranus de casibus temp. mor. cap. 1. dub. 1. num. 9. Villalobos in summa, tom. 1. tract. 5. diffi. 7. n. 4. Suarez tom. 3. disp. 2. 2. sect. 2. Ledesma in summa, tom. 1. de sacram. Baptis. cap. 5. diffi. 2. & alij communiter ad tollendam dubitandi rationem, quod aliquis non sit baptizatus, opus esse testificatione testis fide digni, qui asseueranter affirmet se eum baptizari vidisse. Si ergo testis non est fide dignus, etiam si testificetur de ipso Baptismo, non sufficit, neque ei credendum est. Quanto magis credendum minimè est in

casu nostro testibus infidelibus Baptismum execrantibus, qui non testantur de ipso Baptismo, sed tantum de quodam facto, ex quo si verum esset, oriretur probabilitas ipsius Baptismi; Sed ego plus addo, quod etiam si dicti testes infideles asseuerarent supradictum infantem fuisse baptizatum, non esset eis credendum, & ita in specie docet glossa celebris in cap. cum itaque, de consecr. dist. 4. quam sequitur Ioan. Sancius in selectis, disp. 34. n. 8. vbi asserunt dubitanti de suo Baptismo non esse iterum ministrandum, si vnus testis dicto constet collatum fuisse, nisi testis sit infidelis, aut Iudæus; quia tunc præsumitur testimonium ferre in iniuriam Baptismi, siue baptizandi, vt scilicet alter sine Baptismo remaneret. Non sunt igitur supradicti testes infideles fide digni, vt ex eorum testimonio, in casu de quo controuertimus, non sit Baptismus cum conditione adhibendus. Et ita ego sentio, saluo semper meliori iudicio.

An rectè Confessarij imponant penitentias applicandas pro animabus Purgatorij.

RESOL. XI.

Hic casus frequentissimus est, & passim hoc faciunt Confessarij. Sed ego pro negatiua sententia in 3. part. tr. 4. resol. 54. adduxi Ioannem Sancium, cui nunc addo Philippum de la Cruz in thesauro Eccles. tract. 2. §. 6. n. 11. vbi sic ait. [Noten los Confessores con cuidado lo que al presente a qui se dira, y preuengolo assi, por tener conoçimiento de que quotidianamente caen en esta falta y descuido, que quando confiesan y imponen la tal penitencia, la dan, deziendo a los seglares, que rezen tantos rozarios, ayunen tantos dias, hagan dezir tantas missas, y otras diligencias; A los Ecclesiasticos, que rezen vno, o dos Noturnos de difuntos, o los Salmos Penitenciales con sus preces, o sin ella, o otra qualquiera oracion, y esto por los animas que estan en Purgatorio padeciendo. Y verdaderamente hazen mal, porque el sacrosanto sacramento de la Penitencia fue instituido para remeter y perdonar la culpa y la pena del penitente, y para que satisfaga por el reato, a loqual se ordena la tal satisfacion, y assi sera contra la naturaleza de aqueste instituto el imponer la parte de la satisfacion al penitente, y que no le sea de prouecho sino a otros y qeerer que satisfaga por penas ajenas quedando el tal obligado y cargado con las suyas propias, y assi digo, que imponerle al penitente quando se confiesa deste modo y manera las penitencias para que satisfaga por las animas, es no darle ninguna penitencia, y assi al penitente que desta manera se le diere, aunque tenga obligacion a cumplir le que le mandan, y mas ya agetada, pena de pecado, y sea graue la que le imponen, assi por pecados mortales no confessados o confessados, y aunque sean veniales, con la comun; y enseñan Zerola, Sayro, Valencia, Coninch, Reginaldo, Rodriguez, Navarro y otros infinitos quecita y sigue Enriquez, a losquales se allega Bonacina; con todo esto no tiene obligacion a aplicar la tal penitencia por las animas de Purgatorio. El fundamento es, porque la tal satisfacion fue dada imprudentemente, y el Confessor no tiene autoridad para imponer penitencias indiscretas, y siendo la penitencia fuera de razon, no tiene el penitente obligacion a complirla, como enseña la comun, y trata muy bien Villalobos. Esta doctrina mas en particular resuelue Vega y Pedraça, y entre algunos auilos que da al Confessor; pone estos por essenciales, y refiere los quemashazen al intento, y a la letra dize Pedraça, Algunos dan en penitencia, que no buelua a caer en tal culpa; y otros, que si cayeren en ella, que sean obligados a hazer tal cosa; de loqual se ha de guardar mucho el Confessor, porque esto es armar lazo al que va fuelto;

fuelto. Otros que rezen tal cosa por las almas del Purgatorio, y es detestado, porque la penitencia se da para satisfacer por si, y no por otro, &c. La qual doctrina patrocina tambien el Dotor Iuan Sanchez con agudeza, y parece cosa dura, que deuiendo Pedro mil Ducados, y queriendo pagar los por si para que deste modo, quede desobligado y libre, se le premia a que aquella cantidad pague por. Antonio que los deue a Marcos, y que por esto el tal Pedro, queda con la carga y obligacion de pagar, assi al presente deue vno pagar segun los pecados comidos pena como de vn año en Purgatorio, debelele aplicar penitencia saludable para que quede desobligado. Llega el confessor, y mandale que satisfaga por otro, o por otros que estan en penas, y assi queda el tal penitente cargado con aquella obligacion, que a no satisfacer el por otro camino saliendo desta vida con ella, es fuerza la pague en el Purgatorio. Esta es injusticia grande que se haze al penitente, y assi se aduitta y note, que ni missas, ni oraciones, ni limosna las aplique el Confessor quando confiesa a alguno, y le quiere imponer la penitencia por las almas, sino por el mismo penitente que es quien ha de satisfacer, como dize muy bien el Dotor Iuan Sanchez. Ita ille. Verum pro affirmatiua sententia in dicta resol. adduxi Turrianum tract. de penit. disp. 37. dub. 4. & quia Codex rarus est, ponam hic per extensum eius verba, sic enim ait. *Recentiores aliqui ausi sunt dicere hoc non esse licitum, & probant: quia opus illud est pars Sacramenti, & fructus eius est ipsi penitenti, qui recipit Sacramentum. At ibi placet primo, satisfactionem, ut habet effectum ex opere operato, non posse pro alio offerri, vel alteri applicari, quia effectus sacramenti ex institutione Christi datur recipienti sacramentum. Secundo existimo, satisfactionem, que respondet operi penitenti, ex opere operantis posse pro altero offerri, & alteri applicari, quia hoc non respondet soli recipienti sacramentum, neque talis est institutio, neque fundamentum ad dicendum esse talem institutionem. Tertio existimo, opus penitenti posse imponi penitenti cum obligatione, ut satisfactionem ex opere operantis offerat pro anima purgatorij, nihil est enim quod hoc impediatur. Ratio vero contraria opinionis solam probat, effectum ex opere operato non posse pro alio offerri, Et haec sententia est in usu apud doctissimos homines quos ego agnosco. Dices, illud potest esse pars Sacramenti, ergo non potest pro altero offerri. Ratio est, illud opus, ut habet effectum ut partem Sacramenti, non posse pro altero offerri, bene tamen ut habet effectum ex opere operato. An vero contraria opinio recentiorum habeat probabilitatem, dicam in censura Theologiae. Ita Turrianus. Sed utramque sententiam probabilem esse ego existimo,*

An Laicus possit absolueri morientem à censuris?

RESOL. XII.

PRO hac sententia negantes Doctores adduxi in 3. part. tract. 4. resol. 133. sed pro affirmatiua sententia ibi adduxi etiam plures auctores Cuidam Casuista vnus summa visa est haec opinio improbabili, sed immerito, nam illam cum Auila loco citato in dicta resol. probabilem esse censeo, & praeter DD. citatos absolute tenet hanc sententiam nouissimè Philippus de la Cruz in thes. Eccles. tr. 1. §. 12. nu. 4. vbi sic ait. [Notese tambien, que quando el penitente estando a la hora de la muerte, no puede confesar algun pecado, aun en general qualquiera sacerdote le puede absoluer de las censuras: y auiente el sacerdote, esto es no hauiendole, qualquiera, aunque sea seglar: y lo tengo por comun. Rodriguez dice lo puede hazer de prima censura, que en mi opinion todo es vno, esto es que todos tienen igual potencia, como lo digno en el libro que intitulo, Norte de Confesores, y es doctrina de Syluestro, fray Pedro de Ledesma, fray Ioan de la Cruz, y otros, losquales dizen, que qualquiera si el bautizado aunque sea lego, y aun herege, puede

absoluer de las censuras. Dizelo fray Ioan de la Cruz en dos palabras: *In articulo mortis vir baptizatus etiam laicus, est sit hereticus, & praesens absolut ab excommunicatione.* A algunos ha esparado esto, y no se porque, que doctrina es comun? digolo assi, por hauermelo preguntado algunos, a quienes he satisfecho con razones, y autoridad, y assi balte esto acerca desta materia.] Ita ille. Notandum est etiam hic obiter, posse Laicum in articulo mortis, quando non adest sacerdos, applicare moribundo Indulgentias Bullae Cruciatæ. Ita ego alibi, & nouissimè Egidius Trullench in *Expos. Bullae Cruciatæ, lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 19. n. 6.* vbi citat Nauarrum & Reginaldum.

An Iudex possit iudicare secundum opinionem probabilem, relicta probabiliori?

RESOL. XIII.

Affirmatiua sententiam ego in part. 1. tract. 13. resol. 3. cum multis DD. probabiliter asserui, in ciuilibus, quando diuersitas opinionum versatur circa ius, posse iudicem sine vilo scrupulo peccati & restitutionis iudicare secundum opinionem probabilem relicta probabiliori. Et hanc sententiam, praeter DD. ibi citatos, tenent nouissimè Castrus Palaus tom. 1. disp. 2. punct. 11. tit. 7. Pharaonius de sacram. penit. tract. 1. sess. 3. cap. 6. Leone de officio & potest. Confess. part. 1. recollect. 2. n. 177. & Lazarus tract. de blasphemia, q. 13. n. 63.

Nota etiam quod si ex parte facti probationes aequales sunt, & ius aequè tibi & alteri fauet, integrum est iudici rem applicare cui maluerit. Ita probabiliter docet Ioannes Sancius in *selectis, disp. 44. n. 51.* & Petrus Ledesma de matrim. q. 45. art. 1. dub. 2. ad 3. Sed magis probabiliter in tali casu dicendum est, iudicem debere si res diuisibilis est diuidere, aut si diuidi non potest, partes componere. Ita Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 4. n. 144. Castrus Palaus tom. 1. disp. 2. punct. 10. num. 2. Coninch de Sacram. disp. 34. dub. 10. n. 94. & alij penes ipsos.

Sed hic incidenter ponam pulchrum dubium, an iudex in causis criminalibus teneatur sequi opinionem probabilem in fauorem rei, non obstante opinione probabiliori in fauorem fisci, & accusatoris. Hic casus est multum practicabilis, & faxit Deus quod circa illum multi non errent. Dico igitur licere iudici in tali casu sequi partem probabilem in fauorem rei. Ita Sayrus in *clauis Regia, lib. 1. c. 11. num. 13.* & Salon, in 2. 2. D. Thom. q. 63. art. 4. contr. 2. concl. 2. & Pharaonius de sacram. penit. tr. 1. sess. 3. cas. 8. sed difficultas est an teneatur.

Ego affirmatiua sententiam teneo, quam docent Alphonsus de Leone tract. de officio & potest. confess. part. 2. recoll. 2. n. 188. Merolla in *disp. Theolog. tom. 1. disp. 3. cap. 4. corollar. 4. n. 181.* Salas in p. 2. D. Thom. tract. 8. disp. vnica, sess. 12. n. 115. Castrus Palaus tom. 1. disp. 2. punct. 11. n. 4. & alij. Et ratio est, quia nemo condemnatus est ad poenam, nisi pro certa causa, & in criminalibus ad condemnandum reum debent probationes esse luce meridiana clariores, ut habetur in *l. si iant cuncti. C. de prob.* Sed quando fiscus, vel accusator tantum probat probabiliter, defensione rei manente adhuc probabili, probationes istae contra reum non sunt luce meridiana clariores Ergo, &c.

Et haec sententia non solum procedit quando opinio in fauorem rei est probabilis circa factum, ut tenent DD. citati, sed quando etiam est probabilis circa ius, & ita tenet Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 1. diff. 15. num. 3. & 4.* vbi sic asserit. (Quando ambas opiniones son probables de parte del hecho (esto es que el hecho se prueua de ambas partes) mas vna della es mas probable entonces an las cosas ciuiles esta obligado el juez a dar sententia por la parte que mejor proba, assi lo tienen todos, y es la razon, porque esta obligado a juzgar segun los meritos del proceso. Mas en las cosas criminales puede seguir el juez la opinion menos probable

en fauor del reo dexando lo mas probable; y a mi pare-
cer tiene obligacion precisa a ello, por que aqui no es el
derecho de las partes claro, sino obscuro. Item por que
para condenar, deuen fer las prouanças mas claras que la
luz del medio dia ex l. *sciant cuncti*, C. de probat. y aqui no
lo son, y feria cosa terrible, que pudiendo dexar de con-
denar a vno a muerte, el Iuez le condenasse, loqual deue
hazer a mas no poder.] Ita ille, qui postea licet doceat
quòd iudex teneatur sequi opinionem probabiliorem,
quando versatur circa ius, tamen statim lubdit. [Mas ha-
se de aduertir que en fauor del reo ha se de seguir la opi-
nion menos probable, como queda dicho.] Vnde apparet,
vt dixi secundum Villalobos, iudicem sequi debere opi-
nionem probabilem circa ius in fauorem rei, licet con-
traria sit probabilior, & ita etiam docet Emanuel de
Moure opusc. 1. de ensal. & incantat. sect. 1. c. 1. n. 25. vbi sic
ait. *Reus habens pro se opinionem probabilem, quamuis contra
se probabiliorem, non nisi in quæ contra iustitiam commutati-
ua damnabitur iuxta probabiliorem, non verò absoluetur
iuxta probabilem.* Sic ille.

Non desinam tamen hęc adnotare Bonacinam tom. 2.
de legib. disp. 2. q. 5. punct. 1. n. 15. contrarium docere, ita enim
ait, *Ego non improbabiler censeo eandem doctrinam appli-
cari posse causis ciuilibus & criminalibus, ita vt in opinione
aque probabili ex parte iuris liberum sit iudici sequi quam ma-
tuerit opinionem. In opinione verò aque probabili ex parte facti,
iudicem posse partem pœna imponere, nisi aliter ferat consue-
tudo, vel decreta.* Sic ille, quem sequitur Alphonsus de
Leone in tract. de officio & potest. confess. part. 1. recoll. 2.
n. 1 & 2. quando diuersitas opinionum versatur circa ius.

Sed absolutè ego existimo non esse recedendum ab af-
firmatiua sententia, quia gratis asserit Bonacina, eandem
rationem militare in causis criminalibus ac in causis ciui-
libus, nam, vt optimè obseruat Martinez in part. 2. tom. 1.
q. 19. art. 6. dub. 6. concl. 3. & alij, in moralibus alterius ratio-
nis est agere de vita, aut de bonis temporalibus. Verùm
quia sententiam Bonacinæ, quando opiniones versantur
circa ius, docet etiam Ioannes Sanctius in selectis, disp. 44.
n. 52. non audeo illam tanquam improbabilem refellere,
nimis tamen durum videtur, cum possit iudex absoluere
reum, stante opinione probabili in eius fauorem, velle
illum ad mortem damnare. Verùm si, vt dictum est, opi-
niones versentur circa factum, omnino contra Bonaci-
nam assero iudicem non posse damnare reum secundum
opinionem probabiliorem, relicta opinione probabili in
eius fauorem. Et ita docent Doctores citati.

*An qui indignè in Paschate sumpsit Eucharistiam,
incurrat in excommunicationem latam ab
Ordinario contra transgressores
præcepti communionis?*

R E S O L. XIV.

Quidam Theologus affirmatiuam sententiam docuit,
sed contrarium dicendum est per ea quæ adduxi in
part. 3. tract. 4. resol. 43. vbi contra Nugnum & Syluium
docui, sumentem indignè Eucharistiam in Paschate satis-
facere præcepto Ecclesiæ, & præter Doctores ibi citatos,
tenent etiam hanc opinionem Vasquez in 3. part. tom. 3.
disp. 214. c. 4. cui etiam adde Petrum Ochagauiam de Sa-
cram. tract. 2. de Eucharist. q. 15. n. 6. qui indiuidualiter res-
pondet ad casum huius resolutionis, sic enim ait. *Implet
præceptum sumendi Eucharistiam in Paschate, qui indignè &
cum conscientia peccati mortalis illam sumit. Probat, nam
alia præcepta impleri possunt per actum continentem in se pec-
catum lethale, vt ille, qui die ieiunij nimis replet stomachum
cibus in eo unico prandio, quod licitum est ieiunantibus, posset
quidem peccare lethaliter, & tamen sine dubio satisfaceret præ-
cepto ieiunij. Item is, qui in peccato mortali susciperet sacra-
mentum Baptismi, satisfaceret præcepto diuino suscipiendi
Baptismum. Secundo probatur idem responsum ratione D.
Antonini Diana Pars II I.*

*Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. quia lex, quæ præcipit aliquem actum,
præcipit substantiam eius; non verò modum, nisi modus sit de
essentia actus secundum se, vel prout cadit sub lege (qua ratio-
ne attentio est de essentia orationis.) At verò suscipere Eucha-
ristiam cum dispensatione debita, non est modus essentialis Sa-
cramenti communionis; nam si quis indignè communicat, sa-
cramentaliter communicat. Vnde ad primum argumentum
respondetur, dignum cultum, seu reuerentiam huius Sacramen-
ti esse finem huius præcepti, non materiam eius. Ad secundum
respondetur, illud verbum reuerenter, vel denotare reueren-
tiam extrinsecam, vel intrinsecam, quam petit hoc Sacramen-
tum ex natura sua, & iure diuino non humano. Inde ille qui
cum reuerentia intrinseca, sine extrinseca tamen comunica-
ret, non violaret præceptum Ecclesiasticum de suscipienda
Eucharistia, sed diuinum. Vnde qui indignè communicaret,
non incurreret pœnas, vel censuras Ecclesiasticas, quæ contra
transgressores huius legis imponerentur, quia in rigore serua-
ret præceptum, & legem Ecclesiæ. Ita ille, & ego.*

*An irregularitatem ex defectu lenitatis incurran-
tantum ministri iustitiæ, & non alij?*

R E S O L. XV.

Omnes in dictam irregularitatem incurrare docent
communiter DD. & hæc opinio est probabilior &
communior. Sed pro contraria sententia ego ipse in part.
mearum resol. moral. tract. 5. resol. 79. adduxi Turrianum de
conf. lib. 7. disp. 66. dub. 3. & quia scio hanc opinionem, vt
liberatricem multorum scrupulorum, fuisse à multis viris
doctis exceptam, nunc assero illam, præter Vasquez &
Turrianum, docere etiam Gasparem Hurtado ex eadem
Societate IESV disp. 2. de irregul. diff. 1. n. 39. Igitur secun-
dum suprad. DD. irregularitas ex homicidio non incurritur
ob concursum ad illud, nisi aut factum à ministro pu-
blico iustè, aut factum à persona priuata iniustè; vnde qui
vendunt, aut donant ligna ad viuos comburendos; & gla-
dios, & funes, & alia instrumenta ad interficiendos delin-
quentes, nec confessarius secus consulens pœnitentem,
iudicem, & quemlibet alium in casu particulari, vt con-
currant, & citò ad interfectionem delinquentis, nec quiuis
alius, qui acceleret mortem alicuius, incurrunt irregulari-
tatem; & multa alia exempla inuenies apud me in d. resol.
& ratio horum omnium est: quia in iuribus, in quibus fit
mentio irregularitatis ex defectu lenitatis, tantum est ser-
mo de iudicibus & aliis officialibus concurrentibus ad
occisionem, aut mutilationem, vt publicis personis & mi-
nistri iustitiæ. Ergo dicta irregularitas non est extenden-
da ad alios. Perpetuò tene menti hanc doctrinam, amice
lector, nam ex illa non paucos extricabis casus, & celebra-
eius auctorem, qui fuit sapientiss. Vasquez, vt testantur
Turrianus & Hurtado loco citato; & eodem P. Vasquez as-
sistente, hanc sententiam publicè defendit in Collegio
Complutensi Societatis IESV vir doctiss. & amiciss. D.
Franc. de la Riba, heu quondam noster. Vnde non est
audiendus Villalobos tom. 1. tr. 21. diff. 27. n. 12. vbi asserit.
[el que emonesta al reo que llegue la cabeça al tron-
co donde le han de iusticiar, o le dize que suba a priessa
la escalera, o al verdugo que asile el cuchillo, todos estos
son irregulares;] non inquam, est audiendus, quia supra-
dicti non accelerant mortem, vt ministri iustitiæ, neque
committunt peccatum, vt suppono; ergo. Vide, vt dixi
me ipsum in cit. resol. 79. & 80.

*Quis habet casus reseruatos, & confessus vigore
Bulle fecit scienter confessionem inualidam,
queritur an possit postea à quolibet
Confessario absolui?*

R E S O L. XXVI.

Pro affirmatiua sententia, quam probabilem putau
in part. 1. tract. 11. resol. 1. adduxi Comitolum, & alios.
Sed hæc opinio displicuit cuidam viro docto immeritò
Y qui lem

quidem, & ideo tanquam probabilem iterum illam admitto, quam absolute tueretur nouissime Ægidius Trullench in *Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 3. n. 9.* ubi sic ait. *Quæres, an qui fecit confessionem irritam & inualidam, in qua confessus est reſeruatis, & à Confessario absolutus fuit ratione Bullæ liber sit à reſeruatis confessis, ita ut possit postea ea peccata cuilibet approbato confiteri.* Respondeo affirmative, quia directe & animo gaudendi hoc privilegio, ut suppono se subiicit legitimo superiori, qui potuit & voluit tollere reſeruationem. Secundo, quia à reſeruata Papa censura potest absolui ratione Bullæ extra confessionem; ergo non requiritur ad effectum tollendi reſeruationem virtute Bullæ, quod confessio fuerit valida, vel non. Et hæc omnia etiam procedunt, quando poenitens habet animum & intentionem expressam confitendi & subiiciendi absolutioni non solum ea reſeruata, quorum recordatur, sed etiam ea omnia se recordaretur, & confessarius absolute absoluit expresse confessus, & sub conditione oblita, tunc enim ab omnibus censetur absolutus, & sufficit postea illa peccata quando memoria occurrerint, cuilibet approbato confiteri. Ita Trullench, cui adde insignem Theologum Salmanticensem Petrum Ochagauiam de *sacram. tr. 2. de confess. sacram. q. 22. concl. 2. n. 8.* ubi sic asserit. *Si quis expresse confitetur omnes casus reſeruatos Sacerdoti habenti ad id iurisdictionem, vel concessam in gratiam sui vel in gratiam poenitentis, satisfacit omnino reſeruationi, etiam si confessio ex aliquo capite nulla reddatur; unde talia peccata potest postea cuilibet Confessario confiteri; quia reſeruatō ad id ordinatur, ut poenitens deferat peccata propria Sacerdoti, & eius sententiam audiat, & poenitentiam impositam acceptet. Sed hoc solum contingit cum confessio ex aliquo capite redditur nulla, ut supponimus; ergo tollitur omnino reſeruatō, Et hæc, conclusio etiam est vera, cum absolutio datur ratione potestatis delegatæ quia facta sit fini reſeruationis.* Hæc Ochagauia, qui citat Syluestrum *ver. confessio 1. q. 19.* & D. Antoninum *part. 3. tit. 14. cap. 19. §. 7.* Unde immerito, ut dixi, hanc opinionem quidam existimauit improbabilem, est enim probabilissima, cum pro se magnos Authores habeat, & validis sit fulcra rationibus. Unde probabiliter ego his diebus consului, quemdam absolutum à reſeruatis virtute Cruciatæ, qui postea cognouit confessionem illam fuisse nullam, & tunc Bullam non habebat, potuisse postea de illis absolui à quocumque sacerdote approbato, & ita mecum fenserunt etiam multi viri docti de hac re ab illo consulti.

An possit absolui ratione Bullæ toties quoties à casibus Pontifici reſeruatis, si sint occulti?

R E S O L. XVII.

Hæc quæstio erit multum plausibilis Confessariis. Ego pro opinione negatiua in *part. 1. tr. 11. resol. 28.* adduxi Villalobos, Ledesnam, Fernandez, quibus nunc addo Henriquez *lib. 6. c. 4. n. 7* & Bannez *in 2. 2. q. 64. art. vlt.*

Sed ibi pro affirmatiua sententia adduxi Sanchez, cui nunc addo Ægidium Trullench in *Bull. Cruciatæ, lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 6. n. 3.* Quia, ait ille, restrictio illa semel in vita, & in articulo mortis, posita est in Bulla quoad casus publicos & non manifestos; Bulla enim solos casus Pontifici reſeruatos excipit, ne liceat illos absolui toties quoties, ac casus occulti cum non sunt casus Pape reſeruati, sed competunt Episcopis, non ex aliqua delegatione speciali, ut existimat Henriquez; sed iure ordinario, tanquam perpetuo annexi dignitati Episcopali, neque exiguntur industria persone Episcopi, aliter enim ita essent personales, ut eos delegare non posset, quod est falsum; Ergo eis talis facultas competit iure ordinario & eo iure casus Papales, si occulti sint, censentur casus Episcoporum reſeruati. Et confirmatur, quia etsi casus Episcopales non desinant esse tales per concessionem peculiarem factam ab Episcopo, ac desinere esse si constitutione synodali concederetur Parochis, & solis illis reſeruati essent. Ergo similiter & casus Papales non desinant esse tales, eo quod illos semel, aut iterum Pontifex concedat Episcopo, imò etsi semper eos concedat

Episcopo speciali, ac desinant esse tales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuicumque Episcopo, ut factum fuit in Tridentino respectu casuum Papalium occultorum. Cum ergo Bulla concedat absolutionem à reſeruatis Episcopo toties quoties, concedendum est per Bullam posse dari absolutionem ab eis reſeruatis occultis toties quoties, ut pote qui per decretum Tridentini iam non sunt Papales, sed Episcopales. Et tandem probatur, quia reſeruatō ut odiosa est limitanda, quando verba talem limitationem patiuntur. Sed illa restrictio potest alligari soli absolutioni casuum predictorum, qui publici sunt: ergo solum respectu eorum negabitur per Bullam facultas repetendi in eodem anno absolutiones toties quoties oportuerit. Hæc omnia Trullench loco citato, & hanc opinionem probabilissimam esse, & tutam in praxi, sentiunt multi viri docti Societatis I E S V, & nostræ Religionis, de hac re à me consulti.

An qui eligit aliquam ex commutationibus, & aliis renunciauerit, possit redire ad prius votum, vel ad aliam commutationem?

R E S O L. XVIII.

DE hac quæstione egimus in *part. 2. tract. 16. resol. 6.* & pro parte negatiua nouissime stat Ægidius Trullench, in *expof. Bul. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 14. n. 10.* qui citat Sanchez, quia per nouam electionem censetur de nouo uouisse, & ideo ut ad prius votum, vel ad aliam materiam subrogatam possit redire, requiritur noua commutatio. Verum contrariam sententiam probabilem esse existimo, quam tenet Villalobos in *sum. tom. 1. tr. 27. claus. 9. n. 34.* ubi sic ait. [Aunque se aya comutado el voto, y dexar la comutacion. Mas dize Sanchez que si renuncio la comutacion y se boluio al primero voto, no puede vsar ya de la comutacion, porque ya de nueuo se obligo à Dios, por aquel acto. Mas a mi pareceme esta opinion dura pues no haze nueuo voto. y anfi que podra cumplir lo vno, y lo otro.] Ita ille. Est igitur vtraque sententia satis probabilis.

An pueri tempore quo sunt capaces recipiendi sacramentum Poenitentiae, sint etiam capaces recipiendi Eucharistiam?

R E S O L. XIX.

Negatiuam sententiam ego docui in *part. 3. tract. 6. resol. 70.* cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Præpositum in *3. part. q. 80. art. 11. dub. 2. num. 58.* Ludouicum de San. Iuan in *luce Sacerdotum q. 7. de Euchar. art. 11. dub. 1. concl. 1.* Graffium in *decis. aur. part. 1. lib. 2. c. 38. n. 15.* Scortiam de *sa. rif. Missæ, lib. 4. cap. 29. num. 5.* Cordubam in *sum. quæst. 60. ver. 11.* Bonacinam de *sacram. disput. 4. quæst. 7. punct. 2. num. 3.* & alios penes ipsos. Sed ibi pro contraria opinione, quam probabilem existimaui, adduxi Ioannem Sancium; verum aduersus illum acriter insurgit nouissime Ioan. Merlinus Societ. I E S V, *tract. de frequent. Euchar. dict. 1. cap. 1. & seq.*

Et his non obstantibus opinionem Sancij tenet ex eadem Societ. I E S V, ut ibi notauimus, Castrus Palas in *opere morali tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 2. n. 7.* cui nunc addo Philippum de la Cruz in *Theaur. Eccles. tr. 1. §. 11. num. 3.* ubi docent ad lucrandum Iubilæum pueros qui possunt confiteri, esse etiam ad sacramentum Eucharistiæ admittendos; sic ait, [Esta es doctrina de san Antonin. 3. part. tit. 14. cap. 12. §. 4. & 5. y Paludano in 4. dist. 12. q. 1. num. 25. que se comprehende en estas breues palabras. Et dicitur annus discretionis, non pubertatis, qui sunt anni nobiles in femina 12. & 14. in masculino, sed postquam est doli capax, cum scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de confessione, & per consequens de communione, qua simul dantur quia ex quo potest peccare, debet remedium confessionis & communionis adhiberi, y assi

affi esto Doctores enseñan que yualmente el que tiene vfo de razon, tiene obligacion a la confesion y a la communion, laqual doctrina mas que ningun dotor la trae y defiende con grande agudeza Iuan Sanchez, en quien toda esta disputa se puede ver, laqual concluye con esta palebras. *Cuiliber puero statim ac peccare nonerit distinguendo inter bonum & malum, ministrari debet Eucharistia, licet sexto, aut septimo anno; nam preceptum de annua confessione, & suscipienda Eucharistia eodem tempore obligat fides, statim vero ac quis scit peccare, obligatur precepto confessionis annue,* guidandole por esta doctrina los confesores, pueden amonestar que comulguen a los tales para ganar las indulgencias.] Ita ille. Sed ne discedas à prima opinione, tanquam communiori & probabiliori.

An in Iubileo extra tempus Quadragesima possit quis comedere lactinia sine Bulla Cruciatæ?

R E S O L. XX.

PRO affirmatiua sententia, quæ nimis laxa immeritò aliquibus visa est in part. 1. tract. 9. resol. 6. adduxi aliquos Doctores, quibus nunc addo Philippum de la Cruz in *Thef. Eccles. tract. 1. §. 10. n. 9.* vbi sic ait. [Si los Iubileos vienen en quaresma se puede ayunar y cumplir comiendo huevos, y cosas de leche teniendo bula: no porque lo pida el Iubileo, sino por ser quaresma, y entra año viuiendo aunque no la tengan comiendo los dichos manjares, cumplen con los tales ayunos.] Sic ille. Nec potest consuetudo in contrarium adduci, quia talis consuetudo nescio an sit scienter & sponte inducta, sed ob frequentes Bullas, quas ferè omnes capiunt, puto viros simpliciores per errorem se obligare: & in Sicilia & in Hispania talis consuetudo nescio quo pacto possit probari, eo quòd abhinc quinquaginta annis maior pars populorum, quæ sola posset & deberet consuetudinem introducere ex privilegio Bullæ comedit oua & lactinia. Ergo circa hoc nullus vsus allegari potest, qui introduxerit consuetudinem per modum præcepti, cum nullus fuerit vsus huius abstinentiæ.

Adde quòd in tali casu non sufficeret vsus & consuetudo, nisi hæc facta fuissent animo se obligandi, sunt enim hæc duo valde diuersa, nam potest intendi per se vsus & consuetudo, & non intendi animo se obligandi, sed tantum ex deuotione.

Et cum hæc res sit valde dubia, an videlicet in tali consuetudine si extaret, fuerit animus & intentio totius populi se obligandi ad talem abstinentiam lactiniorum, sequitur inclinandum esse in eam partem, vt consuetudo potius sit deuotionis & honestatis, quam obligationis, quia in dubio nemo præsumitur velle se obligare, & melior est conditio possidentis. Et ita hæc omnia præter Vasquez, Sancium, Suarez, à me alibi citatos, tenet & docet nouissimè Ægidius Trullench in *Bull. Cruciatæ, lib. 1. §. 4. dub. 3. num. 4.*

Vtrum ad contrahendam affinitatem necesse sit non solum virum, sed etiam feminam seminare?

R E S O L. XXI.

PLausibilis erit lectoribus hæc resolutio. Dico igitur quòd in tali casu communiter asserunt DD. sufficere tantum semen viri, Ita Villalobos in *summ. tom. 1. tr. 14. diff. 11. n. 8.* Comitulus in *respons. mor. lib. 1. q. 30. n. 2.* & Doctores quos citat & sequitur Sanchez de *matr. tom. 2. l. 7. disp. 64. n. 21.* & ego adduxi in *3. part. tr. 5. resol. 19.* Et ratio est, quia copula sine emissione seminis feminae est copula perfecta, & sufficiens ad generationem; ergo per illam contrahitur affinitas; quòd autem ad generationem sufficiat solum semen viri, tradit Aristoteles *l. 2. de gener. c. 2.* Auicenna *l. 9. animal. c. 1.* & D. Thom. in *3. part. q. 31. Anton. Diana Res. Mor. Pars I I I.*

art. 5. ad 3. quem ferè omnes Theologi sequuntur, Rosella ver. impedimentum 14. n. 8. Tabiena eodem ver. 4. q. 2. n. 3. in fine. D. Antoninus part. 3. tit. 1. c. 11. ante §. 1. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. Henriquez lib. 11. c. 8. n. 8. in glossa litera N. & alij. Vnde Ancharanus in cap. fraternitati, de eo qui cognoscit consanguin. paulo post principium, ait ad affinitatem non requiri semen feminae.

Sed his non obstantibus, ego cum Sanchez *vbi supra, n. 20. in fine, in dicta resol.* putavi contrariam sententiam esse probabilem, quam nouissimè præter DD. quos in *d. resol.* citavi, ex Theologis Societatis I E S V tenet Gaspar Hurtado tract. de *matr. disp. 20. diff. 1. n. 4.* vbi sic ait. Ad affinitatem non sufficit leminatio viri in matricem feminae, in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiritur leminatio feminae, vt indicatur in *can. lex diuina constitutionis 27. q. 2.* dum in eo requiritur sanguinis (id est feminis) commixtio; quia Galenus docet, quòd etiam leminatio feminae est necessaria ad generationem. Et sanè semen feminae non videtur ad aliud à natura institutum. Sic ille. Tenet etiam hanc sententiam ex Dominicanorum familia Lopez in *instruēt. p. 2. c. 50.* Graffius *p. 1. l. 2. c. 80. num. 8.* & ex veteribus Innocentius, Archidiaconus Bellamera, Cardinalis Astensis, Nicolaus de Orbellis, Gaeta & alij penes Sanchez *loc. cit.*

Et ideo non grauabor hic apponere verba Ioannis Præpositi in *addit. ad 3. part. D. Thoma, quest. 5. de insolubil. matrim. dub. 9. num. 79.* sic asserentis. Non est improbable ad consummationem matrimonij requiri etiam leminationem feminae. Primò, quia multorum est sententia, quòd semen femineum per se etiam requiratur ad generationem, & quòd mater etiam per suum semen etiam actiue concurrat ad generationem tanquam materiam. Secundò Benedictus Pontifex in *can. lex diuina constitutionis*, dicit osculum non parere propinquitatem quòd nullam faciat sanguinis commixtionem; ergo ad affinitatem (de qua *ibi* loquitur) iuxta illum requiritur commixtio seminis virilis, & feminei, cum non possit dici commixtio sanguinis, si adit solum semen virile. Ita Præpositus. Ex quibus rectè infert primò, quòd si viro leminante mulier non leminauerit, idque partibus constet, possint religionem ingredi, sitque probabile, quòd per professionem soluatur matrimonium, atque idè pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium inire. Infertur secundò, si vir in eadem circumstantia mortua vxore aliam accipiat, cum qua consummet matrimonium, non idcirco impediatur sacros Ordines accipere, quia ex eo capite non erit bigamus, vt satis est probatum in *tr. de irregularitate*, qui, Deo dante, videbit lucem in 4. parte breui edenda. Igitur ex supradictis dicendum est affirmatiuam sententiam circa præsentem questionem probabilem & tutam esse in praxi, vt ipsimet aduersarij fatentur, Sanchez, Villalobos, Comitulus: & clarè hanc opinionem præter DD. citatos, docet etiam D. Thomas in *4. dist. 4. quest. 1. art. 1. quest. 4. ad 2. vbi sic ait. Vir & mulier efficiuntur vna caro per commixtionem seminum, vnde quantumcumque aliquis claustra pudoris frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas.* Ita Sanctus Doctor, quod iisdem verbis docet D. Bonauentura, etiam in *4. sent. dist. 41. q. 1.* Vnde ex his sequitur stante probabilitate huius opinionis; eum qui habuit copulam cum sorore, v. g. vxoris, si illa non leminauit, nullam contraxisse affinitatem, & ideo posse sine vlla dispensatione petere à sua vxore debitum.

Et pro coronide huius resolutionis non desinam hic inquirere, an quando copula fornicaria est, iure naturali oriatur affinitas. Affirmatiuam sententiam docet Hurtado de *matrim. disp. 20. diff. 2. num. 7.* Coninch de *Sacram. disp. 32. dub. num. 49.* quia etiam per dictam copulam fornicariam vir & femina fiunt vna caro, & vnus sanguis, non minus quàm per coniugalem, vt patet ex D. Paulo *1. Cor. 6.* dum ait, *Qui adhaeret meretrici, vnum corpus efficitur, & erunt duo in carne vna.* Sed negatiuam senten

sententiam tenet Sanchez de matrimonio, tom. 2. disp. 65. num. 9. Pontius de matrim. lib. 7. cap. 33. num. 4. Henriquez lib. 12. cap. 1. num. 2. quia nulla sunt nomina, quibus nominemus sic affines ex fornicatione, deinde in l. non facile §. affines, & §. sciendum est ff. de gradibus affinitatis, dicitur neque cognationem, neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint. Ex qua sententia, quam etiam tenet Villalobos in summa, tom. 1. tract. 14. diff. 17. n. 10. infertur, ut ipse ait, [que el que siendo infiel conocio illicitamente a vna muger, se puede depues de baptizado casar con su hermana, porque no nacio de alli afinidad, y assi no tiene impedimento. Y lo mismo seria, si vn Christiano tratasse illicitamente con vna muger infiel, que podria despues casarse con vna hermana suya, que fuesse Christiana.] Sic ille. Vnde dicendum est utramque sententiam esse probabilem.

An per Bullam Cruciatæ suspendantur altaria privilegiata si a in Ecclesiis Regularium?

R E S O L. XXII.

Probabiliter cum Fernandez & Rodriguez affirmatiuam sententiam docui in part. 1. tract. 11. resol. 86. Sed nunc negatiuam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam nouissimè tuetur Ægidius Trullench in expos. Bull. Cruc. lib. 1. quest. 9. cap. 3. dub. 4. n. 3. ut colligitur ex ipsa Bulla. Nam Pontifex solum censetur suspendere Indulgentias pro viuis concessas, quia solum suspenditeas respectu eius, cui reualidantur accepta Bulla, quod colligitur verbis illis reualidationis. Insuper in fauorem presentis huius concessionis & Cruciatæ declaramus, ut quicumque summarium huiusmodi Bulla sermone & idiomate vulgari conscriptum acceperint, ij omnes fruantur, potiuntur, & gaudeant omnibus gratiis, indulgentiis, Iubilæis, peccatorum remissionibus, ipsis tam per SS. Dominicum Nostrum Greg. XIII. quam per alios summos Pontifices, aut Sedem Apostolicam concessis, &c. At reualidatio hæc respicit viuos, & non defunctos: nam viui non defuncti participare possunt omnia, quæ in reualidatione continentur ergo Bulla suspendit solum indulgentias pro viuis concessas. Et potest roborari: quia ut docet Mart. Cartillo in expos. Bull. defunct. part. 2. c. 9. in fin. Indulgentiæ concessæ animabus Purgatorij, non suspenduntur per suspensiones generales, v. g. per promulgationem Iubilæi in anno sancto. Sicque indulgentia pluriaria in altari privilegiato pro animabus Purgatorij concessa, eo anno suspensa non manet; nam ratio ob quam illo anno Pontifex indulgentias suspendit, est, ut Christi fideles animo alacriori & promptiori feruentiorique deuotione Romam proficiscantur ad indulgentias comparandas, & loca sacra visitanda; quæ ratio cessat respectu animarum Purgatorij, atque ita per generalem suspensionem non suspenduntur indulgentiæ pro defunctis concessæ; nisi de ipsis expressa fiat mentio; ergo nec per Bullam generalem suspensionem. Deinde, quia, ut patet ex verbis suspensionis Commissarij Bulla suspendere solum censetur ea per que tam pium opus impeditur, ibi, Ne hoc aded pium & sanctum opus disturbetur & impediat per alias indulgentias, gratias & concessionem. At per hanc non suspensionem hoc opus parum aut nihil impeditur, nam cum hac indulgentia solis defunctis proficit, viui, ut illis Bulla proficit, eodem modo accipere eam tenentur. Sic ille, satis probabiliter, ut dixi.

An Bulla Cruciatæ suspendat priuilegia mendicantium, ita ut non possint commutare & dispensare vota, absoluerè a reseruatiss, &c.

R E S O L. XXIII.

Negatiuam sententiam cum multis Doctoribus sequutus sum in 1. part. tr. 11. resol. 100. Sed aduersus hanc opinionem insurgit Ægidius Trullench in Bull.

Cruc. l. 1. q. 9. c. 3. dub. 3. n. 8. vbi sic ait, Tenenda est sententia affirmans, nimirum talia priuilegia quoad seculares esse per Bullam suspensa, quod tamquam certum supponit Lopez c. 10. de Bulla p. 185. col. 2. Probatur, & simul destruitur fundamentum contraria sententiæ, quia Bulla Cruciatæ expressè suspendit priuilegia, facultates, &c. concessas, non solum singularibus personis, sed etiam Ecclesiis quibuscumque & Monasteriis ac locis piis. Patet ex facultate suspendendi, quam Pontifex in Bulla latina concedit Commissario illis verbis. Item prædicto Commissario datur facultas, ut suspendere possit similes, aut dissimiles indulgentias, & facultates, &c. quibusuis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis. Vniuersitatibus, Confraternitatibus & singularibus personis in Regnis, Insulis, terris, locis & dominiis præfatis concessis, Et in Bulla Hispana [Y no el dicho Commissario suspendemos todos y qualesquier indulgentias concedidas a todos y qualesquier Yglesias y monasterios, &c. y seculares personas.] Quia suffultus auctoritate Commissarius generalis suspendit omnes indulgentias & facultates quibusuis Ecclesiis, Hospitalibus, & locis piis, & Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis concessas. Ergo constat euidenter non solum suspendi per Bullam priuilegia personalia particularibus, sed etiam priuilegia realia Ecclesiis, Monasteriis, & aliis piis locis concessa. Sed ex iis priuilegiis quæ per Bullam conceduntur, tantum excipiuntur concessa Superioribus Mendicantium, quoad eorum fratres; ergo quoad seculares omnino suspensa remanebunt; nam particula tantum expressè limitat illam exceptionem solum extendi ad fratres, & minimè ad seculares. Nec valet, si dicas in Bulla suspendi quidem priuilegia concessa Monasteriis, non quidem Religiosis. Non, inquam, valet, primò quia ut docet Syluest. Religio §. num. 1. Monasterium significat ipsos Religiosos. Vnde suspensis priuilegiis concessis Monasteriis, suspenduntur priuilegia concessa singularibus personis eorum. Secundo, quia Bulla expressè suspendit priuilegia etiam particularibus personis concessa; ergo etiam si Regularium priuilegia ipsis Monasteriis, vel potius ipsis particularibus personis sint concessa, per Bullam suspenduntur; quare sententiam Rodriguez non audeam admittere in praxi: alias enim quasi actum esset de Bulla, & nihil prodesset illa verba addita a Papa, quoad eorum fratres tantum. Sic ille. Verum his non obstantibus non est recedendum à negatiua sententia, quam in dictis resol. docuimus & præter DD. quos ibi citaui, tenent hanc opinionem Villalobos in summa, tom. 1. tr. 27. claus. 12. num. 6. & 7. vbi sic asserit. [No suspende la Bula si no es priuilegios personales que se conceden a las personas, a las quales se da facultad immediatamete, para que gozen de las graçias concedidas a Cofradias, Monasterios, Hospitales, y otros piadosos lugares, que no los gozan sino tienen la Bula, y con ella los pueden gozar, y no ha menestertomarla el Hospital, sino las personas que han de gozar priuilegio. Mas no suspende la Bula los priuilegios reales concedidos a las Religiones, que para esso era necessario declararlo expressamente como dize Henriquez, el qual dize que fueron deste parecer muchos doctores consultados en Salamanca el ana 76. Gallo, Medina, Bannez, el Padr. F. Gaspar de Vzeda, y el P. Alcocer, y Nauarro.] Sic ille.

An si aliquis sumat pro amico Bullam Cruciatæ, & scribat in ea eius nomen, possit talis eam non acceptare, sed nomen suum tollere, & illam alteri applicare?

R E S O L. XXIV.

Pro affirmatiua sententia in part. 1. tr. 4. resol. 95. adduxi Villalobos, cui nunc addo Ægidium Trullench in Bull. Cruc. lib. 1. §. 1. dub. 2. num. 6. vbi sic ait. Si habens Bullam non eam sibi accepit, seu applicauit, potest eam in aliam gratis, seu data stipe transferre, vel eam Commissarius recuperare. Ita Rodriguez, §. 12. num. 17. & Henriquez lib. 7. cap. 8. num. 1. lit. B. & cap. 20. num. 5. lit. H.

lit. H. Vnde si iam acceperam Bullam, & parentes aut amici mittant ad me aliam, vel alias, qua nomine meo acceperant, licet tunc mihi has Bullas, quibus non indigeo, sub stipe in alios transferre. Ratio est, quia quandiu non acceptavi, applicatio est in pendenti, atque ita licet eam in alium transferri etiam data stipe: talis enim censetur animus Pontificis & Regis, scilicet ut nemo sit grauandus ut reuincat nisi vniam Bullam sibi opportunam, quare reliquas si aliis confert accepta stipe, reuera illis proderunt. Quod procedit, quamuis in Bulla ad me transmissa sit nomen meum appositum: nam per nominis appositionem per errorem factam, sine propria acceptatione Bulla non fit mea, & adhuc manet in pendenti. Vnde poterit mutato nomine ante acceptationem in alium transferri. Nec mutare nomen ab alio scriptum est culpa, quia hoc potius est corrigere, sine emendare id quod ex ignorantia alterius factum est, vt docet Nauarr. cap. 22. num. 62. in fin. Et ratio est, quia ista Bulla non sunt litera Apostolica, sed transumpta literarum Apostolicarum. Ita ille. Vide etiam Rodriquez in Bull. §. 12. num. 17. & Henriquez lib. 7. cap. 8. num. 1. in gloss. lit. B. & cap. 20. n. 5. in gloss. lit. H.

An sufficiat ad lucrandas Indulgentias visitari ex vno loco quinque altaria sine motu corporali?

RESOL. XXV.

Hic casus frequenter potest accidere in praxi, & de illo ego egi in 1. part. tract. 11. resol. 102. & pro parte negatiua adduxi Rodriquez, cui nunc addo Aegidium Trullench in Bull. Cruc. lib. 1. §. 6. dub. 2. num. 4. vbi sic ait. Henriquez ait, etiamsi expediens sit vt altarium visitatio fiat cum aliquo corporis, & situs motu, si commode fieri possit, id tamen non requiritur necessario, sed satis est vt vno loco fixus preces fundat versus quinque altaria. Quod etsi probabile sit, tutius & verius existimo requiri aliqualem corporis motum, quando commode fieri potest; aliter enim in rigore non videtur quintuplex, sed vnica visitatio. Quando vero quis idem altare quinque visitat, existimo non teneri loco dimoueri, sed eodem loco fixum posse illud quinque visitare, dummodo qualibet visitatione finita, saltem corpus & caput inclinet in signum distincta visitationis. Ita ille. Sed ego in dicta resol. contrariam sententiam docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Philippum de la Cruz in Thef. Eccles. tract. 1. q. 19. num. 5.

An nuptia prohibeantur à primis vesperis Sabbati ante primam Dominicam Aduentus?

RESOL. XXVI.

Pro affirmatiua sententia in part. 3. tract. 4. resol. 202. adduxi Sanchez, cui nunc addo Barbosam de officio Parochi, cap. 21. n. 13. & Petrum Ochagauiam de sacram. tract. 3. de impedim. matrim. quest. 41. num. 3. vbi sic ait. Prænotandum est tempus feriarum Aduentus incipere à primis vesperis Sabbati ante Aduentum tunc enim communiter & quantum est de se Officium Aduentus solet incipere; tempus verò feriarum Quadragesima, incipere à media nocte diei Cinerum, quia Officium Quadragesima si in toto rigore perpendatur, tunc sumit exordium. Quæ doctrina vera est, nisi alium modum incipiendi consuetudo legitima obrinnerit: tunc enim consuetudini fauendum est. Iste autem modus numerandi initium temporis feriatum, conformis videtur rationi, & numerari debet iuxta leges Ecclesie, in qua tempus incipere dicitur ab eo puncto, in quo Officium Ecclesiasticum proprium illius temporis incipit. Ita ille.

Sed ego in citata resol. pro contraria sententia adduxi Basilium Pontium, cui nunc addo Caualecanum part. 2. decis. 58. num. 19. & alios vbi infra, quia verba Concilij Trident. & alia antiqua decreta, licet dicant ab Anton. Diana Res. Mor. Pars III.

uentu Domini non posse sollemniter celebrari nuptias, at Concil. Rauennatense secundum sub Clement. V. cap. expressè primam Dominicam Aduentus nominat. Sed prima Dominica Aduentus incipit à media nocte; ergo, &c. Ex quo decreto colligit Pontius, ea ratione intellecta semper fuisse antiquiora Ecclesie decreta, quæ ab Aduentu Domini nuptias prohibuerunt. Et hanc opinionem Pontij visa est amplecti nostra prima Synodus Pannonitana anno 1615. sub eminentissimo Domino meo Cardin. ab Auria, vbi part. 2. c. 7. n. 23. ita asseritur: Postremo meminerit à Dominica prima Aduentus vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Ciner. vsque ad Octauam Pasche inclusivè sollemnitates nuptiarum prohibitas esse. In quibus verbis aperte apparet, quod sicuti prohibentur nuptiæ in Quadragesima à fer. 4. Ciner. ita prohibentur in Aduentu à Dominica prima Aduentus, sed feria 4. Ciner. incipit à media nocte, & non à vesperis ferie 3. ita Dominicam primam Aduentus etiam à media nocte & non à vesperis Sabbati dicendum esse incipere. Et ideo hanc sententiam præter Pontium & Caualecanum tenet etiam ex Societate Iesv Reginaldus tom. 2. lib. 3. c. 25. n. 88. Filliucius tom. 1. tract. 10. part. 2. c. 9. n. 268 Bonacina de matr. q. 3. punct. 14. n. 4. vbi sic ait: Ex Tridentino vetitum est celebrare matrimonium à primo die Aduentus Domini vsque in diem Epiphaniæ, & à 4. feria Ciner. vsque ad Oct. Pasche inclusivè, quod tempus incipit à media nocte præcedentis Dominice Aduentus, & à media nocte feria 4. Ciner. tunc enim incipit Aduentus & Quadragesima ritu Romano. Ita ille, qui, cum Filliucio pro hac sententia citat Sanchez, sed male; nam contrariam sententiam docet, vt supra diximus.

An mulier vi compressa non teneatur clamare ad euitandam mortem, infamiam, &c. etiamsi adsit periculum consentiendi in copulam carnalem?

RESOL. XXVII.

Non teneri mulierem in tali casu clamare docuit Salas, quem adduxi in 3. part. tract. 6. resol. 31. cui nunc addo Seraphinum Freytam in nouis additionibus ad tract. de Confess. soli. it. quest. 19. num. 26. vbi sic ait. Ex periculi permissione infertur faminam per vim compressam non teneri clamare ad euitandam mortem, infamiam, aliudve simile, tamen si exponat se periculo consentiendi seu cooperandi libidini, vt bene resoluit Salas, & constat ratione; etenim cisi famina in animo dissentiat, ex natura tanquam vi in tali opere non potest non adesse periculum consentiendi, & cooperandi. Ergo aut nunquam ei id permittere debet, aut non obstante eo periculo excusanda erit. Ita Freytas.

Sed ego vbi supra contrariam sententiam docui ex rationibus & DD. ibi adductis, quibus nunc addo Ioannem Sancium in selectis, disp. 10. n. 17. qui tamen postea num. 20. improbabiler docet non esse negandam absolutionem penitenti, qui mutuo dedit concubinae centum aureos, quorum recuperationis spem amittit, si domo eam eiiciat. Sed hanc opinionem præter Freytam loc. cit. n. 25. refellit etiam Castrus Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 3. punct. 9. §. 3. num. 14. nam si ipse Sancius non permittit periculum, vt visum est, ad euitandam mortem, infamiam, &c. quomodo admittendum est ad euitandum damnum centum aureorum?

An legatum factum pro monachatu possit dari mulieribus vulgò dictis Bizocchè, quæ celibem vitam in propria domo sub voto emiserunt?

RESOL. XXVIII.

Hic casus frequenter accidit, & ego in part. 1. tract. 2. resol. 84. affirmatiuam sententiam docui, quam postea à multis doctis Iurisconsultis in praxi libenter admissam

admissam fuisse scio, & illam, me citato, docet etiam nouissimè Ioannes Maria Nouarius in noua editione de elect. fori, sect. 1. q. 66 n. 16. vbi sic ait. *Hodie Tertiarias, qua castam & cœlibem vitam sub expresso voto in habitu traducunt, posse consequi legatum relictum pro monachatu, non obstante quod uiuant in propriis domibus, utique dicendum est, & ita restantur Riccius & Diana. Sic ille.*

An licita sit petitio Fisci instantis, ut aliqui rei indiciati tantum ad torturam, condemnentur ad triremes, sine aliquo termino defensionis?

R E S O L. XXIIX.

PRO parte affirmatiua propositæ quæstionis multa adduci possunt argumenta. Primò, quia datur in hoc casu aliqualis defensio, cum reus sciat se carceratum esse pro tali delicto, & citatus ad examinationem testium, quos aduersus illum Fiscus producit, scit eorum nomina. Ergo non damnatur omnino inauditus. Adde quòd in nostro casu cum non damnentur rei ad pœnam ordinariam, sed ad pœnam extraordinariam, videtur sufficere, ut eis præbeatur aliqualis modus se defendendi, eo pacto quo diximus.

Secundò, Princeps ex iusta causa potest tollere, seu ut melius dicatur, potest declarare ius naturale, ut in specie docet Decius in c. delicti. de excep. in 6. Cabedo part. 2. decis. 79 n. 10. & alij penes ipsum. Ergo ex iusta causa potest declarare in nostro casu non esse adhibendam defensionem propter frequentiam & atrocitatem delictorum.

Tertiò, hic modus procedendi non est nouiter introductus, sed ex antiqua consuetudine, ut apparet ex sententiis, à Fisco adductis.

Quartò, reis malæ famæ infertur tortura sine defensione. Ita multos allegans docet Gratianus Falconius reg. 468. num. 3. quia etiam num. 5. cum multis aliis asserit posse reum torqueti sine data copia indiciorum & defensione, si ab ipso non petatur, ut colligitur ex l. vnius. §. fin. ff. de questio. ibi, *postulante reo*, & docet glossa fin. in c. 1. de accusat. in 6. Bertazzolius l. 2. consilior. 474. num. 15. & ideo Nauarrus lib. 5. consilior. tit. de accusat. 8. excusauit quemdam Inquisitorem, qui multos reos torqueti iussit non data eis copia indiciorum, neque assignato termino ad defensionem, quia non petierunt sibi dari. Igitur in nostro casu licitè Princeps supradictam doctrinam applicare potest, & condemnare reos modo quo supra. Adde quòd in atrocissimis denegatur propriè processus, ut notat Bertazzolius in addit. ad Bartazzolium patrem, consil. 30. & Gracius Falconius reg. 268. num. 4. cum alijs, & defensionem negandam esse insignibus latronibus, disturbatoribus, stratiarijs, &c. docet Monticellus in praxi crimin. reg. 14. num. 4. vbi citat Marsilium & alios.

Quintò, pro bono publico aliquando Princeps punit innocentes, & ideo valet statutum, quòd conuicti teneantur dare in manibus Curie delinquentes conuictos. Item quòd puniatur pro delictis suorum conuictorum bannitorum patris in territorio, ut obseruat Barbarius in c. cognoscetes, de constitution. num. 5. Decius consil. 63. num. 3. Caballus in resolu. crimin. cent. 2. cas. 150. Couarr. lib. 2. variar. cap. 8. & alij. Ergo etiam quòd Princeps in nostro casu damnaret aliquem innocentem sine defensione, non ei imputabitur ad culpam, quia hic modus procedendi introductus fuit pro bono publico, aliter delicta atrocissima manerent impunita, cum hodie tormentum torturæ non efficiat cum reis, vnde quasi omnes torti & negatiuè è carceribus exeunt, ad vetera facinora redeunt.

His tamen non obstantibus, existimo non esse recedendum à negatiua sententia, pro qua firmanda.

Suppono primò, defensionem competere reo de iure naturali & diuino, ut patet in Clem. Pastoralis, de re in-

dicata; ibi, *de crimine graui delato*. Facultas defensionis, quæ de iure naturali prouenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori non licuerit, quæ iuris naturalis existunt. Et Prorex Feltus in Actis Apostol. cap. 25. sic dixit. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, presentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, qua ei obiciuntur*. Vnde defensionem esse de iure naturali testantur Theologi, ut Azorius tom. 2. lib. 11. c. 7. Turrianus in 2. 2. D. Thom. tom. 2. disp. 48. dub. 4. n. 1. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 1. præcept. 8. quæst. 3. art. 1. dub. 2. concl. 2. Ledesma in summa, tom. 2. tract. 8. c. 2. 2. diff. 4. Sayrus in clauis Regia lib. 12 c. 8. n. 2. 2. & 25. Petrus Nauarra de restitution. l. 2. c. 3. n. 182. & 197. Miranda de ordine iudiciario tom. 2. quæst. 26. art. 14. concl. 1. Villalobos in summa, tom. 2. tr. 14. diff. 4. n. 2. Aragonius in 2. 2. D. Thom. q. 67. art. 2. Zanardus in director. Theol. part. 3. cap. 39. dub. 3. Non adduco Iuriconsultos, quia hoc suppositum inter illos est commune. Sed omninò videantur Ludouicus Pegueras Doctor Hispanus, in sua praxi Crimin. c. 12. §. 6. n. 2.

Suppono secundò, cum supradictis Doctoribus, & tum illis, quos adduxit & sequitur Farinac. q. 39. n. 18. quibus ego addo Caballum tract. de omni genere homicidij, n. 425. Rudolphinum tract. de absoluta potest. Principis c. 6. n. 89. Berart. in speculat. visitation. c. 17. n. 84. Cardolum in lib. de indice & Aduocato, ver. defensio, num. 2. & ver. sententia, n. 34. Barbosam in collectan. tom. 1. lib. 2. tit. 12. c. 1. num. 7. Rouitum in addit. ad pragm. 1. de bonis spoliatorum, num. 2. & Spatharium in praxi Canon. tract. 10. part. 2. c. 12. num. 1. Principem etiam de suprema potestate non posse tollere defensionem reis, quæ est illis debita de iure naturæ, in quo nullus Princeps potest dispensare: vnde ipsemet Summ. Pontifex in c. 1. de causa possess. & proprietatis, confitetur nihil se posse contra inauditam partem definire. Deinde, ut optimè obseruat Aragon loco cit. in 2. 2. q. 67. art. 2. auferte ab aliquo arma, quibus iuste se defendere potest, non solum est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Constat autem reum, antequam sit legitime conuictus, iuste posse se defendere multis vijs & rationibus. Et sic qui non zudiendò talia arma ab eo aufert, facit contra ius naturæ, non minus quàm qui enssem surriperet, quo solo posset quis se defendere à morte, & eo sublato est occidendus: nihil enim refert armis, vel rationibus de salute dimicare. Ita Aragonius.

His igitur suppositis sic argumentor: Defensio competit reis (ut visum est in primo supposito) de iure naturali & diuino: sed Princeps etiam de absoluta potestate (ut patet in secundo supposito) non potest tollere ea quæ sunt de iure naturali & diuino. Ergo iniuste in nostro casu condemnat reos inauditos sine defensione.

Deinde ad improbandum supradictum modum iudicandi, multum me mouet communis illa doctrina Iuriconsultorum, quos affert & sequitur Farinacius q. 39. n. 45. quibus ego addo Almontem Ciazium in discept. crimin. discept. 32. num. 27. Balthazarum Amescuum tract. de potest. in se ipsum, lib. 1. cap. 19. n. 15. Pegueram in praxi c. 12. §. 6. num. .. Caballum in resolu. criminal. cent. 2. cas. 41. nempe reo confesso & conuicto (ò rem miram, sed veram & iustam!) etiamsi non petat, concedendam esse defensionem, neque aliter posse condemnari. Igitur quanto magis non erit dicta defensio deneganda reo, neque confesso, neque conuicto, sed tantum indiciato, ut est in casu, de quo loquimur!

Adde quòd in nullo Regno est in vsu talis praxis iudicandi, & tamen in alijs Regnis neque adest modus procedendi ex abrupto ita ordinariè, & in omnibus casibus, ut est in nostro Regno, aduersus quem modum procedendi, licet in illo denegetur tantum defensio quoad torturam, insurgit Rouitus in addit. ad pragm. 1. de bonis prodit. num. 20. & alijs, & num. 29. 30. & 38. cum sequent. Quid ergo supradicti Doctores clamarent, si scirent ultra prædictum modum procedendi, palatino modo ad torturam

non introductum esse in Regno alium modum condemnandi reos inauditos per sententiam definitivam?

Verum quia nostra sententia magis firmabitur ex responsionibus ad argumenta contraria, ideo ad primum assero hoc esse stramineum argumentum, quia substantia defensionis consistit in scientia eorum, quæ testes dixerunt, & est textus expressus in *cap. qualiter, & quando, de accusat. in 6. ibi, Et exponenda sunt ei capitula, ut facultatem habeat se defendendi.* Vide ut Pontifex asserit, reum non habere facultatem se ipsum defendendi, nisi sciat contenta in informationibus. Et quidem si reus ista non sciret, quo pacto se defendere posset demonstrando falsitatem, contrarietatem testium, &c. formando negatiuas coarctatas, &c. Et si verum esset, quod dicitur in hoc argumento, tortura in Sicilia non daretur palatino modo sine defensionibus, ut omnes asserunt; quod datur, quia omnes rei, qui in Sicilia torquentur, sciunt pro quo delicto sunt carcerati, & sciunt nomina testium aduersus illos producta, & fuerunt citati & interrogati. Ergo non esset dicendum secundum hoc argumentum, quod torquerentur sine defensionibus. Sed hoc dicere est absurdum, ut patet: erit ergo etiam absurdum dicere, quod rei non dicuntur condemnati sine defensione in casu de quo loquimur. Ad confirmationem verò argumenti respondeo negando totum. Nam eadem ratio quæ militat in pœna ordinaria, militat in pœna extraordinaria, quia leges, ut visum est, absolute decernunt non esse condemnandos reos inauditos, & non distinguunt quoad pœnam ordinariam, & quoad pœnam extraordinariam, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut patet ex *l. de pretio, ff. de public. in rem act.* & per ea quæ adducit *Surdus consil. 51. n. 7. Gamma decis. Lusit. 105. n. 2. Escobar de ration. cap. 18. n. 42. & alij communiter.* Adde quod argumentum de toto ad partem valet, ex *l. de tota, ff. de rei vindicat.* maxime, ut est in casu nostro, quando militat eadem ratio, ut obseruat *Menochius consil. 72. num. 5. Surdus consil. 193. num. 6. & alij.* Si igitur defensio competit reis, quando condemnantur pœna ordinaria, idem dicendum est, quando condemnantur pœna extraordinaria. Quod etiam probatur ex alia consuetudine: nam Doctores communiter asserunt, non esse reos torquendos denegatis defensionibus, hoc est, copia indiciorum. Ergo non est verum dicere, ut aduersarij supponunt in argumento, quod copia indiciorum non est danda, quando damnatur reus ad pœnam extraordinariam triremium, exilij, &c. sed ad pœnam ordinariam mortis. Et ita hanc sententiam tenet *Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 11. num. 102.* ubi sic ait, *Et quæ diximus de non condemnando reum non auditum ad mortem, videntur etiam habere locum in carcere, exilio, priuatione bonorum, officiorum, &c. Nam eadem ferè rationes accommodari possunt.* Ita ille, & *Petrus Nauarra lib. 2. cap. 3. num. 195. Sayrus in clauis Regia lib. 12. cap. 8. num. 16. & alij.* Ex quibus satis remanet labefactum argumentum contrariæ sententiæ, quod solidissimum aduersarij putabant.

Ad secundum argumentum respondeo cum *Rudolphino tract. de princip. potest. cap. 2. num. 92. & aliis penes ipsam, quibus ego addo Villalobos in summa, tom. 2. tract. 14. diffc. 4. num. 6. Filiucium tom. 2. tract. 40. cap. 6. num. 176. Layman lib. 3. sect. 5. tract. 6. c. 2. num. 7. Lessium loco citato, n. 100. Zanardum in direct. Theolog. part. 3. c. 34. dub. 3. & alios, quos ego ipse adduxi in 3. par. resolutionum moralium tract. 5. resol. 98.* quod ex iusta causa potest Princeps denegare defensionem; tamen hoc procedit in aliquibus tantum casibus à Doctorebus particulariter expressis, ut quando delictum est notorium, quando timeatur de populi tumultu, & aliis casibus à dictis Doctorebus enumeratis, in quibus scit Princeps reis nullam competere, nec habere posse defensionem. Extra quos casus non dari aliam iustam causam dispensandi, tenet *Rudolphinus loc. cit. David à Mauden in Decalog. disc. 3. præcept. 8. n. 4. in fine. Farinacius q. 39. n. 24.* sed in his casibus neque

directè, neque indirectè possunt includi casus, per quos rei de quibus loquimur, condemnentur inauditi; ergo non potest dici quod Princeps in nostro casu potest ex iusta causa dispensare quoad defensionem dictorum reorum.

Ad tertium argumentum respondeo, quod in nostro casu non valet adducere consuetudinem in contrarium: nam cum satis probatum sit defensionem esse de iure naturali, consuetudo nihil aduersus illud præualere potest, ut docet *Suarez de legib. lib. 7. cap. 6. n. 4. Salas de legib. tr. 19. sect. 11. n. 89. Molfesius in summa, tom. 1. tract. 9. cap. 11. num. 41. Becanus in part. 2. tract. 3. q. 6. n. 2. & alij Theologi communiter, & in terminis ut asserunt terminantibus, ita respondet etiam *Farinacius q. 39. n. 29.* asserendo non valere consuetudinem, per quam tollitur reo defensio. Et nouissime ita etiam tenet *Piagijs tract. de consuetud. q. 6. n. 172.* Nec valet dicere quod *Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 11. n. 99. Filiucius tom. 2. tract. 40. c. 6. n. 176. & alij asserunt defensionem non esse de iure naturali, sed de iure gentium.* Sed consuetudo aduersus ius gentium valet, ex *gloss. in l. si locus, ff. quemadmodum seruit. amit.* Ergo, &c. Nam respondeo, (quidquid sit de probabilitate opinionis *Lessij, & aliorum*) quod consuetudo neque potest tollere ea quæ sunt de iure gentium, ut probat *Azorius tom. 2. lib. 5. c. 17. q. 6. maxime, ut obseruat Bonacina de legib. disput. 1. quest. 1. punct. 2. n. 8.* quando ius gentium procedit ex iure naturali, ut procedere in casu nostro fatentur *Lessius, Filiucius loc. citat.* Vnde *Salas de legib. tract. 29. resp. 19. sect. 2.* sic ait. Licet aliquod ius gentium possit consuetudine abrogari, tamen moraliter id non contingit, quia deberent omnes gentes in tali consuetudine concordare quod est moraliter impossibile, maxime cum etiam iura gentium sint valde consentanea iuri naturali, & ideo oppositæ consuetudines raræ esse possunt. Ita *Salas.* Ex quibus manet solutum hoc tertium argumentum, in quo *Filius* nimis se fundabat.*

Ad quartum argumentum assero primò, quod supradicta doctrina communiter à Theologis & Iurisperitis absolute refellitur, ut videre est apud *Pegueram in praxi, cap. 12. §. 6. n. 3. Farinacium q. 39. n. 91. & 99.* Aliqui verò ex *Marsilio in præf. §. nunc videndum, n. 13.* distinguunt; vel reus est idiota & simplex, vel literatus, & sagax. In primo casu asserunt, etiam si non petat, dandam esse copiam indiciorum. In secundo casu verò negant. Et ita docet *Didacus Cantera in questionib. criminalibus q. 9. de Iudice, n. 3. & alij.* Sed in nostro casu omnes rei sunt idiotæ, & simplices; ergo, &c. Vel respondeo secundò, esse disparem rationem inter illum casum & nostrum: nam in nostro casu reus absolute condemnatur per sententiam ad pœnam subeundam sine vlla defensione, & non auditus: in illo verò casu, de quo loquitur in argumento contrario, defensio non tollitur, sed differtur, ut notat *Antonius de Nigris Neapolitan. cap. 272. n. 57.* cum reus tantum torqueatur; vnde ei remanet spes non confitendi in tormento: & si confitetur post tormentum, datur ei terminus innocentia ad se defendendum, & ita dictam doctrinam procedere quoad torturam, non autem quoad condemnationem, rectè notat *Pitigianus in praxi Canonica, tit. 3. cap. 7. circa fin. & Elisæus Danza de potest. ad modum belli, cap. 4. n. 1.* Vnde *Nauarrus in dicto consil. 8. de accusat. dixit quod licet communis opinio teneat dandam esse defensionem ante torturam, nullus tamen videtur textus expressus in hoc, quod de condemnatione rei non est dicendum cum omnia iura aperte clament non esse damnandum nisi auditum.* Et ideo, ut dixi, non valet argumentum de tortura ad condemnationem, licet communiter DD. asserant in utroque casu dandam esse reis defensionem. Ad confirmationem verò argumenti dico opinionem *Claudij Bertazzolij, & aliorum esse reprobata, ut docet Caballus in resolutionum criminalium cæsur. 2. cas. 41. & Farinacius q. 39. n. 41.* cum aliis penes ipsos, Vnde in delictis atrocissimis, etiam in hæresi, conceditur

defensio, & datur copia indiciorum, & quando delicta frequentia & atrociora, augetur pœna, priuilegiatur eorum modus procedendi, vel inuenitur alia via ad illa extirpanda: non autem tollitur defensio, quæ reis competit de iure naturali, & quæ tolli non potest etiam, vt probatum est, de absoluta Principis potestate. Ad doctrinam verò Monticelli, & aliorum negantium defensionem insignibus latronibus, &c. respondeo veram esse, quando supradicti sunt notoriè tales, aliàs secus. Et ita limitat dictam sententiam Farinacius q. 39. n. 109. Bossius tit. de iudiciis, n. 74. Et supra ad secundum argumentum, ex mente etiam Theologorum, diximus Principem, quando delictum est notorium, posse defensionem denegare.

Ad quintum argumentum, assero illa exempla non facere ad casum nostrum: nam, vt rectè obseruat Farinacius

q. 23. n. 139. in illis statutis non apponitur pœna corporalis: & si apponeretur, esset iniusta. Verùm in nostro casu rei damnantur sine defensione ad triremes. Vnde si inter illos esset aliquis innocens, subiret inauditus pœnam tam atrocem, vt Caballus *resolutionum Criminalium cent. 1. cas. 9. num. 48.* asserat quòd ista pœna maior, aut grauior reperiri non possit.

Igitur ex omnibus supradictis factis firmata mihi videtur circa presentem quæstionem opinio negatiua. Vnde claudam hoc responsum cum verbis Medæ, iussæ exulare à Creonte Rege ita cum illo loquentis, vt notat Bobadilla *in politica tom. 1. lib. 2. cap. 5. num. 36.* [Qualquier que manda alguna cosa sin oyr la parte, aunque loque manda sea iusto, el eo lo mandar es injusto.] Et ita ego sentio, saluo semper, &c.

APPROBATIONES,

NOS infra scripti ex commissione admodum Reuerendi Patris nostri Generalis D. Matthæi Santomango accuratè recognouimus Additiones ad Resolutiones Morales R. P. D. Antonini Dianæ Clerici Regularis, continentes alias viginti nouem Resolutiones eiusdem Authoris; in quibus cum libil sit, quod sanæ doctrinæ, vel morum regulæ aduersetur, dignas iudicamus, vt typis mandentur. Romæ die 25. Februarij 1634.

Don LEONARDVS DVARDVS Cler. Reg. Theol. & vtriusque Iuris Doctor.
D. PAVLVS MARIA QVARTVS Cler. Reg. Sacræ Theologiæ Professor.

D. MATTHÆVS S AN TOM AN GVS
Præpositus Generalis Clericorum Regularium,

CV M hæ Additiones Resolutionum Moralium R. P. D. Antonini Dianæ, iuxta præfixam assertionem PP. Theologorum, quibus id commissimus, approbatæ fuerint, vt typis mandentur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentem has manu propria subscripsimus & nostro solito sigillo firmauimus. Dat. Neapoli die 10. Februarij 1634.

D. FRANCISCVS BACILIS Secretarius.



INDEX RERVM OMNIVM NOTABILIVM, QVÆ IN III. RESOLVTIONVM PARTE CONTINENTVR.

A

Abbas, Abbatissa.



ABBATES an possint consecrare calices, altaria, campanas, & benedicere lapides, & alia vasa ecclesiastica, non solum ad vsum suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum, tractat. 2. resol. 15. pag. 29.

Et an possint se ingerere in benedictionibus, in quibus vnctio

requiritur, ibid. *vers. quoad consecrationem*; & hæc conclusio an etiam procedat respectu Abbatum Regularium, qui gaudent amplissimis priuilegiis, *vers. dubitatum vero.*

Et an pariter gaudeant isto priuilegio aliæ Religiones, quæ gaudent priuilegio communicationis, *vers. notandum tamen est.*

ABBATES Clericis sæcularibus sibi subditis an possint concedere literas dimissorias, tract. 2. resol. 95. p. 55

ABBATISSA an licitè possit pacisci de certa summa pecuniæ, donec Monasterio dos Monialis soluatur, etiam si Monasterium sit opulentum, tract. 2. resol. 97. ibid.

ABBATISSA an possit eligi Monialis vidua, tract. 2. res. 99. p. 59

Abortus.

ABORTUM an liceat procurare ad euitandum periculum vitæ, & infamiæ alicuius puellæ prægnantis, tract. 5. resol. 11. p. 167

Dummodo fœtus non sit animatus, ibid. *vers. ab his.*

ABORTUS post fœtus animationem an sit permissus, quando mater in aliqua infirmitate laboraret, & nullum aliud remedium sit, licet indirectè, & per accidens ex illo sequatur mors fœtus, tract. 5. resol. 11. *vers. notandum est hic.* ibid.

Sed quid quando medicamenta æquè tendunt ad salutem matris, & ad mortem fœtus, vbi salus infirmæ omnino desperata est, & fœtus etiam periret, an inquam in tali casu liceat prædicta medicamenta præbere, ibid. *vers. negatiuè respondent.*

Sed quid si proles est animata an erit illicitum præbere matri medicamentum directè curatiuum cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valde probabile prolem sine illo viuam edendam, *vers. notandum est.*

Absolutio.

ABSOLUTIO casuum referuatorum ab aliquo obtenta tempore Iubilæi habente animum lucrandi Iubilæum, si postea illud non lucratur, an remaneat firma, ita vt pœnitens non reincidat in casus semel remissos, tract.

2. resol. 44. *vers. & confirmatur.*

ABSOLUTIO an sit danda moribundo, qui nutibus tantum querit absolutionem à Confessario. Vide *moribundus.*

ABSOLUTIO an sit concedenda moribundo, qui non audit, nec potest loqui, sed tantum pugno pectus suum pulsatur suspirans oculos in cœlum tollit, vel respicit aliquam imaginem, hoc vidente Sacerdote, vel aliis testificantibus. Vide *moribundus.*

ABSOLUTIO non est concedenda Sacerdoti, qui sano corpore nihil de mortis periculo suspicans Missam inchoasset, & in fine introitus decidisset mortuus. licet confessionem generalem fecisset ad Deum coram ministro, & Ecclesia. Vide *Sacerdos.*

ABSOLUTIO an sit danda moribundo exhibenti signa supradicta, sed dubitatur an proueniant ex contritione, an ex angustia. Vide *moribundus.*

ABSOLUTIO an sit à Confessario danda moribundo, qui in illius absentia petiit confessionem, vel signa pœnitentiæ fecit, aliquo hoc testante. Vide *moribundus.* vbi etiam habebis quot testes debeant hoc testari confessario.

ABSOLUTIO an sit danda illi, quem paulò ante in periculo mortis Confessarius audierat, & non absoluerat, si postea superueniens adhuc eum inuenit viuum, sed sensibus destitutum, tract. 7. resol. 6. p. 68

ABSOLUTIO à Sacerdote impartienda an sit moribundo sensibus destituto, si testes de signis eius contritionis non coram infirmo testimonium ferant, si postea Sacerdos præsentem infirmo vellet illi sacramentalem absolutionem præbere. Vide *Confessarius.*

ABSOLUTIO an possit à Confessario concedi moribundo sensibus destituto, qui non petiit confessionem, nec vllum signum contritionis edidit. Vide *moribundus.* vbi etiam quid si moribundus bene vixerit.

ABSOLUTIO potius est concedenda in fauorem pœnitentis, quàm deneganda in reuerentiam Sacramenti. Vide *Confessarius.*

ABSOLUTIO an sit deneganda pœnitenti, qui non vult acceptare pœnitentiam sibi à Confessario iniunctam. Vide *pœnitens.*

ABSOLUTIO à censuris, & casibus referuatis in articulo mortis, seu periculo, potest dari à quolibet Sacerdote, & qui comprehendantur hoc casu sub nomine Sacerdotis, & quid si esset præsentem Parochus, & quando dicatur periculosa infirmitas. Vide *pœnitens.*

ABSOLUTIO an licitè possit concedi ei, qui habet peccata referuata, cum onere, vt ea sola postea superiori confiteatur, tract. 4. resol. 58. p. 88

ABSOLUTIO, & alia Sacramenta an possint licitè recipi à ministro malo, sed parato ministrare. Vide *pœnitens.*

ABSOLUTIO à pœnitente obtenta bona fide à peccatis tantum, & non à censuris etiam referuatis, à quibus ipse est

Index Rerum Partis III.

- est innodatus, an sit valida, tract. 4. resol. 78. p. 95*
 Et quid si Confessarius sciat peccata habere annexam excommunicationem, & hoc non obstante ex malitia absoluat, *ibid. vers. & omnia.*
- Absolutio an sit deneganda pœnitenti à Confessario, qui euidenter scit, quod pœnitens commisit tale peccatum, & de eo non sit confessus. tract. 4. resol. 105. p. 103*
- Absolutio an sit valida si pœnitens bona fide sua peccata aperuit, sed Confessarius quandoque dormiebat, dum ille confitebatur, an verò talis confessio tanquam nulla sit reiteranda. Vide Confessio.*
- Absolutio à pœnitente obtenta à Confessario cum falsa licentia Ordinarij an sit nulla. tractatu 4. resolut. 122. p. 109*
- Absolutio obtenta à pœnitente, qui scit Confessarium esse priuatum iurisdictione, quod ipse Confessarius ignorat, an sit valida, ibid. vers. hinc.*
- Absolutio data à Confessario, qui non recordatur statum pœnitentis, an sit valida, tract. 4. resol. 123. vers. sed cum. ibid.*
- Absolutio an sit danda illi, qui sine causa præberet Confessario sua peccata scripta, & de illis illo præsentate se accusaret, tract. 4. resol. 127. p. 111*
- Absolutio ab excommunicatione an possit à laïco valide dari moribundo, ita vt defunctus sit sepeliendus in loco sacro, tract. 4. resol. 133. p. 112*
- Absolutio à quocumque Confessario approbato absque licentia Inquisitoris an possit dari illi, qui vi & metu, fraude, vel dolo, aut alio quocumque casu inter infideles exterius fidem negauit, sed corde illam retinuit, si postea rediit ad Christianos, tanquam non comprehenso in Bulla Cœnæ. Vide hæreticus.*
- Absolutio est danda à Confessario blasphemanti hæreticaliter absque licentia Inquisitoris, si bene sentiat de fide. Vide hæreticus.*
